11427/c

(2 vols)

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30413989_0002

DE MORBIS VENEREIS LIBRI NOVEM

AUCTORE

JOANNE ASTRUC

In Regio Franciæ Collegio Profeſſore Medico, &c.

IN QUIBUS DISSERITUR TUM DE ORIGINE, Propagatione & Contagione horumce affectum in genere: tum de ſingulorum Natura, & Ætiologia & Therapeia, cum Brevi Analyſi & Epicriſi Operum plerorumque quæ de eodem argumento ſcripta ſunt.

IN HAC NOVISSIMA EDITIONE

Præter novas duas Auctoris Diſſertationes accedunt Epiſtolæ tres


CL. GERARDI L. B. VANS-WIETEN

de Specifico ab ipſomet invento, & experimentis probato ad profligandam luem Veneream abſque pthyaliſmo; nec non Diſſertatio Cl. viri

JOSEPHI MARIÆ XAVERII BERTINI

de uſu interno & externo Mercurii ex italico in latinum ſermonem converſa.

TOMUS SECUNDUS.



VENETIIS,

MDCCLX.

APUD THOMAM BETTINELLI.

SUPERIORUM PERMISSU.

305.035

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

DE MORBIS VENEREIS LIBER QUINTUS.

Index Chronologicus Auctorum, qui de Lue venerea, vel Luis venereæ remediis ſcripſerunt ab ingreſſu morbi ad annum quinquageſimum ſeculi XVI. cum brevi plerorumque Operum Analiſi & Epicriſi.

SEQUENTEM Indicem Scriptorum, quæ de Morbis venereis in hunc diem edita ſunt, ſeu Chronologicam Bibliothecam Auctorum, qui hanc materiam tractaverunt, utilem fore duxi, ut (*) uno quaſi intuitu inſpicere liceat quid de luis illius origine, natura, remediis, varii varie ſenſerint diverſis temporibus; quid in promovenda illius curatione a ſingulis præſtitum ſit; uno verbo, ex quibus ambagibus, & quorum potiſſimum opera hujus therapeja, qualis nunc uſu viget, ad eum perfectionis apicem pervenerit, quo nunc ſtare videtur.

(*) Vide Prefationem

Sed hæc omnia Lectorum judicio permitto. Id unum dumtaxat poſtulo, petoque, ut concedatur inde conſectaria aliquot eruere, quæ manifeſta rerum evidentia confirmari credo, & quæ a nemine, ſi ad rem ipſam velit attendere, negari poſſe confido.

I. Luem veneream morbum novum eſſe, qui Europæ primum incubuerit circa annum 1494. cum ante de hoc argumento ſcripſerit nemo, ab eo tempore plurimi.

II. Luem veneream in Italia primum (a) apparuiſſe, ſaltem palam & aperte, cum Medicorum omnium primi, qui de lue venerea ſcripſerunt, Itali ſint, vel ſaltem in Italia arte medica inſtituti: quibus verbis deſignari volo Germanos aliquot Medicos, quorum exſtant Opuſcula quædam antiquiſſima de morbis venereis, ut Joſephum Grundpeckium, Johannem VVeidmann, Simonem Piſtorem, Martinum Pollichium. Conſtat enim artis medicæ tyrocinium ab illis poſitum fuiſſe in Academiis Italiæ, ac præertim in Patavina, unde primam hauſerant horumce morborum notitiam.

III. Deinde veneream luem in Hiſpanias Galliaſque citius prorupiſſe, quam in ul-lam

(a) Prius viſa fuerat in Hiſpania poſt primum Columbi reditum ab Inſula Hiſpaniola, ſed inter paucos. Vide ſupra Lib. 1. Cap. 11.

ſiam ceterarum Europæ regionum, cum Hiſpani, Gallique Medici poſt Italos antiquiſſimi ſint Europæorum, qui de morbis venereis diſſeruerint.

IV. Videri luem eamdem in Angliam, Germaniam, ceteraque Europæ Regna, quæ ad Septentriones ſita ſunt, ſerius irrepſiſſe, cum ex illis regionibus Scriptores, a quibus hoc argumentum tractatum ſit, tardius prodierint.

V. Demum, qui de morbis venereis ſpeciales Tractatus ſcripſerint, numero plures eſſe, ſi peſtem & Febrem peſtilentialem excipias, quam qui de ulla alia quavis ægritudine, etiam ab omni ævo cognita: Neque mirum videri, cum a primo invaſionis tempore nullus alter morbus exſtiterit, qui frequentior, gravior, difficiliorque fuerit, atque adeo dignior ſtudii Medicorum materies. Epiphanius Ferdinandus jam ætate ſua (a) hoc eſt, circa annum 1620. octoginta Auctores recenſebat, qui de morbis venereis diſſeruiſſent. Ipſe nunc plures novi, quam quingentos in ſequentibus nominatim enumerandos; neque tamen confido omnium notitiam habuiſſe.

VI. Ceterum in hac amplificanda Bibliotheca Aphrodiſiaca magno uſui mihi fuerant cæleberrimæ Bibliothecæ, quæ ſunt Pariſiis, ut Bibliotheca Regia, Collegii Mazarinæi, Collegii Ludovici Magni, Eminentiſsimi Principis Cardinalis de Rohan &c. quæ mihi commode patuere, ut nulli non patent literato, cum nota illorum humanitas, quos præfectos habent, literatos omnes æqualiter complectatur. Egregie quoque profuit Equitis Hans (*Johannis*) SLOANE, D. M. & Præſidis Regiæ Scientiarum Societatis, locupletiſſima Bibliotheca, quæ proſtat Londini, & cujus, licet abſens, uſum feci Poſſeſſoris indulgentia, ſtudioque in rem literariam, & amica diligentia Thomæ STACK, Doctoris Medici, qui huic præeſt; & qui libros, quorum ſatagebam, perquirendi, evolvendi, deſcribendi onus in ſe lubens ſuſcepit, & ut accurate, ſic & erudite implevit, ut nemo potuiſſet magis.

VII. Ne quis vero locus eſſet dubitandi de religione perſcrutando adhibita, viſum eſt, in recenſendis Scriptis Aphrodiſiacis antiquioribus vel rarioribus, ad horam Libri adnotare qua Bibliotheca lateant ſingula, quæ ut uſurparem contigit; quo conſilio, ſi quis ſimilia nobiſcum conaturum eſt, viam ſimul illis præſtabimus faciliorem.

SÆCULUM DECIMUM QUINTUM.

Videntur omnia, primis luis venereæ temporibus, exeunte ſcilicet ſeculo decimo quinto & ineunte decimo ſexto, novitatem tum morbi, tum methodi morbo medendi palam atteſtari; theoria nempe, quæ dubia erat, incerta, diſcors; therapeja, quæ infida, male tuta, temeraria, ſumma medentium titubatio, & ægrotantium diffidentia; demum Agyrtarum, & Empiricorum celebritas & arrogantia, ut qui jactatione & favore populari nunquam magis valeant, inſolentius nunquam ſuperbiant, de ſe magnificentius numquam ſentiant, qnam ubi doctis, providis, cautis & uſu peritis Medicis aqua hæret maxime.

I. Tunc ſane ignorabatur morbi natura, quem cenſebant alii novum eſſe & veteribus Medicis incognitum; quem alii contra contendebant ab omni ævo & viſum & obſervatum fuiſſe; ſed in eo parum ſecum concordes, quod diſputarent ad quodnam morbis genus, an ad lepram ſeu elephantiaſim, impetiginem, lichenaſne referendus eſſet.

II. Ignorabatur morbi cauſa, quam varii varie arceſſebant ab influxu ſiderum; a pluvioſa & humida aeris intemperie; a carne humana militibus in annonam præbita; ab elephantiacorum ſanguine cum vino commixto; a meretrice, quæ leproſo cuidam ſui copiam pretio fecerat; demum a conturbernio, quod Hiſpani milites, nautæque cum barbaris mulieribus inolenti ea lue infectis habuerant in Inſula Hiſpaniola.

III. Ignorabatur propagationis modus, cum crederetur ab aliis quidem morbum ſponte tantum concipi aeris intemperie, alimentorum vitio, diætæ errore &c. ab aliis vero contagione tantum diffundi ab ægris in ſanos; demum ab aliis & ſponte contrahi, & contagione ſimul propagari; quæ poſtrema opinio diu viguit.

IV. Ignorabatur tandem therapeja morbi, ut cui curando non adhibebantur niſi purgantia, diluentia, temperantia, ad ſummum balnea in aqua tepida, ſtuffæ, in furno, illitiones ex aromaticis, aliaque hujuſce generis ſexcenta, quæ therapejam illorum methodicam complebant; & quæ morbo profligando plane imparia erant.

V. Sed cum dura neceſſitas remediorum inventrix & magiſtra eſſe ſoleat, contigit non

(a) In Hiſtoriis Medicis, *Hiſt.* 27.

non multo poſt intervallo, ut Empiricorum exemplo frequentaretur uſus illitionum mercurialium, & exemplo Indigenarum Hiſpaniolæ increbreſcerent decocta lignorum Guaiaci & Saſſafras, radicumque Chinæ & Sarſæ-parillæ, ex quo tempore gemina ſalutis via Syphiliticis oblata eſt, nempe vel ptyaliſmum, vel ſudationem experiri. Ut autem neutra methodus ſua carebat utilitate, ſic etiam neutri ſua deerat noxa: Altera periculoſa erat, inefficax altera, unde acriter diuque diſceptatum fuit utra utri præferenda eſſet.

VI. Per idem tempus uſurpabantur ab Empiricis & Agyrtis pleriſque duo alia remediorum genera, ſed quæ apud cordatos proboſque Medicos magnopere infamabantur; *ſuffumigia* nempe, quæ periculoſa, ſi ex cinabrio, quæ venenata erant, ſi ex auripigmento parabantur; & *præparata quædam mercurialia* ore exhibenda, ut pulvis ruber Johannis de Vigo, aut pulvis angelicus Nicolai Maſſæ, qui pulveres ambo deleteriæ virtutis ſunt, qui cum Mercurio præcipitato rubro apprime conveniunt ambo, imo qui præcipitato illo rite præparato acriores ſunt.

JOHANNES MULLERUS de Regio-monte, vulgo JOHANNES REGIOMONTANUS, vel 1475 MONTEREGIUS, (*a*) natus annno 1436. Koniſgbergæ, non in Boruſſia, ut voluit (*b*) Starovolſcius, ſed in (*c*) Franconia, quod nomen *Montem regium* germanice ſonat; unde cognomen ille habuit. Grammaticam domi edoctus Lipſiam miſſus eſt, ubi Dialecticæ, ac primis Aſtronomiæ elementis ſtudium dedit; ac poſtea Georgium Peurbachium adiit, qui in Vindobonenſi Academia Aſtronomiam cum laude profitebatur; Quo mortuo anno 1461. In Italiam profectus eſt, Beſſarionem, Cardinalem comitatus, ſed in Germaniam brevi regreſſus eſt, & aliquandiu Vindobonæ Mathematicas Scientias publice docuit, donec perluſtrata prius Hungaria, quo a Rege Matthia Corvino invitatus fuerat, Noribergam conceſſit anno 1471. ubi obſervandis cœleſtibus ad Aſtronomiæ inſtaurationem, libriſque excudendis ſedulus vacabat, cum a Sixto IV. Summo Pontifice deſignatus eſt Epiſcopus Ratiſponenſis, & anno 1475. Romam accerſitus, ut Kalendarii reformationi præeſſet. Obtemperavit, ſed non lubens, & anno inſequente 1476. Romæ fato functus eſt, anno ætatis 41. ſive peſte, ut narrat jovius, ſive potius veneno de medio ſublatus, inſidiis, ut fama fuit, filiorum Georgii Trapezuntii, quos ſibi iratos habebat, quod Parentis eorum circa Ptolemæum, Theonemque lapſus non diſſimulaſſet.

Memoriæ prodidit Theophraſtus Paracelſus, *Lib. I. de Peſte*, *Cap.* 4. *Johannem de Monteregio inſultum luis gallicæ prædixiſſe* ex Aſtrologia. Videbatur prima fronte illa prædictio ſcribi potuiſſe a Regiomontano in *Ephemeridibus*, *quas vulgo dicunt* Almanach, *ad triginta duos annos*, ſcilicet ab anno 1474. ad annum 1506. *ſcriptis*, & Noribergæ editis anno ipſo 1474. Sed volumina duo in 4°. quibus continentur, evolvi & nihil aliud quidquam in illis exſtare comperi, præter meras notationes locorum, motuum, directionum, aſpectuum & phaſium ſingulorum Planetarum, ſine ulla prædictione. Biblioth. Regia.

Piguit ceteros Regiomontani libros numero non paucos, nec facile obvios, pari diligentia perquirere & excutere, maxime cum locus ille, de quo quæſtio eſt, ab auctore nullo alio certiore adduceretur, quam Paracelſo. Quod ſi qua futuri & imminentis morbi prædictio in Regiomontani operibus ſcripta ullibi occurrat, mihi dolet ex animo, ac temere ſcriptam fuiſſe fateor, & ex vanitate aſtrologica, a qua illis temporibus ne peritiſſimi quidem viri ſatis immunes erant. At vero prædictio illa, ſi forte exſtet, de nullo morbo poterat minus apte intelligi, quam de lue venerea: Etenim ſi quis affectus fuerit, qui ab influxu ſiderum minime dependeat, ille eſt morbus venereus, quem licet, ſi lubeat, vel omni vitæ momento contrahere, vel toto vitæ decurſu declinare, atque adeo in quo minime reperias vim illam ineluctabilem, quam fingunt propiam eſſe morborum, qui ab aſtris immittuntur.

PAULUS (*d*) ALMANUS de Middelburgo, ſive PAULUS MIDELBURGIUS, a natali ſolo (*e*) cognomen habuit, natus eſt enim Middelburgi, in urbe principe Zelandiæ Batavorum. Adoleſcens annos plures Lovanii tranſegit, ubi artem medicam ac mathematicas diſciplinas doctus eſt. Quo præciſe anno in Italiam abierit ignoro, ſed con-

(*a*) Petrus Gaſſendus, in *Vita Johannis Regiomontani*.

(*b*) In Scriptorum Polonorum ἑκατοντάδι.

(*c*) Ulricus Huttenus, Francus, Regiomontanum vocat *Civem ſuum*, in *Epiſtola ad Bilibaldum Pirckheymerum*.

(*d*) Sic legitur in fronte *Ephemeridum* Pauli Middelburgii *anni* 1481. unde videtur poſſe colligi *Almanum* fuiſſe nomen familiæ Pauli.

(*e*) Valerius Andreas, in *Bibliotheca Belgica*.

ſtat illum (*a*) *Aſtronomiam ordinarie Paduæ legiſſe* anno 1479. *Fuiſſe* anno 1481. (*b*) *Phyſicum*, hoc eſt Medicum, *Illuſtriſſimi Principis Frederici*, *Ducis Urbini*, (*c*) *Regis Capitanei generalis*, *ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Confaloneri*: Anno 1483. (*d*) *Phyſicum Illuſtriſſimi & humaniſſimi Principis Divi Guidonis Eubaldi*, *Comitis Montis Fere-* Biblio-tech. Ra-ga. *tri*, *ac* (*e*) *Durantis*, *necnon ſecundi Ducis Urbini*, *& Capitanei generalis armorum Sereniſſimi Regis Apuliæ*: Anno 1484. (*f*) præſentem adfuiſſe, cum Julio Cæſari Scaligero *ſalutis lavacrum impertiretur*, & poſtquam *natalem ejus diem atque cœli faciem conſideraſſet*, *non Canem*, *ceu pater imperarat*, *ut* filius *majorum ſuorum*, *quaſi inauguratione quadam*, *ſi potentia non poſſet*, *memoriam renovaret*, *ſed* Julium Cæſarem *nominari voluit*, *quaſi novum Dictatorem alterius fati*, *& novi caput*; cujus tamen rei fidem eſſe volo penes auctorem, nempe Scaligerum ipſum, cum ignarus non ſim quam vaniloquus ille ſoleat eſſe, quoties de ſe loquitur: Demum (*g*) anno 1494. (*h*) beneficio Guidonis illius, Urbinatium Ducis, de quo mox, & Imperatoris Maximiliani gratia Foro-ſempronienſis Epiſcopus electus fuit. A Julio II. & a Leone X. ſummis Pontificibus, Romam evocatus, non Lateranenſis Concilii Præſes conſtitutus eſt, ut ait Valerius Andreas in *Biblioteca Belgica*, ſed (*i*) *Præfectus Congregationis ad Kalendarii reformationem delectæ*: Erat (*k*) enim omnium ſui temporis mathematicorum facile princeps. Tandem (*l*) *exacto annorum 89. vitæ ſuæ curriculo diem obiit extremum Romæ*, *anno Domini* 1534.

Scripſit Petrus Maynardus, Veronenſis, *Tractat. I. De Morbo Gallico Cap.* 1. „ Gallicum morbum prædictum fuiſſe a Paulo de Medelburgo Zelandiæ Oceani, clariſſimo „ Artium & Medicinæ Doctore, in *Prognoſtico* 20. *annorum*, quod ille ad *Illuſtriſſimos Principes*, *Urbini Ducem*, *D. Guidonem Monferetanum*, *ac ſapientiſſimum Octavianum de Ubaldinis* ſcripſit pridie Kalendas Januarii, anno virginei partus 1487. in „ quo quidem dixit *quondam morbum curatu difficilem imminere hominibus habentibus* „ *ſtellam Scorpionis horoſcopantem in genitura eorum*, *aut ipſorum nativitatibus*; *& quod* „ *ejus cauſa ſupercœleſtis fuerat tremebunda conſtellatio coitus trium ſuperiorum ſyderum*, *Saturni ſcilicet*, *Jovis & Martis*, qui quidem coitus fuerat in gradu 23. Scor- „ pionis, die 25. Novembris anni 1484. ita quod Mars poſſidebat locum conjunctio- „ nis, & Saturnus in Auge ſua opprimebat Jovis ſtellam uſque adeo, ut ejus beni- „ gna influentia non valuerit, nec reſiſtere potuerit, quin hi duo Planetæ malivoli, „ ſcilicet Saturnus & Mars, imprimerent ſuo lumine & motu varias aeris & aliorum „ elementorum alterationes ſenſibus occultas; conſequenter in omnibus mixtis ex eis, „ agentes diſpoſitiones ad futurum hominum interitum variis modis poſt bis ſex annos „ a die conjunctionis, & maxime in humanis corporibus ſtellis Scorpionis ſubjectis. „ Hactenus Maynardus, qui ſingula tam accurate recenſet, qui Middelburgii verba adeo diligenter exſcribit, ut licet Prognoſticon illud Middelburgii anni 1487. nondum in manus inciderit, nullus dubitem, quin in illo ea, quæ Maynardus refert, ſcripta legantur, maxime cum occurrant haud abſimilia in Prognoſticis, ſive Ephemeridibus annorum 1479. 1481. & 1483. ab eodem conſcriptis, quas præ manibus habeo.

Non is ego ſum, qui culpa liberare ullo modo velim Middelburgium, ut qui temere crediderit morbus ab influxu ſiderum oriri, atque adeo ab Aſtrologis prædici poſſe. Sed non poſſum quoque quin accuſem Maynardum credulitatis, qui ad luem veneream inconſiderate retulit ea, quæ a Middelburgio de quovis morbo in genere dicta, vel potius effutita erant. Liquet enim ex ipſiſmet verbis, quæ a Maynardo adducuntur, Middelburgium de lue venerea ne per ſomnium quidem cogitaviſſe.

Nam 1. *Morbus* ille *curatu difficilis*, de quo Middelburgius, *imminebat hominibus habentibus ſtellam Scorpionis horoſcopantem in genitura eorum*, *aut ipſorum nativitatibus*.

(*a*) In fronte *Ephemeridum Pauli* anni 1479.
(*b*) In fronte *Ephemeridum* anno 1481.
(*c*) Regis Apuliæ, ſeu Neapoleos.
(*d*) In fronte *Ephemeridum* anni 1483. Erat autem Guido ille Baldus, filius Frederici, & avunculus Franciſci Mariæ *de Ruvere*, quem Ducatus Urbini ſucceſſorem habuit,
(*e*) *Caſtellum Durantis* in Ducatu Urbini, olim, ut creditur, *Tiſernum Metaurum*, hodie *Urbanea*, ſic dicta ab Urbano VIII. Pont. Max.
(*f*) Julius Cæſar Scaliger, *Exercitat. in Cardanum*, 266.
(*g*) Ferdinandi Ughelli, *Italia Sacra*, Tom. 2.
(*h*) Valerius Andreas, ubi ſupra.
(*i*) Petrus Gaſſendus, in *Vita Nicolai Copernici*, *pag. m.* 308.
(*k*) Jul. Cæſar. Scaliger *Exercitat. in Cardan.* 266.
(*l*) Italia Sacra, *ubi ſupra*.

bus. Contra lues venerea omnibus imminet, quicumque meretricias ſequuntur libidines, qualiſcumque fuerit illorum nativitas.

2. *Morbus*, de quo Middelburgius, debebat *interitum* inferre, & graſſari *poſt bis ſex annos a die conjunctionis* Saturni, Jovis & Martis, quæ dicitur eveniſſe *die* 25. *Novembris anni* 1484. atque adeo non ante annum 1496. Contra vero lues venerea jam apparuerat in Hiſpania anno 1493. cœpitque publica clade graſſari in Italia, & præſertim in regno Neapolitano anno 1494. ac demum in Galliis, ceteriſque Europæ regionibus pleriſque, anno 1495.

3. *Cauſa morbi*, de quo Middelburgius, *ſupercœleſtis* futura erat, nempe *tremebunda conſtellatio coitus trium ſuperiorum ſyderum*, *Saturni*, *Jovis & Martis*, neque adeo, ſi vera narrant Aſtrologi, declinari ab ullo poterat qui huic influxui ſubjaceret. Contra vero a lue venerea ſibi cavere facillimum, dummodo caſte vivere lubeat. Sed de nugis iſtiuſmodi jam ſatis, ſuperque; *Stultum* eſt enim, ut ait Poeta, *difficiles habere nugas*.

MARCELLUS, Cumanus, videtur vel Cumis natus in urbe Campaniæ, vel potius, cum jam Cumæ nullæ comparerent illius ætate, Comi in Ducatu Mediolanenſi, Italice *Como*, unde *Comanus*, vel *Cumanus* dictus fuerit, ut ſane conſtat de *Raphaele Cumano*, celebri Juris Profeſſore in Gymnaſio Patavino initio XV. ſæculi, quem *Comanum* ſeu *Comenſem* fuiſſe atteſtatur Nicolaus Comnenus Papadopoli, *Hiſtor. Gymnaſii Patavini*, *Tom. I. pag.* 211. Utrovis conceſſo perinde ſequitur ignorari Marcelli nomen, nam *Marcellus* prænomen eſt, ſed id in Auctoribus hujuſce ætatis haud rarum fuit, quemadmodnm ne longius quæram, patet vel ipſius Raphaelis Cumani exemplo, quem modo laudavi. Ut ut ſit, conſtat illum Medici & Chirurgi caſtrenſis officio functum fuiſſe anno 1495. apud Duces exercitus Veneti, qui cum copiis aliis fœdere conjuncti, non dubitaverunt Carolum VIII. Francorum Regem, Neapoli in Galliam redeuntem ad Forum novum prælio laceſſere, ſed infelici, die 6. Julii, anno quo ſupra; unde liquet hunc Auctorem oculatum, atque adeo perquam idoneum teſtem fuiſſe eorum, quæ tunc temporis in primo naſcentis luis ingreſſu contigere.

Marcellus ille ad oras (*a*) „ Chirurgiæ (*b*) Petri de Argelata qua familiariter ute„ batur, notaverat hinc inde ſuo commodo obſervationes aliquot, quas Johannes Udal„ ricus Rumlerus, Auguſtanus, religioſe ſua manu deſcripſit ex ipſo libro, quem for„ te nactus eſt Florentiæ, dum circa annum 1580. in Noſocomio Sanctæ Mariæ, co„ gnomento *Novæ*, adſiſtentis titulo Medicinam exercebat. Hoc autem Rumleri exem„ plum ab illius obitu cum reliqua ejuſdem ſuppellectile libraria in Georgii Hierony„ mi Velſchii manus ære pervenit, cujus ſtudio ſelectæ inde obſervationes centum „ Auguſtæ Vindelicorum editæ ſunt *in* 4°. *anno* 1668. cum obſervationibus Jeremiæ Martii, Auguſtani; Achillis Gaſſeri, Lindavienſis; Joannis Udalrici Rumleri, Auguſtani; Hieronymi Reuſneri, Leorini Sileſii, ſuiſque ipſiuſmet Velſchii, Auguſtani.

Proſtat inter illas Marcelli Obſervationes, Obſervatio ſequens, ordine quarta, qua veraci quidem, ſed rudiore ſtylo, naſcens lues venerea graphice deſcribitur.

„ Anno 1495. in Italia, ex uno influxu cœleſti, dum me recepi in Caſtris Navar„ ræ cum armigeris Dominorum Venetorum „ (legendum *Novarræ*, nam compertum eſt Hiſtoricorum teſtimonio partem copiarum Venetarum a Foronovana pugna ſuppetias iviſſe Ludovico Sfortiæ Mediolanenſium Duci Novariam obſidenti) „ Domino„ rum Mediolanenſium plures armigeros & pedeſtres ex ebullitione humorum me vi„ diſſe atteſtor pati plures puſtulas in facie & per totum corpus, & incipientes com„ muniter ſub præputio vel extra præputium, ſicut granum milii, aut ſuper caſta„ neam (*balanum*) cum aliquali pruritu patientis. Aliquando incipiebat puſtula una in „ modum veſiculæ parvæ ſine dolore, ſed cum pruritu; fricabant & inde ulcerabatur „ tanquam formica corroſiva, & poſt aliquot dies incurrebant in anguſtiis propter do„ lores in brachiis, cruribus, pedibus, cum puſtulis magnis. Omnes Medici periti „ cum difficultate curabant. Ego cum flebotomia in ſuphena, aliquando in baſilica, „ procedebam cum digerentibus, purgantibus, tandem unctionibus in locis neceſſariis, „ & durabant puſtulæ ſuper perſonam tanquam leproſam, varioloſam, per annum & „ plus ſine medicinis.

(*a*) Georgius Hieronymus Velſchius *Sylloge Curation. & Obſervat. medicinal.* in Præfat. præmiſſa *Obſervationibus* Marcelli.

(*b*) Editionum Venetarum, ut videtur anno 1480. vel 1592. *in fol.* quæ antiquiſſimis Marcelli Obſervationibus antiquiores ſunt.

Leguntur ibidem aliquot aliæ Obſervationes , quæ ad luem veneream perinde pertinent, ut cariei pudendorum , ſeu ulcuſculorum venereorum virgæ, *articulis* 21. 70. 72. 73. 75. phimoſeos aut paraphimoſeos, *articulis* 20. 24. demum bubonum venereorum , *articulis* 7. 53. 54.

Equidem nullus dubito, quin ea mentio bubonum venereorum, quos Marcellus Cumanus a ſe obſervatos refert, videatur prima fronte cum iis pugnare , quæ ſupra dicta ſunt *Lib.* 1. *Cap.* 13. Bubones venereos ſcilicet non prius viſos fuiſſe , quam circa annum 1530. Sed advertatur velim (*a*) *Obſervationes Marcelli ad oram Chirurgiæ Petri de Argelata , qua utebatur familiariter, adſcriptas fuiſſe* ſine appoſito anno & die, ſi quartam excipias, quæ modo adducta eſt; & inde deſcriptas eſſe a Johanne Uldalrico Rumlero, Auguſtano , circa annum 1580. ac demum a Georgio Hieronymo Velſchio, *in cujus manu liber ille* Rumleri *ære ſuo pervenerat* , editas Auguſtæ Vindelicorum anno 1668. unde tum primum Marcellus innotuit Orbi literario , in quo antea planiſſime ignorabatur: Quocirca, cum nulla ratione liqueat quo anno ſcriptæ ſint Auctoris illius Obſervationes , præſertim modo laudatæ, ubi de bubonibus venereis mentio fit , alienum non videri ſcriptas eſſe poſt annum 1530. cum repugnet nullo modo Marcellum , qui juvenis caſtra ſequebatur anno 1495, inter vivos fuiſſe anno 1530. imo vero tardius: Ac proinde ex illis Marcelli Obſervationibus , ubi bubonum venereorum mentio facta eſt , nihil quidquam poſſe colligi, quod iis adverſetur, quæ dicta ſunt ſupra *Lib.* 1. *Cap.* 13.

(*a*) Velſchius *in Præfatione ad obſervationes Marcelli Cumani.*

Porro autem qualecumque judicium feratur de bubonibus venereis , at certe conſtat ſaltem verbum ne unum quidem in illis Marcelli Obſervationibus exſtare de gonorrhœa venerea , unde videtur egregie confirmari , quæ *loco* ſupra *laudato* de epocha gonorrhœæ venereæ primum naſcentis propoſita ſunt.

1496 Sebastianus Brant, Argentinenſis, natus eſt anno 1458. Fuit, teſte Trithemio, *utriuſque juris Profeſſor inſignis & poeticen non mediocriter calluit* pro ætate illa , qua jam *crepuſculum erat illuceſcentis in Germania politioris literaturæ* . Operam locavit aliquandiu Baſileæ in docendis literis humanioribus , ſed demum in urbe patria , quo reverſus erat, obiit anno 1520. ſexagenario major.

Præter alia opuſcula non pauca , (*a*) *tum metro, tum proſa ſcripta* , quæ a Melchiore Adamo recenſentur, carmen conſcripſit *De morbo Gallico* cum ſequenti inſcriptione.

Bibliotheca Mazarinæa & Sloaniana.

Eulogium Sebaſtiani Brant, utriuſque juris Profeſſoris , De Scorra peſtilentiali, *ſive* Mala de Frantzos *anni 69.* (*lege 96.*) *ad Joannem Capinon* (*lege* Capnion) *Legum Imperialium Interpretem.*

Hoc opuſculum, quod legitur in exordio *Tractatus de peſtilentiali Scorra* a Joſepho Grunpeckio editi, de quo mox , conſtat verſibus elegiacis centum & viginti quatuor , hoc eſt verſibus alternis, hexametris & pentametris, in quibus , ne quid diſſimulem , fruſtra plerumque quæſieris ſtyli elegantiam , ſermonis nitorem , artiſque metricæ leges. Sed hæc minime me movent, ut qui unice curem antiquitatem teſtimonii de primo naſcentis morbi invaſu. Quocirca nihilo ſecius viſum eſt verſus eos inde exſcribere, qui ad propoſitum argumentum potiſſimum faciunt. Sic ergo exorditur.

Capnion, illuſtres inter memorande Poetas,
Germani ſpecimen, nobilitaſque ſoli.

. . . .

. . . .

Peſtiferum in Ligures tranſvexit Francia morbum ,
Quem *Mala de Frantzos* Romula lingua vocat.
Hic Latium, atque Italos invaſit; ab Alpibus extra
Serpens , Germanos, Iſtricolaſque premit.
Graſſatur mediis jam Thracibus atque Bohemis,
Et morbi genus id Sarmata quiſque timet.
Nec ſatis extremo tutantur in orbe Britanni,
Quos refluum cingit, ſucciduumque fretum.
Quin etiam fama eſt Afros penetraſſe, Getaſque,
Vique ſua utrumque depopulare polum .
Longius hoc vitium , quam par ſit , creſcere ubique
Cernitur ; e noſtris corpora multa luunt.

Scor-

(*a*) Melchior Adamus, *De Vitis Germanorum Jureconſultorum* .

SCORRAM, Galle, vocas a SCOR, quod Græcus OLETUM
Dicit, & *impurum*, *rancidulumque* ſonat.
Hic Thymius dici poſſet, ſi rupta cruorem
Verruca daret, at ſiccior illa ſedet.
Condyloma foret, Gangrænave, grandior his ſed
Puſtula proſerpit, ſed numeroſa minus.
Has a Variolis diſtinguit cauſa, quod iſtis
Frigidus humor ineſt, hiſque melancholicus.
Fit quotiens proprius Saturnus ab ædibus exit,
Inque Jovis migrat morbifer ille domos.
Nam tum reliquias duri ſenis atque maligni
Jupiter expellit, purgat & evacuat;
Id quod ab octenis Luſtris contingere crebro
In terris, ubi ſunt corpora ſicca, ſolet.
Unde frequens Gallis morbi genus id, vel Iberis:
Ratus apud Gentes, frigus & humor ubi.
Non illi Chiron, nec item cum fratre Machaon
Ferre ſalutarem poſſe fatentur opem.
Eſto aliqui tentent medicinam adhibere, & inungant
Corpus, & in ſaccum, culleolumque ſuant;
Crede mihi, nocuit præceps medicina frequenter,
Quodque percuſſum eſt, ſcabrius ulcus erit.
Sola juvat pietas ſuperum, & mora longior, atque
Cum Mithridatis ope phlebotomia frequens.
Menſibus undenis quoſdam contabuiſſe videmus,
Nec tamen ad plenum convaluiſſe tamen.
Multis Lepra minor viſum eſt, Epidemia multis,
Expoſci atque aliis mors cita ſæpe ſolet.
Sic putor incluſus pungit, premit, urget adurens,
Inflammat, torquet, prurit & incinerat.

Ne quis vero reſtet ſcrupulus ex allatis verſibus nonnulla ſunt quæ adnotari velim.

1°. In Inſcriptione Carminis expungendam eſſe vocem *Eulogium*, quæ *laudationem* ſignificat, quod non cadit in argumentum carminis; & illius loco reponendam vocem *Elegion*, qualis occurrit apud Auſonium; ſiquidem carmen, de quo agitur, & reipſa Elegia eſt, & verſibus conſcriptum eſt elegiacis.

2°. *Johannem* illum *Capinonem*, ſeu verius *Capnionem*, ad quem Auctor poema ſuum ſcribit, quem vocat *Interpretem Legum Imperialium*, & quem *optimum Phorcigenam* dicit, *Verſ.* 25. eundem eſſe ac Johannem Reuchlinum, Virum ætate illa græcis & hebraicis literis celeberimum, quem nemini non notum eſt *Capnionis* nomen ſibi feciſſe ex nomine ſuo germanico græce verſo; qui *Phorcigena* fuit, hoc eſt, *Phorce* ſive *Phortzemii*, vulgo *Phortzheim* in Ducatu Badenſi natus; demum qui meruit *Interpres legum Imperialium* dici, cum juri utrique Aureliæ ſtuduerit in Galliis, cum in eadem facultate Doctoratus honore Pictavii conſecutus ſit, & quod palmarium eſt, cum atteſtante Melchiore Adamo *reipublicæ ſervierit in curia & judiciis*.

3°. Gallos ab Auctore, *Verſ.* 52. pro primis luis venereæ propagatoribus haberi, ex errore quidem, ſed ex errore, qui tunc temporis apud Italos plurimum valebat. Unde liquet *Lingua* illa *Romula*, qua Auctor ait luem veneream dici *Mala de Frantzos*, intelligendam eſſe linguam Italicam.

4°. Luem veneream a Gallis, primis naſcentis morbi temporibus, non *Scorram*, ut Auctor ait, *Verſ.* 64. ſed *Gorre* vel *grande Gorre* (*a*) appellatam fuiſſe; unde videtur vox illa *Scorra* a Germanis prave detorta fuiſſe. Quæ ſi ita ſe habeant, Auctor in errore verſatur maximo, dum putat vocem illam *Scorram* a græco verbo Σκῶρ deducendam eſſe, quod *ſtercus*, *oletum* ſignificat; ſiquidem compertum eſt vocem gallicam *Gorre*, unde verbum *Scorra* deflexum eſt, a radice celtica *Gor* trahi, quæ valet *Pus*, *puris*, ex quo fit ut *Gorre* idem ſit ac *Puſtula*, *Abſceſſus*, *Apoſtema*, quod ad rem apprime facit, & de quo vide quæ diximus, *Memoires pour l'Hiſtoire Naturelle de Languedoc*, pag. 471.

5°. *Thy-*

(*a*) Jean le Maire, *Les trois Comptes de Cupido & d'Atropos. Compos* I. infra ad ann. 1520. Rabelais, *Pantagruel*, *Lib.* 5. *Chap.* 21.

5°. *Thymum* ſive *Thymium* de quo Auctor, *Verſ.* 66. „ nominari a Celſo, *Lib.* 5.
„ *Cap.* 28. *n°.* 14. quod ſuper corpus quaſi verrucula eminet, ad cutem latius, ſupra
„ tenue, ſubdurum, in ſummo peraſperum. Id, qua ſummum, colorem floris thymi
„ repræſentat, unde ei nomen eſt, ibique facile finditur & cruentatur, nonnunquam
„ aliquantum ſanguinis fundit, fereque circa magnitudinem fabæ Ægyptiæ eſt, raro
„ majus, interdum perexiguum. Modo autem unum, modo plura naſcuntur vel in
„ palmis, vel in inferioribus pedum partibus; peſſima tamen in obſcœnis ſunt, maxi-
„ meque ibi ſanguinem fundunt „. Hactenus Celſus de Thymo, quocum luem venereum initio confundi potuiſſe non miror, quamdiu tuberculis tantum, puſtuliſve ſiccis ſupra cutem eſfloreſcentibus innotuit.

6°. Profecto veriſimile non eſſe *humorem*, qui *Variolis ineſt*, *frigidum* ab Auctore dictum fuiſſe, *Verſ.* 71. ſiquidem tunc verborum ſenſus & cum rei veritate pugnaret, quandoquidem Variolas ab *humore frigido* produci, nemo ſanus dixerit, & ipſius Auctoris conſilio adverſaretur, quandoquidem *Variolæ* a *puſtulis* venereis nullomodo *cauſa diſtinguerentur*, ſi *frigidus humor illis*, *his* vero *melancholicus ineſſet*. Itaque ſuſpicio eſt locum illum in mendo cubare, & non *frigidus humor ineſt*, legendum eſſe, ſed *fervidus humor ineſt*, qua reſtitutione admiſſa omnia plana fiunt.

7°. De inunctionibus mercurialibus intelligenda videri, quæ ab Auctore narrantur, *Verſibus* 83. 84. de *ægris inunctis* & *in ſaccum culeollumque conſutis*, tanto quidem potiori jure, quod Joſephus Grunpeckius, qui verſus illos interpretatus eſt, unguentum proponat mercuriale, ut mox videbimus. Si vera autem conjicimus, en antiquiſſimum omnium teſtimonium de adhibita ad curandam luem veneream hydrargyroſi.

8°. In dubium vocari non poſſe, quin Carmen, de quo agitur, a Sebaſtiano Brant conſcriptum fuerit anno 1496. tum quod Joſephus Grunpeckius, qui illud commentatus eſt Tractatu peculiari, ſcripſerit ipſe anno 1496. tum maxime quod ea, quæ *ſequentibus verſibus* 96. 97. 98. & 99. a Sebaſtiano Brant narrantur, tanquam eodem tempore gerantur, quo verſus ipſe condit ad hunc annum 1496. aperte pertineant.

Ut ſaltem immunem ſervet pia Virgo ſub alis
Magnanimum Regem, tam placidumque ſuis,
Qui modo Scorroſos Ligures agit inter & ægros,
Liber ut hoc morbo Cæſaris arma ferat:
Cæſaris arma ferat, ſacrum & Diadema reportet
Rex pius, & ſummo dignus honore parens.

Etenim non ea modo de Maximiliano I. ſed etiam ſpecialius de expeditione a Maximiliano I. in Piſanos ſuſcepta intelligi debent, quam conſtat hiſtoricorum fide in anno 1496. cadere.

Neque vero ſcrupulum injiciat ullomodo, quod Maximilianus I. non *Imperator*, ſed *Rex* tantum appelletur, cum tamen jam ab anno 1493. quo Pater ejus Fridericus III. Imperator, fato functus eſt, imperio potiretur. Quippe compertum eſt ætate illa Reges Romanorum Imperatoris nomen nunquam uſurpaviſſe, niſi prius Coronam Imperialem a ſummo Pontifice accepiſſent Romæ, ut atteſtatur Gotfridus Viterbienſis, idoneus Seculi XII. Scriptor, qui in *Pantheo*, cum quatuor Imperatorum coronationes recenſet, Aquiſgrani, Arelate, Modoetiæ, vulgo *Monza* in Ducatu Mediolanenſi, & Romæ, ſic loquitur de poſtrema,

Cæſar Romano cum vult Diademate fungi,
Debet Apoſtolicis manibus reverenter inungi.

qua de re ſi quis plura deſideret, conſulat meritiſſimi Viri Joannis Jacobi Maſcovii *Principia juris publici Imperii Romano-Germanici*, Lib. 3. Cap. 3. §. 24. 26. 27.

Quod autem in præſenti quæſtione palmarium eſt, conſtat ipſummet Maximilianum I. de quo agitur, utcumque Imperium teneret ab anno 1493. attamen Imperatoris nomen non prius ſibi aſſumpſiſſe quam anno 1508. & conſentiente quidem Julio II. tunc temporis ſummo Pontifice, cum profectus ad expeditionem Romanam coronationis ſuæ cauſa, Tridenti ſubſiſtere coactus fuit, tranſitu a Venetis prohibitus. Vide eumdem Maſcovium, *Ibid. Lib.* 3. *Cap.* 6. §. 9.

Itaque minime mirum eſſe debet. 1°. Si Sebaſtianus Brant anno 1496. Maximilianum I. *Regem*, non *Imperatorem* appellet. 2°. Si vota nuncupet, ut Ille ex Italia, ubi tunc agebat Piſanæ expeditionis ergo Imperialem coronam referret;

ſacrum

ſacrum & Diadema reportet
Rex pius, & ſummo dignus honore parens.

3°. Si in imagine, quæ proſtat in fronte Libri, adſit ad pedes Maximiliani Scutum aquila nigra ſimplici conſpicuum, quæ eſt (*a*) inſigne Regis Romanorum, non vero (*b*) bicipite aquila nigra, quæ Imperatoris propria teſſera eſt. 4°. Demum, ſi in eadem tabella Maximilianus capite gerat coronam tantummodo regalem, Imperialem vero Diva Virgo dextra ſuſtineat ſuſpenſam, quaſi actutum impoſitura capiti Maximiliani &c. quæ ſingula paulo fuſius diſcutere & enucleare ideo viſum eſt, ne aqua hæreret Lectori, ſi quis forte in Hiſtoria non ſatis intelligeret.

JOSEPHUS (*c*) GRUNPECKIUS vel ut pleriſque placet, GRUNBECKIUS, *de Burkchauſen*, hoc eſt, ex oppido *Burkchauſen* dicto natione Germanus (*d*) Medicus, ſcripſit anno 1496. ſequentem librum, qui editus fuit in 4°. ſine ullo nec loci, nec typographi indicio. 1496

Tractatus de Peſtilentiali Scorra, ſive Mala *de* Frantzos. *originem, remediaque ejuſdem continens, compilatus a* (*e*) *Venerabili Viro Magiſtro Joſeph Grunpeck de Burkthauſen, ſuper carmina quædam Sebaſtiani Brant, utriuſque juris Profeſſoris.* Biblioth. Mazarina & Sloan.

Obvia eſt in ipſa fronte libri imago Divæ Virginis in nubibus ſuſpenſæ, adſtatque a dextris Rex Romanorum Maximilianus I. flexis genibus orans, de quo vidimus *articulo præcedente* mentionem fieri in verſibus Sebaſtiani Brant. Adſtant ſimiliter a ſiniſtris vir & fœmina, quibus facies & collum puſtulis venereis conſperſa ſunt, & qui flexis genibus, manibuſque junctis, Virginem ſuppliciter precantur. In parte vero infima tabulæ cadaver humi jacet proſtratum, & puſtulis toto corpore deforme.

Inſcribitur ille Liber *egregio, nobilique Viro Bernardo de-Walkirch, liberalium ſtudiorum magiſtro, Literariæ ſodalitatis Danubianæ lumini & ornamento, ac Canonico Cathedralis Eccleſiæ Auguſtenſis*; & ad calcem Epiſtolæ dedicatoriæ apponitur dies & annus, ſiquidem dicitur *Data Auguſtæ*...... *XV. Kalendas Novembris, anno* 1496. unde conſtat de operis illius antiquitate.

Deinde ſuccedit ordine Eulogium Sebaſtiani Brant *De Scorra Peſtilentia* ſive *Mala de Frantzos*, de quo *ſupra*. Hoc enim carmen preſſo pede commentatus eſt Grunpeckius Tractatu ſuo, *qui paginis* 23. abſolvitur, & cujus ſunt Capitula X. Horum argumenta ſigillatim indicare placet, ne quid prætermiſſum videatur, quod ad Operis illius vetuſtiſſimi notitiam facere poſſit.

Capitulum I. *De hominum plagis ſive flagellis, an naturaliter vel ſupernaturaliter ex divina voluntate proveniat?*

Capitulum II. *De peſtilentialibus ſagittis, præliorum, famiſque atrocitate, ac aliarum hujuſcemodi rerum incommodis, cum ſupernaturaliter & e divina voluntate emergunt, unde etiam* malum de Fantzos *hac ex cauſa oriri videtur.*

Capitulum III. *De prædictis Deorum telis, peſtiferiſque fulminibus, cum e natura ipſa ſtellarumque configurationibus oriuntur.*

Capitulum IV. (*f*) *De peſtilentiali Scorra ſive de Malo de Frantzos dicturus,* (ſic) *originem trahens e ſtellarum congreſſu, videtur præmittenda eſſe primogenia Cœli formatio.*

Capitulum V. *De annorum ab origine mundi calculatione, ætatumque diſtinctione, e quibus conjunctionum Planetarum notitia emanat; ex his tandem antedicta ægritudo.*

Capitulum VI. *De conjunctionibus maximis Saturni & Jovis, quæ fluxerunt a mundi exordio, quas ſemper ſecutæ ſunt maximæ tranſmutationes.*

Capitulum VII. *De congreſſibus majoribus Planetarum, qui ſunt principales hujus eluvionis, quam* Mala Frantzos *appellant, cauſæ.*

Quæcumque hactenus indicavimus, vel declamationes ſunt vanæ & otioſæ de hominum infelicitate; vel ratiocinationes dubiæ, falſæ, erroneæ, ex aſtrologicis potius, quam ex aſtronomicis principiis petitæ. Sed quæ ſequuntur non ſunt ab inſtituto noſtro tam aliena.

Capi-

(*a*) Maſcovius, ubi ſupra, *Lib.* 3. *Cap.* 6. §. 8.
(*b*) Idem, Ibid. *Lib.* 3. *Cap.* 6. §. 28.
(*c*) Sic Auctor nomen ſuum ipſe ſcribit.
(*d*) VVolfgangus Juſtus, *in Chronologia Medicorum*.
(*e*) Quia Presbyter erat, ut *infra* probabitur.
(*f*) Ita legitur in libro, quam manibus tero.

Capitulum VIII. *De prima cauſa hujus peſtilentialis Scorræ , ſive* Mali de Frantzos , (*a*) *fluens ex cœleſti conſtellatione.*

Auctor narrat ibi ſomnium, in quo dicit ſe ſibi viſum eſſe confabulari cum *Hippocrate*, *Galeno*, *Avicenna*, *Platone*, *Ariſtotele* , *Ptolemæo*, *aliiſque multis Aſtrologis*, *qui de rerum naturalium*, *cœleſtiumque contemplatione diſſerebant*, ...ac *variis argumentationibus oſtendebant propriiſſimam* novi *morbi cauſam eſſe* Saturni , & Jovis *coitum* , *qui paucis exactis annis fluxit.*

„ Inter cetera, *Addit Auctor ibidem* , quidam hujus *Mali de Frantzos* cauſam diſcutere elaborabant aſſerentes id eſſe (*b*) *Plantam noctis* ; alii (*c*) *Mentagoram* ; „ (*Mentagram*;) alii Lepræ ſpeciem; eiſdem quibus hæ ægritudines ſanantur, remediis „ mederi: alii ſicca corpora dumtaxat hoc morbo laborare firmabant ; idcirco Gal- „ lis crebrius evenire ..... Quapropter etiam Francigenarum nomen proprium ſibi „ vindicavit, namque *Malum de Frantzos* vocitari conſuevit, non autem a Germanis, „ Italis, Britannis, Anglicis, Sarmatis, aliiſve gentibus nomen ſibi inditum accepit , „ ſed Gallica de gente , quæ ſui nominis monumentum peculiare ac perpetuum ſibi „ inuſſit, quod nullam umquam paſſurum eſt lituram.

„ Hac vero tempeſtate, *pergit idem*, repſit *morbus* non ſolum per Latium, ſed ſer- „ pit quoque per Germaniam , Sarmatiam, Bohemiam, Thraciam , Britanniam , & „ prorſus omnes mundi cardines uſque occupavit, quod priſcis temporibus nunquam eſt „ auditum „ : unde colligere eſt quanta pernicitate lues venerea Europam totam pervagata ſit.

Capitulum IX. De malo Frantzos, *quod e majore duorum Planetarum Saturni & Jovis congreſſu*, *& ex Solis radiorum amiſſione.*

Auctor ibi geminam Mali de Frantzos cauſam admitti, nempe 1°. *Expaveſcendum Saturni & Jovis coitum* , qui *accidit anno Incarnationis Dominicæ* 1484. *die* 25. *Novembris*, *hora* 6. *minuto* 4. *poſt meridiem* , *horoſcopante Cancri gradu ſuper horizontem*, *in ſigno infeliciſſimo Scorpionis & in Martis domicilio* : 2°. *Horrendam & ſævam Solis Eclipſim* , quæ *evenit anno ſequenti* 1485. *die Martii* 26. *quæ magni illius conventus .....malignos effectus pejore reddidit.*

Capitulum X. *De remediis contra ſagittas hujus peſtiferi morbi* , *ſive proluviei* de Frantzos .

Auctor multis in eo diſſerit de Diæta ægrotantibus præſcribenda ; laudat ad morbi prophylaxim phlebotomiam , catharſim, ſternutationes , fricationes ſiccas , pectinationes, Theriacam Andromachi &c.

Poſtremo, ſubjungit ille, *fiat hominibus laborantibus hoc malo de Frantzos Unguentum ſecundum artem tale*

℞. *Geruſſæ* ℥. ij.
Lithargyri auri & argenti, ana ʒ j. ß.
Maſtiches & Olibani, ana j.
Reſinæ Pini ʒ iij.
Aluminis combuſti ℥ ij.
Argenti vivi extincti ℥ ß.
Succi malorum citriorum ℥ j ß.
Ceræ albæ, *Olei olivæ* q. ſ.

Gargariſma deinceps taliter fiat.

℞. *Melis Roſati colati* ℥ ij.
Diamorum ℥ j.
Aquarum Roſarum, *Matris Sylvæ*, *Plantaginis*, *florum Siliginis*, *Rubii*, *Conſolidæ minoris* ana ℥ ij. *Miſceantur ſimul.*

Videtur

(*a*) Ita in libro.

(*b*) *Planta noctis* , barbare pro *Planctu noctis* . Eo nomine Medici , qui ante renatas literas in Europa vixerunt, ſolebant olim appellare ſpeciem quamdam impetiginis cum aſperitate cutis & puſtulis exiguis noctu inquietantis , de qua vide Avicennam , *Lib.* 4. *Fen.* 7. *Tract.* 3. *Capp.* 10. 11. & Laurentium Joubertum , *Interpretations des Dictions pathologiques* , quæ proſtat ad calcem Chirurgiæ Guidonis de Cauliaco, ab illo annotationibus illuſtraræ.

(*c*) „ Hæc lues .....primum Tiberii Claudii Cæſaris principatu medio irrepſit in Italiam. *Nihil* „ *aliud erat* , *quam* Lichen menti, *quapropter* joculari primum laſcivia (ut eſt procax natura multorum „ in miſeriis alienis) mox & uſurpato vocabulo *Mentagram* appellavere . „ Plin. *Hiſtor. Natural. Lib.* 26. *Cap.* 1.

Videtur hinc poſſe colligi, ex *Unguento* quidem, jam tunc inunctiones mercuriales adhibitas fuiſſe; ex *Gargariſmate* vero, jam tunc experientia compertum eſſe inunctionum mercurialium uſu ulcera in ore produci, quibus gargariſmate mederi opus eſſe.

Ceterum Grunpeckius paſſim atteſtatur Scorram peſtilentialem, ſive potius luem veneream, (*a*) *labem eſſe tam repente in homines demiſſam, ut plaga cœlitus decuſſa eſſe videatur: ..... (b) Novum eſſe genus morbi Naturæ inviſum, ... quod e Deorum immortalium olim arce in Gallos demiſſum fuit: ..... (c) Horribile, terribiliſſimumque portentum omnibus mortalibus inauditum, inviſum atque penitus incognitum: ....* Demum ægritudinem (*d*) *a Natura ferme alienam, anteaque inviſam, incognitam, atque penitus inauditam.*

Liber ille Grunpeckii ſive Grunbeckii typis pluries excuſus fuit, conſtatque in Veneta editione anni 1503 *apud Scotum* mutatam fuiſſe inſcriptionem, quæ antiquioribus præfixa erat; Sed de novo titulo Venetæ editioni inſcripto ſumma inter Bibliographos diſcrepantia: Secundum (*e*) Geſnerum, (*f*) Spachium, & (*g*) Paſchalem Gallum inſcribitur hæc altera editio *De Mentulagra ſive Morbo Gallico*: At vero juxta (*h*) Schenckium, (*i*) Lindenium, (k) Mercklinum, & (*l*) Mangetum inſcribitur *De Mentulagra ſive Morbo Regio*. Mirum ſane, ſi a Grunpeckio *Mentulagra ſive morbus Gallicus*, (*m*) *Regius* dictus fuerit, quod tamen ſupponendum eſt, ut Bibliographornm teſtimonia conveniant.

Mihi tamen in mentem venit a Zacharia ſummo Pontifice *Morbi Regii* mentionem factam eſſe circa annum 746, (*n*) in *Epiſtola* XII. ad Bonifacium Archiepiſcopum Moguntinum, qui ad ipſum de morbo illo tunc in Germania vulgari ſcripſerat, eo conſilio, ut de Diſciplina eccleſiaſtica erga ægrotantes iſtiuſmodi obſervanda certior fieret. Liquet autem ex laudata illa Epiſtola *Regium* hunc *morbum* ipſiſſimam eſſe Arabum Lepram, quæ in Germania tunc temporis vulgo graſſabatur. Potuit ergo eadem Lepræ denominatio in Germania abhinc permanere ad ætatem uſque Grunpeckii, atque inde effici, ut ille vel Editor Venetus affinitate adductus, quæ initio inter luem veneream & Lepram intereſſe a nonnullis credebatur, luem veneream, quam *Mentulagram* appellare placuit cum Gaſpare Torrella, non modo *Morbi Gallici*, ut vulgo in Italia vocabatur, ſed etiam Lepræ, ſeu ut quotidianus erat in Germania ſermonis uſus, *Morbi Regii* vocabulo deſignandam eſſe arbitratus ſit.

Porro hic Auctor appellatur *Joſephus Grimbechius* a Roberto Conſtantino in *Nomenclatore*, quia verum illius nomen ſic ſonat in ore germanico.

Affirmat Wolfgangus Juſtus, in *Chronclogia Medicorum*, Joſephum Grunpeckium Medicum fuiſſe, cujus rei, quanquam perſuaſibilis, fides auctorem appellet. Id unum ego pro comperto habeo Grunpeckium Presbyterum fuiſſe: Hunc enim titulum ſibi ipſe adciſcit in ſequenti ſuo Opere typis excuſo *in fol.* in cujus fronte legitur,

> *Speculum naturalis, cœleſtis & propheticæ viſionis omnium calamitatum, tribulationum & anxietatum, quæ ſuper omnes ſtatus, ſtirpes & nationes Chriſtianæ Reipublicæ, præſertim quæ Cancro & ſeptimo Climati ſubjectæ ſunt, proximis temporibus venturæ ſunt.*

In averſa vero facie ejuſdem chartæ Liber nuncupatur,

Reveren-

(*a*) In Epiſtola nuncupatoria.
(*b*) Cap. I.
(*c*) Cap. 9.
(*d*) *In Epilogo.*
(*e*) *In Bibliotheca.*
(*f*) *In Nomenclatore Scriptorum Medicorum*;
(*g*) *In Bibliotheca Medica.*
(*h*) *In Biblioth. Medica.*
(*i*) *De Scriptis Medicis.*
(k) *In Lindenio renovato.*
(*l*) *In Bibliotheca Medica.*
(*m*) Morbus Regius idem eſt apud Latinos Auctores, ac *Morbus Arquatus*, græce Ἴκτερος, gallice *La Jauniſſe*. Vide Horatium *in Arte Poetica*, *verſ.* 453. Plinium *Hiſtor. Natural. Lib.* 22. *Cap.* 24. Celſum, *De Medecina*, *Lib.* 3. *Cap.* 24. & Iſidorum, *Originum*, *Lib.* 4. *Cap.* 8.

> Regius *eſt vero ſignatus nomine* Morbus,
> *Molliter hic quoniam celſa curandus in aula.*

ut ait Serenus Samonicus, *De Medicina*, ubi *de* Regio *Morbo pellendo*; vel ut opinatur Celſus, *loco laudato*, quod eodem fere recidit, quoniam ut curetur *per omne tempus utendum eſt ..... conclavi cultiore, uſu, loco, ludis, laſcivia, aliis per quæ mens exhilaretur, ob quæ* Regius Morbus *dictus videtur*; vel ut cenſet Iſidorus, ubi *ſupra*, *quod vino bono & regalibus cibis citius curetur.*
(*n*) Vid. *Tom. VI.* Collection. Conciliorum *Patris Labbe.*

Reverendiſſimo in Chriſto Patri & Dño Dño Bernhardino (Caravajal, nato Placentiæ, ſed in Italia oriundo ex Hiſpania) *S. R. E. titulique Sanctæ Crucis Cardinali* (ab Alexandro VI. creato, anno 1493) *Legato* ad Maximilianum I, *&c. Optat Joſephus Grunpeckh, Presbyter, ſummam felicitatem.*

Datæ Ratisbonæ, Imperiali urbe, III *Idus Auguſti, anno a natalitiis Chriſti diebus octavo ſupra milleſimum atque quadringenteſimum* (lege *quingenteſimum*)

Demum ad calcem libri exſtat dies & annus editionis.

Impreſſum Nurnbergæ per me Georgium Stuchs, Civem Nurnbergenſem. Anno MDVIII. ſeptimo Calendas Novembris.

1497. Nicolaus Leonicenus, Vicentinus, ſeu potius, (*a*) ex oppido agri Vicentini, quod olim *Leonicum*, hodie *Lunigo* vocatur, a quo *Leoniceni* nomen habuit, unde liquet gentilitium illius nomen ignorari, natus (*b*) anno 1428, inter Profeſſores (*c*) Patavinos nomen habuit tres annos, 1462 1463 & 1464, ſed deinde Ferrariam evocatus Medicinam in hac Academia publice profeſſus eſt 60. annos & amplius, primuſque varia Hippocratis & Galeni Opera Latine interpretatus commentariis illuſtravit.

A (d) *pueritia, imo a cunabulis ipſis, ad* 30. *annum morbo comitiali adeo tentabatur, ut cum ad ſe redierat, pertæſus vitæ pene ſibi manus afferre vellet. Sed poſt trigeſimum annum plane eo morbo defunctus eſt.*

Cibi & vini (e) *maxime abſtinens, ſomnique minimi, præſertim vero veneris continentiſſimus,* ad extremam ſenectutem pervenit, omnibus membrorum ac ſenſuum officiis integer. (*f*) „ Rogatus qua ratione, nullo ciborum habito delectu, ſenectutis „ vitia eluderet? *Vividum*, inquit, *ingenium perpetua vitæ innocentia, ſalubre vero cor-* „ *pus hilari frugalitatis præſidio facile tuemur.* „ Obiit Ferrariæ anno 1524. ætatis 96.

Sic de Leoniceno ad Deſiderium Eraſmum ſcribebat Cælius Calcagninus, in Epiſtola data Ferrariæ pridie Nonas Quintiles, anno 1525. quæ exſtat inter Eraſmi Epiſtolas, *Lib.* 20. *Epiſt.* 54. *Leonicenus Medicus jam menſes aliquot hunc vitæ mimum abſolvit, vir ad æternitatem natus, quem ego ultimum Heroum & aurei ſæculi reliquias appellabam*. Idem præclare quoque laudatur a Joſepho Scaligero, (*g*) *quod primus Philoſophiam & Medicinam ipſam cum humanioribus literis conjunxerit, docueritque homines, qui ſine bonis literis Medicinam tractant, eſſe ſimiles iis qui in alieno foro litigant.*

Inter cetera, quæ multa ſunt Opera, ſcripſit ad Johannem Franciſcum Mirandulenſem, Concordiæ Comitem, filium Galeoti Pici qui frater erat celeberrimi Johannis Pici Mirandulenſis.

Bibliothec. Sloaniana.

Librum de Epidemia, quam Itali Morbum Gallicum, *Galli vero* Neapolitanum *vocant*, typis excuſum *in domo Aldi Manutii, menſe Junio,* MIIID, hoc eſt 1497, *Venetiis*, in 4°.

in quo, ut ipſe ait in Præfatione, inſeruit ſumma capita diſputationis, quæ Ferrariæ paulo ante habita fuerat de morbo Gallico.

Si Antonio (*h*) Scanarolo illius diſcipulo fides, ut ego quidem arbitror, adhibenda ſit, Leonicenus *primus Medicorum Italorum fuit, qui de morbo Gallico ſcripſerit.* Et ſane conſtat Libellum, cujus facta eſt mentio, typis Aldi Manutii editum eſſe Venetiis anno 1497. & a Natali Monteſauro impugnatum fuiſſe anno eodem vel initio inſequentis, cum Monteſaurum Scanarolus refutaverit Opuſculo typis excuſo anno 1498.

In Libello ſuo Leonicenus I. Statuit, ut *novi Italiæ advenerant olim morbi prioribus ſeculis*

(*a*) Leandro Alberti, *Deſcrizione di tutta l' Italia*, fol. m. 470.
(*b*) MercKlinus *in Lindenio renovato*.
Baile, *Dictionnaire Critique, au mot* Leonicenus.
(*c*) Nicolaus Comnenus Papadopoli, in *Hiſtoria Gimnaſii Patavini*, Tom. 1. pag. 298.
(*d*) Joſeph Scaliger, *in Epiſtola ad Franc. Vertunianum, data anno* 1575.
(*e*) Petrus Caſtellanus, *in Vitis illuſtrium Medicorum.*
(*f*) Johannes Albertus Fabricius. *Biblioth. Mediæ & infimæ* Latinitatis, *Vol.* 4. *Lib. II. in voce* Leonicenus. (*g*) *Ubi ſupra.*
(*h*) *In Præfatione ſui Operis.*

ſeculis ignorati, qua de re teſtem profert Caium Plinium *Lib. 26. Hiſtor. Natur.* ſic *ſimile quodam ſuo ævo accidiſſe.* „ Jam enim, *inquit ille*, inſolitæ naturæ morbus Italiam „ & multas alias regiones invaſit ..... Huic morbo nondum noſtris temporis Medici „ verum nomen impoſuerunt, ſed vulgato nomine *Morbum Gallicum* vocant, quaſi ejus „ contagio a Gallis in Italiam importato, aut eodem tempore & morbo ipſo & Gallo„ rum armis Italiam infeſtata .... Ceterum, *pergit ille*, cogor exiſtimare (neque mi„ hi poteſt in captum mentis aliter pervenire) natam hanc repente labem, noſtram „ ita infeciſſe ætatem, ut nullam ſuperiorem. „

II. De natura quidem morbi fatetur ipſe „ non defuiſſe, qui eumdem cum illo pu„ tarint, quem Priſci *Elephantiaſim* nominaverunt; ſicuti alii Morbum Gallicum eſſe „ (*a*) Antiquis *Lichenas*, alii (*b*) *Aſaphati*, alii (*c*) *Prunam* ſive *Carbonem*; alii I„ gnem (*d*) perſicum, ſive ſacrum exiſtimarunt. „ Sed hæc ſingula ſingulatim mul„ tis ipſe confutat, ſtatuitque „ Morbum Gallicum inter *epidemias*, hoc eſt, morbos „ populatim vagantes debere connumerari, quæ aut divina ira, ut Theologi ſentiunt, „ aut vi aſtrorum, ut Aſtrologi opinantur, vel ex certa aeris intemperie, quemadmo„ dum Medici arbitrantur, eveniunt. „

(*a*) Herpetes. (*b*) Tineam ficcam. (*c*) Anthracem ſive Carbunculum. (*d*) Herpetem apud Celſum. Eryſipelas apud cæteros Medicos Latinos.

III. Miſſis prioribus opinionibus ultimam ſequitur ſententiam, quæ Medicorum eſt. „ Illud ſatis conſtat, *pergit Ille*, eo anno, quo Morbus Gallicus cœpit pullulare, ma„ gnam aquarum per univerſam Italiam fuiſſe exuberantiam. Teſtis eſt Roma, quæ „ prima id malum ſenſit, in qua Tybris ita intumuit, ut tota ſit facta navigabilis.... „ Tantis denique imbribus annus ille ubique maduit, ut terris exinde humentibus at„ que ſtagnantibus minus mirandum ſit æſtivum aerem ad illam veniſſe intemperiem, „ calidam ſcilicet & humidam, quam Medici atque Philoſophi omnium putredinum „ matrem eſſe confitentur, „ In ſuæ opinionis confirmationem varia loca ad ducit ex Galeno, & ex Hippocrate *in Lib. Epidemiorum*.

IV. Denique ad Morbi Gallici curationem pauca proponit, nec alia præter venæ ſectionem, purgationem, alterationem humorum ſalſorum, dietam &c. Et ne verbum quidem de Mercurialibus facit.

CORADINUS GILINUS, Artium & Medicinæ Magiſter, ſcripſit ad Sigiſmundum, 1497.
Ducem Eſtenſem, Herculis filium, qui natus anno 1433. obiit anno 1504., *Opuſculum de Morbo Gallico*, quod Epiſtolæ limites vix excedit. Videtur autem ſcripſiſſe anno ipſomet 1497., ex principio Opuſculi, in quo ait: „ Cum anno elapſo 1496., morbus „ quidam ſeviſſimus mortales quamplurimos invaſerit tam in Italia, quam etiam ultra „ montes &c.

I. Teſtatur expreſſis verbis „ morbum hunc apud Modernos incognitum fuiſſe, va„ riaſque de eo diſceptationes inter Phiſicos, hoc eſt, *Medicos*, habitas fuiſſe (*Ferrariæ ſcilicet. Vid. quæ de Leoniceno modo dicta ſunt*) & haberi, ideoque ſe decre„ viſſe pro exiguis ingenioli viribus aliquid de eo ſcribere quam breviſſime, *eo ſcilicet* „ *fine*, *quemadmodum ipſe innuit*, ut oſtenderet Doctores Medicinæ hanc ægritudinem „ minime prætermiſiſſe, eamque ab eiſdem capitulatam fuiſſe ad laudem Omnipoten„ tis Dei.

II. Morbi originem plane ignoravit, quem ideo arceſſit vel a conjunctionibus Jovis & Martis, quæ anno 1494. & Saturni ac Martis, quæ anno 1496. obvenere; vel ab ira Dei in hominum ſcelera. „ Videmus, *inquit*, ſummum Creatorem hoc tempore „ nobis iratum ob nefanda ſcelera noſtra nos vexare cum morbo hoc truculentiſſimo, „ qui jam non per Italiam, ſed etiam per omnem pene Chriſtianam Religionem vi„ get. Ubique tubarum clangor ſonat, armorum ubique ſtrepitus auditur, ubique bom„ bardæ, inſtrumenta bellorum conficiuntur, & loco ſaxorum ſphæricorum ferrea re„ manent, & hoc tempore inaudita fabricant; Turcæ in Italiam vocantur. Quot jam „ incendia, quot deprædationes, quot miſerorum mortalium ſtrages jam vidimus, quot „ & quantas viſuri ſumus? Utinam mentiar!

III. Quod ad naturam morbi, credit Morbum Gallicum *poni poſſe ſub Capitulo ignis perſici*, quod probare conatur ex Galeno, 14. *de ſanitatis ingenio*, *Cap.* 7. Avicenna, *Lib.* 4. *Fen.* 3. *Cap. de igne perſico*, & Cornelio Celſo, *Cap. de igne ſacro ſeu perſico;* contra vero refellit eos, qui arbitrabantur Morbum Gallicum cum lepra Arabum ſeu elephantiaſi convenire.

IV.

(a) In Præfatione ſui Operis.

IV. Licet Gilinus crediderit Leum Gallicam a cauſis univerſalibus oriri, attan ſubodoratus eſt contagione ex impura venere contrahi. Unum tamen, *inquit*, inter tera „ dico, morbum hunc contagioſum eſſe, unde iterum atque iterum moneo, „ cum mulieribus hac perniciosa ægritudine laborantibus, aut eæ cum viris hac æg „ tudine infectis ſe commiſerint aliquo pacto, quia vidi multos hac de cauſa infec „ cruciatus maximos paſſos fuiſſe.

V. Ægrotantes dehortatur, ne temere *confidant iſtis imperitis, ut barbitonſoribus*, . *toribus, ac cerdonibus, & maxime viatoribus, qui noſtrarum carnium ſunt carnifices*, . . *nec humorum facientem morbum evacuant, ſed ſolum cum localibus* (ni ipſe fallor, cu emplaſtris aut unguentis mercurialibus) *has paſſiones curare volunt*.

VI. Juxta eum *cura hujus ægritudinis tribus completur inſtrumentis*, 1. *Regimine* *nutritiva*, hoc eſt, diæta. 2. *Phlebotomia* & purgatione. 3. Balneatione in decocto he barum emollientium, & inunctione partium dolentium cum linimento attenuante & i cidente.

VII. Præſcribit, ut ulcera & poſtulæ unguantur *ad ſolem vel ignem* unguento ex d tergentibus, mundicantibus, exſiccantibus & ſarcoticis, cujus formulam profert. Qu ſi hoc unguentum impar fuerit, alterum proponit ex eiiſdem fere conſtans, ſed cui S blimatum ad partem vigeſimam octavam, & Mercurius fluens ad partem decimam qua tam totius adduntur, quo ſuadet ut ulcera unica vice illiniantur, adhibito dein buty ad eſcharæ delapſum.

VIII. Demum auctor eſt, ut cauteriam actuale vel potentiale ſuper commiſſura coronalem admoveatur. „ Et hoc, *inquit*, in pluribus expertus ſum hanc ægritudine „ in gula patientibus, & omnes curati ſunt ad laudem Dei Omnipotentis, qui omniu „ ſuperiorum & inferiorum cauſa exiſtit. „

Exſtat hoc Gilini Opuſculum *Tom. I. Collectionis Luiſininæ*, ſed antea typis jam ed tum fuerat; quandoquidem, ſi Jordanum Ziletum Typographum audiamus, Tomus il primus Collectionis illius Tractatus eos complectitur, qui *impreſſi alias fuerant*; proſtan que tantum in Tomo altero hi qui *Manuſcripti dumtaxat antehac fuere*.

1497 JOHANNES WIDMAN, ſive WEIDMAN, alias SALICETUS, dictus Meichinger *De Puſtulis & Morbo, qui vulgato nomine* Mal de Franzos *appellatur*. MCCCCXCVII. in 4.

Mirari ſubit quantopere de hoc Scriptore, ejuſque Libris, diſſentiant Bibliographi. Joſias Simlerus, in *Bibliotheca Geſneri*, quam contraxit, ſimul & amplificavit, & Paſchalis Gallus, in *Bibliotheca Medica*, mentionem quidem faciunt *Johannis Vvidman Medici*, ſed Tractatum illi alium attribuunt, nempe *Libellum de uſu Thermarum Fer narum*; idem vero alibi nomine *Johannis Saliceti* recenſet Tractatum *De Peſtilentia & ejus fuga*.

Diſtinguuntur quoque Auctores iidem ab Iſraele Spachio, in *Nomenclatore Scriptorum Medicorum*, ſed ordine diverſo, ita ut Johanni Vvidman, alias Mechinger, *Tractatu de peſte & ejus præſervatione*, excuſus Argentinæ, 1519. in 4.; Johanni Vvidman, *Tra ctatus de Thermis Ferinis & Cellenſibus*: & Johanni Saliceto, *Tractatus de peſte & eju præſervatione* attribuatur.

Contra vero Johannes Georgius Schenckius, in *Bibliotheca Medica*, uni, eidemqu *Johanni Saliceto, dicto vulgo Vvidman & Meichinger*, utrumque tractatum adſcribit tum Librum *de peſtilentia & ejus fuga*, excuſum, ut ait, Tubingæ, 1501., tum Tra ctatum *de uſu Thermarum Ferinarum & Cellenſium*.

Demum a recentioribus Bibliographis, Vanderlinden, *de Scriptis Medicis*, Morcklii no in *Lindenio renovato*, & Johanne Jacobo Mangeto in *Bibliotheca Medica*, tres me morantur Auctores cognomines, *Johannes Salicetus*, dictus *Vvidman*, ad quem Librum *de Peſtilentia & ejus fuga*, Tubingæ excuſum anno 1501. in 4.; *Johannes Vvidman nus*, ad quem Epiſtolam *de Lumbrico lato*, & Tractatum *de Balneis Thermarum Fe rinarum* in Ducatu Vvurtembergico; & *Joannes Vvidman*, dictus *Meichinger*, ad quem referunt Tractatum *de Puſtulis, quæ vulgato nomine dicuntur* Mal de Franzos. 1497 in 4.

Ut quid in hac pugnantium ſententiarum diverſitate ſentiendum ſit, liqueret conſulere placuit libros ipſos, qui laudantur, ſed quorum duos tantum mihi contingit hactenus uſurpaſſe, nempe Tractatum *de Puſtulis, quæ dicuntur* Mal de Franzos, & Tractatum *de Peſtilentia & ejus fuga*. Inde tamen videtur poſſe colligi unum & eum dem

unum & eumdem Auctorem fuiſſe quem Vanderlinden, Mercklinus & Mangetus in tres ex errore dividunt; modo tamen excipias Auctorem Epiſtolæ *de Lumbrico lato*, quæ proſtat in *XI. Libro Obſervationum & Epiſtolarum Medicinalium* Gregorii Horſtii. Conſtat enim Epiſtolam illam ſcriptam fuiſſe anno 1625. a Johanne quodam Widmanno, ordinario Ulmenſi Phyſico, qui noſtro Johanne Widman toto ſæculo ad minus junior fuit.

At vero tres reliqui Tractatus videntur unius & ejuſdem Auctoris fuiſſe. Nam 1°. Tractatus ille *de Puſtulis*, *quæ vulgato nomine dicuntur* Mal de Franzos, editus in 4. anno 1497. ad *Johannem Widman*, dictum *Mechingerum*, certiſſime pertinet, ut liquet ex inſcriptione Libri, de quo infra.

2°. Tractatus alter *De peſtilentia & ejus fuga*, Tubingæ excuſus anno 1501. & Argentinæ anno 1519. de quo infra pariter, *a Johanne Saliceto*, *dicto Mechinger*, *Medicinarum Interprete*, *Phyſico Ducali Wirtembergenſi* ſcriptus dicitur in ipſa Libri fronte; atque extra omnem controverſiam poſitum videtur Johannem illum Salicetum, dictum Mechingerum, eumdem eſſe ac Johannem Widman, dictum Mechingerum, tum quod ab Iſraele Spachio, *Johanni Widman*, *alias Mechingero*, a Schenkio, *Johanni Saliceto*, *vulgo dicto Widman*, *& Meichinger*, & a Lindenio, Meicklino & Mangeto, *Johanni Saliceto*, *dicto Widman*, Liber *de Peſtilentia & ejus fuga* attribuatur; tum potiſſimum quod ipſe Johannes Widman, dictus Meichinger, expreſſe teſtetur in laudato *de Puſtulis* Libro, *Cap. De Cura*, ſe Tractatum *De Peſtilentia* edidiſſe, ad quem relegat.

3°. Quod ad tertium Tractatum, qui inſcribitur *De uſu Thermarum Ferinarum*, nihil explorati hucuſque habeo de prima illius editione, quæ nondum obvia fuit: ſed pro certo teneo in illo Tractatu, qui a Joanne Rudolpho Camerario inſertus eſt *Pagina* 248. Collectionis *Diſputationum Medicarum in Illuſtri Academia Tubigenſi*, *ſuperiore quidem tempore*, *habitarum*, *& ob exemplarium ſeorſim editorum paucitatem pene deperditarum*, quam edidit Tubingæ in 8. anno 1611. 1°. Auctorem Libri ſeipſum vocare *Johannem Widman*, *dictum Mechingerum*; 2°. Titulum ſibi adſciſcere *Medicinarum Interpretis*, hoc eſt, Profeſſoris publici, eumdem ſcilicet quem ſibi aſſumſit in fronte Libri *De peſtilentia & ejus fuga*, de quo infra; 3°. Profeſſorem fuiſſe in Academia Tubingenſi, in qua *Diſputatio* illa dicitur olim *habita*, quod de Widmano noſtro certum eſt; 4°. Demum ad marginem primæ Tractatus illius paginæ ab Editore annotari Tractatum hunc *typis antea exſcuſum fuiſſe anno* 1513. *per Thomam Anshelmum*; quibus facile induci patior, ut credam Librum hunc fœtum eſſe ejuſdem *Johannis Widman*, cui ab omnibus Bibliographis, imo ipſius *Johannis Widman*, dicti vulgo *Saliceti*, & *Meichingeri*, cui a Schenckio ſpeciatim adjudicatur, & a quo tanto facilius conſcriptum fuiſſe probabile eſt, quod *Phyſicus* eſſet *Ducalis Wirtembergenſis*, atque adeo notam, perſpectamque habuerit naturam & indolem Thermarum Ferinarum, germanice *Wilbad*, quæ in Virtembergico Ducatu ſcaturiunt.

Verum enim vero, ut dicta cohæreant, ſupponenda ſunt ſequentia, quæ a vero non abhorrent.

1°. Nominibus *Johannis Widman*, dicti *Meichingeri*; & *Johannis Widman*, dicti *Saliceti*, unum & eumdem Scriptorem intelligi, quantumvis nomenclatio diverſa ſit.

2°. Auctorem illum ex vero, proprioque nomine vocatum fuiſſe *Johannem Widman*; etenim nomen iſtiuſmodi germanicum Scriptorem Germanum decet, qualis erat ille.

3°. At vero, cum nomen illud *Widman* Germanice ſonet *Salicis hominem*; *Wide* enim, ſive *Weide*, *Salicem*; *Man* vero *hominem* ſignificat apud Germanos, inde factum eſſe, ut Johannes Widman ſe *Salicetum* interdum appellaverit, ad rationem ætatis ſuæ, qua in more poſitum erat, ut literatorum plerique vernaculam nominum ſuorum ſignificationem latine vel græce interpretando, ſeſe tranſnominarent. Sic Johannes Reuchlinus, *Capnionis*; Gerardus Roterodamenſis, *Deſiderii & Eraſmi*; Philippus Schvvartzerd, *Melanchthonis*; Johannes Hauſzechein, *O Ecolampadii* nomen ſibi adoptaverunt; vel ne extra Medicos, & Medicos quidem Germanos vagari videar, (*a*) ſic Georgio Thorman, *Pylandri*; Georgio Bock, *Tragi*; Johanni Hagenbutt, vel ut aliis placet, Haynpol, *Cornarii* nomen arriſit: Sic (*b*) Andreæ Bachman, Hallenſi Medico, placuit ſe *Rivinum* appellare, quod ad rem proxime facit: Etenim ſi ex

(*a*) Melchior Adamus *in Vitis Medicorum Germanorum*.
(*b*) Chriſtian Johan. Langius, *in Bibliotheca Medica*.

Bacman potuit ille *Rivini* nomen ſibi configere, quippini potuerit pari jure Johannes Widman nomen ſuum in *Salicetum* commutare.

4°. Alterum cognomen Johannis Widman, nempe *Meichingerum*, nomen eſſe patrium ſive ethnicum, quod patriam deſignet, quaſi latine dicas *Meichingenſem*, hoc eſt, oriundum ex loco quodam *Meichingen* dicto, cujus in Germania poſitionem a me planiſſime ignorari ultro confiteor.

5°. Demum Johannem Widman vocabulo gentilitio *Meichingerum* ſæpenumero nuncupatum fuiſſe, pro more quoque ſuæ ætatis, quemadmodum infra videbimus Jacobum Berengarium Carpenſem, qui noſtro Johanni Widman æqualis vixit, ethnico *Carpi* notiorem fuiſſe, quam proprio *Berengarii* nomine.

Sed hæc miſſa faciamus, tanquam aliena, remque ipſam, cujus ſatagimus, aggrediamur ſerio. Incidit nuper in manus Libellus ille a Johanne Widman ſcriptus, *De puſtulis*, *quæ vulgato nomine dicitur* Mal de Frantzos, quem, quoniam rarus eſt, ac inter antiquiſſimos ſimilis argumenti libros connumerandus, operæ pretium viſum eſt diligentius deſcribere & exſcribere.

Itaque I. Tractatus ille inſcribitur,

Biblioth. Mazarin. & Sloan. *Tractatus clariſſimi Medicinarum Doctoris* Johannis Widman, *dicti* Meichinger, *de Puſtulis & morbo*, *qui vulgato nomine* Mal de Franzos *appellatur*. *Editus anno Chriſti* MCCCCXCVII.

II. Excuſus eſt in 4°. breviore forma, & characteribus Romanis ſive quadratis, appoſito quidem, ut videre eſt, anno, ſed ſuppreſſo tum impreſſionis loco, tum impreſſoris nomine.

III. Complectitur Capita V. nulla nota numerica diſtincta, quorum I. titulo caret. II. *De Cauſa hujus paſſionis*. III. *De Signis hanc paſſionem indicantibus*. IV. *De Prognoſticis*. V. Demum *De Cura* inſcribitur.

IV. Abſolvitur paginis quindecim, quarum duodecim poſtremis agitur tantum *De cura morbi*, *tum præſervativa*, *tum curativa*. Ceterum paginæ nullo numero ſignantur, neque adeo poſſunt Auctoris loca ex pagina, ſed ex Capite tantum adduci.

V. Proſtat, pagina poſt frontem Libri verſa, Epiſtola *Johannis Widman*, *dicti Meichinger*, *Medicinarum Doctoris*, *ad Johannem Nell*, *Phyſicum*, data *ex Tubingen*, *die* 20. *Januarii*, *anno* 1497. in qua ſic ille ad amicum ſcribit: „ Noſtris etiam temporibus, „ *inquit*, fœdus morbus invaſit mortales, ſive voluntate divina, noſtris ita exigentibus „ meritis, ſeu aſtrorum influentia, iniquoque Saturni radio id acciderit, judicare non „ eſt facile. Volens ergo, *pergit Ille*, pro mea intelligentia humano generi opem ferre, hunc ex multis collegi tractatum, quem tuæ ſolertiæ mitto, ... ut caſtiges, „ & ſi opportunum judicaveris, impreſſioni tradas.

Sequitur Reſponſoria Epiſtola *Johannis Nell* ad *Johannem Widman*, *Medicinarum Profeſſorem doctiſſimum*, *& Præceptorem ſuum ſingularem*, data *ex Argentina*, *die* 1. *Februarii*, *anno* 1497. in qua pollicetur ſe *curaturum*, *ut is Liber pro illius gloria imprimatur*. Unde colligitur primam hanc Libri illius editionem Argentinæ prodiiſſe.

Biblioth. Collegii Ludovici Magni. Venit in manus altera Libri ejuſdem editio priori per omnia ſimilis, niſi quod deſint illæ ambæ Epiſtolæ, ac characteres quibus excuſa eſt, ſint Gothici, ex quo fit ut priore paulo recentior eſſe videatur.

VI. Refert Auctor, *Cap.* 1. „ Hanc paſſionem, quam vulgo *Malum Franciæ*, aut „ *Morbum Sancti Mevi* vocant, apud Arabas ad Capitulum de *Aſaphati*, & apud „ Græcos ad rubricam de *Acharos* (*Achoribus*) non incongrue reduci, eo quod hæc „ omnia a ſimili materia accidant; quamquam præſens paſſio ab eis differat in hoc, „ quod Saphati & Acharos in ſolius capitis partibus naſci conſueverunt, præſens autem paſſio in toto corpore ut plurimum oriri ſolet. „ Unde colligere eſt vel ipſi Johanni Widman luem veneream ab Aſaphati ſive Achoribus diverſam viſam fuiſſe.

VII. Sic morbum deinde deſcribit, qualis ſuo tempore graſſabatur. „ Eſt autem „ deſcriptive hæc paſſio, *inquit*, Puſtulæ a principio ſui lenes, diviſæ in numeratione locorum; deinde exulcerantur ulceribus cruſtoſis, & aliquando verrucoſis. Species harum Puſtularum principales ſunt hæ, quia quædam emittunt virus & humiditatem, & vocantur arabice *Saphati humida*, quæ ſi ad partium corroſionem „ venerint, dicuntur *Refrengi*. Quædam vero non emittunt humiditatem, ſed forte habent ſquamas ſiccas, & has vocant Arabes *Saphati ſiccam*. Et quædam eſt multum dura & prava dicta ab eis *Alchiati*. Quædam eſt extremaliter dura & prava,

„ homo-

„ homogeneæ materiæ quaſi cum verrucis exiſtens, & dicitur ab eis *Aluatin*. Omnium „ tamen harum cauſa materialis a venenoſitate non expoliatur „. Quæ probant manifeſte luem veneream tunc temporis non iiſdem, quibus nunc, ſymptomatis ſtipatam fuiſſe, ſed puſtulas tantum in habitu corporis induxiſſe, quæ pro diverſa indole diverſa ſortiebantur nomina, ex Arabum doctrina deducta, quæ tunc in ſcholis recepta erat.

VIII. Joannes Widman, *Cap. 2. de cauſis hujus paſſionis*, multas morbi cauſas admittit: „ Unam, ultionem divinam ad ſcelera & delicta hominum punienda: Aliam, „ certos aſpectus, vel conſtellationes ſuperiorum corporum, facientes evenire in aere „ & terra diſpoſitionem, per quam inducunt in corporibus humanis impreſſioni „ diſpoſitis hanc paſſionem præſentem. Sed quoniam de his cauſis non multum curat „ Medicus, ut Medicus, ſed potius de cauſa intrinſeca corporali, ad cujus remotio- „ nem morbus tollitur, ideo de iſta proſequor & dico primo, quod in cauſa harum „ puſtularum eſt omnis materia humoralis cujuſcumque generis, dummodo ſit mala, „ venenoſa, acuta & corroſiva, ſanguini mixta..... Ex tribus autem cauſis contin- „ git hunc humorem abundare in corpore..... Una eſt hepatis caliditas fortis, adu- „ rens humores. Secunda eſt debilitas attractivæ virtutis ſplenis in attrahendo & mun- „ dificando Melancholiam a maſſa ſanguinea. Tertia eſt nutrientia convenientia ad „ illud, id eſt, ad generationem illius humoris. „ Quæ ſigillatim multis explicat, ſed ne verbo quidem interpoſito de concubitu impuro, unde liquet a Johanne Widman luem veneream pro morbo ſimpliciter epidemio habitam fuiſſe, ut ætate ſua communi credebatur opinione.

IX. Juxta Auctorem, *Cap. 3. De ſignis hanc paſſionem indicantibus*, ſigna hunc „ morbum monſtrantia in genere..... ad viſum & tactum ſunt manifeſta. Sed ſigna „ cauſarum ſive materierum diſtinctiva *varie variant*, nam in materia plus ſanguinea „ apparet a principio puſtullarum rubedo cum duricie, inflatione, caliditate & ſenſi- „ bili expulſione earum ad extra; in cholera autem citrina attinet rubedo citrinati, „ & eſt velox exitus earum & dolor fortis; in phlegmate eſt albedo & mollicies ſine „ dolore; in melancholia vero eſt duricies earum & privatio doloris „. Quæ ſingula demonſtrant ulterius Puſtulas ſolum per univerſum corpus diſſeminatas luem veneream tunc temporis conſtituiſſe.

X. *Capite* 4. *De Prognoſticis*, Johannes Widman ſigna proponit ſequentia. *Primum*, inquit, *Prognoſticum eventus abſolute eſt*, *ſi incipiat dolor alicui ſpontaneus in coxis, tibiis, aut brachiis, aut alibi. Oportet in hac temporis conſtitutione expectare has puſtulas, præſertim ſi dolor & apoſtemata genitalium conjungantur. Ita experientia expertum eſt*. Unde patet Widmannum ipſum jam pro explorato habuiſſe genitalia in utroque ſexu morbo venereo potiſſimum affici.

Signa quoque prognoſtica bona vel mala, pergit Ille, *ſunt hæc*: Primum, *quod hæc paſsio eſt chronica, durans tempore extenſo valde, ſi non evacuationum pluralitas, diætæ bonitas, & localium antidotorum debita adminiſtratio eam abbreviaverit*..... Secundum *eſt*, *quod hæc paſsio eſt contagioſa, tranſiens de homine in hominem, & inde de civitate in civitatem, & de regione in regionem*. Tertium *eſt*, *quod hæmorrhoides huic paſsioni accidentes cum fluxu moderato accelerant curam ejus*. Quartum *eſt*, *quod corpus per has puſtulas perfecte purgatum, a lepra, cancro & ſimilibus morbis, non minus quam per exitum variolarum, cenſetur præſervari*. Quæ poſtrema verba aperte indicant cenſuiſſe Widmannum luem veneream a lepra diverſam eſſe.

XI. *Caput* 5. *Cura*, ſic ait Auctor. *Cum conſiderem ſævitatem hujus paſsionis, & deteſtationem ejus maximam, ita ut homines a civili converſatione ſeparentur, ſaltem quoad curati ſint, non tantum regimen curativum proponam, verum etiam prævìſivum, quod debetur ſanis nondum infectis, primo loco notabo, ut per ejus obſervantiam ab incurſu prædictæ paſsionis præſervari poſsint: Dehinc curativum ſubdam*. Ex quibus conſequens eſt lue venerea affectos, Widmanni temporibus, a concivium conſuetudine ſecretos fuiſſe, perinde ac peſte correptos.

Regimen prævìſivum, pergit ille, *completur cum diæta & potione. Diæta conſiſtit in debita adminiſtratione harum ſex rerum, quę ſunt aer, motus & quies, ſomnus & vigilia, animę paſsiones, cibus & potus, inanitio & repletio, quę a Phyſicis non naturales vocantur*. De quorum ſingulis multa profert ex hygieines præceptis deſumpta, ſed quæ ab inſtituto noſtro aliena ſunt.

Id unum animadverſione dignum eſſe videtur, quod cum verba facit *de animi paſſionibus*, addat ſequentia de uſu veneris: „ Nempe coitum præſertim multum in omni aeris corruptione vitari debere, ... quoniam præſertim humores malos ad ge- „ nitalia derivare videtur, propter concuſſionem fortem in eo factam; unde forſan „ fit quod præſens paſſio in pleriſque primum ibi manifeſtari ſolet. Verum tamen eſt „ quod in juvenibus & primis ſenibus otioſis & groſſæ diætatis, atque ad venerea aſ- „ ſuetis, dum fiat lege permittente, non interdicitur omnino, ... ſummopere ta- „ men cavendum ne coitus fiat cum muliere puſtulata, imo neque cum ſana, cum „ qua prius brevi temporis ſpatio concubuit vir puſtulatus, propter evitare contagionis „ periculum; jam enim cognitum eſt experientia, ut ſubſequens poſt puſtula tum re- „ center inficitur. A proſtitutis ergo mulieribus hoc tempore maxime cavendum eſt. Ex quibus patet Widmannum morbi venerei contagionem ex concubitu non præſenſiſſe modo, ſed jam exploratam habuiſſe.

Potio, *ſubdit Ille*, „ quæ eſt ſecundum inſtrumentum præſervativum, perficitur per „ duas intentiones: Prima eſt corporis evacuatio & mundificatio a pravis humoribus, „ præmiſſa eorum æquatione ubi oportet: Secunda eſt cordis & hepatis rectificatio, in „ virtute quorum dictæ materiæ generantur principaliter. Evacuatio autem prima eſt „ valde neceſſaria, ... de quo jam experientiam habeo in duobus, in quibus per „ evacuationes iteratas humorum groſſorum acutorum, puſtulas jam incipientes appa- „ rere tam augeri, quam multiplicari prohibui. „ Unde ſequitur ægrotos quoſdam ex lue venerea a Joanne Widman curatos fuiſſe ante annum 1497.

Completur autem dicta evacuatio, addit Ille, *cum phlebotomia & pharmacia*. Inter pharmaceutica remedia multos proponit ſyrupos alterantes vel purgantes, ex galenica pharmacia deſumptos, ſed qui jam pridem obſolvere.

„ Rectificatur autem cor & hepar cum aromaticis, reſiſtentibus putrefactioni & ve- „ nenoſis materiis, „ cujus generis nonnulla adducit, atque ſic *finit regimen præſervativum a dictis puſtulis*.

Regimen curativum ſimiliter completur, ſecundum Widmannum, *diæta & potione*, *& forſan Chirurgia*. Diæta & potio eædem adhibendæ ſunt in regimine curativo atque in præſervativo: „ Dehinc vero intendatur, *inquit Widman*, abſterſioni & exſic- „ cationi puſtularum, diſponendo eas ut cadant, & fit id cum gummeris, id eſt, „ cum linimentis & unguentis, circa quæ notandi ſunt canones ſequentes...... Unus „ eſt, ut incipiatur a medicinis debilibus, præcipue quando eſt fortis dolor, deinde „ gradatim perveniatur ad fortia; ſecundus eſt, quod in linimentis oportet cavere a „ rebus mordicantibus & acutis multum, ne ad acuitatem humoris acuti venenoſi ad- „ dant plus de acuitate, & per hoc attrahant materias ad locum.

Inter linimenta varia, quæ Johannes Widman proponit, quaſi ad luem veneream faciant, duo ſunt quibuſcum quidpiam argenti vivi permixtum erat. Prius dicebatur *Unguentum Magiſtrale de Olibano*, cujus formula hæc erat.

℞. *Reſinæ mundæ* ℥ iij. *Ceruſſæ* ʒ vj. *Aluminis uſti*, *Argenti vivi extincti*, *Litargyri*, ana ʒ ij. *Thuris albi* ℥ j.

Cum oleo communi f. Unguentum, in quo aliqui addunt *de ſucco lapathi acuti vel arantii* ℥ ß.

Alterum dicebatur *Unguentum Magiſtrale de Thure majus*, cujus formula talis fuit.

℞. *Thuris albi* ℥ j. *Aluminis uſti*, *Litargyri*, *Ceruſſæ* ana ℥ ß. *Maſtichis* ʒ ij. *Argenti vivi extincti* ℥. ß. *Terebinthinæ & Reſinæ mundarum* ana ℥. ß. *Olei communis* q. ſ.

F. Unguentum, addendo *de ſuccis prædictis* ℥. ß.

Potiſſimum, quod inter hæc ambo linimenta diſcrimen intercedit, hoc eſt, quod nempe in priore Argentum vivum æquet ad ſummum vigeſimam quartam partem totius; in poſteriore vero æquet ad minus decimam quartam totius partem.

Fatetur Johannes Widman „ communiter operantes contentos fuiſſe dicto un- „ guento de Olibano uſque ad finem curæ, quia facit cadere puſtulas cito...... „ *ſed* quoniam, *pergit Ille*, ſunt aliquæ ſpecies harum puſtularum malignæ, ... ideo „ forſan opus erit Chirurgia & Medicina cauſtica...... In hoc laudo, *ait Ille* cau- „ terizare cum aqua forti & ſimilibus, ... deinde, remota eſchara, curetur cura „ ulcerum.

Tandem Widman pauca ſubjungit, ſed breviſſime, „ de accidentibus communi- „ ter

„ ter contingentibus, *nempe* de difficultate inglutiendi & tumore apoſtemoſo ex deflu-„ xu materierum per viam catarrhi, & de excoriatione oris & puſtulis ſuperficialibus „ in eo; „ quæ forte non tam luis venereæ, quam linimentorum mercurialium adhibitorum ſymptomata fuere, ſed quorum cauſa medicis illius ævi nondum ſatis nota & explorata erat.

Tractatus alter Johannis Widman ſic inſcribitur, Biblioth. Mazariana.

Johannis Saliceti, dicti Mechinger, *Medicinarum Interpretis*, *Phiſici Ducalis Wirtembergenſis*, de Peſtilentia, *cum adjecta quæſtione* de fuga Peſtis. *Ex Tuwingen*, hoc eſt, Tubingiæ, 1501. *in* 4°.

Tractatus ille Capitibus ſexdecim abſolvitur, ex quibus ſequentia excerpere viſum eſt, quæ notatione aliqua digna ſunt.

I. Capite III. ubi *de morbo Epidemiali*, ſic ait Salicetus; „ Morbi Epidemiales „ aliquando ſunt febres, interdum carbunculi, nonnunquam Morbilli, & Variolæ, „ vel aliæ cutis infectiones, quales etiam ſunt Puſtulæ formicales, vel Aſafaticæ, „ (dictæ Malum Franciæ) quæ nunc ab anno 1457. uſque in præſentem annum 1500. „ de regione in regionem dilatatæ ſunt cum ſævis accidentibus. „ Unde colligitur, Salicetum ſcripſiſſe anno 1500. atque adeo ſi idem ſit ac Johannes Widman, dictus *Mechingerus*, antiquiorem aliam Libri illius editionem exſtitiſſe, quam hoc anno 1500. recognoverit, cum Joannes Widman Librum, quem *De Peſtilentia* ipſe ſcripſerat, laudet in Tractatu *De Puſtulis*, typis excuſo, ut modo vidimus, anno 1497. 2°. Auctorem illum nomine *Puſtularum formicalium & Aſafaticarum*, *Malum Franciæ dictarum*, intelligere ſine dubio Veneream luem, ſed hallucinari graviter, quod referat morbum illum ab anno 1457. in Europa graſſari.

II. Capite XI. mentionem facit cujuſdam affinis ſui, nomine *Henrici Steynhovvel*, Ulmenſis Medici, unde liquet Salicetum non modo Germanum fuiſſe, ſed ex Suevia oriundum videri, nempe ex Tubinga, quæ eſt in eadem Germaniæ provincia, in qua Ulma.

III. *Capite* XII. vocat *Præceptorem ſuum Johannem Marlianum*, *Papienſem*, *qui peſtilentiæ magnæ Mediolani currenti anno* 1450. interfuit. Unde ſequitur Salicetum, ut illis temporibus pleriſque Germanorum ſolemne erat, in Papienſi ſeu Ticinenſi Academia Medicinæ ſtudio operam dediſſe, quod poteſt etiam inferri ex *Capite* XVI. in quo Salicetus laudat Medicinam de Concoregio, Papienſi, a ſe expertam, quæ conſtabat ex *Rheubarbari ſtropulis* (ſcrupulis) *quatuor*, *& tantillo ſpicæ*.

IV. Denique *Capite* XV. ubi *de Variolis & Morbillis*, narrat ſe *Variolas vidiſſe multiplicatas valde in ore*, *lingua*, *epigloto & gutture in Illuſtri Principe*, *Marchione Chriſtoforo Badenſi*, *eo conſtituto in cura ſua in ætate juventutis circiter annum* 26. Nullum autem dubium eſt, quin hæc hiſtoria intelligenda ſit de Chriſtophoro, Marchione Badenſi filio Jacobi, Marchionis Badenſis, & Catharinæ a Lotharingia, qui ab illo morbo convaluit, ſed qui fato conceſſit anno 1515.

In Diſſertatione, quæ adjicitur ad calcem Tractatus *De Peſtilentia*, & quæ inſcribitur *Quæſtio de fuga Peſtis*, quæritur *utrum regnante morbo Epidemiæ liceat*, *proſit & expediat ſuſpecta loca & perſonas fugiendo vel repellendo declinare*, & pro aientibus pronuntiatur.

De cetero memini (*a*) a Melchiore Adamo mentionem fieri ex (*b*) Pantaleone *Johannis* cujuſdam *Veinmanni*, quem dicit natum eſſe anno 1496. Francofurti; (an ad Mœnum, Viadrumne ipſe ambigit; Medicinæ ſtudio operam dediſſe *Bononiæ*, *quæ illa tempeſtate Academiarum erat celeberima*; Archiatri munere in aula Onoltzbachiana annos 45. functum eſſe; tandem Onoltzbachii mortem oppetiiſſe anno 1531. ætatis 70. Utrum Johannes ille Weinmannus Melchioris Adami idem fuerit ac Joannes Widman, de quo quæſtio eſt, omnino neſcio; conveniunt quidem ætas & patria, ſed nomen paululum abludit. De hoc viderint quibus vacat, ac ſuppeditatur copia liborum ceterorum quos a Johanne Widman ſcriptos eſſe Bibliographi memorant, ex quibus poterunt forte veritatem expiſcari.

ALEXANDER BENEDICTUS, Veronenſis, Doctor Medicus, (*c*) Laurentii filius, 1497

 Medi-

(*a*) In *Vitis Germanorum Medicorum* pag. m. 30.
(*b*) *Lib.* 3. *Proſopographiæ*.
(*c*) Medicin. *Lib.* 8. *Cap.* 42.

Medicinam aliquandiu fecit in (*a*) Græcia & in (*b*) Creta, ſed præſertim (*c*) Methonæ in Peloponeſo, hodie *Modon*, & (*d*) Cydone in Creta, hodie *la Canee*. Ab itineribus redux artem eamdem non ſine laude Venetiis profitebatur anno 1495. cum a (*e*) *Præfectis ſeu Proviſoribus belli Tarenſis*, hoc eſt, belli quod Veneti cum ſociis Mediolanenſibus ad Tari ripas, hodie *il Taro*, movebant adverſus Carolum VIII. Galliarum regem, ut a reditu illum intercluderent, magnis præmiis & honoribus inductus eſt, ut exercitui quem ducebant, Medicus intereſſet. Quin imo (*f*) eorumdem conſilio, impulſuve potius, ad exitus hujuſce belli literis conſignandos aggreſſus eſt libris duobus, quos inſcripſit *Diaria de bello Carolino*.

Notiſſimum quidem ex hiſtoricis, & ex ipſo etiam Guicciardino Scriptore Italo, quanta cum animi fortitudine exercitus Francicus, in quo vix novem millia armatorum numerabantur, quadraginta, ut minimum, Venetorum aut Mediolanenſium millia in Foro novo ad Tari ripas perruperit & fuderit, viamque ſibi Marte patefecerit, Carolo omnia Imperatoris, militiſque munia eximie præſtante. Nihilominus tamen Benedictum, utpote qui calamum in hunc finem ſumpſerat, Ducibus Venetis *ut* (*g*) *placerent, quas feciſſet fabulas*, aperte mentiri non puduit in laudatis libris, non quod ajat quidem Venetos ſpectabilem victoriam de Francis conſecutos fuiſſe, hoc etenim nimis putidum videbatur, ſed quod auſus ſit dicere eoſdem cum Francis ancipiti prælio, nec inglorie depugnaviſſe, quæ ſane falſitas excuſationem nullam habere poteſt præter improbum partium ſtudium, unde peccatum elevari nequaquam arbitror.

Sed hæc miſſa faciamus, quæ tamen Benedicti ætatem ſignificant; quippe ſcribebat (*h*) de Anatome Venetiis anno 1483.: Nuncupavit (*i*) anno 1493. Senatori cuidam Veneto Libellum de *Peſtilentiæ cauſis*, *præſervatione*, *& auxiliorum materia*: Interfuit anno 1495. bello Tarenſi, ſeu ut ipſe ait, *bello Carolino*, de quo *Diaria* (*k*) edidit Venetiis anno ſequente 1496.: Excudendos curavit (*l*) anno 1497. *Anatomices humani corporis Libros V.*; & annis conſequentibus Imperatori Maximiliano I. (*m*) inſcripſit Libros XXX. *De omnium a vertice ad plantam morborum ſinis*, *cauſis*, *differentiis*, *indicationibus & remediis*, *tam ſimplicibus*, *qam compoſitis*. Nondum quidem compertum habeo, quo demum anno Benedictus deceſſerit, ſed conſtat ex Epiſtola cujuſdam Jacobi Antiquarii, Mediolano ad Benedictum ſcripta, illum inter vivos; fuiſſe anno 1508. imo vero probatur illum vixiſſe etiamnum anno 1511. ex *Lib.* 23. Medicinæ ſuæ, *Cap.* 29. ubi loquitur de quodam terræ motu, qui *contigit* anno eodem, *ſeptimo Calendas Aprilis*, *& qui univerſam Italiam ultra quadraginta dies concuſſit*.

Quod ergo Poetæ de Jano bifronte fabulantur, noſſe illum præterita & futura tempora, de Benedicto verius dici poteſt, ſi ratio habeatur luis venereæ. Nempe vidit ille utraque tempora, & ea quæ luis illius ingreſſum prægreſſa ſunt, & ea quæ eumdem ſunt conſecuta; & ut de *Cumano* modo dicebamus, ſic ipſe adfuit quoque anno 1495. inter Venetas copias, quibuſcum in Foro novo conflixit exercitus Gallicus, in quo tunc latebant prima morbi venerei ſeminia, ex Neapolitano regno delata, & Galliam totam brevi infectura. Benedictus ergo, ſi quis alter, potuit omnium certiſſime antiquos priorum temporum morbos, cum præſentibus poſteriorum morbis, conferre atque componere, ac proinde de vera origine luis venereæ teſtis nullus aut locupletior, aut oculatior adduci poteſt, neque adeo qui fide dignior ſit, cum hic nulla ſit gratiæ ſuſpicio.

Nihil quidquam de lue venerea ſpeciatim ſcripſit Benedictus, & quod maxime mirum videri poſſit, ne in illis quidem XXX. Libris *de omnibus a vertice ad plantam morbis*; ſed de eadem plurima variis ſuis operibus aſperſit loca, quæ cum egregia,

palma-

(*a*) *Lib.* 1. De omnium morborum ſignis, cauſis *&c.* ſive Medicin. &c. *Cap.* 2. *Lib.* 26. *Cap.* 4. & *Lib.* 1. *de Peſtilentia*, *in Præfat.*

(*b*) Anatomices, *Lib.* 1. *Cap.* 14. *Lib.* 3. *Cap.* 9. Medic. *Lib.* 1. *Cap.* 33.

(*c*) Medic. *Lib.* 22. *Cap.* 26.

(*d*) Medic. *Lib.* 1. *Cap.* 26. Et Anatomic. *Lib.* 2. *Cap.* 18.

(*e*) Chiocus, *De Illuſtribus Medicis Veronenſibus*.

(*f*) Ex præfar. & Epiſtola nuncupatoria Operi præfixis.

(*g*) Terentius, in *Prologo Andriæ*.

(*h*) Ex Præfatione huic Libro prefixa.

(*i*) Anatomices, *Lib.* 3. *Cap.* 18.

(k) Ex anno primæ Editioni adſcripro.

(*l*) Ex Epiſtola nuncupatoria ad Imper. Maximilianum I. Editioni *Anatomices* Henrici Stephani anni 1514. præfixa.

(*m*) Ex Inſcriptione ſingulorum Librorum.

palmaria, decretoria ſint, curæ ideo nobis fuit ſingula ſollicite conquirere, excerpere & in ſequentia capita referre.

I. Novitatem luis venereæ apertiſſime paſſim atteſtatur. „ Venereo tactu (*a*), *in-*
„ *quit*, novus, vel ſaltem medicis ignotus prioribus, ſyderum peſtifero aſpectu mor-
„ bus gallicus ad nos ex Occidente, dum hæc ederemus, irrepſit, tanta omnium
„ membrorum fœditate, cruciatibuſque, nocte præſertim, ut Lepram alioqui inſana-
„ bilem, ſive Elephantiaſin horrore ſuperet, non ſine vitæ pernicie. Hæc peſtis reli-
„ quas provincias jam infeſtavit, quæ etiam præſanatis facile repullulat, magna omnium
„ Medicorum ambage. Ex Occidente (*ex Hiſpania*, *ut puto*) venere Empirici,
„ qui magno quæſtu urbes circumierunt, id tantum profitentes. Muliebres pudendas
„ partes, (*b*) *ait alibi*, primum, cum hæc ſcriberemus, infeſtare miſerabiliter cœpit
„ morbus gallicus, unde illud proſtitutarum virus totum orbem infecit, tanta earum
„ partium fœditate, ut quacumque blandiori Venere proci facile arcerentur. Videres
„ fœminas ore Venerem pulcritudine ſuperantes, quæ ſuo fœdiſſimo complexu infini-
„ tos libidine intemperantes ſera pœnitentia afflixere.„ Unde liquet Benedicto probe
perſpectum fuiſſe morbum Gallicum uſu Veneris cum infectis contagione contrahi.

II. Luem veneream deſcribit ceu morbum ferociſſimum, adhibitiſque remediis ſu-
periorem. „ Morbum Gallicum, (*c*) *inquit*, novam mundo peſtem, tempeſtate no-
„ ſtra concubitu atque contactu irremediabilem haberi, atque cum Elephantiaſi vio-
„ lentia contendere animadvertimus, ſuperaddito fœditati dolore; nam oculos, ma-
„ nus, nares, & pedes, aliaſque corporis partes ablatas videmus, in contumacia vi-
„ tæ, ea violentia. *Et in* alio *loco*: Corpus, (*d*) *ait*, diſtemperamento vitiatum
„ Elephantiaſi, Lepra, Hydrope & novo morbo Gallico corripitur, cujus novitate
„ ætate noſtra vincuntur Medicinæ. „ Quæ manifeſto probant luem veneream illa æta-
te pernicioſiorem, & remedia quæ adverſus illam efficaciter valent, nondum ſatis comperta fuiſſe. Adde ex ſimilitudine, quam Auctor inſtituit inter morbum Gallicum & Hydropem, poſſe colligi ab illo creditum fuiſſe hunc morbum, ſine prævio contagio, ſponte concipi poſſe.

III. Videtur gonorrhœam veneream obſervatam habuiſſe. „ Viris, (*e*) *inquit*, ge-
„ nituræ profluvium, quam *γονόῤῥοιαν* Græci vocant, ſæpe evenit, hoc præſertim tem-
„ pore, dum hæc conſcriberemus, veluti enim peſtilentia plurimos afflixit. „ Quæ ſi
de virulenta gonorrhœa debeant intelligi, ea demonſtratura ſunt gonorrhœam in lue venerea multo citius adveniſſe, quam vulgo creditur.

IV. Primus eſt omnium, quos novi, qui diſſecuerit eorum cadavera, qui ex lue ve-
nerea ægrotaverat: „ Obſervavere (*f*), *inquit*, priores Medici, ut ſi qui ignotis mor-
„ bis interiiſſent, diſſectis cadaveribus, occulta morborum initia perſcrutarentur, ut
„ pari exemplo vivis prodeſſent. Idem in ſimia ſua facere Galenum non puduit igno-
„ ta mortis cauſa ſicut & nos in morbo Gallico fecimus. *Sed multo diſertius alibi*.
„ Oſſa, (*g*) *ait Ille*, corrumpi novum non eſt; ſed abſceſſus innaſci mirum eſt, ut
„ nuper vidimus, dum mulierem quamdam Gallico morbo interemptam reſecaremus,
„ cauſam morbi perquirendo, oſſa ſub omentis (*perioſtiis*) ſuis integris tumentia & ad
„ medullam uſque ſuppurata invenimus. „ Unde colligere eſt exoſtoſes, & ſuppuratas
quidem, a lue venerea in ipſo morbi ingreſſu inductas fuiſſe.

V. Remedia quædam proponit ad luem veneream, ſed obiter, & ut occaſio oblata
eſt. (*h*) „ Ad ulcera, *inquit*, Gallici morbi in cute enata, *puſtulas ſcilicet*, Ellebo-
„ rum atrum cum axungia conterito ſalſa, adde vini fæcem ſive crapulam cum Iride.
„ *Alibi vero*, (*i*) Profluvium (*ſanguinis*) ex faucibus ex morbo Gallico efficaciter mor-
„ bum levat; „ quod hactenus inauditum, niſi de profluvio ſanguinis ex ore forte intelligatur, quod graviori vel diuturniori ptyaliſmo interdum ſupervenit, cum oris ulcera altiora vaſa ſanguifera depaſcuntur. Videtur alibi ſalivationis uſum notum habuiſſe:
„ Inter opportuna, (*k*) *inquit*, remedia (*cephalææ & hemicraniæ*)......ſunt quæ

(*a*) Anatomices, *Lib.* 2. *Cap.* 21.
(*b*) De omnibus morbis, *Lib.* 27. *in proœmio*.
(*c*) Medicin. Univerſal. *Lib.* 26. *Cap.* 1
(*d*) Ibidem, *Lib.* 1. *Cap.* 28.
(*e*) Medicin. Univerſal. *Lib.* 24. *Cap.* 6.
(*f*) Anatomices, *Lib.* 1. *Cap.* 1. (*g*) Ibid. *Lib.* 1. *Cap.* 6.
(*h*) Medicinæ *Lib.* 30. *Cap.* 12.
(*i*) Ibid. *Lib.* 8. *Cap.* 44.
(*k*) Medicinæ *Lib.* 1. *Cap.* 16.

,, ore ſalivante pituitam evocant , magno quandoque impetu , ut in Gallico morbo ,
,, qui dum hæc conſcriberemus, orbem pene crudeli tabe afflixit. Imo vero non igno-
raſſe ſalivationem cieri inunctione ex argento vivo. ,, Medicamentis (*a*) *inquit*, mobi-
,, les fiunt (*dentes*) veluti qui in morbo Gallico, unctis, plurimo argento vivo injecto,
,, articulis & humeris inunguntur, quoniam nonnullos tremulos & paralyticos vidimus
,, reſolutis nervis atque membrorum lacertis, una pariter dentes labefactatione pericli-
,, tarunt , pluribus collapſi ſunt , nervulis quibus adalligantur veluti vinculis diſſo-
,, lutis . ,, Unde conſequitur inunctiones mercuriales vel in ipſis luis venereæ incuna-
bulis adhibitas fuiſſe, atque adeo illarum uſum ipſi morbo quaſi æquævum eſſe.

VI. Liceat adjicere loca aliquot alia, a noſtro quidem inſtituto aliena, ſed animadver-
ſione vere digna. I. ,, De rore Syriaco, (*b*) quem Mannam nunc Officinæ vocant , ob
,, thuris mannæ ſimilitudinem..... ſolvit leniter, *inquit Ille*, nec ventrem turbat , re-
,, gia quidem potione. Veteribus Matronis etiam uncias ternas dedimus, ſine moleſtia
,, alvum humoribus exonerantes. Ex Aſſyria (*forte Syria*) defertur . ,, Quæ videntur ar-
guere mannam, de qua Benedictus a manna hodierna, quæ ex Calabria petitur, mul-
tum diſcrepaſſe. Ille ſane a manna ſua diſtinguit *Elæomeli*, quod *ex Apulia deſerebatur*.
II. De Rhabarbaro, ſeu *Radice barbara*, ut ille ait, quam dicit ætate ſua *auri pretium
æquaſſe*. III. De veretri tenſione in mortuis perdurante (*c*) ,, Mirum eſt, *inquit*, quod
,, in caſtris vidimus ad Tarum in Parmenſi agro, in pugna adverſus Gallos . Nuda erant
,, cadavera paſſim per ripas fluminis jacentia, quorum inguina mire ſupra modum ma-
,, gnitudinis intenta erant, ſolis, ut puto, vapore ac heiterno imbre , quo corpora per-
,, fuſa erant. , Cave tamen credas hocce phænomenum a lue venerea, qua virilia oc-
cuparentur, forte deducendum eſſe. In Gallos enim ea tantum caderet ſuſpicio , quos
conſtat a regno Neapolitano rediiſſe lue venerea contaminatos . Sed cadavera illa , de
quibus Benedictus loquitur, non fuere Gallorum , (*d*) quorum vix centum in pugna
Foronovana occubuerunt, at Venetorum potius, quorum cæſa ſunt ad quatuor millia:
Quibus addi velim idem phænomenum in cadaveribus eorum haud raro obſervari, qui
morte violenta, atque adeo convulſi interierunt, ut liquet ex Philippi Salmuthi *Ob-
ſervat. Medicar. Cent. 3. Obſervat.* 40.

1497 Gaspar Torrella Hiſpanus, natus eſt Valentiæ in Hiſpania ex parte Medico ce-
lebri ; ,, Genitor meus, *inquit ipſe* , *in Præfatione præmiſſa Tractatibus* De dolore &
,, de ulceribus in pudendagra, Medicus fuit, cujus memoria ob hujus artis eximiam pe-
,, ritiam ſempiterna erit. Inſuper ſumus hac tempeſtate tres germani ab eodem patre
,, nati, in eadem Facultate Doctores , inter quos ipſe minimus ſum . ,, Quocirca
videtur locus eſſe conjiciendi inter fratres illos Gaſparis anumerandum eſſe Hierony-
mum Torrellam , Medicum Valentinum in Hiſpania , (*e*) qui Valentiæ edidit anno
1496. in 4. *Opus de imaginibus Aſtrologicis* , *an imagines cœleſtes auro impreſſæ habe-
re vim morborum expultricem ſine ulla ſuperſtitione valeant?*

Innotuit Torrella Cardinali Roderico de Borgia, qui & ipſe ex eodem regno Va-
lentino oriundus, & a ſummo Pontifice Calixto III. ſuo avunculo ad Archiepiſcopatum
Valentinum promotus erat anno 1455. & apud illum dignitate ſummi Pontificis poti-
tum anno 1492. Medici domeſtici miniſterium obivit. Ipſe enim in antiquiſſimis ſuis
Operibus anno 1497. ſcriptis ſe profitetur Alexandri VI. Pontificis maximi *Prælatum
domeſticum ac Medicum* eſſe . Quod idem munus obtinuit etiam ſub Julio II. ut li-
quet ex alio ejuſdem Libro *De Regimine ſeu præſervatione ſanitatis* quem ad Julium
II. ſcripſit anno 1506.

Ignoratur, quo tempore ab Alexandro VI. Epiſcopus Sanctæ Juſtæ renuntiatus ſit .
Sed conſtat Auctorem de illo titulo gloriari in ipſo Tractatu *De Pudendagra* , qui
omium ipſius Operum antiquiſſimus eſt, & anno 1497. ſcriptus . Imo locus eſt conje-
cturæ ad eam dignitatem anno 1487. provectum eum fuiſſe , quod ipſe referat in lau-
dati Tractatus prooemio , *agi tunc annum decimum* , *cum circa eccleſiaſtica occupatus
arti Medicinæ minime vacare potuit* ; niſi id non de Epiſcopatu , ſed de munere quo-
dam Eccleſtaſtico apud ſummum Pontificem videatur intelligendum.

Epiſco-

(*a*) Ibidem *Lib. 6. Cap.* 15.
(*b*) Medicin. *Lib. 2. Cap.* 8.
(*c*) Medicin. *Lib. 24. Cap.* 19.
(*d*) Le Pere Daniel , Hiſtoire de France , ad ann. 1495.
(*e*) Michael Mettaire, *Annal. Typograph.* Tom. I.

Epiſcopatus ille Sanctæ Juſtæ, quem Gaſparem Torrellam obtinuiſſe certum eſt, in Sardinia ſitus, ſuberat Metropoli Arboreenſi, vulgo *Oriſtagni*. Dicitur a Franciſco de Vico, *Hiſtoria general de la Isla y Reino de Sardeña*, *Part. 6. Cap.* 80. *&* 81. ſuppreſſus anno 1504. & unitus eſſe Eccleſiæ Metropolitanæ Arboreenſi. Conſtat (*a*) tamen Gaſparem noſtrum Seſſioni ſecundæ Concilii Lateranenſis V. ſub Julio II. interfuiſſe anno 1512. & ſubſcripſiſſe cum titulo *Epiſcopi Sanctæ Juſtæ* : Unde neceſſe eſt, ſi jure ceſſerit, titulum ſaltem retinuiſſe.

Exſtant hujus Auctoris Libri duo *De morbo Gallico*, quorum unuſquiſque binos Tractatus comprehendit.

Liber *prior* prodiit Romæ cum ſequente inſcriptione.

Tractatus cum Conſiliis contra Pudendagram, ſeu morbum Gallicum, cui adjicitur in fine. *Impreſſum Romæ per Magiſtrum Petrum de Laturre*, *anno* MCCCCLXXXXVII, *die* XXII. *Novembris*, *ſedente Alexandro VI. Pontifice maximo*, in 4. Characteribus gothicis, Plagulæ 6. Biblioth. Regia & Mazarinæ.

I. Proſtat initio illius Libri, *Tractatus de Pudendagra, ſeu morbo Gallico*, qui ſcriptus fuit *ad Reverendiſſimum & Illuſtriſſimum in Chriſto Patrem & D. D. Cæſarem de Borgia*, *titulo Sanctæ Mariæ novæ Diaconum Cardinalem Valentinum*; Nempe Cæſar de Borgia, filius nothus Alexandri VI. Cardinalis dignitatem retinebat adhuc anno 1493. quam non abdicavit, niſi anno 1498. fratre natu majore Johanne de Borgia, Gandiæ Duce, an dolo, an caſu interfecto. Laudatur hic Torrellæ Tractatus ab Antonio Scanarolo, in Epiſtola ſua *De Morbo Gallico*, nec mirum cum Bononiæ typis excuſa fuerit anno tantum ſequente 1498.

In illo Libro affirmat Torrella ,, malignam hanc ægritudinem incepiſſe anno 1493. ,, in Francia (*hujus loco legitur* in Alvernia *in Collectione Veneta Aloiſii Luiſini*, *imo* ,, *vero in altera ejuſdem Tractatus editione*, *quam Gaſpar ipſe Torrella nuncupavit E-* ,, *piſcopo Abrincenſi*, *de qua mox*) & ſic per viam contagionis perveniſſe in Hiſpaniam, ,, ad Inſulas (*Siciliam*,) in Italiam, & finaliter ſerpendo totam Europam peragraviſ- ,, ſe, & ſi fas dicere eſt, totum orbem.

,, Dicunt Aſtrologi, *pergit ille*, hunc morbum evenire a conſtellatione corporum ſu- ,, periorum : Nam dicunt quod effectus univerſalis in cauſas univerſales reſolvi debet, ,, & hoc propter Saturnum exiſtentem in Ariete: Nam in Ariete & in Piſcibus ſunt ,, quædam ſtellæ habentes virtutes generandi monſtra.... Alii dicunt quod eſt flagel- ,, lum Dei.,,

Refert inde eorum opiniones, qui putabant Morbum Gallicum deſcriptum fuiſſe ab Avicenna, 2. *Canone*, *Cap. de Thure*; ab Hugone Senenſi, *Conſilio* 70. *de infectione cutis & aſaphati cum puſtulis faciei*; imo ab Hippocrate, *Aphoriſmis* 20. & 21. *ſectione* 3. & a Galeno, *Commentario in eoſdem Aphoriſmos*.

Morbus, ut ab Auctore deſcribitur, multiplex erat, ,, & non ſervabat eumdem ,, ordinem invaſionis propter diverſitatem materierum peccantium; nam, *inquit Ille*, ,, in aliquibus incipiebat a doloribus; in aliis a puſtulis cruſtoſis humidis, ex quibus ,, exibat humiditas favo mellis ſimilis; aliquando quædam materia ſimilis granis fi- ,, cuum, rotunda & dura; in aliis exibat quædam humiditas ſimilis aquæ carnis, ,, & aliquando ſanguis; aliis autem eveniebant puſtulæ cruſtoſæ ſiccæ, & ſic de ,, aliis : & dolores non erant fixi, ſed ſolum nocturnales, ex quibus ſequebantur in- ,, ſomnietates.

Memorat Torrella ,, multos modernorum, videntes hunc morbum procedere ex cau- ,, ſa ſuperiori, non parcere regioni, tempori, ætati, ſexui, neque complexioni; non ,, ſervare eumdem ordinem; .... idcirco neglexiſſe curam, conſulentes ne aliquid fa- ,, cerent, ſed eam dimitterent Naturæ : nam ea quæ tentaverant in variis infirmis, ,, fuerunt potius nocumento, quam auxilio. *At vero addit* aliam ſectam Medicorum ,, fuiſſe, cum qua ipſe tenet, dicentem hunc morbum cognitum eſſe cum ſuis cau- ,, ſis & accidentibus, & fore curabilem, ... quod probat auctoritate, ratione ,, & experimento.

Fatetur quidem morbum ,, contagioſum eſſe ſicut ſcabies, cujus ſpecies eſt; *ſed* li- ,, cet ut plurimum eveniat per viam contagionis, *cenſet* nihilominus aliter poſſe eve- ,, nire, ut utendo malo regimine, ... ſi utantur cibo & potu falſo, acuto aut ama- ,, ro, ut evenit Magiſtro Antonio Marci, Catalano, Artium & Medicinæ Docto- ,, ri,

(*a*) Vide ad illum annum *Collect. Conciliorum* P. *Labbe*.

„ ri;.... Si non utantur balneatione, ut erant ſoliti; ſi non mutent pannos; ſi priventur exercitio aut frictionibus; aut ſi utantur medicinis aut cibis adducentibus „ materiam ad cutim.

Credit *curam pudendagræ compleri diæta & potione*. Circa diætam multa proponit, ſed vulgaria. *Cura vero per potionem, tres indicationes* complectitur: *Primam ad evacuandum phlebotomia & purgatione, præmiſſa humoris peccantis digeſtione: Secundam ad reſolvendum* & exſiccandum ope balneorum & remediorum localium, inter quæ laudat præſertim ſudationem *in furno calido, aut ſaltem in ſtufa: Tertiam denique ad conſumendum reliquias materiæ, ſi quæ remanſerunt in cute*, ope unguentorum, quorum varia proponit genera ex detergentibus, mundificantibus, exſiccantibus, addito etiam in nonnullis Mercurio ſaliva humana extincto, ſed ad minimam doſim.

II. Sequuntur in eodem libro, ex ordine temporis, *Conſilia quinque Medica*, ſeu potius Hiſtoriæ ægrotantium quinque, quos Auctor *a menſe Septembris uſque ad menſem Octobris incluſive præſentis anni* MCCCCLXXXXVII. *ab hac crudeli ægritudine ad priſtinam ſanitatem perfectiſſime reduxit juſſu Rev. Dom. ſui Cardinalis Valentini, quem Deus* inquit, *protegat, viſitet atque defendat*.

Æger I. Morbum contraxerat, quia „ de menſe Auguſti anni 1497. rem habuerat „ cum muliere habente pudendagram. Illi aderat initio ulcus in virga cum quadam „ duritie longa tendente verſus inguina ad modum radii, cum ſorditie & virulentia. „ Poſt ſex dies ulcere ſemicurato arreptus fuit ab intenſiſſimis doloribus capitis, colli, ſpatularum, brachiorum, tibiarum & coſtarum. Elapſis poſtea 10. diebus ap„ paruerunt multæ puſtulæ in capite, facie & collo.

Alter æger, ſi Torrellæ fides ſit, ſed credat Judæus Apella, ex *immoderatis laboribus* per menſem Auguſtum anni 1497. & pravo regimine infectus fuit *pudendagræ ſanguinea cum ulcuſculis in virga, maculis latis, rubeis, ſive puſtulis in univerſo corpore, quæ cortices inſtar furfuris emiſerunt, ac demum doloribus intenſis capitis, colli & ſpatularum*.

Tertius *per viam contagionis fuit infectus pudendagra phlegmatica cum puſtulis groſſis, cruſtoſis, ex quibus exibat ſordities groſſa, alba, ad fuſcedinem tendens, cum doloribus*. Curandum illum habuit menſe Octobre anni 1497.

Quartus *infectus erat pudendagra ab anno uno, & ut ipſe retulit Torrellæ, evenit ei dormiendo in eodem lecto cum fratre ſuo infecto*. Aderant initio dolores, & deinde *puſtulæ groſſæ, cruſtoſæ, cineritiæ*, quibus evaneſcentibus redire dolores cum ulceribus in tibia. Curatus fuit anno eodem 1497.

Quintus morbum concepit ſponte juxta Torrellam ex parva ſanguinis diatheſi. *Fuit autem arreptus pudendagra cum puſtulis ac intenſiſſimis doloribus brachiorum, ſpatularum, colli, pedum ac manuum, & præcipue in in partibus anterioribus tibiarum, ubi oſſa quaſi a carnibus ſunt denudata*.

Præmiſſis alterantibus, digerentibus, purgantibus, ſtufarum uſu, unde affatim ſudaverunt, & inunctione ulcuſculorum & puſtularum cum unguento detergente, omnes dicuntur perfecte convaluiſſe.

Biblioth. Mazarin. Nuper in manus venit altera ejuſdem Libri Editio *in* 4. literis gothicis, paginarum 44. in qua nec annus impreſſionis, nec typographi nomen indicatur, ſed quæ dicitur *impreſſa Romæ*. Nuncupatur hæc editio ab ipſo Torrella *Reverendo in Chriſto Patri & Dom. Dom. Ludovico de Borbonio, Epiſcopo digniſſimo Abrincenſi*, hoc eſt, Ludovico de Borbonio, filio ſpurio Johannis II. de Borbonio, Comitis Vindocinenſis, „ propter „ cujus preces, quæ ſibi præcepta fuerunt, *Auctor ait* ſe decreviſſe iterum hunc par„ vum Tractatum impreſſoribus tradere; & eo maxime cum videat hunc ſæviſſimum, „ peſtiferum ac contagioſum morbum undique ab imperitis mendoſa cura, & palliati„ va, ac irregulari curari, qui in deteriores lapſus infirmos cadere faciunt.... Deus „ ſit mihi teſtis, *pergit Ille*, quanta incommoda ac ſæva accidentia ex inunctionibus „ iſtorum Empiricorum ſequi vidi, & quot dies ſuos clauſerunt prætereo..... Legant „ igitur, *ſubjungit Idem*, Medici & Chirurgici hunc Tractatum, quibus ægritudi„ nes curare facultas datur. Ceteris vero imperitis & deceptoribus, ne amplius hos „ falſe curent, a Protomedicis prohibeatur.„

Biblioth. Regia & Mazarin. Liber poſterior Torrellæ ſequentem præfert titulum.

Dialogus de Dolore, cum Tractatu de Ulceribus in pudendagra evenire ſolitis.

Et in fine adjicitur, *Finit libellus comprehendens veram & completam curam*

Pu-

Pudendagræ, *editus a Magiſtro Gaſpare Torrella*, *Epiſcopo Sanctę Juſtę*, *natione Valentino*, *qui fuit completus Romę die ultima Octobris*, per Johannem Beſicken & Martinum de Amſterdam, *ſedente Alexandro ſexto*, *Pontifice maximo*.

1. Prior hujus Libri Tractatus, qui inſcribitur *De dolore in pudendagra evenire ſolito*, ſcriptus fuit *anno 1499 in oppido Bleſenſi* in Gallia, ut legitur in proœmio, ubi Auctor cum Cæſare de Borgia, *qui Curiam Chriſtianiſſimi Ludovici Francorum Regis ſequebatur*, *moram traxit per totam quadrageſimam propter aliquam aeris peſtiferi ſuſpicionem*. Non mirum igitur, ſi in illo Tractatu laudet Torrella *Tractatum de Pudendagra a ſe compoſitum ſuperioribus annis*, *quando Romæ erat*, Cæſaremque de Borgia, ad quem ſcribit, non Cardinalem dicat ut in priore, quippe qui dignitate illa ſe jam abdicaverat, ſed *Sanctæ Romanę Eccleſię Gonfaronarium ac generalem Capitaneum & Ducem Valentinę*. Siquidem Cæſar de Borgia illo Ducatu a Ludovico XII. Francorum Rege, donatus fuit anno 1498. Gonfalonerius vero & Capitaneus generalis Sanctæ Eccleſiæ Romanæ ab Alexandro VI. patre ſuo renunciatus eſt die 29 Martii anno 1500. ut liquet *ex Diario Alexandri VI. a Burchardo ſcripto & a G.G. Leibnitio edito*. Unde colligere eſt Librum hunc Torrellæ, etſi Bleſis ſcriptus fuerit anno 1499. publici juris factum non fuiſſe niſi anno 1500.

In Epiſtola nuncupatoria fœde putideque adulatur Cæſarem Borgiam hominum ſceleratiſſimum, quem tamen aperte laudat; ceu „ unum qui ſæculum exornet ſuum, „ unum inter Principes doctum & literarum cultorem, unum literatiſſimum, unum „ in armis peritiſſimum, unum qui domi bellique magnus ævo illo videri poſſit, unum „ qui Eccleſiæ libertatem & auctoritatem diludicet & augeat, a quo juſtitia Bruti, „ conſtantia Mutii, continentia Scipionis, fidelitas Marci Reguli, ac magnanimitas „ Pauli Æmilii ſuperetur.

Inter adulatoria mendacia videretur quoque referenda nomenclatio Cæſari Borgiæ adſcripta, quem *de Francia* dicit. Sed conſtat (*a*) a Ludovico XII. Cæſarem de Borgia, ejuſque poſteros omnes authentico diplomate dato menſe Maio anni 1499. in nomen ac ſcutariam teſſeram Franciæ (*au nom & armes de France*) adoptatos fuiſſe Inde eſt quod teſte eodem Burchardo, hoc *Francię* nomen & Alexander VI. Cæſari de Borgia tribuerit, dum eum Gonfalonerium creavit; & Cæſar ipſe de Borgia ſibi arrogaverit. Sed iis miſſis, quæ ſunt alieni inſtituti, ad ea redeamus, quæ de lue venenerea afferuntur & quæ ſunt noſtri.

Itaque in hoc Libello, in quo duo introducuntur Collocutores, *Vulgus*, quod de pudendagra multa quærit, & *Medicus*, qui Vulgi quæſtionibus reſpondet, legere eſt.

„ 1°. Gallis manu forti Italiam ingredientibus, & maxime Regno Parthenopæo occupato, & ibi commorantibus, hunc morbum detectum fuiſſe: Idcirco ab Italis „ *Morbum Gallicum* cognominatum eſſe imaginantibus ipſum Gallis connaturalem eſ- „ ſe: In Gallia vero, quia in reverſione Regis Caroli cum ſuis in Galliam hic mor- „ bus apparere incepit, credentes Gallos eum ex Neapoli apportaſſe, hanc ob cauſam „ *Morbum Neapolitanum* vocaviſſe.

2°. Gaſparem Torrellam „ infinitos curaviſſe, & curari feciſſe; & intelligo, *ait* „ *Ille*, per curare eos, reduxiſſe ad ſalutem, non ſicut ille, qui multos curavit, ſi- „ cut dixit Galenus, de quorum numero nullus evaſit.

3°. Aſtrologis non fidendum eſſe. „ Quid, *inquit*, Baronibus regni Neapolitani ac- „ cidit tempore Innocentii, qui rebellarunt ſe contra Regem Ferdinandum cum ma- „ turo conſilio Aſtrologorum certa die & hora, qui poſt pauca tempora ab ipſo Re- „ ge capti, & trucidati ſunt. Sed quid opus eſt, *pergit Ille*, vetera recenſere? con- „ ſpice noſtris temporibus Ludovicum Sfortiam, Ducem Mediolani „ (qui a Gallis „ Novarræ captus fuerat, die 10. Martis Aprilis, hoc ipſo anno 1500. quo ſcribebat Torrella) „ ejuſque fratrem Cardinalem Aſcanium „ (qui & ipſe intra paucos a capto fratre dies a Venetis comprehenſus & Ludovico XII. Gallorum Regi traditus fuerat) „ qui omnia conſilio a peritiſſimis Aſtrologis explorato agebant. „

4°. Morbum Gallicum extirpari poſſe cum auxilio Omnipotentis Dei, & glorio- „ ſiſſimæ Virginis Mariæ Matris ſuæ ſi Præſidentes, ut ſummus Pontifex, Impera- „ tor, Reges atque alii Domini ordinent matronas inquiſitores hujus morbi, & perqui-

(*a*) Hiſtoire Genealogique des Grands Officiers de la Couronne, par le Pere Simplicien. *Tome V. Duché de Valnetinois*.

„ quirant in primis publicas mulieres, & ſi eas infectas invenerint, relegent ad lo-
„ cum a Communitate ſeu a Domino deſtinatum, ibique curentur a Medico ſeu Chi-
„ rurgico deputato & ſalariato, & hoc pacto infallibiliter exſtirpabitur morbus iſte
„ non ſolum horrendus, ſed etiam contagioſus.

5°. „ Literarum ignaros, deceptores ac truſatores, ſuis temporibus uſos eſſe.....
„ pernicioſis unguentis, cum quibus maximam auri copiam devorarunt. Prætermi-
„ to, *inquit*, interitos, cruciatos, & ſecundum aliqua ſeu plura membra, quandiu
„ vixerint, læſos, verſus quos Protomedici nullam faciunt inquiſitionem. Profecto impie
„ agunt, ſed his cum ſua craſſa ignorantia dimiſſis, dico, quod primi in curatione
„ Pudendagræ uſi ſunt *unguento Saracenico*, poſito a Guidone Chirurgico; in *Capitu-*
„ *lo de ſcabie*, in quo non pauca quantitas argenti vivi ponitur, ubi dicit quia *ar-*
„ *gentum vivum nocet membris principalibus, dentibus & gingivis; operatio iſtius un-*
„ *guenti eſt educere ſuperfluitates per os bavando, & per ſubaſcellas reſudando*, ex
„ quo ſufficit, ut extrema inungantur ad ſolem aut circa ignem. Si meditaris opera-
„ tionem ejus, manifeſte malignitatem comperies, cujus recepta talis eſt.

„ ℞. Euphorbi, Lithargyrii *ana lib.* ß.
„ Staphyſagriæ *quartum* ß.
„ Argenti vivi *quartum* j.
„ Axungiæ veteris porci *lib.* j.
„ Incorporentur in mortario. & f. *Unguentum*.

„ Alii vero ſecrete in domibus ſuis aut in hoſpitiis hoc unguentum faciebant, quo
„ utebantur promittentes mirabilia facere, cujus recepta talis eſt:

„ ℞. Thuris, Maſtiches, *ana* ℥ ij. ß.
„ Ceruſſæ *lib.* j ß.
„ Lithargyrii ℥ ij.
„ Argenti vivi ℥ jv.
„ Axungiæ porcinæ *lib.* j ß.
„ Olei roſati ℥ jv.
„ M. f. *Unguentum*, ex quo totum corpus ungebant actu calido novem die-
„ bus continuis:

„ Alii vero emunctoria tantum ungebant cum hoc unguento, mirabilia polli-
„ centes.

„ ℞. Cineris vitis *lib.* ß.
„ Axungiæ porcinæ *lib.* ij. ß.
„ Argenti vivi cum ſaliva hominis jejuni extincti *lib.* jv.
„ M. & cum ſucco Arantii. f. *Unguentum*.

„ Alii vero ex terebenthina de Pino, Maſtiche, Ceruſa, Thure, Argento vivo ex-
„ tincto cum ſaliva humana, Axungia porcina ſine ſale, oleo roſato & Pice græca
„ unguentum conficiebant, cum quo infinitos interemerunt; ſicut præcedentes. Su-
„ pradicta unguenta tanquam a peſte fugienda ſunt, & contra Practicantes inſurgant,
„ ſi velint, Protomedici, aut ipſa natura humana clamabit: *Interficiuntur homines*,
„ *non moriuntur*; qui ſi non in hoc ſeculo, in alio tamen reddent rationem, & ſub-
„ mergentur in puteo pœnitentiæ.

6°. Affirmat ea cura mercuriali extinctos eſſe *Alfonſum de Borgia*, qui Alexandri VI. ex fratre Petro Ludovico nepos erat, *& ejus* (Alfonſi) *fratrem*, Johannem ſcilicet de Borgia, ut mihi quidem videtur, Archiepiſcopum Montis Regalis in Sicilia, ad Cardinalis dignitatem evectum ab Alexandro VI. anno 1492. quem conſtat (*a*) inter primos lue venerea occubuiſſe; præſagitque Cardinalem ipſum Segobricenſem, qui *unguento iſtiuſmodi curatus credebatur*, *non diu victurum eſſe*, *quia maraſmatus eſt*. Et ſane recte de illo augurabatur Torrella: Nam Cardinalis ille Segobricenſis, Bartholomæus ſcilicet Martinus, Valentinus apud Hiſpanos, Magiſter domus Papæ, Epiſcopus Segobricenſis, qui Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Agathæ in Suburra creatus fuerat ab Alexandro VI. anno 1496. unde Cardinalis Segobricenſis dicebatur, fato functus eſt 8. Kalendas Februarii, anno 1500. hoc eſt 1501. ſi novæ computationis ratio habeatur, juxta quam anni principium a prima die Januarii exordiri ſolemne eſt.

Porro notandum cenſeo Torrellam, qui a Mercurialibus ita abhorret in hoc Dialogo,

(*a*) Vie d'Alexandre VI. & de Ceſar de Borgia. Par Alexandre Gordon *pag.* 34.

go, in priore Tractatu pauculam Mercurii doſim cum unguentis ad ulcera miſcuiſſe, ſed forſan infortuniis quæ imprudenti Mercurialium uſu eveniſſe viderat, ab ea methodo deterritus eſt.

II. Tractatus alter poſterioris Libri, qui inſcribitur *De aliquibus ulceribus in Pudendagra evenire ſolitis*, multa continet de natura & cauſis ulcerum, ſed ex Arabum doctrina deprompta, ut ea ferebant tempora. Quod ad eorum curam attinet, ſuadet uſum multiplicem detergentium, mundificantium, incarnantium, conſolidantium &c. ſed cum quibus in iſto, ſicut in præcedente Tractatu, ne guttam quidem Mercurii admixtam reperire eſt.

Haud videtur ſilentio prætermittenda medicina, quam ad ulcera virgæ proponit. „ „ Infectus, *inquit* & ulceratus in virga, quanto citius poterit, faciat ſibi ſugi locum ulceratum ab aliqua vili perſona, exterius ſemper exprimendo, aut parumper „ ſcarificetur, aut deſuper apponatur parum de ſapone molli cum calce, aut gallus „ ſive columbus in culo deplumatus & excoriatus, ſic vivus loco ulcerato ſæpius apponatur, aut apponatur rana per medium inciſa. „

Porro Lectorem monitum velim me ad prædicta excerpenda antiquis Operum Gaſparis Torrellæ editionibus uſum eſſe, quæ Romæ prodiere apud Petrum de Laturre & Johannem Beſicken & Martinum de Amſterdam: Multa enim addita, omiſſa, interpolata ſunt in Collectione Veneta Aloyſii Luiſini.

Natalis Montesaurus, Veronenſis, impugnavit Opuſculum Nicolai Leoniceni *de Morbo Gallico*, Libello quem inſcripſit. 1498

De Epidemia, quam vulgares Mal Franzoſo *appellant*, & quem in *Capitula* ſex diſtribuit.

I. In eo contendit (*a*) Morbum Gallicum novum non eſſe, ſed a Medicis olim deſcriptum ſub nomine *Bothor*, *Aſaphati*, & *Tuſii*, hoc eſt, Tumorum, Tineæ, & Furfurum ſive Porriginis, quod, licet ex ſe abſurdum ſit, multis tamen conatur confirmare, Leonicenum dure caſtigando quod aliter ſenſerit.

II. Ipſe tamen confitetur (*b*) *malas*, ut loquitur, *diſpoſitiones anni* 1496. *& pro parte anni* 1497. *in quibus intenſa caliditas tempeſtati pluvioſæ ſucceſſit, alias putredines in corporibus humanis cauſaviſſe his temporibus.... & ideo alias puſtularum ſpecies; & forte*, ſubjungit Ille, *quod hæc diſpoſitio provenit ab influentia ſtellarum, quæ ſunt cauſæ quæ ad Medicum non attinent: Dicunt enim Aſtrologi, quod cauſa harum puſtularum eſt conjunctio Saturni cum Capite Arietis.*

III. Dicit (*c*) *quod in cura tres principales indicationes habendæ ſint, prima eſt humorum, qualeſcunque fuerint, evacuatio; ſecunda eſt debitum regimen in ſex rebus nonnaturalibus; tertia eſt debitus localium uſus.* Liquet abunde quibuſnam remediis prioribus indicationibus ſatisfieri poſſe putet juxta methodum therapeuticam illius ſæculi. Quod ad tertiam vero attinet, in uſum advocat unguenta ex detergentibus, mundificantibus, exſiccantibus &c. ſed cum quibus ne gutta quidem Mercurii admixta ſit.

Libellus ille Monteſauri edi debuit anno 1497. vel ut tardiſſime principio anni 1498. cum certum ſit Opus Antonii Scanaroli, quo impugnatur, ipſo anno 1498. typis excuſſum fuiſſe.

Antonius Scanarolus, Mutinenſis, Diſcipulus Leoniceni, magiſtri ſui ſententiam de morbo Gallico a Natali Monteſauro impugnatam defendendam ſuſcepit Diſſertatione, quæ (*d*) prodiit Bononiæ anno 1498. *in* 4°. cum hac Inſcriptione. 1498

Diſputatio utilis de Morbo Gallico, & opinionis Nicolai Leoniceni confirmatio contra adverſarium Natalem Monteſaurum, Veronenſem, eamdem opinionem oppugnantem. Ad cujus calcem ſic legitur, *Explicit Diſputatio utilis de morbo Gallico. Impreſſum Bononię die vero* XXV. Martii. MCCCCLXXXXVIII.

Diſſertationi præmittitur *Præfatio ad excellentiſſimum Medicum Neſtorem Morandum, Bononienſem*. Diſſertatio ipſa, quæ perbrevis, una ſerie ſcripta eſt, nec in capita, articuloſve diſtincta. In illa Scanarolus criticas Leoniceni animadverſiones in quoſdam Avicennæ errores, quos Monteſaurus a ſe purgatos arbitrabatur, acriter propugnat. Ceterum de morbo Gallico, quæ a Leoniceno jam dicta erant, eadem repetit, multiſque

(*a*) *Capitulo* 3.
(*b*) *Capitulo* 4.
(*c*) *Capitulo* 6.
(*d*) Cornelius a Beughem *Incunabula Tipographyæ*.

tiſque probat morbum Gallicum & ab *Aſaphati* ſive Tinea, & a Lepra, & a ceteris morbis ante cognitis omnino diſcrepare, & affectum eſſe vere novum, epidemicum & inductum *nimia aeris intemperie in caliditate & humiditate*. Ceterum de curatione ſilet.

1498 Franciscus de Villalobos, Toletanus, (*a*) Medici munere functus eſt in aula Imperatoris Caroli V. & Philippi Hiſpaniarum Principis, unde colligitur illum floruiſſe initio ſæculi xvi.

Tratado de la Enfermedad de las Bubas Salmanticæ, 1498. *in fol.*

Thomas Tamaius (*b*) qui regio munere Cronographi Indiarum functus eſt, affirmat librum hunc revera ſcriptum fuiſſe, & anno ac loco, de quibus mox, in lucem prodiiſſe; quæ ſi vera ſint, evincunt Franciſcum illum de Villalobos inter antiquos Scriptores de morbis venereis referendum eſſe, ac certiſſime omnium Hiſpanorum antiquiſſimum fuiſſe.

Ab eodem Franciſco de Villalobos opinor ſcriptum quoque fuiſſe Tractatum ſequentem, qui in Bibliotheca Bodleyana recenſetur.

Gloſſa in Plinii Hiſtoriæ Naturalis primum & ſecundum Libros,
Compluti, 1524. *in* folio.

certe conveniunt Auctoris tum nomen, tum ætas.

1498 Simon Pistor, Pistoris, vel Pistorius, (*c*) *natus in celebri familia oppidi Li-*
1500 *pſici & unus ex ſummis ejus ætatis Medicis*, (*d*) Facultatis Medicæ Decanus in Aca-
1501 demia Lipſienſi, ſcripſit *De Morbo Gallico* Opuſcula aliquot, ſigillatim recenſenda.

Biblioth. Mazarin. I. *Poſitio de Malo Franco*. Lipſiæ, *apud Marcum Brandt*,
1498. *in* 4°.

Ne Lectorem celare viderer, qu'd Medici naſcentis luis venereæ æquales de morbi natura ſenſerint initio, operæ pretium viſum eſt paulo copioſius hactenus explicare antiquiſſimos Tractatus, qui de ea lue olim editi ſunt; placetque ideo nunc *Poſitionem* ſeu Theſim, cujus mentio eſt, integram exſcribere, cum brevis ſit, & raro obvia.

Quæſtio. ,, Utrum morbus jam currens, *Malum Francum* appellatus, non proprie ,, *male morigeratum* (*hoc eſt* κακοήθες) dictus, ex mutatione aeris in qualitatibus manifeſtis, puta calido & humido, aut occulta in aere proprietate ſit cauſatus?

Concluſio prima. ,, Nec veteres, nec juniores Medici ſub aliis capitulis morbum ,, Gallicum poſuerunt, quam quod eum *Puſtulas*, *Anthemata* aut **Alchumera* epidemia- ,, lia nuncupaverunt.

* Variolas.

Corollarium I. Cum male morigeratum (κακοήθες) in humoribus, febribus & aliis dicatur, improprie Malum Francum eo nomine appellatur.

Corollarium II. Qui ſimpliciter Malum Francum *Elephantiaſin*, ** Saphati; *** Alhumera, aut Puſtulas dicunt, male de morbis talibus epidemialibus ſentiunt.

** Tineam.
*** Variolas.

Concluſio ſecunda. ,, Inter multos morbos ex mutatione aeris in qualitatibus cauſa- ,, tos, ab Hippocrate *tert. partic. Aphoriſmorum* (*Aphor.* 21. & 22.) poſitos, præ- ,, ſens male numeratur, quamvis Lepræ plus quam alii morbo indiſpoſitione & ma- ,, teria, quæ ſolum eſt atra bilis & nunquam pituita, aſſimilatur.

Corollarium I. ,, Etſi qualitas manifeſta aliquid in talium morborum generatio- ,, ne operatur, non tamen cauſa ſufficiens eorumdem aſſignatur.

Corollarium II. ,, Quamquam morbi ex mutatione aeris in qualitatibus, epide- ,, miales dicuntur, non tamen ex hoc recte peſtiferi nuncupantur.

Concluſio tertia. ,, Morbus jam currens, & ceteri peſtiferi, ex formis cæli cauſa- ,, ti, non immediate ex univerſali cauſa & cæleſti, ſine particulari & terreſtri, ſunt ,, generati.

Corollarium I. ,, Si cauſa univerſalis cæleſtis ſufficeret ad talium morborum ge- ,, nerationem, in omnibus locis, ſimul & æqualiter, uno tempore videremus ope- ,, rationem.

Corollarium II. ,, Malum Francum non ex aeris in caliditate & humiditate mu- ,, tatione ſolum procedit, ſed ex quadam in aere occulta proprietate homines ,, lædit.

Con-

(*a*) Nicolaus Antonio, in *Biblioth. Hiſpana*.
(*b*) Vide Nicolaum Antonio, *ib.* (*c*) Melchior Adamus, in *Vitis Germanorum Medicorum*.
(*d*) Ex Programmate quo *Rector Academiæ Lipſienſis Concionem funebrem Polycarpo Gottlieb. Schachero indicebat habendam die* 11. *Martii* MDCCXXXVII.

Concluſio impertinens, „ (hoc eſt, *ad argumentum non pertinens*.) Licet Aſtrono-
„ mia pars Medicinæ non dicatur, multum tamen Medico utilis, imo neceſſaria, ut
„ (*a*) Conciliator refert, comprobatur.

Corollarium finale. „ Medici poſſunt ex ægritudinibus ventura prognoſticare;
„ ſimiliter Aſtrologus ex aſtris futura prædicare.

Concluſio finalis. „ Morbus jam currens, *Malum Francum* appellatus, non proprie
„ *male morigeratum* dictus, non ex mutatione aeris in qualitatibus manifeſtis, puta
„ calido & humido, ſed ex occulta in aere proprietate eſt cauſatus.

II. *Declaratio defenſiva cujuſdam Poſitionis de* Malo Franco *nuper per Doctorem Simonem Piſtoris diſputata*. Lipſiæ, *apud Marcum Brandt*, 1500. *in* 4.

Cum Piſtorius „ (*b*) concluſiones & corollaria, *de quibus modo*, ex ritu ſcholaſti-
„ ci certaminis, in auditorio publico florentis ſtudii Lipſienſis, diſputative ſuſtineret,
„ *Martinus Pollichius* impatientiſſime opponebat ..... ac invehendi & turbandi, quam
„ docendi gratia magis adeſſe videbatur. „ Hujus argumentis conatur ſatisfacere Piſtorius in Diatriba illa, in qua cave quæras quidquam præter cavillationes multas, tricaſque logicas ex ariſtotelica doctrina petitas, qualis vigebat tunc temporis in Academiis.

III. *Confutatio conflatorum circa Poſitionem quamdam extraneam & puerilem Doctoris Martini Mellerſtad* de Malo Franco, *nuper ventilatam in Gymnaſio Lipſienſi*. Lipſiæ: *apud Marcum Brandt*, 1501. *in* 4°.

In hac Diſſertatione Piſtorius confutat *Reſponſionem* Martini Pollichii, Mellerſtadienſis, *in ſuperadditos errores Simonis Piſtorii de Malo Franco*, quæ Lipſiæ prodierat anno 1501. Lucubratio illa, ut & ceteræ quæ præceſſerant, jejuna, vitilitigationis plena, & logico potius quam medico digna; nec ſane mirum. Vix enim poterat anno 1498. hoc eſt, quarto anno poſt luis venereæ ingreſſum, quidquam accuratius expectari a Medico Germano, qui videtur non in Saxonia, ubi morbus ille nondum ſatis pervulgatus erat, ſed in Italia hujus notitiam hauſiſſe, quo ſolemne fuit Germanis Medicis per id tempus confluere ſtudiorum cauſa.

Melchiorem Adamum, *in vitis Germanorum Medicorum*, non latuit controverſia, quæ inter Piſtorium & Pollichium olim acrius agitata eſt. *Narrat enim* ortam eſſe *in*
„ *Lipſienſi Academia* ſub annum milleſimum quadringenteſimum nonageſimum quin-
„ tum (*octavum*) diſputationem de *Morbo Gallico*, qui recens illis temporibus ex
„ Africa (*America*) in Europam propagatus fuerat, eſſetne ἐπιδήμιος. an ἐνδήμιος, per-
„ magnam diſſenſionem inter *Martinum* Pollichium, *Mellerſtadium*, *de quo infra ad*
„ *annum* 1501. & Collegas exſtitiſſe, in quibus eminuit Simon Piſtorius, natus in ce-
„ lebri familia oppidi Lipſici, unus & ipſe ex ſummis ejus ætatis Medicis; hincque
„ factum fuiſſe ut Piſtorius ad Electorem Brandeburgenſem, in vicinam Marchiam,
„ Pollichius autem in aulam Friderici III. Saxoniæ Ducis, Septemviri, evocaretur.

SEBASTIANUS AQUILANUS. Ignoratur hujus Medici nomen, ut & Leoniceni, de 1498.
quo ſupra *ad annum* 1497. Vox enim *Aquilanus* illius patriam deſignat, quippe oriundus erat ex *Aquila*, Civitate regni Neapolitani, ab Amiterni ruderibus haud longe diſſita quæ Aprutii ulterioris caput eſt, ſedeſque Epiſcopalis ſub Metropoli Romana. Dicitur (*c*) Aquilanus medicinam publice docuiſſe in Academia Patavina, mortem obiiſſe Aquilæ anno MCCCCXLIII. (hoc eſt, ut opinor, MCCCCCXLIII,) atque ibi ſepultum jacere in Eccleſia Sancti Maximi.

Scripſit Sebaſtianus ad Ludovicum de Gonzaga, Epiſcopum Mantuanum, Epiſtolam, publici juris factam cum hac Inſcriptione,

Ad Excellentiſſimum Dominum Dominum Ludovicum de Gonzaga, Marchionem &c. Mantuæ Epiſcopum, Sebaſtiani Aquilani interpretatio Morbi Gallici & cura.

in qua ait ſe referre, *quæ elapſis diebus de ægritudine*, *quam* Morbum Gallicum *vocant*, *apud Principes ſuos diſputata erant*: quibus videtur ſubindicare diſputationem Ferrariæ habitam, de qua plura vide in articulo *De Leoniceno*. Sane conſtat Ludovicum Gonzagam, qui Ludovici Mantuæ Marchionis quartogenitus erat, ſedem Mantuanam tenuiſſe ab anno 1483. ad annum uſque 1511. quo fato functus eſt. Potuit ergo

(*a*) Petrus de Apono, *Conciliator* dictus.
(*b*) Piſtor in *Proloquio Declarationis*.
(*c*) Nicolaus Toppius in *Biblioth. Neapolitana*.

ergo ea Epiſtola ad illum facile ſcribi anno 1498. ut vel inde colligi poſſe videtur, quod Sebaſtianus neminem laudet, laudetur vero ipſe a Jacobo Cataneo de Lacu Marcino una cum Leoniceno & Torrella, hoc eſt, cum primis & antiquiſſimis Scriptoribus de lue venerea.

Conſtat eam Aquilani Epiſtolam non modo editam fuiſſe anno 1517. Bononiæ in 8. apud Benedictum Hectorem cum Marco Gattinaria, *De Curis ægritudinum particularium*; Gentili de Fulgineo, Blaſio Aſtario, & Cæſare Landulpho; ſed Lugduni typis prius excuſam fuiſſe anno 1506. apud Bevelaque, *in* 4. una cum Marco Gattinaria, Blaſio Aſtario & Cæſare Landulpho, ut videre eſt apud Mercklinum in verbo *Marcus Gattinaria*.

In ea Epiſtola *declaratur primo*, *quo nomine debeat appellari hæc ægritudo*, *& quod in Galeni Operibus memoria habeatur*, in cujus opinionis confirmationem loca non pauca e Galeno adducit *De Elephantiaſi*; ut hanc cum Morbo Gallico eamdem eſſe conetur aſtruere. Statuit *ibidem ſubjectivam* hujus morbi *cauſam*, ſive ſedem eſſe in cute. *Vidimus* (*a*) inquit, *in anatomia puſtulas iſtas* (gallicas) *vix penetrare cutim*; *plurimas vero in ipſa ſuperficie*.

Secundo vero inquirit, *an talis morbus ſit unus vel plures?* Et unum eſſe, nempe elephantiaſim ſolam Auctor pronunciat.

Tertio venit in rationalem curam, quæ juxta eum perficitur *Diæta*, *Pharmacia & Chirurgia*: *Diæta*, qua præſcribitur rectus uſus rerum nonnaturalium : *Pharmacia*, quæ varia ſuppeditat remedia, purgantia, digerentia, alterantia, inter quæ plurimum laudat vinum viperarum; Demum *Chirurgia*, ope ſcilicet phlebotomiæ, & unguenti, quo ulcera & puſtulæ illinuntur.

Id unum notatu dignum videtur, quod in compoſitione unguenti Mercurium admittat ad partem decimam quintam. At vero ſequentia immediate ſubdit. „ Ab hac „ (*b*) tamen unctione caveant, qui ſunt debilis complexionis; etenim potius ſophi- „ ſtica invenitur, quam vera: Nam vidi fere omnes recidiviſſe ut prius. Sed ſi quis „ hoc pati poteſt, curatur.

1498 JACOBUS ROMERUS. Scribit (*c*) Georgius Hieronymus Velſchius a Jacobo illo Romero, cujus manuſcriptos libros ipſe poſſidebat, memorari ſequentia remedia con- „ tra *morbum puſtularum*, hoc eſt, contra *luem veneream*, ab Epiſcopo Trevirenſi ad „ Regem Romanorum anno 1498 tranſmiſſa, nempe.

„ Purgans ex Caſſia & Diapruno ſolutivo cum Rhabarbaro, infuſis in aqua fu- „ mariæ.

„ Collutionem oris ex melle roſato cum alumine, aqua plantaginis & roſarum.

„ Balneum ex decocto fumariæ, Betonicæ, Chamæmeli, Origani, Rutæ, Serpyl- „ li, a cujus uſu ſpiritus vini aluminatus toti corpori illinebatur.

„ Unguentum ex reſina alba, oleo communi, ceruſa, thure, maſtiche, ſucco la- „ pathi, & caphura per quinquiduum obſervata diæta applicandum: Et ſyrupum fu- „ mariæ cum acqua intybi ac borraginis aliquandiu bibendum.

„ Veſtigiis autem ulcerum oleum ceruſſatum, ſive unguentum nutritum, aquamque „ ad artus ex tuthia præparata, caphura cum vino malvatico chalybeato ſoluta & in- „ ſolata. *Unguentum item* ex lithargyro argenti crudo, alumine uſto, hydrargyro, thu- „ re albo, maſtiche, terebenthina clarificata, & oleo olivarum.

„ Ac denique confortans ex Theriaca, confectione perlata, cum Diapruno ſimplici, „ aromat. roſat. Citriis conditis, Diarrhod. lapidibus pretioſis, coralliis, margaritis & ſucco cydoniorum mixtis.

Hactenus Velſchius. Hæc autem ideo referre placuit, ut magis inde innoteſceret, qua remediorum farragine lues venerea oppugnaretur in principio. Porro cave credas *Regem* illum *Romanorum*, ad quem tranſmiſſa dicitur methodus illa curatoria anno 1498. alium eſſe a Maximiliano I. Conſtat enim illum, quanquam imperio potiretur pleno jure jam ab anno 1493. ex quo defuncto Patri Frederico III. ſucceſſerat, non alia quam *Regis Romanorum* appellatione uſum eſſe per annos quindecim, quia Coronam Imperialem nondum acceperat, donec tandem anno 1508. profectus Romam coronationis cauſa Tridenti, ubi ſubſiſtere coactus fuit, a Venetis tranſire prohibitus, Im-

(*a*) *Capitulo* I.
(*b*) *Cap.* 3.
(*c*) Sylloge Curat. & Obſervat. medicinal. In not. *ad Obſer.* IV. *Marcelli Cumani pag. m.* 74.

Imperatoris nomen ſibi primum aſſumpſit, quamvis non coronatus, ſed approbante Julio II, ſummo Pontifice: Qua de re vide quæ ſupra *ad annum* 1596 dicta ſunt, ubi de Sebaſtiano Brant.

JOHANNES GEPPINGENSIS, hoc eſt, natus Geppingæ, in oppido Ducatus Vvurtembergici, *Chirurgus Frederici III. Imperatoris*, *& Maximiliani I.* illius *filii*, *magni æſtimabat*, ut refert (*a*) Georgius Hieronymus Velſchius, *contra variolas verrucales*, hoc eſt, contra puſtulas venereas duriores, *unctionem ſive aquam ex auripigmento arſenico*, *thure*, *myrrha*, *nitro & ſale ammoniaco cum vino decoctis & colatis paratam*. 1480

Sed cum in hanc unctionem recipiatur auripigmentum, de quo tanquam veneno ſemper diffidendum eſt, multo tutior eſt unctio altera, qua *Uldalricus*, *Johannis* illius *filius* utebatur, (*b*) ut apud eumdem Velſchium legitur, *ex pinguedine porcina*, *thure albo*, *thymiamate*, *maſtiche & hydrargyro extincto*; *decocto hordei enulato in potum adhibito*.

Cave Chirurgum illum *Johannem Geppingenſem*, cum Medico *Johanne Culmano*, *Geppingenſi*, confundas, a quo ætate plurimum differt. Ille enim vivebat ſæculo decimo quinto exeunte; hic vero ſæculo decimo ſexto ad finem jam properante, quippe qui *Johannis Marinelli commentariis in Hipocratem argumenta nova in ſingulos Libros addidit* in editione Veneta anni 1575, & (*c*) literarum commercium cum Conrado Geſnere coluit. Vide *Epiſtolas medicinales Conradi Geſneri Tiguri editas in* 4, *anno* 1577.

BARTHOLOMÆUS MONTAGNANA, Junior, (*d*) Patavinus, Philoſophus ac Medicus, & in Academia Patavina Medicinæ Profeſſor, ſcripſit Conſilium Medicum ad Petrum Zenum, Venetum, *pro Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Epiſcopo*, *& Hungariæ Vicerege*, morbo Gallico laborante, quod primum editum eſt in ſecundo Tomo Collectionis Venetæ Aloyſii Luiſini, *anno* 1567. 1499

I. „ In hoc conſilio docet Auctor circa Theoriam, 1°. Morbum Gallicum eſſe malam diſpoſitionem epidemialem, cum plurimos homines ſimul invadat ex aeris mutatione.

2°. Morbum gallicum „ incipere judicio ſuo in pudendis, propter maximam proportionem currentem inter pudenda & talem morbum, merito influxus cæleſtis, ut dicunt Aſtrologi, ex conjunctione Saturni in capite Arietis cum Scorpione dominante pudibundis.

3°. „ Errare illos, qui dicunt hunc morbum eſſe Aſaphati, cum ex ſententia Serapionis *primo Breviarii*, & Rhaſis, *nono ad Almanſorem*, & in Libro *Diviſionum* ſimiliter ex ſententia Meſuæ & Avenzoar, Aſaphati ſint ægritudo appropriata capiti.

4°. „ Ex his probabiliter concludi poſſe hunc morbum Hippocrati, Galeno, Avicennæ & aliis Medicis antiquis incognitum fuiſſe, & propterea nos ejus nomine proprio carere: Si etenim Avicenna ipſum cognoviſſet, utique aliquod de eo capitulum feciſſet, & ipſum nomine proprio appellaſſet, ſicut in ceteris multis fecit:

5°. „ Neque propter hoc noſtros illuſtres Auctores eſſe de inſufficientia criminandos, quia ſunt aliquæ ægritudines, quæ non accidunt niſi longis temporum intervallis; & forte ſequuntur ſtellarum conjunctiones, quæ non fiunt niſi raro, & in magno temporis decurſu, & forte etiam alias cauſas raro contingentes & cum diuturno annorum intervallo.

6°. „ Sic Galenum, ut refert Avicenna, 3. *quarti*, *Cap. de Vena Medene*, nunquam vidiſſe illam ægritudinem, (*venam Medinenſem*), neque vidiſſe febrem ſeptenam aut novenam, & propterea negare eas dari.

7°. „ Sic eumdem non vidiſſe lapidem egredientem ab inteſtinis, ſicut ipſe recitat (*e*) in *libro de interioribus*; & tamen (*f*) Gentilem vidiſſe eum bis: .... Gentilem vidiſſe quoque lapidem a Stomacho egreſſum per vomitum poſt vehementes ſtomachi dolores, quod a prædeceſſoribus non fuit viſum.

8°. „ Sic ignoraviſſe etiam omnes Medicos, excepto Avenzoar, ægritudinem cauſatam ab animalibus genitis in canna pulmonis, quæ animalia minora ſunt muſcilionibus, quæ cum transferuntur de loco ſuæ originis, reſultat tuſſis ex illorum motu.

9°. „ Ita pariter non videri inconveniens, quod morbus gallicus appareat temporibus

(*a*) Sylloge Curat. & Obſervat. medicinal. In *notis ad Obſervat. IV*, Marcelli Cumani. *pag. m.* 35.
(*b*) Ibidem.
(*c*) Johann. Georgius Schenckius *in Biblioth. Iatrica*.
(*d*) *Ipſe in Conſilio* Urbem Patavinam *vocat* ſuam.
(*e*) Hoc eſt, *Lib. 6. De locis affectis*, *Cap.* 2.
(*f*) In *Expoſitionibus* cum Textu Avicennæ.

„ ribus noſtris, qui tamen temporibus Hippocratis, Galeni & Principis (*Avicennæ*)
„ non fuit.

10°. Inde tamen non ſequi, „ quod nunquam fuerit, imo neceſſe eſſe ipſum alias
„ fuiſſe, ſi mundus eſt æternus, ut voluit Ariſtoteles, 8. *Phiſicorum & 1. Cæli*. Eæ-
„ dem enim revolutiones & ſtellarum conjunctiones, & cauſæ ipſarum productivæ,
„ infinities fuere..... Si vero mundus eſt factus de novo (ut eſt rei veritas) creden-
„ dum eſt etiam talem morbum alias fuiſſe, non tamen tempore illuſtrium Auctorum
„ prædictorum, quorum Opera temporibus noſtris vigent.

II. Circa Therapeiam vero jubet, 1°. Accuratum eſſe *regimen ſex rerum non-naturalium*, quas nominatim perſequitur omnes. Inter cetera vero præſcribit, ut *coitus ſit temperatus, & ineundus celebrata jam prima & ſecunda digeſtione, cum mediatur diſpoſitio in digeſtione tertia*. Egregium ſane conſilium, quod daretur Epiſcopo, & ſi vera conjicio, Epiſcopo jam valde ſeni!

2°. Deinde multis proponit curationem methodicam luis venereæ ex alterantibus, temperantibus & purgantibus variis, ſed ne verbum quidem addit unum de Guaiaco, Sarſa-parilla, China, Hydrargyro, &c. hoc eſt, de præſentiſſimis luis veneræ remediis, & quæ ſemper uſu receptiſſima fuerunt, ſi primos & paucos morbi annos excipias.

Hæc ergo, niſi fallit animus, fidem manifeſtam faciunt Conſilium hocce brevi poſt acceſſum morbi ſcriptum fuiſſe; neque enim puto poſſe quemquam facile induci, ut credat ab Medico, qui tardius, iiſque temporibus ſcripſerit, quibus Guaiaci uſus innotuerat, vel Mercurii efficacia explorata erat, potuiſſe remedia iſtiuſmodi, certa, tuta, efficacia omnino omitti, & illorum loco vana & futilia auxilia ſubſtitui. Qua de re, ſi dubium ullum ſupereſſet, poſſet adducta concluſio multis & egregiis argumentis confirmari, tum quod in hoc conſilio de morbo gallico verba fiant, tanquam de *nupero* affectu; tum quod luis venereæ cauſæ in ſiderum influxus referantur, ut primis morbi naſcentis annis vulgare fuit; tum maxime quod a (*a*) Bernardino Scardeonio & a (*b*) Nicolao Comneno Papadopoli, expreſſe narretur Bartholomæum illum Montagnanam, qui conſilii Auctor eſt, extremum diem obiiſſe Venetiis jam ſenem anno 1525; ex quibus palam eſt conſilium, de quo agitur, in gratiam Georgii Martinuſii ſcriptum non eſſe, ut mihi in priore Operis editione viſum fuit, quippe qui in Monaſterio ſuo prope Budam latebat adhuc obſcurus anno 1526, quo Ludovicus II. Rex Hungariæ, miſerrime interiit, paludis voragine abſorptus, dum malæ pugnæ Mohacenſi ſe ſubduceret, nec prius ad ſummos honores pervenerit, quam anno 1541, poſt mortem Johannis Zapolihæ, Tranſylvaniæ Principis, & Regis Hungariæ, cujus partes ſtrenue foverat, & a quo filii Johannis Stephani tutor inſtitutus fuit.

At vero excluſo Martinuſio, quem in illius vicem ſubſtituas haud promptum eſt reperire, & in ea cogitatione diu ipſe verſatus ſum, ut odorarer pro quo ægroto conſilium Montagnanæ ſcribi potuerit. Mihi quidem venit in mentem Fredericus Caſimirus, filius Caſimiri IV. Regis Poloniarum, & Vuladislai VI. Regis Hungariæ frater, qui Epiſcopus erat Cracovienſis ineunte ſæculo XVI, & quem (*c*) Hiſtorici referunt morbo gallico confectum obiiſſe anno 1503. Sed non diffitendum eſt nimium multa eſſe, quæ conjecturæ repugnant.

1°. Quod Fredericus ille creatus fuerit Cardinalis ab Alexandro VI. anno 1493, atque adeo ante ingreſſum luis venereæ: Conſtet vero illum, cui conſilium ſcribitur, Epiſcopum tantum fuiſſe.

2°. Quod Fredericus ille Hungariæ Prorex nunquam fuiſſe legatur: Conſtet vero Hungariæ *Proregem* illum fuiſſe, de quo in conſilio quæſtio eſt.

3°. Quod æger, cui conſulitur, non iis compelletur titulis in conſilio, quibus compellari decuiſſet Fredericum Caſimirum, S. E. R. Cardinalem, filium Caſimiri Regis Poloniæ, fratremque Vuladislai, Hungariæ Regis, & Johannis Alberti, Regis Poloniæ.

In hac autem obſcuritate ac dubitatione, nullus alter ſuppetit aptior, quam Thomas Bacoczius, qui humili loco natus in oppido Diœceſeos Veſprimienſis, in inferiore Hungaria, *Herdouts* dicto, (*d*) *Bononiæ & Ferrariæ excolendo doctrinis ingenio operam dedit*; unde

(*a*) De antiquitate Urbis Patavii & Claris Patavinis, *Lib.* 2. *Claſſe* 9. *pag. mi* 212. 213.
(*b*) Hiſtoria Gymnaſii Patavini, *Tom. I. pag.* 298.
(*c*) Ciaconius ab Oldoino auctus *in Vitis Pontificum, in Vita Alexandri VI.*
Nicolaus Iſthuanffius, *De rebus Hungaricis*, *Lib* 6.
(*d*) Ciaconius ubi *ſupra*.

unde regreſſus in patriam *tanta polluit auctoritate*, *ut non ſolum* Matthiæ Corvini, *Regis Hungariæ Cancellarius*, *& nobilium Civitatum Epiſcopus*, *Javarinenſis primo*, *deinde* Agrienſis, & demum *Archiepiſcopus Strigonienſis*, & quod ad rem proprius facit; *tandem totius regni Arbiter fuerit*.

Suppudet me certe Viro celebri, Epiſcopo, Cardinali, contractæ luis venereæ notam inurere, tanto quidem magis quod ad id ſuſpicandum conjectura ſolum ducor, cum Hiſtorici ſileant. Sed tot veriſimilia concurrunt, ut aſſenſum retinere difficile ſit. Quod ſi conjectura iniquior videatur, judicii temeritatem poſſunt elevare tum mores ſæculi, quo Bacoczius vixit, qui erant perditiſſimi, tum mores Bacoczii ipſius, qui depravationis aulæ, ubi diu verſatus eſt non fuit ſatis immunis.

Reſtat, ut expiſcemur quo tempore vitæ Bacoczii conſilium, de quo agitur, ſcriptum ſit. Deſiit ille vivere anno 1521, jam ſenex: ſed conſilium multo prius ſcribi debuit. & antequam ad cardinalitiam dignitatem eveheretur, cum ſcriptum dicatur *pro Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Epiſcopo & Hungariæ Vicerege*, neque veriſimile ſit honorificam Cardinalis appellationem ab Auctore omiſſam fuiſſe, ſi ad ægrum, cui conſilium ſcribebatur, pertinuiſſet. Conſtat autem Hiſtoricorum teſtimonio Thomam Bacoczium (*a*) *in Senatum Cardinalium*, *Vuladiſlai VI. Regis Hungariæ*, *& Reipublicæ Venetæ precibus*, *adlectum fuiſſe ab Alexandro VI*, *die* 28. *Septembris anni* 1500. *ſub titulo SS. Silveſtri & Martini in montibus*. Inde ergo ſequitur conſilium ſcriptum fuiſſe anno 1499. vel anno 1500. ineunte, ut tardiſſime. Quæ ſi admittantur, conſilii doctrina cum vulgaribus ætatis illius placitis conſentiet circa omnia; circa *Theoriam* quidem, tunc enim conſtans opinio erat luem veneream epidemialem eſſe, & ab influxu ſiderum productam fuiſſe: circa *Therapejam* vero, tunc enim nulla curatio alia uſu recepta erat præter methodicam, cum Guajacum nondum innotuiſſet, & inunctiones ex hydrargyro apud pleroſque Medicorum male audirent, ut patet exemplo Gaſparis Torrellæ, de quo modo.

Ex his ergo liquet 1°. Conſilium, de quo hactenus, non ſcriptum fuiſse, (*b*) ab antiquiore Bartholomæo Montagnana, qui *ſenior* dictus eſt, & qui in Academia Patavina claruit circa annum 1446, cum ille mortuus dicatur anno 1460, diu ante luis venereæ ingreſſum.

2°. Sed a recentiore altero Bartholomæo Montagnana, qui *junior* appellabatur, & nepos erat prioris, quem diſerte vocat *Avum ſuum paternum colendiſſimum*: Neque repugnat temporum ratio, cum enim prior anno 1460, poſteriorque anno 1525 exceſſiſſe dicatur, interjacent inter utriuſque obitum anni 65. qui ad duas generationes, filii nempe & nepotis, ſunt plus quam ſatis.

SÆCULUM DECIMUM SEXTUM.

CONRADUS SCHELLING, Heidelbergenſis, ſcripſit (*c*) 1500.
Conſilium ad puſtulas malas, *morbum quem* malum de Francia *vulgus appellat*, *editum Heidelbergæ*, in 4.

Auctor ille medicus fuit *Philippi*, *Electoris Palatini*, teſte (*d*) Johanne Georgio Schenckio. Cum autem Philippus ille, Poſthumus dictus, filiuſque Ludovici III. Electoris Palatini, & Margaretæ filiæ Amedæi VIII. Ducis Sabaudiæ, natus ſit anno 1448. obieritque anno 1508. veriſimile eſt Conradum Schelling, qui ejus Medicus fuit, ſcripſiſſe laudatam Diſſertationem circa annum 1500. quod ſane & ipſa inſcriptio videtur ſatis innuere.

Hoc Opus Conradi Schelling videre nondum contigit, ſed tantum *Conſilium ad peſtem*, germanice ſcriptum & editum Heidelbergæ *in* 4.

PETRUS RICCIUS, vulgo CRINITUS, Florentinus, haud incelebris philologus, Angelo „ (*e*) Politiano præceptore *uſus eſt*, *quo* defuncto nobiles adoleſcentes ipſe „ erudiit, ſed ita ut familiarius aliquanto, cum iis verſaretur, quæ res, ut Jovius nar- 1500.

 „ rat,

(*a*) Ciaconius, ubi *ſupra*.
(*b*) *Apud omnes* Bibliographos.
(*c*) Schenckius, *in Bibliotheca Iatrica*. Lindenius, *De ſcriptis Medicis*. Paſcalis Gallus, *in Bibliotheca Medica*. Merklinus in *Lindenio renovato*.
(*d*) Ubi *ſupra*.
(*e*) Gerard. Johann. Voſſius *De Hiſtoric. Latinis*, *Lib.* 3. *Cap.* 12.

„ rat, morti cauſam præbuit, nam poſt cænam dum jocoſe rixatur, cantharo frigidæ „ a petulanti conviva perfuſus obriguit, doloreque contumeliæ in ἀκμῇ ætatis deceſſit, „ (*a*) natus annos 39. ſub initia ſeculi XVI.

Biblioth. Rukenæ. Scripſit Crinitus *De honeſta Diſciplina* Libros XXV. anno 1500. *De Poëtis Latinis* Libros V. anno 1505. *Carminum* ſive *Poematum* Libros II circa eadem tempora, ſed diverſis tamen annis, ut (*b*) *De Virtute* Johannis *Andreæ Lamponiani*, *Tyrannicidæ*; ſive potius Sicarii (*c*) Principis ſui Galeatii Mariæ Sfortiæ, Ducis Mediolanenſis, anno 1476. (*d*) *De obitu Laurentii Medicis, ad Johannem Picum*, *Mirandulanum*, anno 1492. (*e*) *De obitu Johannis Pici*, *Mirandulani*, *Viri Clariſſimi*, anno 1494. (*f*) *Ad Ferrandum Aragonium*, juniorem, *Neapolis & Siciliæ Regem*, anno 1496. (*g*) *Ad Marullum*, *Byzantium*, ante annum 1500. (*h*) *De Ludovico Sfortia*, *Principe clariſſimo*, *qui proditus eſt per Helvetios*, anno 1500: (*i*) *De obitu Poetæ Marulli*, *Bizantii*, qui cæco amnis Cæcinæ vado cum equo abreptus fuit anno 1500. (*K*) *De laude Conſalvi Ferrandi in victoria Liriana contra Gallos*, anno 1503. &c.

Liquet inde Crinitum vixiſſe & ante & poſt expeditionem Neapolitanam, atque adeo illius expeditionis tempore in Italia floruiſſe, quod adhuc certius demonſtratur ex duobus Criniti Odariis, quæ inter cetera extant. (*l*) Alterum ad *Fauſtum* quemdam ſcriptum eſt, *de Carolo*, *Rege Francorum*, *cum ad Urbem* Romam *tenderet cum exercitu*, quod in annum 1494. cadit.

Sed interim Carolus ad Urbis mœnia.
Cum copiis victor agitur,
Audaxque monſtrat militi Romam ſuo,
Et comminatur Patribus.
. . . .
Pœnam rependet innocens Neapolis,
Virtutis immemor ſuæ;
Et occidet Aragoniæ clarum decus.
Sic Mars cruentus imperat,
Qui nunc feroces Galliæ turmas fovet,
Ridens inertes Italos.

unde Criniti animum erga Gallos iniquiorem fuiſſe colligere eſt.

In altero (*m*) agitur *de laude Franciſci Gonzagæ*, *Principis illuſtriſsimi Mantuani*, *cum ad Tarrum*, *contra Gallos dimicavit*, nempe anno 1495. in Pugna Foronovana.

Qui nuper audax vindice dextera
Horrenda Victor reppulit agmina
Gallorum, & idem reddidit Italis
Antiquum imperium atque opeis,
Salve, o preſidium & ſalus.
Tu ſolus auctor Barbaricam luem
Viſendus acri ferreus agmine
Repreſſi, & inter mille cadentium
Cædes horrificas Virum
Virtutis retines decus.
Tu præpotentis gloria Mantuæ,
Tarrum cruentas cæde potentior,
Ferrata ſævæ robora Galliæ
Perrumpens ſimul impetu
Obtruncas aciem hoſtium.

Quæ

(*a*) Johann. Albertus Fabricius, *in Bibliotheca latina media & infima ætatis*.
(*b*) Carmin. *Lib.* 2 *Od.* 7.
(*c*) Memoria noſtrorum Patrum, cum Galeatius Mediolanenſium Princeps Andream Lampugnanum injuriis affeciſſet, ab illo tandem, dum ſacris adeſſet, pertinaciter in ipſo templo enſe necatus eſt. *Auguſtinus Niphus.* *Cap. IX.* Libri De Rege & Tyranno, *Neapoli editi anno* 1534.
(*d*) Libro 1. Od. 4.
(*e*) Lib. 2. Od. 13.
(*f*) Libro 2 Od. 1.
(*g*) Lib. 2. Od. 10. 22.
(*h*) Lib. 2. Od. 20.
(*i*) Lib. 1. Od. 15.
(*k*) *Lib.* 2. Od. 3.
(*l*) Carmin. *Lib.* 1. *Od.* 12.
(*m*) Carmin. *Lib.* 1. *Od.* 16.

Quæ verborum exaggerationes & carmina ſatis *male tornata* eo tandem recidunt, ut ſignificent novem millia Gallorum, duce Carolo Rege, viam ſibi marte patefeciſſe, obtrito fugatoque Italorum exercitu, cui præerat Franciſcus ille Gonzaga, Marchio Mantuæ, & in quo quadraginta fere militum millia numerabantur, victoriamque habuiſſe tam claram atque certam; ut fere quatuor Italorum millia conciderint, cum vix centeni Galli deſiderati ſint.

Sed hæc omittamus, ceu aliena. Qualitercunque Crinitus in Gallos affectus fuerit, potuit ſaltem ille, cum æqualis fuerit expeditionis Neapolitanæ, in qua morbi venerei primum apparuiſſe creduntur, teſtis eſſe maxime idoneus tum novitatis, tum primigeniæ horumce morborum naturæ. Haud ignoro quidem Medicum illum non fuiſſe, at vero ſimul teneo eruditum virum fuiſſe, & pro ætate ſua multiſcium; cujus proinde judicium etiam in re medica graviſſimum eſſe debeat.

Affert autem ille teſtimonium, quod nobiſcum egregie facit. (*a*) „Riſum, *inquit*,
„nuper mihi moverunt Medici quidam in Academia Florentina, qui cum de Liche-
„nis & Elephante morbo ſeu Elephantiaſi loquerentur, imperite ſimul & inepte de
„his, eorumque nominibus & poteſtate differuerunt. Inter alia enim Lichenes pro
„eo morbo falſo accipiebant, quem vulgo *Gallicum* vocant, in quo contagio ipſa,
„doloreſque, & alia permulta maxime diſſimilia ſunt.

Hinc ſequitur 1°. Morbum venereum novum fuiſſe ætate illa, cum antiquo nomine nullo deſignaretur, ſed tralatitio vocabulo, quod ab eventu recenti vulgus Italum deſumpſerat in odium Gallorum.

2°. Medicos hujuſce temporis ſæpius diſputaſſe de natura & indole morbi venerei, quod nondum comperti explorative quidquam haberent de morbo non ante viſo.

3°. A nonnullis morbum venereum *acceptum fuiſſe pro Lichenis*, cum meliora tunc non ſuppeterent, ſed judice Crinito id ab illis creditum fuiſſe *imperite ſimul & inepte*; cum *contagio*, *dolores & alia permulta* morbum venereum a Lichenis *maxime diſſimiles* facerent.

FRANCISCUS CIRCELLUS. Si fides adhibenda (*b*) Georgio Hieronymo Velſchio, liquet ex Circelli manuſcriptis traditas fuiſſe ab illo *Regi Romanorum*, hoc eſt, Maximiliano I. *primæ originis tempore Pilulas*, quæ a lue venerea tutum quemlibet præſtarent, conſtantes *ex Myrobalanis Cabulenſibus, Indicis & Citrinis, Agarico præparato, Rhabarbaro, Spica indica, Maſtiche, Schœnantho, Maci, Croco & Xylobalſamo*. 1500

MARTINUS POLLICHIUS, Mellerſtadius, hoc eſt, natus Mellerſtadii in oppido Franconiæ, Lipſiæ Doctoralem lauream in Medicina aſſecutus, & ibidem Profeſſor Publicus conſtitutus eſt. Fredericum III, cognomine Sapientem, Erneſti filium, Electorem & Saxoniæ Ducem, in Palæſtinam religionis ergo, anno 1493, peregrinantem (*c*) ſecutus fuit, tanquam Medicus domeſticus. Cum Academia Wittembergenſis erecta fuit anno 1502, ipſe primus Rector, primus Matriculæ inſcriptus, primus Theologiæ Doctor fuit. Obiit ibidem anno 1513 ſecundum (*d*) Geſnerum, (*e*) Adamum & (*f*) Lidenium; vel anno 1514 ſecundum (*g*) Mercklinum & (*h*) Mangetum. Dum vixit, (*i*) *Lux Mundi* appellatus fuit. 1501

Præter alia Opera, quæ a Geſnero (*k*) recenſentur, edidit Diſſertationem, quæ inſcribitur

Reſponſio in ſuperadditos errores Simonis Piſtorii de Malo Franco: Lipſiæ, *apud Marcum Brandt*, 1501. *in* 4.

in qua refellit *Poſitionem* de Malo Franco, *Simonis Piſtorii*, ac ejuſdem objectionibus in *Declaratione defenſiva* propoſitis reſpondet, ut *ſupra pag.* 577 dictum eſt, ubi de *Simone Piſtorio*.

Exſtat Johannis Manardi, Ferrarienſis, Epiſtola ad *Martinum* illum *Mellerſtadium*, data Mirandula, anno 1500; quæ prima eſt *Libri II. Epiſtolarum* ejuſdem *Medicinalium*,

(*a*) De Honeſta Diſciplina *Lib. XX. Cap. X.*
(*b*) Sylloge Curat. & Obſervat. *In notis ad Obſervat. IV.* Marcelli Cumani, *pag. m.* 35.
(*c*) Melchior Adamus, *in Vitis Germanorum Medicorum.*
(*d*) In *Bibliotheca.*
(*e*) In *Vitis Germanorum Medicorum.*
(*f*) De *Scriptis Medicis.*
(*g*) In *Lindenio renovato.*
(*h*) In *Bibliotheca Medica.*
(*i*) Melchior Adamus, in *Vita Lutheri.*
(*k*) in *Bibliotheca.*

in qua ait Manardus ſe *& defenſionem Martini*, *& Simonis Piſtorii accuſationem* accepiſſe. Quæ intelligi non poſſunt niſi de alia quadam Pollichii defenſione; quæ ante annum 1500 edita fuerit, vel ſaltem de alia editione *Reſponſionis in ſuperadditos errores Simonis Piſtorii*, quæ ſit anno 1501 antiquior, niſi erratum fuerit in anno editioni appoſito, aut quod magis credibile in anno quo Epiſtola ſcripta dicitur.

Manardus in ſua ad Pollichium Epiſtola damnat Piſtorium, 1°. Quod in multis caſtigaverit Leonicenum; 2°. Quod crediderit „ Morbum Gallicum ab Antiquis collocatum fuiſſe ſub capite Puſtularum, Anthematum, aut, *ut Simon dicit*, Alhumere; „ 3°. *Quod* accuſaverit Pollichium, quaſi improprie locutum, quando peſtem *hanc* „ *Gallicam* κακοήθη nominavit; 4°. *Quod* redarguerit eos, qui eumdem morbum nominantes *epidemialis* adjectionem tacuerunt; 5°. *Quod* ad commune Medicorum illius ætatis confugium ſe receperit, *aſſerendo hunc morbum* occulta fieri proprietate „ de cœleſtibus corporibus emanante; 6°. *Quod* dixerit Gallicum morbum veneno & „ peſtilentia participare; „ quæ ſingula Johannes Manardus docte confutat.

Pollichius in Philoſophia claruit, ut liquet ex Philoſophicis ejus Operibus, quorum alterum inſcribitur *Collectanea Curſus Logici*, & Lipſiæ anno 1512, *in*..... alterum inſcribitur *Curſus Phyſici Collectanea*, & Lipſiæ anno 1514 excuſum fuit *in fol.* Huic, quod poſthumum fuit, præfigitur Pollichii Epitaphium, ex quo certo liquet Scriptorem illum mortem oppetiiſſe *die Divi Johannis Apoſtoli & Evangeliſtæ*, MDXIII, unde manifeſtus eſt error Mercklini & Mangeti.

1501. Anonymus quidam, quem multa veriſimilia perſuadent Profeſſorem vel Doctorem fuiſſe Facultatis Monſpeſſulanæ, ſed quem nondum nomine poſſum indicare, curavit edendum Lugduni *in* 8o. literis gothicis, anno 1501, Librum gallice ſcriptum, cum hac inſcriptione in fronte.

Bibliotheca Regia

(*a*) Regimen ſanitatis, *en françois*
Souverain Remède contre l' Epedimie.
Et Traictiè pour congnoitre les Urines.

Primus Tractatus nihil eſt præter *Commentum Arnaldi de Villanova in regimen Salernitanum*, *vulgo* Scholam Salernitanam, gallice verſum, ut ipſe Anonymus indicat. „ Cy commence, *inquit*, la maniere de vivre très-excellente & proffitable pour con- „ ſerver & garder la ſanté corporelle de toute humaine nature, jadis faicte & compil- „ lée au Reulme d' Angleterre en l' Univerſité de Salerne (*ſic*) & véritablement dé- „ clarée & expoſeé par ung vénérable Docteur en Médecine de Cathelogne, nommé „ Arnoul de Ville-neufve, ... & nouvellement corrigée & amandée par les très- „ excellens Docteurs en Médicine Regens à Montpellier, l' an Mil CCCCLXXX, „ avec aulcunes additions, à ce adjoutées l' an Mil CCCCC & ung.

Tractatus alter inſcribitur,

Remede très-utile contre la fievre peſtilencieuſe, & aultre maniere d' Epydimie, approuvé par pluſieurs Docteurs en Médicine.

Præcedente brevior eſt, & Capitibus V. abſolvitur, quorum tertio ſic legitur. „ Eſt „ bon odorer choſes aigres, laquelle coſe j' ay approuvé (*éprouvé*) à Montpellier; car „ comme il fut ainſi que par cauſe de ma povreté je n' ay peu éviter la communi- „ té des gens, mais j' allay de maiſon en maiſon pour guérir les patiens, je avoye „ avec moy une eſponge ou du pain moullié en vinaigre, laquelle choſe je tenoye au- „ prés de ma bouche & de mon nez, ... & par ce moyen j' ay évadé la peſtilence. „ Quæ profecto dici non potuerunt, niſi ab eo qui medicinam fecerit in Montepeſſulano, ſed quæ non liquet an de Scriptore primitio, an de Interprete intelligenda ſint, quandoquidem necdum mihi apertum eſt utrum Tractatus, de quo agitur, Archetypus ſit, utrumne ex Archetypo gallice converſus.

Sequitur ordine Tractatus tertius, cum hac inſcriptione,

Cy commence le Chapitre pour congnoiſtre les Urines ſelon l' opinion des Médicins très-experts en l' art de Medicine.

qui perbrevis unico Capite continetur, & quem pariter neſcio an Archetypum opus ſit, an operis latine ſcripti gallica converſio.

Demum ad calcem Libri exſtat quartus Tractatulus, qui ad argumentum attinet, & ſic inſcribitur,

Remède

(*a*) Veterem orthographiam repræſentare curæ mihi fuit, quam Anonymus ſequitur.

Reméde tres utile pour ceulx, qui ont la maladie appellée en Hebreu Mal Franzos, *& en Latin* Variola croniqua, *& en François* la groſſe Verolle.

& quem, cum perbrevis ſit, totum tranſcribere viſum eſt, non ſane quod perſuadeat tractationis dignitas, quæ diſsuaſiſset potius, ſed quod Libri raritas, antiquitaſque ita poſtulare videantur. En verba Anonymi.

„ Je trouve que ceſte maledie a regné en l' an de la création du monde deux mil „ CCCCXXX & VI. Et maintenant je dis que la conjunction de deux infortu- „ nes de Saturne & Mars, eſquels elle avoit ſon cours, & la conjunction & mau- „ vais regard deſdictes planettes ſi fuſt en ſon commencement Mil CCCCLXXXXVI. „ le VI. de Janvier en la tierce face appellée *Piſcis*, laquelle infortune & maulvais „ regared deſdictes planettes imprimiſt dedans le corps humain diſpoſé a corruption „ cette maladie devant dicte, car Saturne eſt cauſe de la paſſion du mal des jambes, „ & aultres membres, & Mars eſt cauſe d'engendrement, ainſi qu' il eſt dict *in Li-* „ *bro*, qui *Initium Sapientiæ* eſt nommé, *Ca. iiij De la nature & ſignification des* „ *Planetes*.

„ Pour ce je dy que l' effet de ladicte conjunction eſt cauſe de ceſte maladie, laquelle eſt paſſée, & ne reviendra plus; car l' an Mil CCCCLXXXXVIII. les ſuſdi- „ ctes planettes ſe conjoindirent en tout leur ſigne contraire, en quoi eſtoient pour- „ quoy le premier eſt apparu: Et s'il advient que aulcus ayent ladicte maladie de „ nouveu, ce n' eſt pas par influence de la conſtellation, ne par influence de maul- „ vais regard de ladicte conjunction, mais c' eſt a l'occaſion que la maladie de ſa na- „ ture eſt contagieuſe.

„ Et ceulx qui l'ont, & tiennent bon regime, en ſeront guéris en brief tem; car „ cette paſſion eſt cronique, de long tems & eſtendue, de la nature de Saturne, & les „ poſtulles, roignes, veſſies, & gouttes interieuſes, & exterieuſes leſquelles ſont de na- „ ture de Mars, ſeront en brief gueries. Toutesfois ſelon ceſte maniere quatre cho- „ ſes ſont a deſirer.

„ *Premierement*, que les malades ne doivent point uſer de grant ſobrieté de boire, „ ne de manger, car de ſoy abſtenir fait les malades trop debilitez de nature, & af- „ foibiliſſent les corps, mais il fault mangier viandes de legiere digeſtion, & boire „ bon vin doulx avec eauë de pluye.

„ *Secondement*, ſe doiven purger une fois ou deux la ſepmaine avec pilulle conve- „ nable a purger le chief, pource que de la teſte procede ceſte maladie, qui eſt ma- „ ladie Saturnique.

„ Le *tiers* eſt pour oſter la maladie & douleur des membres. Il ſe convient oindre „ d' huylle de Terbenthine, meslé avec huylle d'amandes doulces.

„ Le *quart*, prendre chaſchun matin du laict de femme & le ſuccer, car il eſt „ plus convenable, ou prendre laict d' aneſſe ou de chievre, & que leſdictes beſtes „ ſoient noutries ſelon l'uſaige de Medicine. La maniere de les prendre eſt de la mammelle, „ & la raiſon eſt telle, car en ceſte maladie preſente y a trois choſes, c' eſt aſſavoir „ ulceration, ſaignes & conſumption. Ulceration doit eſtre ſolidée, ſaignes (*ſanies*) „ doit eſtre mondiffiée, & la conſumption doit eſtre nourrie & reſtaurée. Et maintenant „ Dieu tout-puiſſant a crée une ſouveraine medicine, ou ſont ces trois choſes; c' eſt „ le laict, en quoi eſt nature aqueuſe qui mondiffie & abſterge; & le fromage procede „ du laict, conſolide; & le beurre, qui eſt dedans le laict, nourrit & repare ladicte „ conſolidation. Pourquoy je infere & dis que ceulx qui en uſeront de matin a jeun, „ s' en trouveront bien, & pluſtoſt ſeront gueris, & viendront a ſante au plaiſir de „ Dieu, auquel je prie que ainſi ſoit-il. Amen.

Demum occurrunt ſequentia, quibus Liber concluditur, & annus locuſque editionis exprimuntur.

Cy finiſt le Regimen ſanitatis, *en François. Le Reméde contre la peſte. Ung petit Traité des Urines. Et* ung Remede contre la groſſe Verolle. *Imprimé à Lyon, le IX. jour de Juing, l' an Mil cinq cens & ung.*

Duram, neque minus vanam provinciam defugi latiné vertendi quæ adducta ſunt, ratus abunde fore ſi notulis aliquot illuſtrarentur.

Itaque 1. Non inficior ſupinam Anonymi ignorantiam, qui putavit luem veneream hebraice dici *Mal Franzos*, cum palam ſit voces illas, *Mal François*, gallicas eſſe,

Germanis, apud quos in uſu erant ad Morbum Gallicum ſignificandum, leviter detortas. Haud minus ſuæ imperitiæ argumentum dedit in primo Tractatu, cum verba fecit de Univerſitate Salernitana, quaſi ſita in Regno Angliæ.

2°. Quæ de antiquo morbi incurſu, anno mundi 2436. comminiſcitur, videntur ea poſſe & debere intelligi de Mentagra, quæ teſte Plinio, *Hiſtor. Natural. Lib. 26. Cap. 1. Tiberii Claudii Cæſaris Principatu medio irrepſit in Italiam*, & quam a nonnullis pro lue venerea habitam fuiſſe jam vidimus: Neque ſane vera Chronologiæ ratio ab ea, quam ſequitur Anonymus, ita multum abludit.

3°. Palam eſt Anonymum aſtrologiæ aniliter credulum fuiſſe, ſed hoc erat ætatis ſuæ vitium, qua ceteri fere omnes Scriptores eodem in luto hærebant. Mirari tantum ſubit conjunctionem Saturni & Martis, quæ contigit anno 1496. ab illo in diem 6. menſis Januarii referri, quam a Coradino Gilino in diem 16. ejuſdem menſis relatam ſupra vidimus, *p.* 67. unde neceſſum eſt in alterutro mendum adeſſe in die, ſed de hoc viderint alii.

4°. Contendebat Anonymus malignam qualitatem, qua conjunctio Saturni & Martis in ſigno Piſcium aerem & humana corpora infecerat anno 1496. unde luem veneream coortam eſſe credebat, emendatam & in melius mutatam fuiſſe conjunctione alia eorumdem Planetarum, quæ evenit anno 1498. in ſigno contrario. Non equidem ſatis cupio potuiſſe Planetas eoſdem tam cito iterum coire, ſed hæc non moror. Notari tantum volo a Petro Maynardo, Veronenſi, (*a*) pariter olim creditum fuiſſe morbum *defecturum anno* 1584. *contrariis Aſtrorum influentiis*, cujus opinionem perinde fefellit eventus.

5°. Agnoſcebat tamen Anonimus luem veneream graſſari etiamnum anno 1501. quo ſcribebat, neque enim negari id poterat quod patebat omnibus; verum affirmabat morbum jam non amplius a maligno ſiderum aſpectu produci, ſed contagione tantum propagari, quod ſane vero verius erat, ſed quod ab ipſis morbi incunabulis perpetuo verum fuit.

6°. Proponit Anonymus ad curandam luem veneream matutinum lactis uſum, ceu remedium certum efficax, præſentaneum, quem conſtat parem eſſe mitigandis quidem, leniendiſque morbi ſymptomatibus, ſi urgeant, minime vero cauſæ morbi tollendæ & exſtirpandæ.

7°. Demum auctor eſt Anonymus, ut lac ex ipſis aſinæ vel capræ mammis ore ſugatur ab ægroto, quod ab hodierno noſtro uſu omnino abhorret, quod tamen, ſi commode fieri poſſet, ſuam utilitatem habiturum eſſe confido.

Anonymus ille, primus eſt Gallorum, qui luis venereæ mentionem fecerit.

1502. Biblio h. Regia & Mazarin.

ANTONIUS BENIVENIUS, Florentinus, Medicus & Philoſophus, (*b*) claruit anno 1480. * Deceſſit anno 1502.

De abditis nonnullis ac mirandis morborum & ſanationum cauſis Liber. Florentiæ, *apud Phil. Giuntam.* 1507. *in* 4.

Opus hoc, quod *Capita* ſive *Obſervationes* 111. continet, poſthumum eſt, & ab Hieronymo Benivenio, Antonii fratre & hærede, poſt Auctoris obitum, publici juris factum. (*c*) „ In hoc *libro Antonius Benivenius*, vir ſummo ſtudio & diligentia præditus, quæcunque trigeſimum ſupra ſecundum annum medenti illi admiratione digna occurrerant, & ex quorum cognitu uſus aliquis poſſet exiſtere, ſtudioſiſſime, prout quæque acciderant, ſcriptitabat.

Agitur *Cap.* 1. *De morbo, quem vulgo* Gallicum vocant, ac 1°. quidem atteſtatur Auctor „ novum eſſe morbi genus *quod* anno ſalutis nonageſimo ſexto ſupra mille quadringentos a chriſtiana ſalute, non ſolum Italiam, ſed fere totam Europam irrepſit, & quod ab Hiſpania incipiens per Italiam ipſam primum, tum Galliam, ceteraſque Europæ Provincias late diffuſum, mortales quam-plurimos occupavit.

2. Morbum deſcribit ut ſe ferebat ſua ætate. „ Incipiebant, *inquit*, Puſtulæ genere diverſæ in genitalibus membris, licet interdum, ſed rarenter, in capite; & inde per totum corpus diffundebantur: Aliis quidem planæ, minimeque extantes, ſed ſcabræ tamen in ſuperficie & colore ſubalbidæ, a quibus ſquamæ reſolvebantur, & caro ſub his corroſa apparebat. Aliis variis ſimiles, figura rotundæ, & ab his item ſquamis levioribus reſolutis prominebat caro rubicundior, ex qua virulentia fœtens & gravioris odoris profluebat. Nonnulli vero latioribus corripiebantur puſtulis, ſed quæ ſupra cutem non intumeſcerent, craſſiores ſquamas habentes, ex quibus etiam „ virulen-

(*a*) Vide infra ad *annum* 1518. ubi de Petro Mainardo. (*b*) Michael Pocciantius, *Catalogus Scriptorum Florentinorum*, pag. 16. (*c*) Hieronymus Benivenius, in *Epiſtola* ad Johannem Roſatum, *libro Antonii Benivenii* præfixa.

„ virulentia copioſior emanabat, & amotis ſquamis caro apparebat obſcurior ac ſublivens, quæ inulcerata roderetur. Quartum genus erat, quod ſubalbidis ſquamis amotis cicatricei ſimile remaneret, a quo profluens interdum ſanguis difficultatem ſanationis oſtenderet & ſimilitudine ſiccam ſcabiem repræſentaret, ceteris omnino „ deterius.

3°. Curationem methodicam paucis proponit, monetque *ultimo loco ea eſſe aggredienda præſidia*, *quæ extrinſecus adjuncta conferre poſſint*, inter quæ laudat unguentum mercuriale. *Nonnulli*, inquit *reſinam therebinthinam*, *argentum vivum*, *maſticem*, *lithargyrium*, *ceruſſam*, *thymiamaque excipiunt myrtino oleo atque larido*, *& eo inungentes ſudari Egros cogunt;* „ nec poſtremo deſunt, *addit Ille*, qui fateantur ſe ex ſolo potu „ medicamenti, quod habeat laccam lotam, aloen, ac myrti coctionem, ex ejuſdem „ ægritudine ſanos evaſiſſe.

Hoc Caput I. Libri Antonii Benivenii *De abditis morborum & ſanationum cauſis* proſtat integrum in collectione Aloyſii Luiſini.

WENDELINUS HOCK de Brackenau, natione Germanus erat, ut nomen & prænomen fidem faciunt, & in Ducatu Wirtembergenſi natus, ut ex Epiſtola dedicatoria videtur colligi, quæ Editionis Argentinenſi Libri *De morbo Gallico* præfixa eſt. Unde facile inducor ut credam agnomine *de Bracknau*, quod nomini ſuo ipſe adjungit, patriam illius deſignari, quam pagum eſſe Ducatus Wirtembergenſis, ſic appellatum, arbitror. 1502

In Italia diu commoratus eſt, primum (*a*) *Bononiæ* ut *artis medices diſciplinas hauriret ad Doctoralis Byrrhi confirmationem*, deinde *Romæ*, ubi medicinæ tyrocinia poſuit, in qua factitanda, ut ipſe ait, *dicere* poteſt *citra jactantiam ſe ceteris ejus profeſſionis poſteriorem non fuiſſe*.

Scripſit de morbo Gallico & de ulceribus hunc morbum conſequentibus Librum, quem (*b*) Bibliographi Venetiis typis excuſum ajunt anno 1502. *in* 4°. apud Octavianum, quem conſtat Argentinæ recuſum fuiſſe, anno 1514. *in* 4°. & cui in fronte præfigitur ſequens inſcriptio.

Mentagra (*c*) ſive *Tractatus de cauſis*, *præſervativis*, *regimine*, *& cura morbi Gallici*, *vulgo* Mala Francosz, *ingenio*, *peritia*, *& experientiis artium & medicinæ Doctoris ſtudii Bononienſis approbatiſſimi*, *Wendelini Hock de Brackenau* „ *exactiſſimis*, *diligentia & ſtudio comportatus*. Bibl. Reg. a.

„ *Quem ſubſequitur Tractatus ejuſdem utiliſsimus de curandis ulceribus hunc morbum ut plurimum conſequentibus*.

„ Intendit (*d*) *Auctor* hoc Tractatu per XVII. Capita docere curam Mentagræ; & „ quia ipſam ut plurimum varia ulcerum genera ſequuntur, Tractatum de curandis „ ulceribus ſubnectit.

Affirmat Wendelinus, *Cap. I.* " Ab anno 1494 morbum *illum* ignotum, diverſis „ dolorum ſpeciebus in diverſis membrorum partibus, puſtularum variarum in magnitudine & parvitate, in cute hominum naſcentium, terribiliter gentium multitudinem „ cruciare: .... De quo morbo ac cauſis ejus etiam doctiſſimos ſacræ medicinæ doctores „ toto terrarum orbe hactenus nihil in publicum veridice ſcripſiſſe, neque curam ejus „ ſcriptis inſeruiſſe: .... Se in hoc opuſculo, niſi multis experientiis comprobata, viſa & practicata remedia tum Romæ, tum Bononiæ non ſcribere.

Refert, *Cap. II.* morbum illum præcedentibus ſæculis incognitum „ non provenire ſolum „ a contagio, ſed veram cauſam ejus & magis appropriatam fuiſſe aliquam influentiam „ ſtellarum erraticarum: „ ... Cauſam vero materialem eſſe „ malam complexionem frigidam & humidam „ .... cerebri, ob quam multæ materiæ phlegmaticæ deſcendunt ad „ juncturas, nervos & muſculos, dolorem in dictis locis facientes: „ .... Neque illud in dubium revocari poſſe, nam factam eſſe Romæ " anatomiam cujuſdam, qui in „ vita patiebatur Mentagram, cum doloribus, & aliis, quæ huic morbo ſunt ſolita „ complicari; inventamque fuiſſe magnam copiam phlegmatis viſcoſi in junctura, ſeparatiſque præterea cannis facientibus juncturam, exiviſſe majorem copiam phlegmatis.

Con-

(*a*) Ipſe VVendelinus Hock, in *Epiſtola Dedicatoria*. (*b*) VVanderlinden, Mercklinus, Mangetus.

(*c*) Placuit VVendelino morbum Gallicum *Mentagram* appellare ex analogia quæ illi erat cum morbo illo *Mentagra* dicto, qui *medio* Tiberii Claudii principatu in Italiam irrepſit, teſte Plinio, *Hiſtor. Natural. lib.* 26. *Cap.* 1. Rectius tamen idem morbus a Joſepho Grunpeckio, *Mentulagra* vocatus fuit.

(*d*) In *Procemio*.

Contendit, *Cap. III.* „ morbum verius exordium cepiſſe anno Domini 1483, quia „ eo anno menſe Octobris fuerunt quatuor Planetæ, videlicet Jupiter, Mars, Sol, & „ Mercurius in Libra in domo ægritudinis; .... *Deinde* fortificatum fuiſſe anno „ 1484 & anno 1487, „ propter varias Planetarum conjunctiones aut varios aſpectus, „ circa quæ ſequitur aſtrologorum placita, ſeu ut verius dicam, deliramenta.

Probat, *Cap. IV.* Mentagram differre tum *a variolis* & *morbillis*, de quo mirum eſt quemquam olim potuiſſe dubitare; tum a *Saphati* & a *Malo mortuo*, quibuſcum notum eſt luem veneream affinem fuiſſe, dum primum apparuit.

Differit *Capitibus ſeptem* ſequentibus *de regimine preſervativo Mentagre*, ſive de legitimo rerum non naturalium uſu, ad Mentagram declinandam.

Docet, *Cap. XII.* „ curam Mentagræ, per varia medicinæ ingenia, puta per eva„ cuationes, phlebotomiam, pharmaca, ſyrupos, lotiones, balnea, &c. „ quæ metho„ dicam luis venereæ curationem apud Antiquos conſtituebant, & quæ nunc præpara„ tionis loco habentur ad hydrargyroſim.

„ Diſputat, *Capitibus tribus* XIII. XIV. & XV. de dolore Mentagræ, de cauſa „ & natura doloris illius, & de ejuſdem remotione.

Proponit. „ *Cap. XVI.* unguenta varia mercurialia & methodum eadem adminiſtrandi. „ Multæ, *inquit*, & diverſæ compoſitiones unguentorum inventæ ſunt ſcriptæ a „ Rhaſi, ab Avicenna & ab aliis Doctoribus antiquis & modernis: præcipuæ a Gordonio „ & Guidone, quæ curant omnem ſpeciem ſcabiei, & valent ad ſcabiem fœdam & pruri„ tum, in quibus unguentis quaſi omnibus ingreditur argentum vivum, extinctum „ cum ſaliva hominis jejuni, & mirabilem faciunt operationem in hoc morbo Menta„ græ & ejus accidentibus doloroſis .. *Nihilominus* tamen, *pergit Ille*, ego non conſu„ lo uſum unguentorum, in quibus ingreditur argentum vivum, niſi magna cum cau„ tela fiant, & in debita quantitate cum ſuis bezoarticis, nam nocumentum aliquan„ do juvamento eſt majus.

Confitetur tamen uſum argenti vivi utilem eſſe, modo inunctiones adhibeantur „ „ cum cautela & cuſtodia. Scire debes, *inquit*, ſi ea quæ ſuperius ſunt a me dicta, „ fuerint diligenter obſervata, puta quod in primis ſit facta digeſtio, poſt evacuatio, „ diverſio & membrorum confortatio, præterea regimen circa ſex res non-naturales „ fuerit diligenter obſervatum, & adhuc non fuerit æger a doloribus & puſtulis libe„ ratus, tunc cum cautela licet facere inunctionem cum unguentis inferius deſcriptis, „ in partibus membrorum, ubi dolor fortiſſimus ſit, aut ungantur partes domeſticæ „ brachiorum, crurum, & per iſtas unctiones fortaſſis removebitur dolor & tollentur „ puſtulæ. Et hoc experientia viſum eſt, quia multi paſſi Mentagram cum doloribus, „ unctione unguentorum inferius deſcriptorum ſanati ſunt perfecte, & poſtea nunquam „ paſſi ſunt Mentagram, nec dolores.

Cenſet autem, primus omnium quos novi, inunctionibus utendum eſſe non continenter, ſed per intervalla, interjectis identidem catharticis, ne præceps fiat humorum fluxus verſus ſuperiora. „ Talis, *inquit*, ſervetur ordo. Primo patiens accipiat medici„ nam minorativam vel lenitivam...... Die ſequenti patiens accipiat ſyrupum, ut „ puta de fumo terræ...... Tertia vero die facias inungi cum unguento inferius ſcri„ pto omnes partes domeſticas tibiarum & brachiorum, & plantas pedum & palmas „ manuum, parum apponendo de unguento, & hoc quando patiens vadit dormitum. „ Et de mane accipiat ſuum ſyrupum, ita ut ſexta die ſint accepti ſex ſyrupi, & „ ſint factæ tres unctiones, & tunc dabis medicinam ſolutivam, ut humores, qui per „ os expelli deberent, ad inferiora divertantur, & ſic nocumentum in ore evitabitur. „ In diebus autem ſequentibus ſimili modo utaris.

Profert autem unguenta mercurialia quatuor, quæ ex variis remediis exſiccantibus aut alexipharmacis conſtant, prout tunc temporis ferebat uſus, & quibus mercurii ſeu argenti vivi pars octava, ut maxima; vel decima ſeptima, ut minima admittitur.

Tandem *Capite ultimo*, quod eſt XVII. commendat uſum ſetonum & fonticulorum, „ concluditque quod in doloribus Mentagræ & partium capitis conveniens auxi„ lium cauterium dicitur.

Ad calcem adjicitur Tractatus alter perbrevis *De curandis ulceribus Mentagram conſequentibus*, qui Capitibus ſex concluditur.

Ambo illi Tractatus, ſaltem in editione Argentinenſi, inſcribuntur *Illuſtriſſimo Ducatus VVirtenbergenſis Principi Udalrico*, ut liquet tum ex dedicatoria epiſtola, tum ex

totius operis concluſione, in qua Auctor ad Principem illum verba iterum facit, „ Deumque toto corde ac flagranti animo orat, ... ut pro ſua infinita pietate ipſi „ Illuſtriſſimo Udalrico, Wirtenbergenſi Duci, corporis & animæ ſalutem largiri di- „ gnetur, & ut iſte morbus contagioſus nullum nocumentum illuſtriſſimæ Dominationi „ illius imprimere aut facere poſſit. „ Quod poſtremum voti genus aperte probat Auctori perſuaſiſſimum fuiſſe Mentagram, ut nunc de peſte vulgo creditur, nulla ægrotantium culpa vel contagione ineluctabili; vel ſolo aeris vitio concipi.

Exſtat Liber Wendelini Hock *De Mentagra*, in collectione Veneta ſecunda anni 1566, a Luiſino adornata, ſed male truncatus, tum epiſtola dedicatoria, ac concluſione Operi affixa, tum Capite primo, tum maxime Tractatu integro *De curandis ulceribus Mentagram ut plurimum conſequentibus*.

Multa leguntur in priore Tractatu VVendelini Hock, quæ ex Gaſparis Torrellæ Dialogo *de dolore in pudendagra* manifeſte compilata ſunt, maxime vero, quæ in fine Capitis ſecundi proferuntur de variis morbi appellationibus.

Referunt Bibliographi, ut Lindenius, Mercklinus, Mangetus, &c. Librum Wendelini Hock de *Mentagra*, *Argentinæ* editum eſſe *anno* 1514. *apud Henricum Sibold*, *in* 4°, quod non nego, ſed illorum fide dictum volo: Liber enim idem, ibidem, anno eodem, eadem forma editus, quem manibus tero, dicetur excuſus a *Johanne Schotto*, *preſſore Argentino*: Unde ſuſpicio eſt hoſce duos Bibliopolas Argentinenſes Vvendelini Librum collatitiis impenſis excudendum curaviſſe.

Ceterum hic Auctor dicitur mendoſe *Vvendelinus Hackde de Brakeman* in Bibliotheca Conradi Geſneri; *Vvendelinus Hack de Braheman* in Bibliotheca medica Paſchalis Galli; *Vendelinus Hoek de Brackenavv*, apud Lindenium, Mercklinum & Mangetum.

Incidit nuper in manus editio tertia ejuſdem Libri, „ Lugduni ſumptu honeſti Viri „ Bartholomæi Trot, in ædibus Antonii Blanchardi, anno a Virginis partu MDXXIX, „ die III. Menſis Januarii, cum Inſcriptione ſequenti; *Mentagra, ſive Tractatus excellens* „ *de cauſis, præſervativis, regimine & cura Morbi Gallici, ſive (ut Galli dicunt) Neapolita-* „ *ni, Capita XVII. ac Recepta V*, *nec non varia unguenta continens: ingenio, peritia & expe-* „ *rientiis Artium & Medicinæ Doctoris Studii Bononienſis approbatiſſimi, Vvendelini Hock de* „ *Bracknau exactiſſimis ſtudio & diligentia comportatus. Ejuſdem perutilis Tractatus de cu-* „ *randis ulceribus hunc morbum, ut plurimum, conſequentibus, Capita VI. complectens*. „ Hæc autem Lugdunenſis editio, editioni Argentinenſi anni 1414, ita reſpondet ad amuſſim, ut ovum ovo ſimilius non ſit.

Jacobus Cataneus de Lacu-Marcino, Genuenſis, *egregius Artium & Medicinæ Doctor*, ſcripſit *Tractatum de morbo Gallico*, *qui* proſtat in *Tom. I.* Collectionis 1505 Venetæ Aloyſii Luiſini anni 1566, unde ſequitur Tractatum hunc typis excuſum antea fuiſſe, cum Jordanus Zilettus, Typographus, atteſtetur (*a*) *priorem* ſuæ collectionis *Tomum Tractatus eos tantum complecti, qui impreſſi alias fuerant*.

Nondum tamen compertum habeo, quo anno Tractatus ille in lucem primum prodierit, quoniam prima Libri illius editio nondum in manus incidit. Sed multa ſunt, quæ perſuadeant brevi poſt natam luem veneream intervallo ſcriptum fuiſſe, & ut tardiſſime, ante annum 1505: 1°. Quod Cataneus nullos de morbo Gallico Scriptores laudet præter Nicolaum Leonicenum, Sebaſtianum Aquilanum & Gaſparem Torrellam, quorum Opera publici juris facta fuerunt ante annum 1500: 2°. Quod auctoritate Medicorum Arabum potiſſimum nitatur, ut exeunte ſeculo decimo quinto Medicis ſolemne erat. 3°. Quod ne verbum quidem faciat de uſu Guaiaci ſive Ligni ſancti in curanda lue venerea, quod tantopere invaluit in Italia ab anno 1517, ceteriſque omnibus remediis aliquandiu palmam præripuit communi Medicorum fere omnium ſuffragio: 4°. Demum quod Auctor diſerte ipſe aſſerat, *Cap.* 1. *per univerſum orbem venereum morbum ſuis temporibus irrepſiſſe, principes, nobiles ac plebeios pariter invadentem;* Et *Cap.* 7. *artic.* 7. *ſuis temporibus apparuiſſe hunc novum in Italia morbum*: Unde ſequitur Cataneum naſcenti lui venereæ æqualem fuiſſe, atque adeo hallucinari Auguſtinum Oldoinum e Soc. Jeſu, qui (*b*) in *Athenæo Liguſtico*, ex editione Collectionis Venetæ, quæ prodiit anno 1566, & in qua Liber Catanei inſertus eſt, colligit hunc Auctorem *claruiſſe anno* 1564.

Catanei Tractatus *de Morbo Gallico* completur Capitibus ſeptem, ſed Caput ultimum, ubi *de curatione morbi Gallici*, in Articulos ſive Capita novem ſubdividitur.

I. Con-

(*a*) In Monito ad Lectorem. (*b*) Pag. *m.* 267.

I. Conſentit Auctor cum præcedentibus Scriptoribus, teſtaturque (*a*) anno Virginei „ partus MCCCCXCIV, invadente Carolo VIII, Francorum Rege, regnum Parthe- „ nopæum, Alexandro vero VI. ea tempeſtate ſummum Pontificatum gerente, exor- „ tum eſſe in Italia monſtroſum hunc morbum, nullis ante ſeculis viſum, totoque in „ orbe terrarum incognitum.

II. „ Multis probat (*b*) contra Sebaſtianum Aquilanum morbum Gallicum ab Ele- „ phantiaſi & Lepra differre, non tantum ſecundum magis & minus, verum etiam „ ſpecie, *quod ait* patere ex diverſitate operationum eorum morborum in corpore hu- „ mano: *quamquam fateatur* ſe vidiſſe duos ex morbo Gallico ad Elephantem tranſiviſſe. „

III. Plures agnoſcit morbi cauſas, (*c*) „ alias *ſuperiores & incorporeas*, *nempe* ſiniſtros ſtella- „ rum aſpectus & figuras cæli malevolas; & iram ſummi Dei, a quo morbum hunc „ ad mortales ob ſcelera eorum demiſſum credit, ut eos puniat qui adulteria, & ve- „ titos a lege concubitus aſſidue, paſſimque ſequuntur: alias *proximas & inferiores*, „ *nempe* 1°. Coitum cum infecta vel infecto; 2°. Coitum cum ſana, cum qua de pro- „ ximo coiverit infectus, ſemine adhuc in matrice exiſtente; 3°. Longam moram & „ aſſiduam dormitionem cum infecta vel cum infecto ſine coitu; 4°. Potum lactis „ mala qualitate infecti. „

IV. Monet tamen (*d*) „ has cauſas fortiores & debiliores eſſe ſecundum variam „ diſpoſitionem individuorum; actus enim activorum non fiunt, niſi in patiente diſpo- „ ſito. Vidi enim, *inquit*, complures concubitus immundarum non recuſantes & in „ ſordes venereas ſeſe præcipitantes, qui tamen nullam inde infectionem hauſerunt. „

V. Quod paulo majoris momenti eſſe videtur, cenſet (*e*) „ ad curationem integram „ & perfectam novem conducere, 1°. Diætam; 2°. Phlebotomiam; 3°. Digeſtionem; „ 4°. Evacuationem; 5°. Adminiſtrationem viperarum; 6°. Adminiſtrationem balnei; „ 7°. Adminiſtrationem Malagmatum; 8°. Accidentium, quæ unctionem ſequuntur, „ remotionem; 9°. Accidentium, quæ hunc morbum ſequuntur, correctionem.

VI. *Sex priora* Capita pertinent ad curationem methodicam, quæ jam fuſe (*f*) expoſita fuit. Notari tantum velim ab Auctore laudari ad morbum venereum (*g*) ſanguinis miſſionem *ex vena nigra vel baſilica dextri lateris*, & (*h*) juſcula viperarum, ſyrupum de viperis, aut vinum *in quo necata fuerit vipera*, quæ duo remediorum genera a Leoniceno vel Aquilano mutuatus eſt, qua de re vide ſupra ad annos 1497. & 1498.

VII. In *ſeptimo*, ubi de uſu Malagmatum mercurialium Gaſparem Torrellam, Epiſcopum Santæ Juæ, redarguit quod „ malagmaticam hanc curationem damna- „ verit, & talem curationem exercentes, ſicarios appellaverit. Hæc opinio, *inquit Ca-* „ *taneus*, quia contradicit ſenſui, non eſt bona, ... cum hiſce temporibus viderimus „ talia malagmata, in quæ magna vis argenti vivi ſubintrat, curaſſe tali morbo affe- „ ctos materiam per oris excrementa, & corruptos humores ex axillis in modum rivuli educendo.

VIII. Refert (*i*), malagmaticam hanc curationem, via tamen empirica ſimilitudi- „ ne monſtratam fuiſſe compertis quibuſdam malagmatum generibus deſcriptis a Theo- „ dorico, *Cap. de Malo Mortuo* & ad verbum recitatis ab Arnaldo de Villanova, *Capi-* „ *tulo de Scabie*. Sub hoc titulo, *pergit Ille*, continetur Malagma Saracenicum, quod „ ſanat Scabiem, Cancrum, Malum mortuum, Salſum phlegma, educendo per os ma- „ teriam, „ quæ a Johanne de Vigo totidem fere verbis tranſcripta ſunt, ut infra videbimus ad annum 1714.

IX. Jubet, ut (*k*) „ ægrotus ungantur, inter duos ignes, ab adjutoriis brachiorum „ uſque ad manus, & a mediis coxis uſque ad pedes, unctorque manibus calidis optime „ fricare debet, ut vis malagmatum imprimatur in membris. Id mane & veſpere fiat „ ante prandium & ante cœnam, & ſingulis diebus, donec dentes dolere cœperint; tunc ceſ- „ ſandum ab unctione.... Tunc humores infecti ſuperiora petunt, ut per gingivas & „ palatum expellantur; talis enim humorum malagmatum eſt proprietas. Caveat ægro- „ tus hoc tempore a frigore,.... & ſic ſtare debet in illis linteis, quouſque ceſſet flu- „ xus phlegmatis per gingivas. „

X. Pro-

(*a*) Cap 1. (*b*) Cap. 3. (*c*) Cap. 3. (*d*) Cap. 3.
(*e*) Cap. 7. (*f*) Supra *Lib.* 2. *Cap.* 6. (*g*) Cap. 7. artic. 2.
(*h*) Cap. 7. Artic. 5. (*i*) Cap. 7. Artic. 7. (*k*) Cap. 7. Artic. 7.

X. Proponit, *Artic.* 8. „ accidentia, quæ unctionem comitantur, *nempe* „ caloris extinctionem, debilitatem ſtomachi, oris fœtorem, & dentium commotionem: „ *Et Artic.* 9. „ accidentia, quæ hunc ſequuntur morbum, ut cutis defœdationem, dolores in univerſo corpore, nodoſitates & ulcera „, & ſingulis mederi conatur ex artis regulis.

XI. In fine *Tractatus* Cataneus laudat ſequentem formulam Malagmatis ſive linimenti mercurialis, quæ circiter ſeptimam mercurii extincti partem admittit.

> „ ℞ Azungiæ porci, *lib.* j. Adipis viperæ ℥ iij. Olei Laurini ℥ iij. Argenti vivi extincti ℥ j v ß. Lithargyrii argentei & aurei *ana* ℥ ij. Maſtichis & Thuris *ana* ℥ j ß. Terenda terantur ſubtiliter & miſceantur, & *f. Malagma ad uſum*. „

Addit Auctor „ quoſdam in curatione horum languentium vice malagmatum ſuffitionibus ex cinnabari, ex argento vivo & ſulfure conſtante uti, & mirabilia quandoque operari, ſed malagmata ſalubriora eſſe.

Ut finem faciam, Catanei Tractatus, etſi brevis, eximius haberi debet, ac inter primos libros de morbo Gallico ſcriptos numerari, in quibus mercurii adminiſtratio paulo accuratius propoſita fuerit.

CLEMENTIUS CLEMENTINUS, Italus Amerinus, juxta Lindenium (*a*) *Medicorum nulli, quos Roma, atque adeo tota Italia, ſua ætate, habuit, ſecundus*: (*b*) Aſtronomus celeber, Lector Philoſophiæ & Mathematicæ in ſtudio Patavino, ac demum Leonis X. Pontificis maximi Medicus. 1505. 1512.

Scribebat (*c*) anno 1505. Opera medica varia, *De præceptis Medicinæ*, *De arte medica*, *Clementinam Medicinam*, *&c.* quæ Romæ edenda curavit *in fol.* anno 1512. apud Jacobum Mazochium, & quæ emendatiora prodierunt Baſileæ anno 1535 apud Henricum Petri, cum hac inſcriptione.

> *Clementii Clementini, Amerini, Lucubrationes, in quibus nihil eſt quod non ſit ex uſu artis, quodque non ſit tam probata fide traditum, quam ſapienti judico ſcriptum, ſive Theoricen, ſive Praxim, quam vocant, ſpectemus.* Baſileæ, *in* fol. 1535.

Liquet ex dictis Clementinum ingreſſui luis Venereæ in Italiam ſupparem vixiſſe, atque adeo potuiſſe idoneum teſtem eſſe novitatis illius morbi, de quo ſequentia (*d*) refert. „ Secundum Aſtrologos ſydera in noſtra corpora vim maximam habent, & ſolent „ producere peſtem conjunctiones trium ſuperiorum magnæ Planetarum, ... ut vidimus in præcedenti Jovis & Saturni conjunctione, quæ fuit anno 1484, in vigeſimo „ quarto gradu Scorpionis aſcendente decimo gradu Leonis, cui conjunctioni præfuit „ Mars ſupra Jovem elevatus, qui in principio anni 1485. (1495) duxit in Italiam cum „ ingenti exercitu Carolum, Regem Gallorum, qui Regem Neapolitanum bello ſuperavit: Et Scorpius, ſignum magnæ illius conjunctionis, cauſa fuit morbi Gallici, „ qui eo tempore & ea regione ortus eſt cum maximis ulceribus, vel ſæviſſimis doloribus.

PETRUS TRAPOLINUS, Patavinus, (*e*) „ Philoſophiam & Medicinam Theoricam „ Patavii diu publice profitendo, celebre nomen ſapientiæ per omnia fere Europæ Gymnaſia longe lateque diffudit. Verum fatum adverſum, & inimica fortuna . . . . „ in cauſa fuere ne tantæ de ſe expectationi, ſuis aliquando monumentis in publicum „ emiſſi, deſiderio omnium ſatisfaceret, ... quando ſimul & mortis neceſſitas & domus direptio uno eodemque ferme tempore ei importune, infeliciterque contigerunt. „ Quo enim die Patavium (*anno* 1509.) Maximiliani Cæſaris imperio ceſſit, mortuus „ eſt: Poſt diem vero quadrageſimum, quo Venetus Senatus feliciter urbem recuperavit „ viſus eſt ſecundo mori, quandoquidem integræ ejus lucubrationes & conſummatiſſima „ Opera, quibus ſane ab omni poſteritate perpetuam nominis immortalitatem expectare „ poterat, una cum fortunis omnibus Venetorum militibus prædæ fuerunt. Vixit Trapolinus annos 58. dies 20. 1506. 1507.

Ex direptione librorum Trapolini ſuperfuiſſe conſtat *Tractatum de morbo Gallico*, qui diu apud doctos latuit manuſcriptus, ſed qui demum poſt annos 60. typis excuſus fuit Vene-

(*a*) *De Scriptis Medicis.*
(*b*) Proſper Mandoſius, *De Archiatris Pontificiis.*
(*c*) Auctor ipſe id teſtatur, *pag.* 88. *Editionis Baſileenſis.*
(*d*) Capite de Peſte, *pag.* 87. 88. *Edition. Baſileenſis.*
(*e*) Bernardinus Scardeonius, *De antiquitate Urbis Patavii, & claris Patavinis*, *pag.* 215. Similia leguntur apud Nicol. Comnen. Papadopoli, *in Hiſtor. Gimnaſii Patavini*, *Tom.* 1. *pag.* 293.

Venetiis, in Tomo ſecundo Collectionis Luiſininæ. Hoc Opus mutilum eſt, cum deſiderentur quæcunque ad morbi curationem ſpectant; variis lacunis interſperſum & ex medico Bartholomæi Montagnanæ conſilio, de quo ſupra ad *annum* 1499, totidem verbis tranſcriptum, non ſine manifeſto Plagii argumento.

In hoc Trapolini Tractatu, qualis nunc exſtat, enucleantur quæſtiones quatuor: ,, I. Utrum morbus, qui vulgariter *Gallicus* dicitur, ſit Epidemialis? II. Quo nomine a veteribus Medicis fuerit nominatus, utrum ſcilicet anthemata, *efflorefcentiæ* Saphac, *Tinea*; Saphati, *Impetigo*; Alhumera, *Variolæ*; Puſtulæ epidemiales, vel male *morigerus morbus*? III. Utrum talis morbus comprehendatur ac numerari debeat inter morbos nominatos ab Hippocrate, *Sect.* 3, *Aphoriſm.* 20.21. ubi æſtivales morbos enumerat? IV. A qua materia cauſetur, utrum ſcilicet ſolum ab humore melancholico, an etiam ab aliis poſſit cauſari humoribus?

I. Quod ad primam quæſtionem, ſtatuit Auctor, ,, ſalvo ſemper meliori judicio, ,, morbum Gallicum Epidemialem eſſe, quia ex aeris mutatione in hominibus pluribus populatur. ,,

II. In definienda Quæſtione ſecunda, Trapolinus multis probat nullum ex adductis nominibus in morbum Gallicum quadrare, ,, ex quo probabiliter colligi poteſt, *pergit* ,, *Ille*, hujuſmodi morbum Hippocrati, Galeno, Avicennæ fuiſſe incognitum, & aliis ,, Medicis antiquis, ac propterea non ejus nomine proprio carere, ſi enim Avicenna ,, ipſum cognoviſſet, utique de eo Capitulum aliquod ipſe feciſſet, ac nomine proprio ,, appellaviſſet, ſicut in ceteris morbis fecit, quibus propria dicavit Capitula ,,. Monet tamen Auctor Antiquos ,, propter hoc de inſufficientia non eſſe redarguendos, quia ſunt aliquæ ægritudines, quæ non accidunt niſi longis temporum intervallis. Sic Galenus nunquam viderat Venam Medinenſem, neque Febrem ſeptenam ,, aut novenam, quas vidit Avicennas: Sic Galenus non viderat lapidem egredientem ,, ab inteſtinis, & tamen Gentilis vidit ipſum bis: Sic ignoraverunt omnes Medici, ,, excepto Alzaharavio, tuſſim cauſatam ab animalibus generatis in Canna pulmonum, ,, quæ minora ſunt muſcilionibus: Sic expreſſe Hippocrates in ſuo jurejurando artem ,, extrahendi lapidem ex veſica perfecte ſe ignorare faſſus eſt, quam tamen perfectam ,, habet his temporibus Jacobus, quem ego vidi, *inquit Trapolinus*, extrahere lapidem magnifice & mire ex veſica, & poſtea locum conſolidare, & quaſi omnes evadere. Fatetur ,, quandoque aliquos Empiricos aliquas ægritudines melius curare, quam doctiſſimos viros, & id de facto de morbo Gallico contingere, qui ut in pluribus, ,, non niſi a Barbi-tonſoribus & Empiricis curatur ,,, quæ manifeſte referenda ſunt ad primos annos poſt ingreſſum naſcentis morbi, quo tempore Medici hujuſce morbi curationem ex diffidentia detrectabant.

,, Credit, ſalvo ſemper meliori judicio morbum iſtum non unum, ſed plures eſſe, ,, videlicet tres, quorum duo poſſunt ſimplices appellari. tertius vero compoſitus ex ,, illis duobus. *Primus eſt*, ſecundum Trapolinum, ,, Puſtulæ diverſorum colorum, ,, *quibus cutis deturpatur*: *Secundus*, dolor in muſculis & panniculis ipſos involventibus, & nervis. . . . . & tamen in extenuatis membris, ut experientia docet & facta Anatomia, nulla intrinſeca Apoſtemata apparent: *Tertius* eſt aggregatum ex Puſtulis & doloribus. ,, Unde liquet non alia tunc ſymptomata luis venereæ vulgo cognita fuiſſe, præter dolores & puſtulas, quæ ſane antiquiſſima morbi tempora apertiſſime indicat.

III. Tertiæ Quæſtioni reſpondet negando, additque, bene dixiſſe Clariſſimum Doctorem, Dominum Simonem de Piſtorio ,, (*Simonem Piſtorium* de quo ſuperius ad ,, *annum* 1498) quod male inter eos morbos enumeraretur; qua de re vide ſupra Piſtorii *Poſitionem de Malo Franco*, Concluſ. 2.

IV. Ut Quæſtioni quartæ ſatisfaciat, ſtatuit, morbum Gallicum non ſolum ab uno ,, humore, ſed a diverſis poſſe cauſari, & maxime a phlegmate & melancholia, & ,, ejus materiam non longinquam eſſe a materia ſcabiei.

Videtur Trapolinus ſingularem operam poſuiſſe in defendendo Simone Piſtorio, quem valde laudat, & a quo recte dici ait 1. ,, Morbum Gallicum peſtilentialem eſſe, ,, *quod* verum eſt *juxta Trapolinum*, ſecundum modum loquendi Haly Abbatis, *licet* ,, non ſit verum ſecundum modum loquendi Galeni: 2°. *Producendo huic morbo* neceſſario concurrere virtutes agentes cæleſtes, & virtutes patientes terreſtres: 3°. Aſtrologiam Medico neceſſariam eſſe, *quod ipſe multis argumentis conatur confirmare*: . . . . . ,, 4°. Poſ-

„ 4°. Poſſe Aſtrologos ex aſtris futura prædicere, ſicut Medici poſſunt ex ægritudinibus „ futura prognoſticari „

Ceterum Auctor, ut probet poſſe ab Aſtrologis futura prænuntiari, licet non cognoſcant omnes aſtrorum diſpoſitiones, quæ ad effectum producendum poſſunt concurrere, affert exemplum „ ruſticorum & nautarum, qui ferunt judicium de pluvia, aut ventis „ futuris, aut ſerenitate futura, ex cognitione alicujus diſpoſitionis in aere, vel ſtella- „ rum, licet non omnes cauſas illius effectus cognoſcant. Similiter, *pergit Trapolinus*, „ Medicus in Phthiſico videns granum ſuper ſpatulas, ſicut fabam, debet prognoſticari „ quod morietur infirmus poſt quinquaginta duos dies, ut eſt ſententia Avicennæ, (*a*) „ *decimo tertio Capitulo, De ſignis Phthiſis, ad finem*. In iſto caſu, *addit Ille*, Me- „ dicus prædicet effectum futurum, cujus tamen non omnes cauſas cognoſcit; non enim „ cognoſcit cauſam illius grani, nec quare illud granum ſit ſignum futuræ mortis, nec „ quare morietur magis in quinquageſima ſecunda die, & non ante, vel poſt.

ANGELUS (*b*) BOLOGNINUS, & non (*c*) Bolignīnus, (*d*) non Bononienſis, 1507
ut vulgo dicitur, ſed e Plebe Sacci, municipio Patavino, verum ex nobili familia, quæ Reipublicæ Bononienſi plures Jureconſultos dederat, (*e*) Artium & Medicinæ Doctor, „ (*f*) in florentiſſimo Bononienſi ſtudio a Senatu Bononienſium ſtipendio addu- „ ctus fuit, (*g*) *circa annum* 1506, ut Chirurgiæ (*h*) Principis lectiones non paucæ „ ſcholaſticorum multitudini publice profiteretur. Verum (*i*) parvo contentus & otii „ patrii percupidus ſe recipit apud ſuos, atque intra muros municipii ſui, donec vita „ ſuperfuit, ſeſe continuit, ut-ut ampliſſimis alio uſquequaque evocaretur ſtipendiis, „ dicere ſolitus apud (k) Pignorium; *Nihil amplius lare paterno, privato foculo nihil* „ *ſalubrius, nihil diutius eſſe commoda paupertate*. „ Annus ejus emortualis ignoratur.

Scripſit ille de morbo Gallico, ſi fides adhibeatur Joſiæ Simlero, in *Bibliotheca Geſneri contracta*; Iſraeli Spachio, in *Nomenclatore ſcriptorum medicorum*; Paſchali Gallo, in *Bibliotheca medica*; Johanni Georgio Schenckio, in *Bibliotheca medica*. At vero inter ceteros de morbo Gallico Scriptores, de Bolognino tacent unanimes Johannes Antonius Vanderlinden, *de ſcriptis medicis*; Georgius Abrahamus Mercklinus, in *Lindenio renovato*; & Johannes Jacobus Mangetus, in *Bibliotheca Scriptorum medica*.

Haud tamen arduum eſt hanc Bibliographorum litem componere. Exſtat enim Bolognini Liber unus *de Unguentis*, in quo *Capite VI.* multis agitur de natura & uſu Unguentorum mercurialium, ac proinde de curatione luis venereæ, unde potuit Auctor ille a prioribus recte recenſeri inter illos, qui de morbo Gallico ſcripſerunt: A poſterioribus recte quoque omitti, cum inſcriptio Libri illius de Unguentis, quem etiam Bolognino ipſi tribuunt, nihil tale videatur polliceri.

Ille autem Bolognini Liber, *De Unguentis, quæ communis habet uſus practicantium hodiernus in ſoluta continuitatis medela*, ab Auctore (*l*) „ ingeminatis ſcholaſticorum, imo et- „ iam Doctorum precibus obtemperante *traditus fuit* in florentiſſimo Bononienſi ſtudio, cum „ Bologninus a Senatu Bononienſium ſtipendio adductus eſt, ut Chirurgiæ Principis le- „ ctiones .... publice profiteretur, *hoc eſt, circiter anno* 1507. *eodemque tempore vel pau-* „ *lo poſt in gratiam* ſtudioſæ juventutis impreſſus fuit.

Eam quidem Editionem (*m*) quæ omnium prima eſt, uſurpare nondum mihi datum eſt. Sed certiſſime compertum habeo Librum eumdem cum aliis duobus Bolognini Libris *De cura ulcerum exteriorum* prodiiſſe (*n*) Bononiæ apud Benedictum Hectoris, *in* 4. anno 1514. cum ſequenti Inſcriptione.

> *Angeli Bolognini Libellus de cura ulcerum exteriorum; Et de Unguentis, quæ communis habet uſus Practicantium hodiernus in ſolutæ continuitatis medela, de quorum numero nonnulla in morbum Gallicum incerta ſunt, non debilibus tamen rationibus incidentaliter approbata*. Legitur ad Libri calcem, *Bononiæ, per Benedictum Hectoris*, M. D. XIIII. X. *Februarij*.

Et

(*a*) Mihi quidem *Lib.* 3. *Fen.* 10. *Tractat.* 4. *Cap.* 22. De ſignis Phthiſis.
(*b*) Simlerus, Spachius, Gallus, Schenkcius Lindenius. (*c*) Mercklinus.
(*d*) Nicolaus Comnenus Papadopoli, *Hiſt. Gymnaſ. Patavini*, *Tom.* 2. *Lib.* 2. *Cap.* 15. *n.* 64.
(*e*) Ovidius Montalbanus, in *Bibliotheca Bononienſi*, ad ann. 1508.
(*f*) Bologninus. *De Unguentis in Proœmio*. (*g*) Wolfgangus Juſtus, in *Chronologia Medicorum*.
(*h*) Hoc eſt, Avvicennæ. (*i*) Papadopoli, ubi *ſupra*. (k) De *Antiquis Scriptoribus Patavinis*.
(*l*) Bologninus, *in proœmio* Libri *De unguentis*.
(*m*) Hæc prima editio Operum Angeli Bolognini prodiit Venetiis, ſecundum Bernardinum Scardeonium, *De antiquitate Urbis Patavii, & claris Patavinis*, Lib. 2. *Claſſe* 9.
(*n*) Ovidius Montalbanus, *in Biblioth. Bononienſi*, pag. 17.
Et Pellegrinus Antonius Orlandi in *Notizie degli Scrittori Bologneſi*, *pag.* 52.

Et deinde in Collectiones Papienſis anni 1516; Veneta prima anni 1535, Baſilleenſi & Lugdunenſi, utraque anni 1536.

Conſtat Liber ille *de Unguentis* Capitibus VI, quorum ultimo, *De Unguentis Mercurialibus* inſcripto, accuratiſſime explicatur methodus adhibendarum inunctionum mercurialium, ita ut ſi Auctor ille pro primo non ſit habendus, qui methodum illam deſcripſerit, at ſaltem inter omnium primus merito recenſendus.

I. Luem veneream appellat (*a*) *quamdam ægritudinem ulceroſam mali modi*, *quam affirmat contagioſam eſſe : (b) Cognitum enim eſt experimento*, inquit, *talem morbum eſſe contagioſum.*

II. Seminium morbificum peculiare admittit, (*c*) „ Non erit, *inquit*, erroneum dicere „ & ſine hæſitatione credere hanc ægritudinem a materia antecedente & forti & continuo „ eam fovente dependere, cujus Cura.... erit evacuatio illi debita & proportionata.

III. Affirmat debitam illam ſeminii Venerei evacuationem uſu ſolo inunctionum mercurialium perfici poſſe. „ Tandem, (*d*) *inquit* experimento ratione comprobato „ viſum eſt per me & alios quamplures jam dictæ ægritudinis curam fieri applicatio- „ ne medicaminum (*mercurialium*) corpus a ſuperfluitatibus indeſinenter mundantium.

IV. Uſum illum mercurialium inunctionum miris laudibus effert. (*e*) Quam mi- „ ræ, *ait*, & excellentis virtutis exiſtat in præfata ægritudine evacuationis modus li- „ nitione extremitatum adminiſtratus, *veræ non mihi ſi linguæ centum ſint*, *oraque cen-* „ *tum*, *fereave vox*, „ ſufficienter enarrare poſſum.

V. Adminiſtrationem & effectus inunctionum mercurialium accuratiſſime explicat. „ „ (*f*) Manus, *inquit*, a cubitis & ſupra cubitos per quatuor digitos uſque ad pal- „ mam manus: Pedes a genibus & ſupra genua per quatuor digitos uſque ad plantam „ pedis..... nutu Dei inungat infirmus per ſemetipſum..... eo in loco calido ſeden- „ te, puta inter duos ignes, unguento in extremitatibus digitorum tepefacto .... Inunctis aliis partibus, ligentur loca illa cum faſcia calida, ſupra poſita prius ſtupa Can- „ nabina.

VI. Linimentum & Cerotum Mercuriale proponit. Linimentum tale eſt. „ (*g*) „ ℞. Laridi ex intentione noſtra præparati ℥ vi. Mercurii terreſtris in naturam (*h*) „ cælicolæ converſi ℥ iij. m. & f. unguentum in mortario lapideo ſive ligneo per diem „ integram conterendo, ita quod minima pars unius ſimplicis contingat minimam par- „ tem alterius. *Hæc eſt vero Ceroti formula*. ℞. Linimenti ſupraſcripti ℥. iij. Mercurii cælicolæ ℥. ji. Ceræ ℥ j. ß Terebenthinæ ℥ ß Alteratur linimentum ſupraſcriptum „ cum Mercurio Cælicola in mortario ligneo cum piſtillo ſuo, eodem modo quo ſu- „ pra. Diſſolutis inſimul cera & Terebenthina in cazola ad ignem lentum: & ab igne „ depoſitis & quaſi infrigidatis detur linimentum Mercurio ſupraſcripto admixtum, „ illius infundendo partem poſt partem „ Quæ linimenti & Ceroti formulæ, ab iis, quæ nunc uſu valent, parum abludunt.

VII. Monet inunctiones quatuor aut quinque diebus iterandas eſſe, donec ptyaliſmus adveniat, aut morbus quovis alio modo ſolvatur. Continuetur, *inquit*, talis inunctio uſque ad diem quartam (*i*) ſive quintam incluſive, & forte plus, donec dentes „ dolere incœperint, ſive phlegmata per gingivas notabiliter diſſolvi, ſive ſuperfluita- „ tes peccantes alia regione ſenſibiliter ſeu inſenſibiliter evacuari, & tunc a tali linitio- „ ne deſiſtendum erit „.

VIII. Noverat jam ſuo tempore ptyaliſmum quandoque deficere poſt inunctiones legitime adminiſtratas, verumtamen morbum nihilominus inde ſolvi. (k) „ Innoteſcen- „ dum, *inquit*, quod non raro accidit virtute exſiccativa linimenti, quo fit prænomi- „ natus evacuandi modus conſolidatio ulcerum jam dictorum fieri, abſque ullo ſigno „ ſenſibili evacuationis.

IX. Connumerat accidentia novem, quæ poſt inunctiones non raro accidunt, ac remedia varia profert quæ ad ſingula faciant. „ (*l*) Accidentia, *inquit*, connumeran- „ tur hæc, videlicet dentium & gingivarum dolor; gutturis aſperitas, & inflamma- „ tio; phlegmatis ex gingivis ſuperflua evacuatio; fluxu phlegmatis ex gingivis ante tem-

(*a*) Pag. 268, Editionis Lugdunenſis anni 1536. (*b*) Pag. 178. (*c*) Pag. 268.
(*d*) Ibidem. (*e*) Pag. 270.
(*f*) Pag. 271. (*g*) Pag. 275.
(*h*) Nomine *Mercurii Cælicolæ* Auctor intelligit Mercurium diſtillatione extractum ex Mercurio crudo, ſive *terreſtri*, ut ille dicit, variis cum rebus extincto.
(*i*) Pag. 271. (k) Pag. 270.
(*l*) Pag. 173.

,, tempus reſtrictio; phlegmatis non in ſuo tempore a gingivis expulſio; maſticationis
,, cibi difficultas; virtutis debilitatio; ventris conſtipatio; coloris faciei mortificatio.

X. Docet hanc methodum medendi nequaquam ea propter improbandam eſſe. ,, (*a*)
,, Si quis, *inquit*, mordaci dente de ulceribus in ore evenientibus ex linitione præfata,
,, talem modum evacuandi accuſaverit, taceat majorum ſuorum documentis, dicentium
,, in cura Scabiei antiquæ & ulceroſæ Dyſenteriam provocari; ſimiliter in cura ſcrofu-
,, larum inteſtinorum excoriatioue apoſtema ſcrofuloſum curari; in paſſionibus oculo-
,, rum poſteriorem partem colli ignita acu & ſetone perforari; in magnis cauſis, ut in le-
,, pra, venena intrinſecus exhiberi, quod majus eſt.

XI. Demum ad calcem Capitis adjectæ ſunt quæſtiones duodecim, de uſu, natura, adminiſtratione, effectis &c. illitionum mercurialium quibus ſingulis Auctor appoſite & docte ſatisfacit.

Hæc de Bolognino perſcrutatus fueram, nec ſine cura, cum venit in mentem plura ſciſcitari ab eruditiſſimo Johanne Baptiſta Morgagno Medicinæ Profeſſore in Academia Patavina, Viro doctrina præſtantiſſimo, ſed ſuo in rem literariam ſtudio præſtantiore: Nec ſpes fuit irrita. Plura enim docuit ille Epiſtola humanitatis ſale ſparſa, ex qua caput quod ad Bologninum attinet, deſcribendum eſſe cenſeo integrum, ne Lectores ulla tam eruditæ diſquiſitionis parte defraudaſſe videar.

,, Wolfgangus Juſtus, quantum intelligo ex *Lindenio renovato*, hæc olim de Bologni-
,, no ſcripſerat, anno 1556. *Angelus Bologninus Bononienſis docuit Chirurgiam ex Avi-*
,, *cenna Bononiæ*, *anno Chriſti* 1506. Lindenium ſequitur, ut fere ſolet, Clar. (*b*) Mange-
,, tus, niſi quod *Bolignimus* an *Bologninus* fuerit, incertus eſt; quemadmodum & in *Hi-*
,, *ſtoria Chirurgiæ antiqua* (*c*) incertus fuerat Vir Doctiſſimus Andreas Ottom Gælichius.
,, Sed Johannes Nicolaus Paſqualis Alidoſius in Italico Libro anno 1623. Bononiæ edito,
,, inſcriptoque, *I Dottori Bologneſi di Teologia*, *Filoſofia*, *Medicina*, *&c.* hæc de illo
,, habet: *Angelo Bolognini* 1508 *fu Lettore di Chirurgia fin al* 1517. *Sciſſe* de cura ulce-
,, rum, & de unguentis communibus in ſolutione continui, & de lue venerea *del* 1516.
,, Bernardinus autem Scardeonius in eximio Opere *de antiquitate Urbis Patavinæ*
,, (*d*) Sicuti, quod ad cognomen attinet, idem quod Alidoſius, ita, quod ad Angeli pa-
,, triam, longe aliud quam ille ut ceteri quos laudavimus, jam docuerat; quippe anno
,, ſcribens 1559. *Claruit*, inquit, *in hac ipſa arte Chirurgica & Angelus Bologninus ex*
,, *Plebe Sacci*, *municipio Patavino*, *Vir magni ingenii*, *& in ea parte rei medicæ*, *quam*
,, *ob opera manuum* Chirurgiam *Græco vocabulo appellamus*, *peritiſſimus*. *Is aliquandiu*
,, *artem hanc publice Bononiæ docuit*: *Sed parvo contentus*, *& ocio patrio delectatus*, *in*
,, *patriam ſe recipiens*, *intra municipii ſui fines poſtmodum ſeſe continuit*, *& quamvis di-*
,, *gnis ſtipendiis & honoribus a multis civitatibus vocaretur*, *patrium tamen ſolum quam-*
,, *vis tenue cum quacumque nobili civitate commutare neglexit*.

,, Non eſt dubium quin graviſſimus Hiſtoricus vera ſcripſerit, præſertim cum Patavii
,, (*e*) natus anno 1478. denatus autem anno 1574. eodem, quo Angelus in propinquo
,, oppidulo vivebat tempore & ipſe vixerit; ut in his nec fallere, nec falli potuerit.

,, Quamobrem merito ceteri Scardeonio aſtipulati deinceps ſunt Patavini Scriptores,
,, ut in his Angelus Portinarius, cujus Volumen *de felicitate Patavii* (*f*) eadem lin-
,, gua, eodemque anno vulgatum eſt, quo librum ſuum Alidoſius emiſit, ex quo fit ut
,, Alidoſium deceptum fuiſſe opiner, ſicut & plerique alii, *Bolognini* cognomine quod
,, Gentis nimirum eſt Bononiæ in primis nobilis & pervetuſtæ. Quod ſi quis propterea
,, Angelis majores inde olim profectos, in his regionibus conſediſſe, ſuſpicetur, fortaſſe vera
,, illa conjiciat: Sin Angelum Bononiæ natum, contendat, ne initium quidem Libri,
,, ejus de *Unguentis* ſatis attendiſſe videatur. *Cum in florentiſſimo Bononienſi ſtudio*, inquit,
,, *a Senatu Bononienſium ſtipendio adductus fuerim*: Quæ ſane verba Bononienſis Civis
,, non videntur; hic enim in patrio Gymnaſio patrii Senatus juſſu profiteri, neque eo
,, *adductum* ſe dixiſſet. Angeli autem noſtri, an conſanguinei potius alicujus ſoboles
,, fuerit is Angelus J. C. qui Patavii quidem ſibi, & poſteris, in oppido autem ipſo
,, Plebis Sacci avo ſepulchrum ſic inſcribi curavit: Illud, (*g*) *Futura conſiderans An-*
,, *gelus Bologninus*, *Legum Doctor*, *exq. Evangeliſta Art. Doct. P. MDLXXV. ſibi & poſteris;*

 Hoc

(*a*) Pag. 270. (*b*) Biblioth. Medica. (*c*) N. 141.
(*d*) Lib. 2. Claſſ. 9.
(*e*) Vide Papadopol. *Hiſt. Gymnaſ. Patav.* Tom. 2. Lib. 2. Cap. 25. N. 113.
(*f*) Lib. 2. Cap. 6.
(*g*) *Vide* Salamonij Urbis Patav. Inſcript. Pag. 331. num. 37.

,, Hoc vero, (*a*) *Joan. Avo Evang. fil. D. Bologninis*, *Medic. Dot. Angelus Bolog. Ju. Ut. Dot. poſuit* 1588, alii viderint: ego ob eam dumtaxat cauſam hæc protuli, ut quo ex municipio noſter fuiſſe a Scardeonio ſcriptus eſt, ex eodem poſtea videas alium extitiſſe Angelum *Bologninum*, non *Bolignium*. De noſtri igitur & cognomine, & patria non ſolum conſtat, ſed conſtat etiam quod in hac ante annum 1559. deceſſerit; imo vero quo primum anno Bononiæ fuerit, quo ad ſuos rediiſſe videatur, ſi Scardeonio qui illud, & ſi Alidoſio qui hæc optime omnium noviſſe poterant, fidem habeamus.

,, Utinam de primo etiam anno, quo libros illos ſuos edidit, conſtaret. Verum Scardeonius, (*b*) qui *edidiſſe Opus non aſpernandum* ſcripſit, eadem videlicet, quæ ex Alidoſio commemoravimus nomina, non aliud addit, niſi *ea omnia primo Venetiis, poſtmodum & Baſileæ impreſſa fuiſſe, anno Domini MDXXXVI.* In *Hiſtoria Gymnaſii* noſtri (*c*), ex qua alia malim accipias, velut Angelum *Medicæ Artis adoream in hoc promeruiſſe*, *& annum ejus emortualem*, ignorari verba illa Scardeonij ita accipi videntur, ut ſi dixiſſet: *Vivo ipſo edita ſunt anno* MDXXXVI. *non ſemel hæc Opera*. Mihi autem ſecus videntur intelligenda. Nam neque eo anno, aliam quam Baſileenſem illam editionem invenio, quæ apud Lindenium commemoratur, & mihi alia in manibus eſt, de qua ab iis qui de Bolognino loquuntur, nullam mentionem factam memini, Venetiis anno (*d*) ſuperiore habita *per Io. Patavinum & Venturinum de Ruffinellis*, *in* 8°. Leoniceni quoque, Matthioli, Friſii, Hutteni, Almenari Opuſcula complectens, quæ ad luem veneream attinent, ejuſve curationem. Sed hæc, præter libros de *Cura Ulcerum*, *& de Unguentis*, peculiarem Bolognini librum non continet de ea lue, niſi forte ejus nomine intelligunt Caput illud extremum, ceterorum ſane multo longiſſimum, in quo de *Mercurialibus* unguentis ſcripſit, neque alia contineri video iis editionibus quæ ab Lindenio, & qui eum ſequuntur, ſive propoſitæ ſunt, ſive omiſſæ: nam & illam, ubi de Bolognini quidem Scriptis verba faciunt prætermiſerunt, quæ in *Theſauro Chirurgiæ*, collecto a Petro Uffenbachio, Francofurti habita eſt anno 1610, typis Nicolai Hoffomanni in fol. Verum ut ad vetuſtiores editiones redeamus, vidiſti ſupra, Vir Clariſſime, quandam ab Alidoſio indicari, perfectam anno 1516, quæ eadem atque illa videtur eſſe, quæ apud Lindenium primo loco ponitur, *Papiæ apud Bernhardinum de Garaldis* 1516. *in fol. cum diverſis variis argumenti Auctoribus*. Hanc tamen primam omnium fuiſſe facilius crederem, ſi Bolognini unius Scripta, ut fit fere in primis editionibus, non aliorum quoque, protuliſſet; neque indicia præterea quædam eſſent, illa antea, & ſeorſum quidem prodiiſſe. Laudatum utique Goelickium (*e*) tradidiſſe video, Bologninum *in Academia Bononienſi Chirurgiam publice docuiſſe*, *atque adeo circa annum* 1506. *ſcriptis ſuis innotuiſſe eruditis*. Libellus tamen *de Unguentis* poſtea exierit, neceſſe eſt, quando Auctor inter ejus initia oſtendit, ſe in illa Academia Chirurgiam profitentem, ſtudioſorum ac Doctorum *ingeminatis in dies precibus* adductum, eum libellum conſcripſiſſe, hoc eſt, poſt annum 1508, quo ipſum Bononiæ docere cœpiſſe Alidoſius, ut vidimus, indicavit. Accedit miſſum eſſe librum ad Franciſcum Caballum, qui, ut in præfixa Epiſtola cæteris laudibus eſt ornatus, ita rem Medicam Patavii ex primaria ſede tunc exponere dictus eſſet, ſi fuiſſet ſcripta Epiſtola ante annum 1509, ex quo Brixiam in patriam ſe recepiſſe Caballum accepimus (*f*). Videtur igitur poſt initia Cameracenſis belli vulgatus, & ſeparatim quidem, atque adeo poſt editionem libri de Ulceribus, quippe carminibus peculiaribus illi adjectis, quibus id Angeli de *medicaminibus ſecundum opus* commendatur.

,, Libro autem de ulceribus in editione eadem, quam mihi in manibus eſſe dixi, præpoſita Epiſtola eſt ad Franciſcum Gonzagam, Mantuæ Principem, qua ex Epiſtola intelligitur Auctorem, cum *ſuperioribus annis in maritima Venetorum claſſe primum*, *deinceps in Epidauri urbe degeret*, *chirurgum publico ſtipendio gerens*, hunc librum inchoaſſe horis ſubſeſſivis, cumque eundem *nuper Venetiis abſolviſſet*, *& emittere deſtinaſſet*, Franciſcum ſibi *Principem inviciſſimum occurriſſe*, *cui illum ... dedicaret*. Hinc conſtat prodiiſſe eum librum, antequam Angelus in Bononienſem Academiam vocaretur, quippe unde, ut ex Scardeonio didicimus, in patriæ perpetuum otium ſeceſſit. Prodiit igitur ante an-

(*a*) *Vide* ejuſd. Agri Patav. Inſcript. Pag. 299. num. 32. (*b*) Loc. cit. (*c*) Loc. cit. Cap 15. n. 64
(*d*) Scilicet in *Collectione Veneta prima*, de qua infra ad annum 1535. (*e*) Loc. ſupra cit.
(*f*) Vide cit. Hiſtor. Gymn. Patav. Tom. 1. Lib. 3. Sect. 2. Cap. 10. N. 48.

„ te annum 1508, ſed quo tandem anno, & quo in loco, mihi quidem adduc in-
„ compertum eſt„

JOHANNES VOCHS, Colonienſis, Artium & Medicinæ Doctor, Medicinæ ſtudio operam dedit in Italia, ac ut ipſe ait, (*a*) „ in Chirurgia ſe Sulmone exercitavit & ea parte Italiæ, quæ quondam magna Græcia dicebatur, ſub Doctore & Præceptore ſuo Magiſtro Butio de Trincis, quem facile, ut pace aliorum dixerit, principem Medicorum Italiæ appellaverit„. Inde in patriam regreſſus, Coloniæ medicicinam fecit *per annos quadraginta*, ut ipſe gloriatur, in prooemio Opuſculi ſui *de Peſtilenlia*, & ibi Peſtes multas vidit, ac inter ceteras eam, quæ Coloniæ graſſata eſt anno 1506 & 1507, & quæ illi copiam dedit ſcribendi ſequentem librum. 1507

De Peſtillentia anni præſentis, & ejus cura, ad Illuſtriſſimum Principem & Dominum Dominum Fredericum, ſacri Imperii Electorem, Ducem Saxoniæ, &c. cum quibuſdam dubiis & digreſſionibus, ſine quibus cura non perficitur, eximii Viri Johannis Vochs de Colonia, Artium & Medicinæ Doctoris acuratiſſimi. Et ad calcem libri, *Impreſſum Magdeburge, per.... Jacobum Winter, anno milleſimo quingenteſimo ſeptimo, in* 4°. Bibliothec. Sloaniana & Mazarin.

Scriptus eſt Tractatus ille ad *Fredericum* III. cognomine *Sapientem*, Erneſti filium, *Ducem* Saxoniæ, S. R. I. Electorem, qui regnare cœpit anno 1486, & fato functus eſt anno 1525.

Profitetur Auctor, in Epiſtola nuncupatoria ad Fredericum data, lucubrationes ſuas a ſe ad illum non „ mitti in præjudicium perdocti & illuſtris Domini Martini Meller- „ ſtad „ (Martini Pollichii, Mellerſtadii, de quo ſupra ad annum 1501) „ in Theorica Medicinæ Viri excellentiſſimi, ſed potius ut Vir tantus diſcuſſa a ſe & agitata e- „ xaminet,........ caſtiget ex his Medicus & Doctor egregius illius caſtiganda, ſu- „ perflua receſet, & diminuta ſuppleat.

Diſtribuitur hoc opus Vochſii in partes duas, quarum altera de Ætiologia, Diagnoſi, & Prognoſi; altera de Curatione peſtis agitur. In neutra de lue venerea ſpecialis quæſtio eſt, ſed in utraque interſperſa occurrunt varia loca, quæ ad veneream luem ſpectant, & quæ ideo excerpere operæ pretium viſum eſt.

I. Vochſius (*b*) acriter invehitur in luxum Germanorum, in Judicium iniquitatem, in mores Clericorum, in immanitatem Militum, quæ ſingula æta te ſua nimis valde invaluiſſe aſſerit. Quapropter cum „ peccatum ſit principium irritandi Creatorem, *ideo*, „ *pergit Ille*, humiliavit nos Deus *morbo* illo *Franciæ*, morbo illo deſpecto, & dies „ noſtros.... abbreviavit hoc morbo.

II. Salſe (*c*) irridet Aſtrologorum vanitatem, qui ſingulos morbos a malignis ſiderum quorumdam influxibus deducebant. „ Carbunculi etiam Franciæ, (*ſic ille vocat* „ *Puſtulas venereas*) diutius durantes malam habent conſtellationem ſecundum illos, „ *ſubdit Vochſius*; ſecundum me autem habent colloſam & bituminoſam materiam; „ quare cum difficultate eradicantur, niſi Medicus fuerit ingenioſus.

III. (*d*) „ morbi Gallici, quem *Carbunculum Franciæ* appellare conſuevit, primitivam cauſam ponit in frumentis & terræ naſcentibus, cum ferme ante hunc morbum, per luſtrum vel plus, meſſes erant pluvioſæ, quare frumenta inficiebantur, & „ excreſcebant in horreis, & panes piſtabantur viſcoſiſſimi.... Alimentum igitur ex „ hoc pane chylum crudum fecit, & una cum ſanguine in totum corpus tranſitum fe- „ cit..... Natura autem ſe exonerare cupiens illo colloſo humore, in quamdam ſaniem ſalſuginoſam diuturno & longo tempore putrefecit.... Et hæc eſt primitiva „ cauſa Carbunculorum Franciæ, quæ nec ceſſabit hodie, nec terminabitur in multis, „ niſi ille terminaverit, qui ſolus ſanat morbos Benedictus in ſæcula. Amen.

IV. (*e*) Exotica remedia, quæ ille *Ultramarina* vocat, vehementer damnat, ac in primis Theriacam, quæ ab exteris regionibus in Germaniam importabatur. „ Quo ca- „ chinno, quo plauſu, *ait Ille*, Itali ſubſannant perditos noſtros mores, qui comparamus tyriacam ab his inſulſis & literarum ignaris & merdoſis mercatoribus, qui ca- „ cata ſua fœtida permiſcent melle, addentes alia propter ſaporem & odorem....... „ Tyriaca autem ipſa Andromachi, *pergit Ille*, nunſquam in Italia aut Francia, ſci- „ licet in Monte Peſſulano, ubi quondam diſpenſabatur, nunc non coficitur, *primo*, pro-

D 2

(*a*) Sic ipſe refert in *concluſione ſui Operis*.
(*b*) Part. 1. Cap. 1. (*c*) Part. 1. Cap. 3.
(*d*) Part. 1. Cap. 4.
(*e*) Part. 1. Cap. 7.

„ propter Medicorum laſciviam; *ſecundo*, propter longam fermentationis moram; *tertio*, propter balſami & aliorum carentiam; *quarto*, propter ejus debilem operationem, quam habet in leproſis aut elephantioſis, quos promittit curare hoc antidotum.

V. Monet in lue venerea purgationem per inferiora ægre cieri. (*a*) In morbo, *inquit*, illo Herculeo Carbunculorum Franciæ, etiam Helleborus uterque, colochyntida, & his acutiora vix morbum aut materiam morbi commovent.

VI. Dum curationem Peſtis explicat, aſpere inſurgit, ſed ὡς ἐν παρέργῳ, in uſum mercurialium inunctionum ad curandam luem veneream adhibitarum. (*b*) „ Noſtri „ etiam homicidæ, *inquit*, qui ungunt corpora in morbo Franciæ in æſtuariis calidiſſimis, ſicut carnifices in igne adurunt, & torquent, infinitos occidunt, licet aliqui „ bene fortunati ex his tormentis evadant,

VII. Demum, quæſtionem eamdem ſuſius alibi tractat. (*c*) „ Quæritur, *inquit*, an „ cura tormentaria in æſtuariis calidis ſine intermiſſione, & unctio cum argento vivo „ conducat in ſcabie aut morbo Franciæ; & cum putredo & phlegma ſalſum, ſit conjuncta cauſa hujus morbi, omnis autem putredo aere concluſo & non eventato augeatur, non videtur cura regalis aut canonica, ſed empirica. Item, *pergit Ille*, putredo & id quod eſt reſolubile, reſolvitur & per fauces ſublimatur (*noverat ſcilicet „ Vochſius ptyaliſmum inunctionibus moveri*) groſſum autem humorem colloſum in lapideitatem ponit. Quare poſt non erit ſpes curæ, unde in juncturis ex parte frigiditatis argenti vivi, ſi qua eſt contractio aut petrificatio facta, de cetero non poteſt „ mollificari, aut reſolvi. Præterea argentum vivum a tota ſubſtantia ſua contrariatur „ homini...... Non igitur ipſo utendum, etiam quantumcunque elongetur a principalibus“, *ſcilicet membris*.

Recte monet Geſnerus Librum Vochſii *habere plus eruditionis & experientiæ medicæ, quam elegantiæ in dicendo*; quod ab Auctore ipſo minime diſſimulatum. (*d*) „ Nolo, *inquit Vochſius*, morderi ab invidis & detractoribus, qui de grammatica & „ latinitate ſua certant, ſi vel celeritate relativum non concordat cum ſuo antecedente; ſæpius etiam ſi inſolitum eloquium emittam, dum aliud cogito, & e veſtigio „ alia ſubſequuntur, prout in buccam ſe fert oratio; Grammatica enim Medicinæ ſub-

1508. „ jecta eſt, & non e converſo. „

Georgius Vella, Brixienſis, Phyſicus, ſcripſit Conſilium medicum *pro egregio Artium Doctore, Aloyſio, Mantuano*, qui morbo Gallico laborabat, in Capita ſeptem diviſum, quod Collectioni Luiſininæ inſertum fuit; verum quo tempore ſcripſerit incertum eſt, ſiquidem primam Opuſculi illius editionem uſurpare nondum fuit. Sed cum Auctor ille nulla alia luis venereæ ſymptomata deſcribat, præter gummata & puſtulas; cum neminem laudat, qui de lue venerea prius ſcripſerit, cum Medicorum Arabum, ut *Rhaſis*, *Meſues*, & potiſſimum *Avicennæ* auctoritate nitatur; & cum nullam de Guaiaco mentionem faciat ad curationem morbi Gallici, videtur inde poſſe colligi Auctorem illum ſcripſiſſe non modo ante annum 1517, quo lignum illud in uſum advocatum fuiſſe conſtat; ſed etiam multo citius & ut conjicio, circiter anno 1508.

In hoc Opuſculo 1°. Affirmat Vella „ (*e*) patere ex quotidiana experientia illos, qui „ inficiuntur tali morbo, non *infici* niſi fere propter ipſorum coitus cum mulieribus tali „ infectione infectis; & ſi hoc non ſit univerſaliter verum, eſſe tamen pro majori parte.

2°. Ait ſe „ (*f*) noviſſe mulieres ſanas quæ coiverunt cum infectis, in quas tale genus „ ægritudinis non tranſivit, & tamen tranſiviſſe in viros alios, coeuntes cum illis.

3°. Refert „ (*g*) exemplum de diſsecto *cadavere ægrotantis cujuſdam ex morbo Gallico*, per egregios Doctores Ferrarienſes, in junctura genuum & ſupra cujus inventa „ fuit notabilis copia phlegmatis groſſi, „ hoc eſt, lymphæ, ſeu ut vulgo aiunt, ſinoviæ ſpiſſæ & viſcidæ.

4°. Videtur „ (*h*) illi quod uſque in hodiernum diem, *id eſt*, *uſque ad diem*, *quo „ ſcribebat*, non ſit inventa medicina exercitio compar, cujus ſolius beneficio multi „ ſanati ſunt a tali ægritudine, nullo alio adhibito medicamine, „ quæ opinio de exercitii efficacia prima naſcentis morbi venerei tempora aperte ſapit.

5°. Ad-

(*a*) Part. 1. Cap. 14. (*b*) Part. 2. Cap. 3. (*c*) Part. 2. Cap. 15. (*d*) In Epiſtola nuncupatoria.
(*e*) Cap. 1.
(*f*) Cap. 1.
(*g*) Cap. 4.
(*h*) Capp. 4. & 5.

5°. Admittit ad curationem quinque intentiones, ,, (*a*) 1°. Materiæ peccantis mino-
,, rationem; 2°. Digeſtionem; 3°. Evacuationem; 4°. Accidentium correctionem; 5°.
,, Reſidui humoris infecti rectificationem ,, , quæ ſingula ad methodicam curationem pertinent.

6°. Attamen ,, (*b*) ut prima cauſa, quæ eſt mala complexio frigida & humida in to-
,, to, rectificetur, *cenſet adhibendas eſſe* unctiones *mercuriales*. Capiatur, *inquit*, Axun-
,, gia & argentum vivum cum debita proportione aliis æquivalente, & ſi ei aliquid
,, addatur mellis & terebenthinæ erit conveniens, ut ſimul confortatio in nervis & dige-
,, ſtio in materia acquiratur: Quo unguento inungatur patiens a quatuor extremita-
,, tibus corporis uſque ad ſubaſcellas & inguina excluſive per decem dies, vel circa, ſe-
,, cundum tolerantiam virtutis, non negligendo etiam aſſidua clyſteria, divertentia va-
,, pores a partibus ſuperioribus ulcerare ſolentibus.

7°. (*c*) Ad reſolutionem vero duritierum adhuc reſtantium cum aliquali dolore, *ju-*
,, *bet admoveri* emplaſtra ex radicibus Althææ & pinguedinibus, & farina Fænugreci,
,, & Therebinthina, & Argento vivo, & melle.... Similiter etiam cerata mollitiva
,, cum Argento vivo. ,,

Nondum mihi ſatis liquet num Georgius ille Vella, Brixienſis, idem ſit atque Georgius Valla, Placentinus, qui vixit eadem ætate, & a quo plurimos habemus Tractatus de Medicina; Hunc nondum iis enucleandum relinquimus, in quorum manus venerit prima editio *Conſilii* illius *medici de morbo Gallico*, quod Georgio Vellæ, Brixienſi attribuitur in Collectione Veneta.

JOHANNES BENEDICTUS, Germanus, Artium & Medicinæ Doctor, ſcripſit Tracta- 1510.
tum *de morbo Gallico*, Capitibus quatuor comprehenſum qui Collectioni Luiſininæ inſertus eſt. Quo tempore prima hujus editio prodierit, non ſatis ſcio, at vero certiſſime ſcio multa eſſe, quæ perſuadeant ad annum 1510 referendam eſſe.

1°. Quod Auctor morbum Galllicum (*d*) *Epidemialem* eſſe affirmet, quæ opinio primis tantum morbi naſcentis temporibus obtinuit, ſed brevi exolexit.

2°. Quod de Guajaco alte ſileat, dum ſexcenta alia remedia minus efficacia congerit cumulatque, maximo quidem argumento Tractatum hunc prius ſcriptum fuiſſe, quam Guaiacum in Europa, ſaltem in Italia & in Germania innoteſceret, atque adeo ante annum 1517.

3°. Quod videatur Liber ille, ut infra (*e*) probabitur, exſcriptus fuiſſe a Johanne Almenar, cujus Opus in Collectione Papienſi exiit in lucem anno 1516. & ſi vera conjicio, non primum.

4°. Quod conjectura quadret aptiſſime in tempus quo vixit Benedictus, de quo conſtat ex duobus aliis ejus Operibus, altero, quod inſcribitur, *Libellus novus de Cauſis & Curatione Peſtilentiæ ad præſervationem ſimul & curam ejus mali optime utilis*, Cracoviæ typis excuſo, *apud Hieronymum Victorem*, 1521, *in*-4. & qui a Mercklino perperam attribuitur cuidam Johanni benedicto Regio, quem a noſtro diverſum facit, ſed quem nullum fuiſſe ſuſpicio eſt: Altero, quod inſcribitur, *Regimen de novo & prius Germaniæ inaudito morbo*, *quem paſſim* Anglicum ſudorem, *alii* Gurgeationem *appellant* &c. Cracoviæ excuſo, *apud eumdem Victorem* 1530 *in* 8°.

Nec 1°. in contrarium pugnant ullomodo, quæ a Benedicto narrantur (*f*) de *Rheu Lithuanico*, ſive *de Radice tempore Invictiſſimi Sigiſmundi*, *Regis Poloniæ*, *in montibus Lithuanæ reperta*, *quæ ſolvit & evacuat citra moleſtiam*, *choleram & phlegma*. Conſtat enim *Rheum* illud *Lithuanicum* inventum fuiſſe circa annum 1507. quo tempore Sigiſmundus I. Poloniarum Rex, bellum gerebat adverſus Baſilium Magnum, Moſchoviæ Ducem, ut Johannes Manardus a Medicis Polonis accepit anno 1515. cum *tres Caſimiri Reges* (nimirum Sigiſmundus, Poloniæ, & VVladiſlaus, Hungariæ Rex, fratres germani, filiique Caſimiri, dum viveret, Poloniæ Regis; ac Lodovicus, Rex Bohemiæ, VVladiſlai filius, nepoſque Caſimiri) *Poſonii aderanti*, *ubi Maximiliani I. Imperatoris adventum præſtolabantur*, quocum anno eodem fœdus pepigere Viennæ Auſtriæ, qua de re legenda Manardi, qui tunc in Aula Regis Hungariæ Archiatros erat, *Epiſt*. 5. *Lib*. 5. ad Nicolaum Leonicenum data, ſicut & *Epiſt*. 3. *Lib*. *ejuſdem*, data Budæ, Calend. Ianuar. ann. 1516.

(*a*) Cap. 7.
(*b*) Cap. 7.
(*c*) Cap. 7.
(*d*) Cap. 1.
(*e*) Ad annum 1512. ubi de *Johanne Almenar*.
(*f*) Cap. 4.

2°. Multo minus urgent, quæ a Georgio Matthia Konigio narrantur in *Biblioth. vetere & nova*, nempe Johannem Benedictum, Medicum Germanum, & cujus eſſe putat „ Opus *De morbo Gallico*, „ tam in literis exercitatum fuiſſe, ut Horatium græce pari „ tum numero carminum tum metro verterit, ob quam verſionem ab Iſaaco Caſaubo- „ non commendatus Philippo Mornæo cathedram Salmurienſem obtinuit : „ in quorum fidem adducit Thomam Bartholinum, *De Medicis Poetis*. Sed Bartholinus nequaquam attribuit Tractatum ullum *De Morbo Gallico* Johanni illi Benedicto, cujus mentionem facit, conſtatque Johannem Benedictum, quem ait commendatione Caſauboni & Mornæi Salmurii Profeſſorem inſtitutum fuiſſe, ut citiſſime, non prius vivere potuiſſe, quam exeunte ſeculo XVI, vel ineunte XVII; atque adeo a Johanne illo Benedicto, qui Librum ſcripſit *De morbo Gallico*, omnino diverſum, quippe qui vixit ineunte ſæculo XI; unde patet Konigium gemino in errore verſatum eſſe.

Ceterum haud dubium eſſe poteſt, quin Benedictus, quæcunque de morbo Gallico profert, didicerit in Italia, cum teſtetur ipſe ſe (*a*) Romæ Venetiis, Bononiæ, & in aliis multis Italiæ Urbibus Medicinam diu feciſſe.

Auctor ille in Tractatu ſuo, I. Conſentit cum ceteris (*b*) de natura & origine morbi, quem novum & antiquis incognitum fuiſſe ait: & de modis morbi contrahendi contagione, nempe (*c*) *coitu*, *tactu*, *oſculis*, *lactis aſſumptione in pueris*, *converſatione cum infectis*.

II. Narrat (*d*) Helvetum quemdam, nomine " Martinum Saver, qui Venetiis mor- „ bum a ſcorto contraxerat, & cui propter ſuſpicionem lepræ patria *Schafouſen* interdi- „ cta erat, caſu in hoſpitium ſuum & curam veniſſe, & perfecte ſanitati reſtitutum „ in patriam lætum conceſſiſſe. „ Quæ non poſſunt intelligi niſi de tempore, quo in Italia Auctor commorabatur, atque adeo ante annum 1521, quo conſtat illum in Polonia vixiſſe.

III. Quærit (*e*) „ cur tempore *ſuo* non reperiuntur gallicantes cum tam ſævis acci- „ dentibus, ſicut apparuerunt ante aliquot annos & in morbi hujus principiis: „ Re- „ geritque „ rationem eſſe in promptu, quia homines nunc ſibi melius cavent ab in- „ fectis, vel quia Medici docti melius cognoſcunt nunc cauſam morbi, & melius ap- „ plicant remedia, quam tempore ante acto.

IV. Ad curationem morbi (*f*) proponit " ſeptem Intentiones, 1°. Lenitionem ven- „ tris. 2. Minorationem materiæ, 3°. Digeſtionem, 4. Evacuationem, 5°. Alteratio- „ nem membrorum, 6. Confortationem eorumdem, 7. Correctionem accidentium.

V. Laudat (*g*) ad digeſtionem & evacuationem materiæ, uſum linimenti mercurialis, ad quod Mercurius recipitur circiter ad partem decimam, & quod ait *eſſe medicinam hujus morbi ſecretiſſimam & perfectiſſimam extra explicandam*.

VI. Hujus Unguenti adminiſtrationem ſic proponit. „ (*h*) Accipiat æger prima & „ ſecunda die ſyrupum *alterantem*; tertia autem die, quando vadit patiens dormitum, „ unguento inungat (leniter & parum de eo apponendo) omnes partes domeſticas, „ (*interiores*) tibiarum & brachiorum, & plantas pedum, & palmas ſeu volas ma- „ nuum, & de mane ſyrupum ſuum accipiat. Ubi vero ſexta die ſint accepti ſex „ ſyrupi & etiam unctiones ordinatæ non prætermiſsæ, tunc dabis ſolutivam medicinam „ ea intentione, ut materia, quæ deberet pelli ad os, ne fiat nocumentum in ore, „ per loca inferiora ducatur. „ quæ totidem verbis leguntur apud Wendelinum Hock, ex quo videtur Benedictus illa tranſcripſiſse.

VII. Parvi pendit illorum redargutiones, qui ſuo tempore Mercurii uſui adverſabantur. (*i*) " Clamabunt forte, *inquit*, periiſse pudorem, ſi dixero quod morbus Gallicus „ habet canonice curari unctionibus, præmiſſis univerſalibus digeſtivis & evacuativis. „ prius. Clament, *addit Ille*, dummodo habeam pro me auctoritates & rationes... Quod ſi interdum malus effectus præfatas unctiones mercuriales ſequatur, hoc fit errore Empiricorum, & præſertim Alchimiſtarum.

VIII. Jubet ut (k) " pro Intentione quinta, quæ die ſequenti poſt purgationem, „ omnibus videlicet ſex diebus, reiteranda eſt, alteratio membrorum fiat cum balnea- „ tione aquæ dulcis, in qua bulliant herbæ infra poſitæ aut ſimiles, fumus terræ, la- „ pathum acutum, biſmalva, chamomilla, melilotum, roſæ, violæ; & ad hoc ſeque- „ tur humectatio, quæ maxime in hoc morbo requiſita eſt.

IX.

(*a*) Cap. 4. (*b*) Cap. 1. (*c*) Cap. 2. (*d*) Cap. 3.
(*e*) Cap. 3. (*f*) Cap. 4 (*g*) Ibidem. (*h*) Ibidem.
(*i*) Ibidem. (K) Cap. 4.

IX. Damnat (*a*)" Empiricorum ſuffumigia, in quibus ponitur Cinabrium, tanquam ,, præſentiſſima venena, ex quorum fumo vidit periiſse quemdam nobiliſſimum Pictorem ,, Bononiæ, & mulierem deveniſse ad Apoplexiam.

X. Non improbat *Stuffas*, neque *eſum Serpentum coctorum in olla*, imo neque *Anguillarum*, ſed quod nimis credulum animum ſapit, (*b*) ait ,, ſe ſyrupo de Pomis compoſito Meſuæ rem mirabiliorem non vidiſse. Liberat enim, *inquit*, a puſtulis & ,, Scabie & a doloribus in paucis diebus; & ideo in eo, quia non me fallit, plurimum ,, confido, & multos perfecte non modo Romæ, verum etiam Venetiis curavi etiam ,, a gummis abſque unctionibus.

XI. Ceterum ait (*c*)" non eſse ludendum cum puſtulis virgæ poſt coitum, quia facile pervenitur ad virgæ & teſtium totalem amiſſionem, quemadmodum accidit Venetiis cuidam Impreſsori, dicto Herczock. Nec, *pergit Ille*, verecundia eſt habenda, cum boni Medici ſint ut boni Confeſsores, qui non revelant occulta eis commiſſa. Et ideo mos peracto coitu optime abſterges pudibunda cum tua camiſia aut panno lineo, deinde lava cum vino albo, aut cum aqua calida, non autem cum frigida, quia compingeres materiam in loco.

XII. Laudat Balnea ſive *Sudatoria* ad morbi curationem. (*d*)" Nec mireris ſuper hoc ,, *inquit*, quoniam videmus Sudatorio (*e*) Sancti Germani, Capuani Epiſcopi, poſt ,, Cryptam Neapolitanam locato, ubi animam (ut Gregorius (*f*) 4°. *Dialogorum* ſcribit) Paſchaſii, Cardinalis, invenit, infinitos gallicantes ſanari, ſi purgati eo utantur. ,, Sed hac in re Benedicti obſervationibus minime credendum eſse cenſemus.

Johannes Almenar, Hiſpanus, Artium & Medicinæ Doctor, ſcripſit ad amicum 1512
quemdam ſuum, nomine Lucam, Libellum *De morbo Gallico* ſeptem Capitibus abſolutum. Affirmat in Epiſtola operi prefixa, ad Lucam illum data, quæ Præfationis loco eſt, ,, ,, ſe in hoc Opuſculo niſi multis experientiis comprobata remedia non ſcripturum; *ſed* ,, *videtur ſatis temere ibidem polliceri* ſe libellum traditurum, quo ſani a morbo Gallico præcaveantur; infirmi adeo liberentur, ut nunquam morbus revertatur, nec uti Empirici faciunt, in lecto ſtare cogantur, nocumentum in ore nullum accidat; incurabiles, qui ,, reputantur quandoque tales, morbi mirifice ſanentur, & in curando fiſtulas, cancrum, ,, ſcabiem, Lepram & omnes fere melancholicos morbos, *Lector* doctus efficiatur: ,, Neque enim in hoc Opere quidquam reperire eſt, quod datam promiſſorum fidem liberet.

Rogat Auctor amicum ſuum Lucam, ,, ſi ex ſuo libro fructum conſequatur, ut Deo laus ,, & gloria tribuatur: pro ſui tamen laboris mercede illi, & quibus hic labor profecerit. ,, *Deum precari* & dicere libeat, *Te Deum ſuppliciter exoramus*, *ut qui hoc nobis beneficium attulit*, *tuo beneficio muniatur*, *ut ab omni animi & corporis miſeria liberetur*, *&* ,, *nos liberemur. Amen.* ,, Quæ ideo annotare placuit, quod ea oſtendant Almenarem inter antiquiſſimos Scriptores de morbo Gallico numerandum eſſe, ſiquidem pia illa loquendi ratio, quæ in antiquioribus Auctoribus paſſim obvia eſt, abiit in deſuetudinem initio ſæculi decimi ſexti.

Quod ad argumentum Libri, 1°. Cenſet Almenar morbum Gallicum ,, (*g*) ,, *ab influxu cœleſti* in principio ortum fuiſſe; *unum eſſe*, *non plures*: differre *ab Aſaphato Arabum*; *imperfecte curari*, *ſi curentur tantum puſtulæ*.

2°. Docet duas eſſe ſuo tempore morbi cauſas, ,, (*h*) quarum prima eſt ſola influentia ,, vel aeris corruptio, per quam cauſam eveniſſe pie credendum eſt in religioſis: quarum ,, ſecunda eſt converſatio, ut per oſcula & lactis aſſumptionem, ut in pueris viſum eſt, ,, aut per coitum, ut in pluribus compertum eſt frequentiſſime eveniſſe; aliis autem ,, modis & precipue a ſola influentia vel aeris corruptione rariſſime.

,, 3°. Non alia cognoſcit luis venereæ ſigna ſive ſymptomata, præter ulcera ,, (*g*) in virga, ,, quæ aſſimilantur Carolis; gravitatem capitis & colli dolorem, qui paulatim expanditur verſus humeros & ſpatulas, uſque ad juncturas primo brachiorum, deinde tibiarum; ,,

ac de-

(*a*) Ibidem. (*b*) Ibidem. (*c*) Cap. 4. (*d*) Ibidem.

(*e*) ,, Puteolos Neapoli petens, cum medium viæ perrexerit, ſi paulum dextrorſum declinaverit, lacum inveniet.... ad cujus oram domus ſita eſt operta teſtitudine, in qua ex hiatu terræ copioſus ,, & calidus fumus emanat. Hanc domunculam ſi quis nudus intraverit, ſentiet ſtatim totum corpus in ,, ſudorem reſolvi, & ob hoc Sudatorium dictum eſt. ,, Johannes Elyſius, *De Balneis Neapolitanis*. De Sudatoriis iiſdem Sancti Germani, *Vide* Paulum Hentznerum, *in Itinerario Italiæ*, *pag.* 47?

(*e*) Divus Gregorius, *Lib.* 4. *Dialogorum*, *cap.* 40. narrat hanc hiſtoriam, animæ nempe Paſchaſii Diaconi, in Sudatorio illo Sancto Germano obviæ.

(*f*) Cap. 1.

(*g*) Cap. 2.

(*h*) Cap. 3.

ac demum *puſtulas* per cutem ſparſas, quæ morbum graphice depingunt, qualis apparuit initio.

4°. ,, (*a*) Curam hujus morbi per ſeptem intentiones compleri arbitratur: Prima eſt ,, ventris lenitio: Secunda minorativa evacuatio: Tertia, materiæ digeſtio: Quarta, ,, ipſius evacuatio: Quinta, membrorum alteratio: Sexta, ipſorum confortatio: Septi- ,, ma, accidentium correctio.

5°. Ad tertiam intentionem, quæ eſt materiæ digeſtio, laudat (*b*) uſum unctionum mercurialium, cum *materia eſt adeo rebellis*, ait ille, *ut non poſsit per intus ſuſcepta digeri*.

6°. Unguento, (*c*) cujus formulam præſcribit, Argentum vivum admittitur ad partem totius nonam, additque hoc *unguentum eſſe propriam medicinam hujus morbi*, & *ultimum & majus ſecretum*, *quod eſſe poſsit circa ea*, *quæ exterius applicantur*.

7°. Cenſet illitiones mercuriales per intervalla adminiſtrandas eſſe. ,, (*d*) Talis, *inquit* ſervetur ordo, ut prima & ſecunda die accipiat ſyrupum (*alterantem*) patiens; Tertia autem die facias ungi cum unguento inferius deſcribendo (*cum unguento mer-* ,, *curiali*, *de quo mox*) omnes partes domeſticas (*hoc eſt*, *interiores*) tibiarum & bra- ,, chiorum, & plantas pedum & palmas manuum, leniter tamen & parum apponendo ,, de unguento, & hoc quando vadit patiens dormitum: Et de mane accipiat etiam ,, ſuum ſyrupum, ita ut in ſexta die ſint accepti ſex ſyrupi, & ſint factæ tres unctiones ,, & tunc dabis medicinam ſolutivam, & humores, qui per os expelli deberent, ad in- ,, feriora divertentur, & ſic evitabitur nocumentum in ore. In diebus autem ſequen- ,, tibus ſimili modo utaris, fortificando tamen aliquantulum digeſtivum & etiam un- ,, guentum, ponendo magis de Theriaca, & Argento vivo ,,. Quæ omnia ex Wendelino Hock, *Tractatu de mentagra*, *Cap. XVI.* de verbo ad verbum tranſcripta ſunt, non ſine manifeſto plagio.

8°. *Pro ſeptima intentione*, *quæ eſt accidentium correctio*, proponit *ad puſtulas* unguentum, quo aliquanta Mercurii extincti pars excipitur, & quod ait, *mirabile eſſe*.

9°. Porro non modo notum illi fuit ptyaliſmum inunctionibus mercurialibus induci, cum ipſe os ab uſu Argenti vivi *fœtere* affirmet, & *oris nocumento*, quod inde accidit, conetur occurrere, ſed quod majoris momenti eſt, experientia compertum habuit, *ſummum remedium eſſe*, *ut cum incipit humor expelli per os*, *divertatur cum medicinis per ſuperius & inferius exhibitis ad partes inferiores*.

Proſtat laudatum Almenaris Opuſculum in Collectione Papienſi, anni 1516. ſed prius excuſum fuerat: Quo vero anno, aut loco primum excuſum ſit, hactenus ignoro, cum prima illa editio in manus meas nondum inciderit.

Ceterum Liber ille Johannis Almenaris, & Liber Johannis Benedicti, de quo ſupra ad *annum* 1510. inter ſe ita congrunt, non ſententiis modo, ſed etiam verbis, ut nemo poſſit, ſi utrumque attente perlegat, quin fateatur alterum ab altero tranſcriptum fuiſſe. Sane cum de anno, quo uterque in lucem primum exiit, comperti nihil habeam, utrum plagii nomine damnem non ſatis teneo. Multa tamen occurrunt, quæ ſuadeant & perſuadeant fere Johannem Almenarem a Johanne Benedicto Librum ſuum furatum eſſe; nempe 1°. Almenaris Opus contractius, nitidius, clarius eſſe, verbo dicam, curis poſterioribus elimatum videri, 2°. Curæ non fuiſſe Almenari, ut ſe excuſatione ulla liberaret culpa laudatæ & approbatæ unctionis ex hydrargiro, ut id Benedicto curæ fuit, unde videtur colligi hidrargyroſim jam tum increbuiſse, atque adeo minus odioſam fuiſſe. 3°. Addi ad calcem Tractatus Almenaris Capita tria, quæ deſiderantur in Libro Benedicti, & quæ ut ab illo adjici facile potuerunt, ſic nulla ratione debuiſſent ab hoc reſecari.

JOHANNES DROYN, Ambianus, (*e*) *Legum Baccalaureus*, ut ſe vocat ipſe, Poeta Gallicus ætate ſua haud inceleber, floruit extremo ſæculo decimo quinto, & ineunte ſequente. Scripſit gallice duo Poemata, quorum alterum inſcribitur *La Nef des fols du monde*, & excuſum fuit Lugduni, *in fol.* anno 1438. ut in ipſa epigraphe legitur, ſed in quam videtur mendum irrepſiſſe ex metatheſi poſtremarum cifrarum, cenſeo enim legendum eſſe 1483. ut annus libro aſcriptus cum rei veritate quadret, qua compertum eſt Typographicam artem Lugdunum citius non inductam fuiſſe. Alterum Auctoris Poema dicitur *La Vie des trois Maries*, & Rothomagi typis editum eſt, anno 1511. *in* 4°.

Biblioth. Regia. Exſtat præterea carmen Gallicum ejuſdem de *Variola craſſa*, ſive lue venerea, & illius quidem generis, quod a Gallis *une Ballade* nuncupatur, excuſum Lugduni *in* 12. anno 1512. ad cal-

(*a*) Cap. 4. (*b*) (*c*) (*d*) Cap. 4. (*e*) In *Iſcriptione ſuorum Poematum*.

ad calcem Poematis gallice ſcripti a Fratre Guillelmo Alexio, Monacho Lirano & Priore *de Buſſi*. Cum Poeta ille Gallorum ſecundus ſit, quem noverim, a quo luis venereæ mentio facta fuerit, haud abs re eſſe viſum eſt, ſi propoſitum carmen deſcriberetur.

BALLADE.

Plaiſans Mignons, Gorriers, Eſperrucats,
Penſez a vous, amendez voſtre cas,
Craignez les troux, car ils ſont dangereux.
Gentilshommes, Bourgeois & Advocats,
Qui deſpendez Ecuz, ſalus, Ducas,
Faiſant bancquetz, èsbattemens & jeux,
Ayez reſgard que c' eſt d' eſtre amoureux,
Et le mettez en voſtre protocole;
Car pour hanter ſouvent en obſcurs lieux,
C' eſt engendrée cette groſſe Varole.

Menez amours ſagement par compas,
Quand ce viendra a prendre le repas,
Veue ayez nette devant vos yeux.
Fuyez ſouſſi, & demenez ſoulas.
Et de gaudir jamais ne ſuyez las,
En acquerant hault regnon vertueux.
Gardez-vous bien de hanter gens rongneux,
Ne gens deſpitz, qui ſont de haulte colle;
Car pour bouter ſa lance en aulcun creux,
C' eſt engendrée cette groſſe Varole.

Hantez Mignones, qui portent grans eſtas,
Mais gardez-vous de monter ſur le tas
Sans chandelle; ne ſoyez point honteux,
Foulliez, jettez, regardez hault & bas,
Et en aprez prenez tous vos esbas.
Faitez ainſi que gens aventureux,
Comme dient un grand tas de Baveux,
Soiez lettrez ſans aller a l' eſcole;
Car par Lombars ſoubtils & cauteleux,
C' eſt engendrée cette groſſe Varole.

ENVOI.

Prince, ſachez que Job fut vertueux,
Mais ſi fut-il rongneux & grateleux.
Nous lui prions qu' il nous garde & conſole.
Pour corriger Mondains luxurieux,
C' eſt engendrée cette groſſe Varole.

JACOBUS BERENGARIUS, Carpus, ſive Carpenſis, hoc eſt, natus *Carpi*, in 1512
urbe Ducatus Mutinenſis, unde ex conſuetudine illus ſæculi factum eſt, ut latine *Ja-* 1522
cobus Carpus, italice vero *Maeſtro Jacomo da Carpi* vulgo diceretur, quæ appellationis varietas cauſa fuit, ut a pleriſque Bibliographis ex uno Auctore gemini facti fuerint. Patrem habuit Chirurgum, vel Medico-Chirurgum, in arte expertum, cujus laudat ille (*a*) *Ceratum* quoddam *humanum pro Capite*, & a quo ait (*b*) *matricem corruptam integre extractam fuiſſe in terra Carpi* in muliere, *quæ ſanata eſt & diu vixit*. Prima poſuit tyrocinia *in manſuetiorum Muſarum rudimentis*. Carpi in patria *ſub Aldo Manutio Romano*;

una

(*a*) De Fractura Calvæ, Cap. *De qualitate Medicinæ Capiti applicandæ*.
(*b*) In Iſagogis, Capite *de Matrice*.

una cum Alberto Pio, Carporum Comite, ut ipſe teſtatur in Epiſtola dedicatoria ad hunc Albertum Pium ſcripta, & *Iſagogis ſuis in anatomiam præfixa*.

Errant (*a*) quicunque ajunt cum Falloppio Berengarium Chirurgum fuiſſe. Compertum eſt enim ipſius Berengarii teſtimonio, non modo *Artium & Medicinæ Doctorem* illum fuiſſe, ſed etiam publicum Anatomiæ & Chirurgiæ Profeſſorem, primum in Ticinenſi, deinde in Bononienſi Academia, ubi Angelo Bolognino ſucceſſiſſe videtur, & ubi nomen ſibi fecit egregium inſigni tum Anatomiæ, tum Chirurgiæ peritia.

In Anatomicis cadavera ipſe ſuis manibus ſecabat, quorum (*b*) *plurima centena* dicitur diſſecuiſſe. Quin imo, ſi Falloppio (*c*) fides adhibenda ſit, eo inſaniæ ſeu potius furoris proceſſit, ut *Hiſpanos duos laborantes morbo Gallico*, quos domi ſanandos habebat, *vivos Anatomicis adminiſtrationibus deſtinaverit*, qua de cauſa ne debitas pœnas daret, Ferrariam aufugere neceſſum habuerit; ſed videtur Falloppius incertis rumoribus aurem nimium credulam præbuiſſe. Quamobrem tam impium facinus, cum a Chriſtianis moribus planiſſime abhorreat, neque ullo alio certiore auctore nitatur, fidem nullam habere debet, tanto quidem magis quod Berengarius ipſe immanitatem illam aperte deteſtetur: (*d*) *Tempore noſtro*, ait Ille, *non fit Anatome in vivis*, ... *& præ immanitate deſiſtimus a tali opere*.

In Chirurgicis pari quoque modo manum Operationibus ipſe admovebat, ut ætate illa Medicis pleriſque ſolemne fuit: „ Tempore noſtro, *inquit ipſe Berengarius*, „ non fit anatome in vivis, niſi forte a medicis, ut mihi contingit interdum, inciden-„ do apoſtemata, & ſecando ulcera, & trepanando, & perforando membra, ubi cogno-„ ſcuntur nexus membrorum, poſitiones & operationes; & longe melius cognoſceren-„ tur in vivis quam in mortuis, niſi præ immanitate deſiſteremus a tali opere.

Tantam illis artibus peritiæ famam conſecutus eſt Berengarius, & teſte Falloppio „ „ (*e*) tantæ auctoritatis Bononiæ, Ferrariæ, Regii & Mutinæ fuit, ut ſuo tempore omnes alios Italos ſuperaverit. „ Laudatur imprimis ab eodem, quaſi (*f*) *in univerſa Europæ peſte* ab anno 1527. ad annum 1531, „ ſanaverit omnes quos tractavit, exhi-„ bendo pharmacum ſolutivum in principio & augmento robuſtiſſimum.

Biblioth. Regia. Scripſit Berengarius Libros tres, unum de Chirurgia, nempe Tractatum *de Fractura Calvæ ſeu Cranei*, Bononiæ primum typis excuſum anno 1518. *in* 4°. apud Hieronymum de Benedictis: Duos vero de Anatomia, nempe *Commentaria cum ampliſſimis additionibus ſuper Anatomia Mundini, una cum Textu ejuſdem in priſtinum & verum nitorem redacto*, Bononiæ, apud Hieronymum de Benedictis. 1521, *in* 4°. Et *Iſagogas breves, perlucidas ac uberrimas in Anotomiam humani corporis*, Venetiis, apud Bernardinum de Vitalibus, 1522. *in* 4°.

At vero de morbis venereis nihil quidquam ab eodem ſcriptum novi, imo ne ullam quidem ægritudinis illius mentionem alibi factam, quam in ſuis *Iſagogis in anatomiam humani corporis*, *Cap. De Amygdalis*, ubi Carpus ait *Amygdalas* ſive Tonſillas *paſſiones omnium modorum pati*, *& nunc*, hoc eſt, Auctoris ætate, *in certo morbo epidemioſo*, *qui a Vulgaribus* Morbus Gallicus *nominatur*, *apoſtemari*, *indurari*, *ulcerari*.

Refert tamen Falloppius (*g*) *Jacobum Carpenſem*, *cum ſolus calleret ſecretam hanc medicinam*, (nempe adhibendi inunctiones ex hydrargyro ad curationem luis venereæ) *ita opulentum redditum fuiſſe ſolo illo quæſtu*, *ut teſtatus fuerit*, (teſtamento legaverit) *numeratam*, *pecuniam* 40000 *ſcutatorum*, *præter argenteam materiam*, *quæ omnia Duci Ferrariæ reliquit*. *Omnis enim aqua*, addit Falloppius, *ad mare currit*.

Videtur allatum Falloppii teſtimonium confirmari loco quodam e Libro (*h*) *De Vita Benevenuti Cellini*, *Aurificis & Sculptoris Florentini*. Ait nempe Cellinus, Libri Auctor, Jacobum Carpum, quem vocat *Maeſtro Jacomo da Carpi*, Romam veniſſe anno 1523, & quoslibet ex lue venerea ægrotantes curandos ſuſcepiſſe, etiam ab aliis Medicis deſperatos, in quo felicem operam præſtitiſſe viſus fuit; ſed non diſſimulat curationem fallacem fuiſſe in pleriſque, quippe qui paulo poſt mortui fuerint; unde liquet curatoriam methodum, a Carpo adhibitam, neque ſatis efficacem, neque vere radicalem fuiſſe. Nihilominus tamen fatetur Cellinus Jacobum Berengarium artis ſuæ peritiſſimum fuiſſe, qui magnis præmiis a Clemente VII. ſummo Pontifice, ad miniſterium invita-

tus,

(*a*) Vide *ma quatriéme Letre à M. Delaire* ſur un Ecrit intitule *Reponſe d'un Chirurgien de S. Come*.
(*b*) Sic ipſe teſtatur. (*c*) De Morbo Gallico, *Cap.* 76.
(*d*) Commentar. ſuper Anatomiam Mundini. (*e*) Tractat. de Bubone peſtilenti, *Cap. XI.*
(*f*) Ibidem, & De Tumoribus, *Cap. XXVII.*
(*g*) De Morbo Gallico. *Cap.* 76.
(*h*) *Vita di Benevenuto Cellini, Orefice, e Scultore Fiorentino, da lui medeſimo ſcritta.* In Colonia anno, ... *in* 4

tus, æquiſſimas conditiones, quæ offerrebantur, abnuerit libertatis amans.

Ex his ergo poteſt colligi Berengarium Carpum, tametſi haberi minime poſſit pro prima illitionum mercurialium inventore, quod cum (*a*) aperta rei veritate pugnaret, & in quo tamen plurimos peccare ſatis ſcio; at ſaltem numerandum eſſe inter primos, præcipuoſque hydrargyroſeos promotores & amplificatores, atque adeo hoc nomine meritum eſſe ut locum haberet in hac Auctorum enumeratione, qui curatoriam luis venereæ methodum illuſtraverunt.

Ignoratur tum natalis, tum emortualis annus Carpi. Poſſunt tamen ſequentia colligi de tempore quo ille floruit: Nempe Bononiæ anno 1507 commoratum fuiſſe, cum ipſe referat (*b*) a ſe ibidem hoc anno *matricem integre reſectam fuiſſe, quę gangrænata erat, in muliere quæ ſupervixit ſana*: Ibidem tamen Profeſſorio munere nondum functum eſſe, quod Bologninus ſuſtinebat: Paulo poſt abiiſſe Ticinum, ubi aliquandiu Cathedram Chirurgiæ & Anatomiæ tenuit: Rediiſſe deinde Bononiam, in locum, ut conjicio, Bolognini, qui munus tunc abdicaverat: In ea Civitate anno 1518. Tractatum *De fractura Calvæ ſivi Cranei*; & anno 1522. *Commentaria ſuper Anatomia Mundini*, in lucem dediſſe: Anno circiter 1523 Romam profectum eſſe, ubi ſummo Pontifici Clementi VII arte ſua innotuit: Demum anno 1527, imo etiam anno 1531, in vivis ſuperfuiſse, ac in peſte quæ tunc temporis per Italiam graſsata eſt, ægrotantium plurimis opem & ſalutem tuliſse, atteſtante Falloppio. Conſtat inſuper (*c*) ipſius teſtimonio illum per Aſiam peregrinatum fuiſſe, ſed ad quodnam tempus illa peregrinatio referenda ſit ambigo.

JOHANNES DE VIGO, Genuenſis, oriundus ex Urbe *Rapallo* quæ eſt in ditione Genuenſium, unde *Rapalligenam* ſeipſum dicit initio *Lib. 7. ſuæ Chirurgię Copioſæ*, & in proœmio *Compendioſæ*, Medico-Chirurgus, ſeu quod idem eſt, (*d*) *Doctor Chirurgiæ*, ſiquidem (*e*) nemo ad gradum Doctoris Chirurgiæ promovebatur, niſi poſt iterata in facultate quadam medicæ examina. 1514

Chirurgus primarius fuit Julii II. ſummi Pontificis, qui electus die ultima Octobris anni 1503, obiit die 21 Februarii anni 1514; ſeu ut ipſe ait, (*f*) *deputatus fuit ad Chirurgicum munus* in Curia Romana, ubi Julius II. eum (*g*) *ſummis honoribus, officiis & beneficiis honeſtavit*, & *Sixtus* Gara de Ruvere, Julii II. ex ſorore Luchina nepos, *S. P. ad Vincula Cardinalis, ac Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Vice-Cancellarius trecentis aureis pro opere ſingulis annis donabat*.

Teſtatur ipſe (*h*) ſcribendæ ſuæ Chirurgiæ Copioſæ manum primum a ſe admotam fuiſſe anno 1503, & Opus ad umbilicium (*i*) perductum fuiſſe anno 1513. Unde facile adducor ut credam Johanni Anthracino, D. M. & Johannis de Vigo amico intimo, cum ait (*k*) Opus illud *primum tribus annis* ante 1517, *& duobus Ticini, probatiſſimi Gymnaſii, pulcherrime fuiſſe impreſſum, & immortalitati commendatum*; maxime cum Anthracini teſtimonio Michaelis Juſtiniani cofirmari poſſit, aſſerentis (*l*) Chirurgiam Copioſam Vigonis typis editam fuiſſe Romæ, anno 1514. cum hac Inſcriptione.

> *Practica Copioſa in Arte Chirurgica, nuper edita a Johanne de Vigo, Julii II. Pontificis maximi olim Chirurgico, quæ infra ſcripta continet volumina.* Romæ, *per Magiſtrum Stephanum Guillireti, & Magiſtrum Herculem Bononienſem, ſocium*, MDXIV. *in folio*.

Hoc Opus Libris IX univerſam Chirurgiam complectitur. In V. differitur ſatis fuſe de *Morbo Gallico* duobus primis Capitibus, quæ inde excerpta proſtant in Collectio-Veneneta Aloyſii Luiſini.

Teſte

(*a*) *Vide ſupra* ubi de Conrado Gilino, Johanne Vveidman, Gaſpare Torrella Sebaſtiano Aquilano, Antonio Benivenio. Vvendelino HocK, Jacobo Cataneo, Angelo Bologino, Johanne Almenar, Georgio Vella, Petro Maynardo.

(*b*) In Iſagogis, *Cap. De Matrice*.

(*c*) De Fractura Calvæ, Cap. *De qualitate Medicinæ Capiti applicandâ*.

(*d*) In Epiſtola *Johannis de Vigo* ad Anthracinum ſcripta & *Compendioſæ* præfixa.

(*e*) Falloppius, *De Vulneribus Capitis*, *Cap.* 28. Et Jacobus Philippus Tomaſinus, *De Gymnaſ. Patavino*, Cap. *de Doctoribus Chirurgicis*. (*f*) In proœmio *Chirurgiæ*, & alibi *paſſim*.

(*g*) In Epiſtola Anthracini *Compendioſæ* prefixa. (*h*) In Proœmio *Copioſæ*.

(*i*) In fine *Copioſæ*.

(*k*) In Epiſtola præfixa Compendioſæ.

(*l*) Michele Giuſtiniani, *Degli Scrittori Liguri*.

Teſte Auctore illo I. (*a*) „ Anno 1494. de menſe Decembri .... apparuit quod-
„ dam morbi genus quaſi per totam Italiam incognitæ naturæ.... Et iſta ægritudo e-
„ rat incognita & nunquam a Doctoribus viſa, prout tunc erat.

II. „ Erat præterea, & adhuc eſt morbus præfatus contagioſus, præſertim per
„ coitum ſive coniunctionem mulieris fœdæ cum viro, & e converſo. Nam ejus ori-
„ go in partibus genitalibus, videlicet in vulva in mulieribus, & in virga in homi-
„ nibus ſemper fere fuit cum puſtulis parvis.

III. „ Pro ejus curatione operæ pretium fuit nova auxilia & pharmaca indaga-
„ re; & in rei veritate, ſi quid ſalutis inventum fuerit in iſto morbo, fuit potius ex
„ novis experimentis, quam ex antiquis auxiliis.

IV. (*b*) „ Quidquid boni inventum fuit tam de localibus, quam univerſalibus au-
„ xiliis pro curatione hujuſmodi morbi Gallici, (& crede mihi tanquam experto in
„ tali re) a Theodorico, Capitulo *De Malo mortuo*, & Arnaldo de Villanova, Capi-
„ tulo *De Cura Scabiei*, accepimus. „ Quæ videntur ex Jacobo Cataneo, *De Morbo Gallico*, *Cap.* 7. tranſcripta, ubi eadem totidem fere verbis leguntur.

V. Duplicem diſtinguebat ſtatum morbi, *recentis* & *confirmati*. Cenſebat quidem *recenti* convenire poſſe curationem methodicam jam ſupra deſcriptam, quæ obtinebatur uſu diætæ legitimæ, alterantium, phlebotomiæ, purgantium, balneorum, ſtuffarum & linimentorum quibuſcum argentum vivum admiſcebatur. (*c*) „ quando antedicta cura-
„ tione iſte morbus cum ſuis doloribus & puſtulis removeri non poterat. „

VI. Ad confirmatum vero morbum Mercurio ſemper utebatur. (*d*) „ Nulla *inquit*,
„ melior medicina eſt, (crede mihi) quam protinus patientem illinire infraſcripto li-
„ nimento, aut loco linimenti ceratum imponere in brachiis & tibiis, ſemel aut bis
„ in die, donec dentes dolere incœperint; & cum dentes dolere incœperint, tunc ceſſa-
„ tur ab inunctione & ſe calidum teneat, donec fluxus phlegmatis ceſſet per gingivas. „

VII. Utrumque & linimentum & ceratum partem circiter decimam ſextam Argenti vivi ſaliva extincti continet. Linimentum quidem jam pridem abſolevit, quamvis proſtet ex parte in quibuſdam Diſpenſariis ſub nomine *Unguenti Neapolitani*. Ceratum vero etiamnum in uſu eſt nomine *Emplaſtri de ranis Vigonis*. Ait autem Johannes de Vigo linimentum quidem (*e*) „ eſſe nobiliſſimæ operationis, & valere in quocunque tem-
„ pore hujuſmodi morbi, *ſed aſſerit* ſe ceratum millies expertum eſſe cum honore &
„ utilitate non parva. Unde liquet Johannes de Vigo inter antiquiſſimos & egregios hydrargyroſeos promotores numerandum eſſe, ut de Jacobo Berengario, Carpo, ſupra diximus.

Ne quid tamen diſſimulemus, fatendum eſt a Johanne de Vigo multa de uſu mercurialium inunctionum omiſſa eſſe, quæ hac ætate a Medicis vulgata erant; multa temere vel falſo prolata, quæ rectius a Medicis enucleata fuerant.

Sic 1°. Jam ante notaverat Angelus Bologninus luem interdum curari perfecte (*f*) *virtute exſiccativa linimenti*, *abſque ullo ſigno ſenſibili evacuationis*; ſed hic curationis modus a Joanne de Vigo ignoratus, vel ſaltem omiſſus eſt.

2°. Præſcripſerat idem Bologninus, (*g*) ut ſolum ex Argento vivo ſaliva extincto, & larido præparato conficeretur Unguentum mercuriale, ut nunc moris eſt. Contra vero Johannes de Vigo linimentum ſuum ex multiplici remediorum inutilium, imo noxiorum, farragine componebat.

3°. Monuerat & recte quidem idem Bologninus luis venereæ (*h*) *curam* non alia *ratione fieri*, quam *applicatione medicaminum* mercurialium, *corpus a ſuperfluitatibus indeſinenter mundantium*, *neglectis*..... *aliis* ..... a quibus *compertum eſt* afferri *potius nocumentum quam juvamentum*. Contra vero viſum eſt Johanni de Vigo aſſerere ad curationem luis venereæ *uſque ad annum*, ſufficere Therapeiam methodicam ſine argento vivo.

4°. (*i*) Vvendelinus Hock & (k) Joannes Almenar jam præceperant, & jure merito, ne inunctiones mercuriales in debilioribus ægrotantibus quotidie fierent, ſed ut per intervalla adhiberentur, ut nunc vulgaris fert uſus, quæ ſaluberrima cautio a Johanne de Vigo vel prætermiſſa, vel quod pejus, ignorata fuit.

5°. (*a*) Vven-

(*a*) Copioſæ *Lib.* 5. *Cap.* 1. (*b*) Ibid. *Cap.* 3. (*c*) Ibid. *Cap.* 1.
(*d*) Cap. 2. (*e*) Ibidem Cap. 2.
(*f*) Lib. de Unguentis, *Cap.* 6. (*g*) Ibidem. (*h*) Ibidem.
(*i*) De Mentagra, *Cap.* 16.
(k) De Morbo Gallico, *Cap.* 4.

5°. (*a*) Vvendelinus Hock & (*a*) Johannes Almenar jam auctores fuerant, ut poſt aliquot illitiones *daretur medicina ſolutiva*, *qua humores qui per os expelli deberent*, *ad inferiora diverterentur*, *& ſic evitaretur nocumentum in ore*. Sed Johannes de Vigo methodum illam vel neglexit, vel ignoravit.

6°. Juſſerat (*b*) Bologninus *tales inunctiones* mercuriales iterari per plures dies, *donec phlegmata per gingivas notabiliter diſſolvi*, *ſive ſuperfluitates peccantes alia regione ſenſibiliter ſeu inſenſibiliter evacuari incœperint*, quo tempore *a tali linitione deſiſtendum erat*. Contra vero Johannes de Vigo (*c*) affirmat „ ſæpenumero ſimplicem unctionem cum modico argenti vivi fortificatam.... intra hebdomadam.... *luem veneream*, infallenter curaviſſe, „ quod neque verum eſt, neque ingenuo & veri amante viro ſatis dignum.

7°. Demum opinabatur (*d*) Johannes de Vigo morbum hunc, „ poſtquam confirma„ tus fuerit, tunc curam rariſſime recipere, niſi curam palliativam.... ſed per inter„ valla annorum & menſium recidivam facere, „ quod ſane certiſſimæ adverſatur experientiæ, modo inunctiones ea, qua par eſt, cautione & diligentia adhibeantur, unde videtur poſſe colligi a Johanne de Vigo haud ſatis legitime adminiſtratas fuiſſe.

Ceterum Johannes de Vigo primus eſt, quem ſciam, qui externe adhibuerit ad virgæ puſtulas *Mercurium præcipitatum rubrum*, quem vocat (*e*) *pulverem ſuum carnis ſuperfluæ remotivum*, & cujus præparationem ipſe explicat *Antidotarii Lib.* 7. In vivis erat etiamnum anno 1517, ut liquet ex Epiſtolis ipſius ad Johannem Anthracinum, Maceratenſem, & ejuſdem Anthracini ad Johannem de Vigo, quæ Compendioſæ præfixæ ſunt.

COLLECTIO PAPIENSIS, quæ omnium prima, prodiit Papiæ, ex officina Bernhardini de Garaldis, anno 1516. *in folio*, ubi collecti exſtabant. 1516.

Nicolai Leoniceni, Vicentini, Liber *De Morbo Gallico*; qui jam excuſus fuerat typis Aldi Manutii, anno 1497. Vide ſupra, ubi *de Leoniceno*.

Et Johannis Almenar, Hiſpani, Liber *De Morbo* quoque *Gallico*, cujus antiquiorem editionem nondum novi, quamquam priorem aliam fuiſſe ſuſpicio ſit.

Acceſſerunt ſimul

Angeli Bolognini, Bononienſis, *De cura ulcerum exteriorum*, *& unguentis communibus in ſolutione continui Lib.* 2. quos conſtat editos fuiſſe Bononiæ anno 1514. ſi non & prius.

Alexandri Benedicti, Veronenſis, *Liber de Peſtilenti Febre*.

Dominici Maſſariæ, Vicentini, *De Ponder bus & menſuris medicinalibus*, *Lib.* 3. 1516.

MARINUS BROCARDUS, Venetus, Medicinam Venetiis cum laude faciebat (*f*) ineunte ſæculo decimo ſexto, & Arabum ſectator acerrimus (*g*) non pauca cum Victore Trincavellio, juniore Medico, diſſidia habuit, quod hic redivivæ Græcorum medicinæ addictus ab Arabum placitis recederet. 1517.

Scripſit Brocardus Diſſertationem perbrevem *de Morbo Gallico*, quæ exſtat in Tomo II. Collectionis Luiſininæ, anni 1567.

Eo redit Diſſertationis illius ſumma, I. „ Hanc ægritudinem novam eſſe, & eo tem„ pore, quo Galli Italiam armis infeſtarunt, humanum genus vexare cœpiſſe.

II. „ Nomen illius fuiſſe adhuc ignotum *Auctoris ætate*; alii namque eam dicebant „ Elephantiaſim, Lichenas nonnulli, plerique Aſaphati, aliqui Prunam, multi Ignem „ Perſicum, multi diſpoſitionem mediam inter Scabiem & Lepram, vulgares morbum „ Gallicum, nec adhuc aliquod nomen certum ei impoſitum videbatur.

III. Brocardum „ tenere ægritudinem iſtam debere dici Epidemialem, quæ nec uno „ nomine, nec eadem quidditate, nec eodem capite comprehendi poſſet.

IV. „ Nonnullos ex neotericis morbum illum in aſtra retuliſſe, aliquos ex Medicis „ recentioribus in illam aquarum inundationem, quæ eo anno, quo morbus Gallicus „ cœpit pullulare, per univerſam Italiam apparuit.

V. „ Meliorem cauſam afferri non poſſe, quam illam trium luminarium conjun„ ctionem, quæ adhuc durat, ac etiam per aliquot annos perſeverabit.

VI. „ Indigere hanc ægritudinem omni inſtrumento, quo res medica completur, „ diæta ſcilicet, potione, & manuali operatione.

VII. „ Quan-

(*a*) Ubi *ſupra*. (*b*) Lib. de Unguentis. *Cap.* 6. (*c*) Copioſæ, *Lib.* 5. *Cap.* 1.
(*d*) Ibid. Cap. 2. (*e*) Copioſæ, *Lib.* 5. *Cap.* 2.
(*f*) Franceſco Sanſovino, *Della Venezia*. *Lib.* 13. ad annum 1501.
(*g*) Dominicus Caſtelus, in *Oratione Funebri Victoris Trincavellii*.

VII. Quantum ad potiones, hanc ægritudinem indigere minorativis, digeſtivis & e-
„ vacuativis; „ quorum Auctor varias formulas proponit, quales ætate ſua vulgo adhi-
„ bebantur.

VIII. „ Niſi corpus fuerit valde ſanguineum, Auctorem non audere nec ratione do-
„ lorum, nec ratione ulcerum, nec ratione humorum peccantium, facere phleboto-
„ miam, quia ubi non eſt ejus intentio, phlebotomia humores ſubtilizat, & eos per
„ corpus fluere facit, & ſano ſanguini admiſcet,.... ſed malle facere hæmorrohoidarum
„ provocationem.

IX. Teſtari Brocardum „ nunc digerendo, nunc paulatim evacuando, nunc confortan-
„ do membra, ſæpius ſe proceſſiſſe in multis patientibus talem morbum, quos ſola
„ diæta & potionibus procul dubio ſanavit, „ vel ſanaviſſe arbitratus eſt.

X. At his non conferentibus neceſſe eſſe devenire „ ad extrinſecus applicanda, &
„ manualem operationem, quæ ſunt tertium Inſtrumentum.

XI. „ Factis igitur purgationibus & univerſalibus & particularibus, adhibendam eſſe
„ unctionem, quæ cruſtas & bothor, & apoſtemata, ac imprimis dolores omnino aufert;
„ eſt enim mirabilis „. Recipit autem propoſitum ab Auctore linimentum partem o-
„ ctavam Mercurii.

XII. Hoc unguento calido „ apud ignem & in camera bene clauſa ungendas eſſe
„ juncturas omnes brachiorum & crurum, & optime faſciandas, ſingula die, & perſe-
„ verandum in tali unctione, quo tempore utatur æger cibariis virtutem confortantibus
„ & vivificantibus.

XIII. „ Si vero tempore inunctionis ex vaporibus elevatis ad os parent ulcera, ut
„ bothor in ore, adhibenda gargariſmata, quibus os ſæpius colluatur, ex aqua hordei
„ cum melle roſato; ex aquis plantaginis, ſolani, roſarum, cum diamorone; ex la-
„ cte vaccino tepido.

XIV. „ Completa inunctione, mirifice præſtare, ſi fiat balneum ſiccum, *ſive ſtuffa*,
„ in quo æger ſudet, „ cujus præparandi rationem Auctor explicat, ſed nullam ſuf-
fumigiorum mentionem facit.

Cum Brocardus de luis venereæ appellatione incertus ſit; cum hujus morbi cauſam ad ſiderum influxum referat, ut vulgare fuit ſub primo morbi ingreſſu, cum nulla memoret luis venereæ ſymptomata, præter dolores varii generis, puſtulas, tubercula, apoſtemata, cruſtas, ulcera, quibuſcum morbus incipiens gtaſſatus eſt; ſileatque de gonorrhæa, & bubone, quæ tardius advenere; cum de Decocto ligni indici nihil quidquam dicat, cujus uſus ab anno 1518. mirum in modum invaluit, videtur circa morbi
1517 naſcentis initia ſcripſiſſe, atque adeo ante annum 1518. recenſendus eſſe.

NICOLAUS POLL, Medicinæ Profeſſor, & Sacræ Cæſareæ Majeſtatis, hoc eſt Caroli
1535. V. Imperatoris, Phyſicus ſcripſit, ineunte ſeculo XVI, Opuſculum, ſeu potius Conſilium de lue venerea, cum hac epigraphe.

Biblioth. Solaniana. *Nicolai Poll, Medicinæ Profeſſoris, & Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Phyſici*, de cura Morbi Gallici per lignum Guayacanum *Libellus*, qui prodiit Venetiis, anno 1535.

Inſcribitur Liber ille *Ad Rev. & Illuſtr. Principem*, *Dominum Dominum Matthæum* (*a*) Langum, *S. R. E. Cardinalem Gurcenſem*, *Metropolitanum Eccleſiæ Salisburgenſis Coadjutorem digniſſimum*, cum appoſita Epiſtolæ nuncupatoriæ hac diei & anni nota, *XIX. Decembris MDXVII.* ex quo viſum eſt ad annum 1517. hunc Librum referre, cujus prima editio in manus nondum venit.

Memorat in hac Epiſtola Nicolaus Poll „ per dicti Gallici morbi tabificam deturpa-
„ tionem omnes fere pro deploratis habitos fuiſſe, ubi in quibuſdam nulla alia medici-
„ narum (etſi innumeris utebantur, aliquid potuerat; in aliis vero deſperationis cauſa
„ nihil medicinarum applicatum fuerat quorum poſtea omnium per Guayacanum lignum
„ curatio quaſi pro miraculo ab omnibus habita fuit. Hec enim, *inquit ille*, uno quaſi
„ & eodem tempore tria fere hominum millia ad bonam valetudinem reduxit, qui poſt
„ convaleſcentiam ſibi ipſis renati videbantur.

Capitibus IX, ſed breviſſimis, methodum utendi Decocto ligni Guaiaci ſatis enucleate explicat, cenſetque in II. ſtrictiori diætæ, quæ per uſum hujuſce decocti in India & in Hiſpania præſcribebatur, aliquid laxamenti dandum eſſe in Alemannis, „ tum propter

(*a*) Matthæus Langus, Epiſcopus Gurcenſis, Coadjutor Eccleſiæ Salisburgenſis, Imperatoris Maximiliani I. Conſiliarius intimus, imo Vicarius, creatus fuit Cardinalis a Julio II. ſummo Pontifice, anno 1511, Eccleſiam Salisburgenſem ſuo nomine rexit ab anno 1519. Obiit anno 1540, ætatis 72. Ciaconius ab Oldoino auctus, in *Vitis Pontificum*.

„ pter operationes naturales, corporaque robuſtiora, tum etiam propter climata frigi-„ diora, conſuetudines, proprietates & ſimilia. „ Unde non levis conjecturæ locus Nicolaum Poll Germanum fuiſſe, quod & ipſa ratio nominis inter Germanos non infrequentis videtur manifeſtum facere. Sane teſtantur Bibliographi Germanum quemdam, nomine Michaelem Poll, Tractatum Anatomicum & Phyſiologicum edidiſſe Brandenburgi, anno 1616, *in* 4.

Opuſculum ſuum Nicolaus Poll concludit in hæc verba, quibus Cardinalem Matthæum Langum alloquitur. „ Habet igitur, Sereniſſime Princeps, Reverendiſſima Do-„ minatio Tua regimen curationis morbi Gallici ex multiplici Hiſpanorum experto re-„ gimine in unum redactum, atque eo modo immutatum, quo mea ſententia, vete-„ res Medicos imitando, judicabam Alemannis prodeſſe, atque toti fere Europæ. „ Ex quibus ſuſpicio eſt hocce Nicolai Poll Opuſculum *De uſu Ligni Guayacani* ad Cardinalem Langum, Salisburgenſis Eccleſiæ Coadjutorem, ſcriptum anno 1517, unam * eſſe *e decem & novem illis Doctrinis & Relationibus ad diverſos Germaniæ Principes & Viros primarios tranſmiſſas*, quas Leonardus Schamus, Salisburgenſis Medicus, *ſe accumulaviſſe* refert, & *ex quibus naturam, proprietatem, qualitatem, uſum & operationem plane piſcatum eſſe* confitetur, in *Lucubratiuncula* de Morbo Gallico, & cura ejus noviter reperta cum ligno Indico, quæ Auguſtæ Vindelicorum edita eſt, anno 1518.

Opuſculum Nicolai Poll exſtat in Collectione Luiſinina cum Epiſtola nuncupatoria, ſed a qua detracta eſt Inſctiptio ad Cardinalem Matthæum Langum, quam ſupra tranſcripſimus.

PETRUS MAYNARDUS, Veronenſis, (*a*) „ Patavii anno 1520 Chirurgiam explica-„ vit; deinde anno 1527 Praxim extraordinariam Medicinæ; poſtremo 1554 (*niſi ſit* 1518.
„ *error in cifris*) Theoriam extraordinariam.

Scripſit (*b*) circa annum 1518. duos Tractatus *De Morbo Gallico*: alterum de morbi ætiologia, qui *Capita quatuor*; alterum de therapeia, qui *Capita totidem* complectitur.

Circa prius ſtatuit quidem morbum (*c*) primum apparuiſſe anno 1496; *Epidemialem eſſe*, & ortum ab *influentiis* ſiderum malignorum coeuntium; (*d*) *prædictum fuiſſe alias in Prognoſtico viginti annorum clariſſimi Artium & Medcinæ Doctoris Pauli de Medelburgo Zelandiæ Oceani* (qui Epiſcopus Foroſempronienſis deinde electus eſt) anno *Virginei partus* 1487; Demum (*e*) *defecturum eſſe anno* 1584. *contrariis aſtrorum influentiis*.

Circa poſterius vero curationem tantum methodicam proponit, quæ *diæta*, *alteratione humorum*, *purgatione*, & *membrorum confortatione* perficitur, nec unguento mercuriali utitur ullo, niſi cum dolores urgent in juncturis, in quo caſu ſuadet ut (*f*) un-„ gantur ſpatulæ, collum, nucha, omnes juncturæ coxarum & crurum, cum infra „ ſcripto unguento. „

℞. *Axungiæ porcinæ vetuſtiſſimæ* lib. ij.
Cineris lignorum Vitis ℥ vj.
Argenti vivi mortificati cum medulla vituli ℥ ij.

Demum omnia bene commiſceantur, & fiat unguentum, & adminiſtretur ſuper dicta loca, & ligentur bene calida, & dimittantur per quatuor dies, & ſic ungantur dicta loca quaternis diebus in quaternos dies, donec ſanentur a doloribus. 1518.

LEONARDUS SCHMAUS, Salisburgenſis, Medicinæ Doctor & Profeſſor.

Lucubratiuncula de Morbo Gallico & cura ejus noviter reperta cum ligno Indico. Biblioth. Mazarin.
Auguſtæ Vindelicorum. *In officina* Sigiſmundi Grim, Medicinæ Doctoris, atque Marci Wyrſung. *Anno* 1518. Die XVII. Decembris, *in* 4°. charactere Gothico, folia V.

In Epiſtola nuncupatoria „ ad Andream de Trautmansdorf inſignis Salisburgenſis Ec-„ cleſiæ Canonicum & Decanum *ſcripta*, *Auctor narrat* ſe ſuperioribus diebus, cum ad-„ huc Pataviæ ageret, ſcripſiſſe lucubratiunculam illam, ... ut communi omnium „ periculo tandem, in hac fœdiſſima labe per omnem ferme Europam cum ingenti „ Medicorum dedecore graſſata conſuleretur.

Opu-

* Sane Cardinalis ille Relationem aliam de eodem argumento acceperat ab Hierouymo Carozoli, Medico, quam cum Leonardo Schmao communicavit. *Vide* Schmai *Lucubratiunculam*. *Cap.* 3.
(*a*) Chioccus, De *Medicis Collegii Veronenſis*. (*b*) J. Freind, *Hiſtor. Medicin. Part.* 3.
(*c*) *Prior. Tractat. Cap.* 1.
(*d*) *Ibidem*.
(*e*) *Poſterior. Tractat. Cap.* 3.
(*f*) *Ibid. Cap.* 3.

Opuſculum quatuor Capitibus comprehenditur, quorum *Primo*, ubi agitur *de naturâ morbi Gallici*, refert Schmaus *morbum illum duraſſe ſemper*, non quidem in Orbe noſtro, ubi *ante ætatem* ſuam *incognitum fuiſſe* fatetur, ſed in Orbe novo, *quippe compertum eſt*,, jam omnibus, *addit Ille*, Occidentales Indos per plurimos annos hoc mor-,, bo graviter laboraſſe, medicinamque, qua ſemper uſi ſunt contra hunc morbum, ,, noſtris mercatoribus jam indicaſſe.

Attamen non putat ille cauſam morbi illius nuper cogniti, ab orbe novo, in quo inquilinus erat, repetitam fuiſſe. Quin potius communi errore ductus concludit ,, hunc ,, morbum ex aeris intemperie calida & humida ortum anno a ſalutifera Incarna- ,, tione Chriſti 1494, quo fuit omnium totius Europæ aquarum inaudita inundatio, tan- ,, tiſque imbribus annus ille maduit, ut nemini dubium eſt (*ſit*) æſtivum aerem ad ,, illam veniſſe intemperiem calidam & humidam, quæ omnium putredinum occaſio ,, exiſtit.

Parvi pendit methodos curatorias omnes, quæ uſque ad ſua tempora adhibitæ fuerant. ,, Non fuit, *inquit*, hactenus reperta medicina, quæ in hac ægritudine profuiſ- ,, ſet multum, nocuiſſet vero nihil: Ægrorum arbitror impatientia factum, quæ non ,, ſinit habere Medicorum delectum; & Empiricorum temeritate, quibus nihil eſt dif- ,, ficile. Hinc multi miſerabiliter perierunt, ſed modo, *pergit Ille*, Deorum (ut mi- ,, hi perſuadeo) beneficio inventa eſt Medicina ſimplex, qua maxime gaudet Natura, ,, & quæ ſimul omnes intentiones complectitur in ſuis qualitatibus.

Ea autem Medicina eſt lignum *Guaiacum*, ſeu lignum *Arboris Guaiacanæ*, cujus Schmaus inter primos mentionem fecit, & uſum atque adminiſtrationem deſcripſit. Refert (*a*) ſe ,, cum mira, magnifica & vix credibilia paſſim accepiſſet de ligno quo- ,, dam in Occidentali India, in Inſula Hiſpaniola noviter reperta, non ceſſaviſse vel dor- ,, mientem ſomniare ligni hujus naturam, donec literis patronorum & ſuis, decem & ,, novem Doctrinas & Relationes ex India & Portugallia ad diverſos Germaniæ Prin- ,, cipes & Viros primario tranſmiſsas accumulaſset, ex quibus naturam, proprietatem, ,, qualitatem, uſum, & operationem plane piſcatus eſt. ,,

Agitur, *Capite ſecundo*, *De arbore Guaiacana*, ſed paucis, nec ſatis accurate; *Capite* vero *tertio*, *De uſu ligni*, fuſius & diligentius. Triplex proponitur adhibendi ligni illius ratio. 1°. *Decoctum* ex ſcobe conficitur, ut artis eſt, & propinandum exhibetur per unum circiter menſem, bis in die. 2°. Electuarium præparatur ex pulverato ligno & *cum ſyrupo appropriato* commixto, ,, de quo in matutinis & veſperi accipitur cochlear ,, unum, ita continuando per triginta dies. 3°. *Pulvis ipſe ſolus* pondere drachmæ unius ,, in liquore aliquo, aut ſuper pane toſto, vel per ſe, exhibetur......... *quo remedio* ,, venter in multis ſubpurgatur.

Confitetur Auctor in adminiſtrandis illis medicinis multa perito ac prudenti Medico permittenda eſse, cum illarum doſis, aut adhibendarum ratio, multum variare debeant, pro morbi gradu, ſymptomatum natura, ægrorum ætate, ſexu, temperamento, viribus, &c. Quocirca monet ille *non parum referre Medicum habere amicum*, *quia interdum ex ſola amicitia inter ægrum & Medicum ſanitas oritur*.

In *Capite quarto* & ultimo quæſtio eſt de *regimine ipſorum*, *qui ſanitatem ex ligno Indico deſiderant*, quod Auctor ſigillatim & verboſe explicat. Huc tamen redit doctrinæ ſumma ,, conſulendos eſſe Medicos, in arte probatos, qui humorum purgandorum ,, & medicaminis delectum habeant, multoſque vitam ſuam vagatoribus & herbariis, ,, Judæis & Sacrificulis credentes, ingenti ſæpe pretio necem ſibi emiſſe, & id qui- ,, dem rectiſſime, poſtquam ſalutis ſuæ pauci rationem habent.

Exſtat hoc Opuſculum Leonardi Schmai in Collectione Luiſinina, ſed Epiſtola nuncupatoria truncatum.

1519. Ulrichus de Hutten, Eques Germanus, natus eſt anno 1488 Steckelbergæ, (*b*) in caſtello Franconiæ, cujus dominio ejus familia potiebatur. Literarum ſtudio dedit operam Fuldæ, Coloniæ & Francofurti ad Oderam. Inde meruit aliquandiu in Italia in caſtris Imperatoris Maximiliani I, unde redux verſatus eſt in aula Alberti Brandeburgenſis, Archiepiſcopi Moguntini & Magdeburgenſis, ac poſtea S. R. E. Presbyteri Cardinalis titulo Sancti Chryſogoni, ab an. 1517 ad annum uſq; 1520, quo Lutheri partes amplexus ſibi fuga conſulendum eſſe duxit, cum audiviſſet ſe juſſu Leonis X. ſummi Pontificis, in quem acerbius ſcripſerat, comprehendendum eſſe. Toto Belgio peregrinatus pro-

(*a*) In Præfatione.
(*b*) Bayle, *Dictionnaire Critique*, in voce *Hutten*.

profugit tandem in Helvetiam, venitque Baſileam anno 1522 exeunte, ſed ab Eraſmo hoſpitio excluſus, urbe ipſa exire juſſus eſt menſe Januario anni ſequentis. Obiit paulo poſt in Inſula quadam lacus Tigurini dicta Uffnaugia, vulgo *Auffnavv* ubi latitabat, die ſcilicet 29 (*a*) Auguſti, vel (*b*) 1 Septembris, anni 1523, ætatis anno 35 vel 36.

Licet Huttenus Medicus non fuerit, ſcripſit tamen ad Albertum Brandeburgenſem, Cardinalem & Archiepiſcopum Moguntinum patronum ſuum, Libellum

De Guaiaci Medicina & Morbo Gallico, Moguntiæ excuſum in ædibus Johannis Schœffer, *anno* 1519, *in* 4°. Biblioth. Mazarin.

qui Capita XXVII. complectitur, & in quo ea narrat, quorum ipſe *pars magna fuit.* Liquet enim inde Huttenum jam ab anno 1509 vel 1510 luem veneream contraxiſſe, annos natum 21. vel 22. dum in Italia militabat, cum fateatur ipſe in hoc Opuſculo edito anno 1519 (*c*) *ſe per novem annos cum hoc malo luctatum fuiſſe*: & hoc temporis intervallo *undecies curationem mercurialem expertum fuiſſe*, ita ut *vix* credere liceat (*d*) *quas torturas*, *quot ſupplicia ſub Chirurgicis exhauſerit*, *quas cruces tulerit*, *quantum illi virium ex Medicorum inſcitia deperierit.*

Sed placet ipſum audire (*e*) *dicentem*, *ut affectus fuerit.* „Primum, *inquit*, ſiniſtro „pede eram inutilis, jam hærente ibi octo plus annis morbo; & in media quidem „tibia, qua parte tenuiſſima cruri obducitur caro, ulcere erant cum inflatione carnis „inflammata, putreſcentia ingenti cum dolore, & hujus modi, ut uno ſaneſcente erumperet ſtatim aliud; erant enim complura ſparſim, nec ope Medicorum fieri poterat, „in unum omnia ut redigerentur. Supra ea tuber erat (*exoſtoſis*) ut os crederetur ita „induratum, & in eo ſuppungens citra intermiſſionem dolor immenſus, immodicus; „fuit & ſupra dextrum proxime talum collectio, & ipſa in oſſis modum dura, ex recentis olim morbi reliquiis vetuſtiſſima. Hanc mihi ferro, hanc igne & cauſticis omnibus adaperire cum molirentur Medici, nihil profecerunt. Illa autem modo vehementer „intumeſcebat ac ſummo cum dolore, modo reſidebat mitior, dolebatque minus igni admoto pede, nec ſuſtinuit tamen multiplici veſte contegi. Eo fluxus erat vehemens, & „qui inextinguibilis plane videretur; ac quoties pedi inſiſterem, dolore afficiebar impatibiliter. Deinde ſuperius coxa & genu penitus confriguerant, attenuato ibi ad ſummam uſque macritudinem femore, atque ita imminuta carne, ut præter cutem vix „eſſe videretur quo ſe os contegeret. Præterea in tantum luxata utraque junctura fuit, „ut diu ægerrime liceret inſiſtere, tandem non amplius etiam, evanida omnino ex clunibus altera. Dolebat item lævus humerus, ut levari jam brachium non poſſet. Debilitata extrema ſcapula occalluerat, in medio muſculo tuber ovi magnitudine, imminuto aliis partibus ad miram tenuitatem brachio ad ipſam uſque manum; & in „dextro latere ſub infima ſtatim coſta ulcus erat ſine dolore quidem, ſed fœdum quoddam pus effervens, & ſpurca manans ſanie, fiſtulæ in morem anguſto exterius ore, „at ampla intus cavitate. Supraque ipſum aliud iterum tuber, quaſi ſupernato coſtæ „quodam ibi oſſe. Denique a ſummo retro vertice fluxus ibat ad omnia iſta manifeſto „ſenſu. Qua incipiebat is, ad leniſſimum etiam tactum, quaſi pertuſo craneo dolebat „caput, nec verti in tergum, niſi cum ipſo una corpore facies potuit.„

Profligandæ huic affectionum Iliadi impar fuit inunctionum mercurialium uſus vel undecies repetitus, forſan medentium inſcitia vel negligentia. „His (*f*) auxiliis, *inquit Ille*, ſuſtinere morbum potui, extinguere non potui: & cum lenire dolorem, non „cauſam doloris exſcindere, hoc eſſet differre perniciem, non auferre, præſentius remedium habui ex Guaiaco, *cujus uſu* (*g*) depulſa omni invaletudine ita vires recepi, ut de novo factus ac renatus homo videar.„

Hæc autem de ſe tanto liberius fatebatur, quod illa ſibi probro verti poſſe non ſuſpicaretur, cum ea ætate nondum exploratum eſſet luem ſcortatione tantum contrahi, ſed ſatis ſtolide crederetur ſolo rerum non-naturalium vitio, vel ad ſummum colloquio vel contubernio cum infectis concipi poſſe. Inde ſane eſt, quod Huttenum non pudeat in extremo Libro Archiepiſcopum & Cardinalem, ad quem ſcribit, ſic alloqui: „(*h*) Hæc ita Celſitudini tuæ conſcripſi, ut non vellem his quidem uti, (faxit hoc „enim ſervator Chriſtus, ne unquam debeas) ſed ut in tua hæc aula eſſent omnium „neceſſitati expoſita.

(*a*) Eraſmus in *Epiſtola ad Conrad. Goclenium data 6. Calend. Octobris anni* 1523
(*b*) Scheuchzer. *Itinere Alpino VIII.* (*c*) Laudati libelli, *Cap.* 4. (*d*) *In Epiſtola Dedicatoria.*
(*e*) *Cap.* 26. (*f*) *Cap.* 5. (*g*) *In Epiſtola Dedicatoria.*
(*h*) *Cap.* 27.

In hoc Opere premiſſis de morbi origine, natura, & cauſis, iiſdem quæ jam ſæpius repetita ſunt; ac enarratis torturis horrendis, quibus ægrotantes hac ætate diſcruciabantur, ut a morbo Gallico convaleſcerent, Huttenus aperte ac fortiter improbat mercuriales inunctiones, uſum decocti ex ligno Guajaco mirabiliter approbat, rectam ejuſdem adminiſtrandi methodum ſumma diligentia perſequitur. Quocirca Tractatus ille vere dignus eſt qui legatur, auctore (*a*) ipſo Hermanno Boerhaave, hac in re judice maxime idoneo.

Ceterum, quod notari velim, quantumcunque ſibi gratuletur Huttenus de reſtituta valetudine uſu Guajaci, conſtat tamen ipſum neque hac methodo perfecte convaluiſſe, cum ex rediviva lue venerea, quæ remedio tantum ſopita fuerat, miſeram mortem objierit & ante diem, ut narrat (*b*) Conradus Geſnerus.

Exſtant ad calcem Tractatus Ulrichi de Hutten, in editione omnium prima, Epiſtolæ binæ; altera *Pauli Riccii, Medici, ad Ulrichum de Hutten, Equitem:* altera *Ulrichi de Hutten ad Paulum Riccium, Medicum Cęſareum*, quæ in Collectione Veneta Aloyſii Luiſini omiſſæ ſunt.

In priore, data Auguſtæ III Idus Novembris anni 1519, Riccius Huttenum ho tatur, ut *Guajacani ligni, quo tam ſuaviter diuturnæ vitæ incolumitate donatus eſt*, naturam, vires, uſum enucleet, Opuſque ſuum Cardinali Gurcenſi, hoc eſt*, Matthæo Lango, Epiſcopo Gurcenſi, dedicet. In altera, data Auguſtæ Idibus Novembris ejuſdem anni, Huttenus demandatam provinciam in ſe ſuſcipit, *ſervatus ac ſibi redditus Guajaci ope*, & polliceretur ſe *in litteras relaturum, quæ jam explorata habet*; at vero recuſat ne Opus inſcribat huic Cardinali, de quo ſatis aſpere conqueritur.

Liber ille Ulrichi de Hutten in gallicum ſermonem translatus eſt a Johanne Cheradame, & in Galliis Lugduni editus cum ſequente Inſcriptione.

> Guaiacum. *L'experience & approbation Ulrich de Hutten, notable Cavalier, thouchant la Médecine du bois dict* Guajacum, *pour circonvenir & dechaſſer la maladie indeuement appellée* Francoiſe, *ainçois par gens de meilleur jugement eſt dicte & appellée* la maladie de Neaples, *traduicte & interpretée par Maiſtre Jehan Cheradame, Hippocrates, eſtudiant en la Faculté & Art de Medecine.*
>
> *On les vent a Lion en la Maiſon de Claude Nourri*, dict le Prince, *auprez Noſtre Dame de Conſort*, non expreſſo impreſſionis anno, ſed ante annum 1530, ut ex literis gothicis datur conjicere.

Ad Libri calcem ſequentia leguntur.

> *Cy finiſt le Livre de Ulrich de Hutten, de la maladia de Neaples, traduict & interpreté par Maiſtre Jehan Cheradame, Hippocrates, eſtudiant en la Faculté de Medicine, Profeſſeur & Expoſeur des trois Langues: C'eſt à ſavoir*, Hebreu, Grec, & Latin: *Et du remede d'elle, fait par* Guaiacum, *lequel puiſſe eſtre heureux & bien fortuné a tous ceulx, qui en ont & auront beſoing.*

Non dubito quin Johannes ille Cheradame idem ſit ac Johannes Cheradamus, Sagienſis, qui Lutetiæ florebat circa annum 1530, qui (*c*) ſe *ſacrorum eloquiorum regium Profeſſorem* vocabat, cujus exſtant Opera nonnulla tum de Sancta, tum de Græca lingua; & a quo habemus *Alphabetum linguæ ſanctę myſtico intellectu refertum*, Pariſiis excuſum *apud Ægidium Gormontium*, 1532. *in* 12.

Johannes Manardus, Ferrarienſis, natus (*d*) anno 1461. (*e*) Nicolaum Leo-
1500 nicenum in Medica audivit. Conſtat (*f*) ex ejus Epiſtolis Medicinam illum feciſſe
1525 Ferrariæ ad annum uſque 1513; Anno ſequente 1514. in Hungariam a Rege Ladis-
1532 lao VI. advocatum fuiſſe, (*g*) ut Archiatri munere fungeretur; eoque mortuo anno
1533 1516. in Hungaria vel Auſtria (*h*) moram tamen feciſſe ad annum uſque 1518. Unde in patriam regreſſus (*i*) anno 1519, Medicinam Ferrariæ cum laude profeſſus eſt. „Duxit (*k*) uxorem valde ſenex & articulorum dolore diſtortus, ab ætate formaque „florentis juvenis thoro dignam, adeo levi judicio & lethali intemperantia, ut funus „ſuum maturaverit. Obiit Ferariæ anno 1536. ætatis 74.

Præter Nicolaum Leonicenum, Johannes Menardus (*l*) „præceptorem in Medicina habuit

(*a*) *In Præfat. præfixa Editioni Lugduno-Batava Aloiſii Luiſini.* (*b*) *In* Bibliotheca. * Matthæus ille Langus, fuit Epiſcopus Gurcenſis, Cardinalis titulo Sancti Angeli, de quo ſupra ad *annum* 1517. ubi de Nicolao Poll. (*c*) Vide Du Verdier, *Bibliothèque.* (*d*) Vide *ipſius Epiſtol.* 6. *Lib.* 18. (*e*) Petrus Caſtellanus, *in Vitis Illuſtrium Medicorum.*

(*f*) *Epiſtola* 1. *Lib.* 4.

(*g*) *Epiſt.* 1. *Lib.* 7. *Budæ data* 7. *Idus Septembris, anno* 1514.

(*h*) *Epiſt.* 3. *Lib.* 2.

(*i*) *Epiſt.* 1 *Lib.* 8.

(*k*) Caſtellanus. *Ubi ſupra.* (l) Manardus, *Epiſtolar. Lib.* 2. *Epiſtol.* 1.

„ habuit Franciſcum Bencium, Hugonis Senenſis filium, medicorum in Italia ſua æta-
„ te facile principem, *de quo refert Manardus* nihil unquam *illum* cœleſte obſervaviſſe, „
ut ea tempeſtate pleriſque Medicis familiare erat, Aſtrologiæ nimium credulis, „ ſed
„ quoties occaſio urgebat, in ipſis Solis, Lunæque congreſſibus, & purgationem & ve-
„ næ ſectionem imperaſſe. Unde evenit, *pergit Manardus*, ut cum *Ille* præſtantis cu-
„ juſdam Viri curationi, una cum Hieronymo Manfredo, Aſtrologo ſui temporis famo-
„ ſiſſimo, Bononiæ præeſſet, immineretque ſimul purgandi neceſſitas & luminarium coi-
„ tus, Aſtrologo reclamante & egrotanti morte minitante, potione ad Bencii impe-
„ rium exhibita, infirmus e gravi morbo convaluerit.

Scripſit Manardus, inter alia, *Epiſtolarum Medicinalium Libros XX.* (*a*) ſub titulo *Curiæ Medicæ*, quorum pars jam edita fuerat Lutetiæ anno 1528, & Argentinæ anno 1529, ſed qui omnes una collecti primum Baſileæ excuſi ſunt anno 1540. Proſtant ibi Epiſtolæ duæ *De Morbo Gallico*, & duæ aliæ *De Ligno Indico*.

Epiſtola *prima* ſcripta eſt Mirandula, anno 1500, *ad Martinum Merleſtadium*, hoc eſt, Martinum Pollichium, Mellerſtardienſem, *Illuſtriſſimi Ducis Saxonum* (Frederici III.) *Phyſicum*, eſtque prima Libri ſecundi.

In ea Simonem Piſtoris acriter caſtigat, qui in Poſitiones quaſdam Martini Pollichii inſurrexerat, qua de re vide ſupra Articulos *De Simone Piſtore*, & *de Martino Pollichio*.

Altera ad *Michaelem Sanctannam*, *Chirurgum*, ſcripta eſt Ferraria anno 1525, & ſecunda eſt *Libri VII.*

In ea reprehendit Nicolaum Leonicenum, quod exiſtimaverit Morbum Gallicum eſſe *epidemicum*, *æſtivum*, *a nimia aeris humiditate & caliditate ortum*. Ipſe contra ſtatuit morbum eſſe novum, qui contagio tantum ſerpat & propagetur, qui ab Hiſpanis *ex inſula quadam Antiquis incognita*, *ubi frequentiſſimus eſt*, in Europam translatus fuerit, vel Valentiæ in Hiſpania genitus *in ſcorto*, *quocum Elephantioſus quidam ex Equeſtri ordine rem habuit*.

Tertia eſt conſilium Medicum *pro Reverendiſſimo Cardinale Campegio* id eſt, pro Laurentio Campegio, Cive & Epiſcopo Bononienſi, poſtea Feltrenſi, Presbytero Cardinali Tituli Sancti Tomæ in Parione, ac deinde Tituli Sanctæ Mariæ trans Tiberim, Epiſcopo Cardinale Sabino & Præneſtino, qui a Leone X. creatus Cardinalis anno 1517, obiit Romæ anno 1539. Hæc Epiſtola, quæ quarta exſtat Libri XVI. ſcripta fuit anno 1533.

In ea præſcribit qua methodo ligno Indico ſive ſancto utendum ſit; ceterum non modo ut decoctum illius potetur conſulit, ſed etiam ut ſpuma decocti vel quod illi præſtabilius videtur, ut oleum ex ligno per deſcenſum deſtillatum locis dolentibus illinatur.

Demum *quarta* Medicum quoque conſilium eſt pro Epiſcopo Cracovienſi in Polonia. Scripta fuit Ferraria *in vigilia ſancti Matthæi*, anno, 1532. & ordine tertia eſt Libri XVII.

In ea ait *anno duodequadrageſimo ab orto Morbo Gallico ſe ſcribere*; unde facili ratione colligere eſt juxta eum, morbum primum apparuiſſe anno 1494.

Exſtant aliæ duæ Epiſtolæ de eodem Epiſcopo Cracovienſi ſcriptæ: Altera, quæ ordine quarta eſt Libri XIV. *anno eodem* 1532, *ſeptimo Idus Februarii*: Altera, quæ quinta eſt Libri XVII. ſcripta ad Academiam Cracovienſium Medicorum, 12. *Calendas Martias*, *anno* 1532, ex quibus liquet hunc Epiſcopum *imbecillitate ventriculi & omnium principalium membrorum*, atque affectione vere hypocondriaca laboraſſe *ex reliquiis ſubdoli & atrocis Morbi Gallici vocati*, & *hydrargyro per quod ſanari viſus eſt*, *derelicta*.

Apertiſſime inquit Manardus, *Epiſtol.* 1. *Lib.* 2. a ſe conſcriptum fuiſſe *peculiarem Tractatum* De Morbo Gallico, in quo *demonſtraverit* morbum hunc *non eſſe epidemialem vocandum*, & in quo *notaverit ſex in hoc morbo mirabilia eſſe*, *videlicet quod longus ſimul ſit ac vehemens*; *quod noctu magis quam interdiu affligens*: *quod fere a pudendis incipit*: *& nonniſi raro & per longam valde conſuetudinem*, *per alia membra in alterum transfunditur*: *quod in puſtulas oris deſinit*: *quę etiam applicitis potentioribus remediis* (unguentis ſcilicet mercurialibus) *concitentur*. Sed cum Liber ille nec ab ullo Bibliographorum enumeretur, nec laudetur ab ullo Scriptorum recentiorum, magnum argumentum eſt illum in lucem non prodiiſſe.

E 2 Jo-

(*a*) Sex priores Libri Epiſtolarum Medicinalium Johannis Manardi, primum Ferrariæ editi ſunt, cum hac Inſcriptione.

Epiſtolæ Medicinales in quibus multa Recentiorum errata, & Antiquorum decreta reſerantur [illegible]*dici*, *for-*

Ad calcem libri legitur. *Has Medicinales Epiſtolas Johannis Manardi*, *Ferrarienſi*[illegible]

mis excuſſit Bernardinus de Odonino, *anno MDXXI. Nonis Novembris*. Ferrariæ [illegible]

JOHANNES (*a*) LE MAIRE, Belga, lucem vidit Bagaci in Hannonia, gallice *Bavai*. unde ſe dicit gallice *de Belges*, ideo quod putet Bagacum olim *Belgidem* dictum fuiſſe, Natus eſt anno (*b*) 1473, & ante annum 1525 facto functus. Scripſit tum ſtricta, tum ſoluta oratione Opera varia Gallice & Latine, non ſine ingenii acumine ac doctrinæ laude, ut ea erant tempora, quibus vixit.

Exſtat inter cetera Carmen Allegoricum gallice ſcriptum, & in tres Fabulas diſtributum, quod typis excuſum fuit Lutetiæ, anno 1525. *in* 8°. apud Galiottum du Pré, cum hac inſcriptione:

Biblio-thec. Regia.

> *Les trois Comptes, intitulez* de Cupido & d'Atropos, *dont le premier fut inventé par Seraphin, Poete Italien, le ſeconde & le tiers de l' invention de Maiſtre Jean le Maire.*

Fingitur ibi in *Prima* Fabula Cupidinem ebrium, cum Atropo Mortis Dea commutatis caſu arcubus, munia quoque ita commutaſſe, ut ille quidem imprudens neci daret adoleſcentes, quos quærebat amore ſaucios efficere; hæc vero ſenes depontanos turpi amore dementaret, quos morti deſtinabat.

Narratur in *Altera* lethiferum illum Mortis arcum, quem Cupido in palatium matris intulerat, juſſu Veneris abjectum fuiſse in palatii foſsas, unde factum, ut aquæ hinc ſcaturientes veneno lethali pollutæ viris fœminiſque veneris aſseclis, a quibus epotabantur, novum morbi genus intulerint, ſeu ipſiſſimam luem veneream.

Demum refertur in *Tertia* Jovis edicto Comicia generalia Turonibus habita fuiſse anno 1520, ibique diſſidium Cupidinis de arcus redintegratione cum Atropo litigantis, his conditionibus compoſitum eſse, ut utrique novus arcus reſtitueretur; at vero nullum a Jove remedium adverſus luem veneream inventum fuiſse, quæ idcirco ſibi permiſsa in miſeros mortales ſævire pergit.

Ceterum Poeta veneream luem in fabula ſecunda ita deſcribit, ut liceat inde colligere, quid ætate ſua de morbi origine, novitate, propagatione, atrocitati, vulgo crederetur. Ait nempe aquas, quæ efoſſis palatii Veneris decurrebant, a viris fœminiſque plurimis requiri & cum voluptate quidem perpotari, ſed varia & inaudita morborum monſtra inde generari, quibus potores miſerrime affligebantur.

Mais en la fin, quand le venin fut meur,
Il leur naiſsoit de gros boutons ſans fleur,
Si trez hideulx, ſi laits & ſi énormes,
Qu'on ne vit onc viſaiges ſi difformes,
N'onc ne receut ſi treſmortelle injure
Nature humaine en ſa belle figure.
Au front, au col, aut menton & au nez
Onc on ne vit tant de gens bouttonnez.
Et quis pis eſt ce venin tant nuiſible,
Par ſa malice occulte & inviſible,
Alloit chercher les veines & arteres,
Et leur cauſoit ſi étranges (*c*) myſteres,
Danger, douleur de paſſion & goutte,
Qu'on n'y ſçavoit remede, ſomme toutte,
Fors de crier, ſouſpirer, lamenter,
Plorer, & plaindre & mort ſe ſouhaiter.
Ne ne ſceut onc lui bailler propre nom
Nul Medecin, tant eut-il de renom.
L' ung la voulut *Sahafati* nommer
En Arabic; lautre a peu eſtimer
Que l'on doit dire en Latin *Mentagra*,
Mais le commun, quand il la recontra,
La nommoit *Gorre* ou la *Vérolle groſſe*,
Qui n'eſpargnoit ne Courrone ne Croſſe;
(*c*) *Pocques* l'ont dit les Flamens, & Picquarts,

La

(*a*) Dicitur, ſed perperam, *Johannes Marius* a Gerard. Johann. Voſſio, Lib. 3. De *Hiſtor. Latin.*
(*b*) Vide Præfationem gallice ſcriptam, quæ præfigitur Libro inſcripto *Les Illuſtrations des Gaules.*
(*c*) *Miſteres*,
(*d*) Lege Pocken, *Variola*.

Le *mal François* la nomment les Lombars,
Si a encores d'autres noms plus de quatre,
Les Allemans l'appellent (*a*) *Groſſe blattre*,
Les Eſpaignols (*b*) *les Bones* l'ont nommée:
Et dit-on plus que la puiſſante Armée
Des fors François à grant peine & ſouffrance
En Naples l'ont conquiſe & miſe en France,
Dont aucuns d'eux *le Souvenir* la nomment,
Et pluſieurs faits ſur ce comptent & ſomment.
Les Sovoyſiens (*c*) *la Clavela* la diſent,
Velà comment pluſieurs gens en deviſent.
Velà comment Amour, le jeune yvrongne,
A fait aux gens grant dommage & vergogne.
Et ne ſcet-on pour ſes cloux deſclouer
Bien bonnement à quel Saint ſe vouer,
Néantmoins aucuns pars grace ſouveraine
Ont imploré Madame *Sainƈte Reine*,
Les aultres ont eu recours à *Sainƈt Job*,
Peu de guéris en ſont, de morts beaucop,
Car regnè a ce trez cruel tourment
Par tout le monde univerſellement:

Fingit Poeta in *Tertia* Fabula Mercurium a Jove Turones miſſum ad indiƈta Comitia, ut arcum alterum in prioris locum ad Cupidinem deferret, Voluptatem quæ Cupidinis cauſam agebat, & cui arcum novum tradebat, ſic alloqui de arcu altero mortifero, quem Venus juſſerat in Palatii foſſas abjici, & de dira lue quæ inde oborta fuerat.

Quant eſt de l'arc mortel, que fit bouter
Dame Venus en ung fleuve a doubter,
Pour le preſent je n'y vois nul ſecours,
C'eſt diƈt commun, qu'il faut qu'eau ait ſon cours:
Et toutesfois le malheur aſſez ample
Des languiſſans, eſt prouffitabile exemple,
Tant aux vivans, comme a leurs ſucceſſeurs,
Te n'eſtre proint de dangier aggreſſeurs,
Ne de nager en ſuſpeƈte riviere,
A chaulde colle, & deffault de lumiere.

DESIDERIUS ERASMUS, Roterodamus, Vir maximi nominis & eruditionis multiſciæ, natus eſt Roterodami die 27 Oƈtobris, anno 1466, ut maxime probabile videtur. Baſileæ mortuus eſt die 13. Julii, anno 1526 jam ſeptuagenarius. Cetera quæ ad ejus vitam ſpeƈtant, ſilemus, tum quod paſſim occurrant, tum quod non ſint inſtituti noſtri, cum Eraſmus nec de lue venerea quidquam ex profeſſo ſcripſerit, nec Medicinæ vacaverit unquam. 1524.

Nihilominus tamen, cum Eraſmus ſuppar vixerit ingreſſui luis veneræ, haud pauca ſuis Operibus interſperſa reliquit teſtimonia de morbi origine, fœditate, contagione. Sic in *Epiſtola ad Chriſtophorum a Schydlovietz*, *Palatinum & Capitaneum Cracovienſem*, *Regnique Poloniæ Cancellarium*, Baſilea ſcripta anno 1525 poſtridie Idus Auguſti, & Libro *De lingua*, *ſive de linguæ uſu & abuſu* præfixa, dum ſui ſæculi calamitates enumerat, in hæc verba erumpit. „ Jam ſi quis percontetur, inter corporum mor„ bos, cui debeatur principatus; me judice facile tribuetur ei malo, quod incerta „ origine tot jam annos per omnes Orbis plagas impune graſſans nondum certum „ nomen invenit. Plerique vocant (*d*) *Poſcas Gallicas*, nonnulli *Hiſpanienſes*. „ Quæ lues unquam pari celeritate percurrit ſingulas Europæ, Africæ, Aſiæque par„ tes? Quæ penitius ſeſe inſerit venis ac viſceribus? Quæ tenacius hæret aut pervica„ cius repugnat arti, curæque Medicorum? Quæ faciliore contagio tranſilit in alte„ rum? Quæ crudeliores habet cruciatus? Vitiligo præter cutis deformitatem nihil ha„ bet noxæ, & curationem recipit. Lichenes fœdo quidem furfure primum faciem, „ deinde reliquum corpus operiunt, ſed citra cruciatum, nulloque vitæ diſcrimine, et-

 iamſi

(*a*) Gros Blatter, *Magna Variola*. (*b*) Las Buas.
(*c*) La Clavelée, (*d*) *Variolas*. Pocken enim germanice & belgice *Variolas* ſignificat.

„ iamſi remedium non admittunt, niſi cui mors ſit anteferenda.' Hæc lues quicquid „ in aliis eſt horrendum una ſecum defert, fœditatem, cruciatum, contagium, vitæ „ periculum, curationem difficillimam pariter ac fœdiſſimam, & tamen utcunque co- „ hibita ſubinde repullulat, non aliter quam podagra. „

Nec diſſimilia profert initio *Conſultationis de Bello Turcicis inferendo, quæ ad Johannem Rinckium Juriſprudentia celebrem ſcripta eſt apud Friburgum Briſgoiæ, 17. die Martii, anno a Chriſto nato* 1530. Sed nullibi diſertius luem deſcribit, quam in Colloquio, quod inſcribitur Ἄγαμος γάμος *ſive conjugium impar*, quod primum anno 1524 typis editum puto, & in quo nomine *Equitis* ſcabie Gallica *infecti* opinor perſtringi Ulrichum de Hutten, Equitem Germanum, de quo *ſupra*, fato quidem jam functum, ſed qui in Eraſmum ſcripſerat acerbius anno ſuperiore Librum, quem edendum curaverat in 4. cum hac inſcriptione, *Ulrichi ab Hutten cum Eraſmo Roterodamo expoſtulatio*. Sed ut ut ſit, Eraſmus in illo Colloquio ſic inducit loquentem alterum ex Interlocutoribus. *Superbiſſima ſcabies eſt, quæ nondum ſuum habet nomen, cum ipſa tam multorum habeat nomina, quæ nec Lepræ, nec Elephantiaſi, nec Lichenibus, nec Podagræ, nec Mentagræ cedat, ſi res veniat in certamen*. Sed audiendus præſertim, dum loquitur de modis quibus præcludi poſſet contagioſa morbi propagatio. „ PETRONIUS. Viros caſtrarem ac ſummoverem, Fœminis „ vero adderem fibulas. GABRIEL. Ita quidem proſpectum eſſet ne ex malis corvis „ naſcantur mala ova . . . . . Verum non uno modo tranſilit malum, ſed oſculo, ſed col- „ loquio, ſed contactu, ſed compotatiuncula ſerpit ad alios. Et videmus huic malo fata- „ lem quamdam malitiam adjunctam, ut quiſquis eo tenetur, vel nullo ſuo commodo gau- „ deat quam plurimis ſuam affricare ſcabiem . . . . . . PE. Nemo barbæ ſylvam patiatur ſibi „ demeti, aut ſibi quiſque tonſorem præſtet. GA. Quid ſi uterque claudat os? PE. „ Afflant naribus malum. GA. Eſt & iſti malo remedium. PE. quodnam? GA. „ Ut quod ſolent Alcumici, addant perſonam, quæ per vitreas feneſtellas præbeat „ lumen oculis, ori naribuſque reſpirationem, cornu a perſona per axillas in ter- „ gum porrecto. PE. Belle, ſi nihil metuendum eſt a contactu digitorum, linteorum, „ pectinis, & forcipis. GA. Optimum igitur barbam uſque ad genua dimittere. PE. Ita „ videtur. Deinde fiat edictum, ne quis idem ſit Tonſor & Chirurgus. GA. Ad famem „ relegas Tonſores. PE. Minuant ſumptus, & aliquanto pluris radant. GA. Eſto. PE. Tum „ feratur Lex, ne quis cum alio poculum habeat commune. GA. Iſtam vix recipiat An- „ glia. PE. Neve duo miſceantur eodem lecto, præter uxorem & maritum. GA. Pla- „ cet. PE. Ad hæc in diverſoriis ne quis hoſpes indormiat linteis, in quibus alius indor- „ miit. GA. Quid facies Germanis, qui vix lavant bis in anno? PE. Exſtimulent lo- „ trices. Præterea tollatur mos, quamvis vetuſtus, ſalutandi oſculo. GA. Etiamne in „ templis? PE. Tabellæ ſuam quiſque opponat manum. GA. Quid de colloquio? PE. „ Vitetur illud Homericum, Ἄγχι σχὼν κεφαλήν, & viciſſim qui auſcultat, comprimat labra. GA. Vix iſtis legibus ſuffecerint duodecim Tabulæ.

1525 Bartholomæus Sileber.

Præcautio luis venereæ. Viennæ, 1525. in 4.

1525 Nicolaus Godin gallicam fecit Chirurgiam Johannis de Vigo, ac edendam, curavit Lugduni cum hac Inſcriptione.

Bibliothec. Mazarinæ. *S'ensuit la Practique & Chirurgie de trez excellent Docteur en Medicine, Maitre Jehan de Vigo, nouvellement translatée de latin en françois*. a Lion, 1525.

1527 Jacobus a Bethencourt, Rhotomagenſis, Artium & Medicinæ Doctor, ex eadem ſtirpe, niſi conjectura fallit, oriundus, qua Johannes ille a Bethencourt, qui primus recentiorum Europæorum Inſulas Canarias, ſive Fortunatas Antiquorum Inſulas, reperiit anno 1405, & occupavit.

Bibliothec. Regia & Sloaniana. Scripſit Jacobus a Bethencourt Librum de lue venerea, cum ſequente titulo.

Nova pœnitentialis Quadrageſima, necnon Purgatorium in Morbum Gallicum ſive Venereum; una cum Dialogo Aquæ Argenti ac Ligni Guaiaci collutantium ſuper dicti morbi curationis prælatura, Opus fructiferum. Pariſiis, *typis* Nicolai Savetier 1527. in 8.

Patet hujuſce Inſcriptionis ratio ex Auctoris Præfatione. „ Nunc temporis, *ait Ille*, „ in dicti morbi curatione duæ præcipue prorumpunt hæreſes: Altera Guaiacum extol- „ lens lignum, Altera aquam argenti (*Argentum vivum*) non mediocri efferens præ- „ conio. Illa pœnitentiali Quadrageſima (*nempe propter inediam*): Hæ vero quodam „ Purgatorio (*propter ptyaliſmi dolores*) mederi videtur. „

Adnotat *ibidem*, „ etſi adoleverit jam conſuetudo, ut quicumque ſcribit, ſua patu- „ licanda

„ licanda velit ſcholia ſub alicujus literati ac prudentis Magnatis patrocinio, auſpiciove „ (cui dedicet) in Lucem prodire, ſe tamen hanc conſuetudinem non obſervaſſe, nempe „ quod ſuæ ineptiunculæ ſine labe dicti morbi ſuſpicionis dicari poſſent nulli. O egregia ratio! ſed quæ jam ante nullo modo moverat, nec Gaſparem Torrellam, qui Ludovico de Borbonio, Abrincenſi Epiſcopo, nec Ulrichum de Hutten, qui Alberto, Archiepiſcopo Moguntino, & S. R. E. Cardinali, Tractatus de morbo eodem inſcripſerant, neque movit deinceps vel Rodericum Diaz de Iſsa, qui Librum de lue eadem Johanni III. Luſitaniæ Regi, vel Nicolaum Maſſam, qui Librum egregium de ſimili argumento Carolo Borromæo, Archiepiſcopo Mediolanenſi, S. R. E. Cardinali, ſanctitate conſpicuo, nuncupavere.

Tantum erga Medicos antiquos, Græcos potiſſimum, ſtudium profitetur Auctor in Prooemio, quod Præfationi ſuccedit, ut aſſerat „ tanquam Paulum in ſacra pagina, Ga„ lenum in Medicina ſe venerari, ac ejus Opera eſſe ſibi in Medicina probatiſſima Bi„ blia, ſaltem Novum in Medicina Teſtamentum; Hippocratis vero Opera, Vetus. „

Liber Jacobi a Bethencourt conſtat Articulis ſive Capitibus XX, ſed nulla notatione numerica diſtinctis.

I. Refert Auctor (*a*) „ eodem anno, quo Galliarum Rex Carolus octavus impetum „ Neapoli fecit, ſuorum aut peditum aut equitum quibuſdam talem prorupiſſe morbum. „ *Addit vero* Italos *Gallicum* vocare morbum; nos Ciſalpinos *Neapolitanum*, alios *Craſ„ ſiorem Variolam*; nonnullos *Elephantiaſim*, quoſdam *Lichenam*, *impetiginemve*; cete„ ros a loco *Mentagram*, *Pudendagramve*; pleroſque *Magnatum morbum*; ...... ſi a cauſa „ (quod, *ſubjungit Ille*, maxime meo judicio fieri debet) *venereum* merito dici morbum.

II. Tres morbi cauſas admittit: *Supercæleſtem*, quam Theologi dicunt eſſe iram Dei in fornicatores; *Cæleſtem*, quam Aſtrologi dicunt eſſe concurſum Planetarum; & *Phyſicam*, quam Medici dicunt eſſe corruptionem ſeminis a ſalacitate nimia, concurrente tamen maligna aſtrorum coitione.

III. Affirmat morbum hunc Antiquis plane ignotum fuiſſe. (*b*) „ Si antea, *inquit* „ *morbus ille* homines fatigarit, (prout quidam ſomniare videntur Medici). Veterum „ tamen Medicorum placitis ac decretis minime declaratur. Profecto, *addit Ille*, ſo„ lum abhinc triginta circiter annos nobis talis viſus eſt morbus. „ Quæ naſcentis morbi epocha, ſi calculus ab anno 1526, quo ſcribebat Auctor, retrorſum ducatur, cadet in annum 1495, quo compertum eſt morbum in Galliis primum innotuiſſe.

IV. Morbi contagionem probe novit. (*c*) „ Nulli dubium, *inquit*, quin primariam „ a Venere contraxerit originem; abhinc venereo contagio affatim egerminavit. Pue„ rulis, ac quibuſdam (etſi rarenter) adultioribus pudico, citraque Venerem contactu „ poteſt emergere: ac nonnullis devotiſſimæ religionis, in viſendis deſolatis ac indigen„ tibus, pro humana (quod pie credendum eſt) accidit charitate. Si venereo contactu, „ *pergit Ille*, (quod haud alio nunc temporis pene fit modo) indubie venereis imprimis „ prorumpit membris, mentulæ ac matricis cervici.

V. Cenſet (*d*) *duobus inſtrumentis venandam eſſe hujus morbi curationem*, *victus ratione videlicet*, *ac medicaminibus*, *quæ* variis de cauſis *varianda ſunt*, & quæ curationem morbi methodicam complent, primis olim temporibus vulgatam & laudatam.

VI. Addit tamen (*e*), propter hujus morbi venerei curationis difficultatem & reci„ divas varias, ... nonnullos experiri voluiſſe alium curandi modum ... Accidiſſe quoſ„ dam mercatores, pro eorum induſtria omne latus mundi diſcutientes, in quamdam „ Inſulam ſolviſſe, cujus hic populus tali aut ſimili ſæpius corripitur morbo, & qui ci„ tra Medicos (ajunt) quodam ligno dicto Guaiaco ſeſe curat. „ Hinc ergo oblata occaſione, Auctor expendit naturam & virtutem ligni Guaiaci, ac proponit methodum curandi luem veneream illius decocto ex arte exhibito, *& ſic* addit Ille, *tali pœnitentiali Quadrageſima pœnas venerei actus luentes curantur*.

VII. Inquirit deinde in naturam Aquæ Argenti ſeu argenti vivi, ut ſua ferebant tempora. (*f*) „ Propria, *inquit*, ejus in hoc morbo operatio videtur ſuccos ſubtiliare, „ eos in fluxu ponere, ac juvante expultrice virtute vacuare, magis tamen ſuccos pituitoſos, ſperma-

(*a*) Capite *De morbi Venerei nomenclatura*.
(*b*) Capite *De Cauſa phyſica, & primo de Morbi origine*.
(*c*) Cap. *De Venerei Morbi notis &c.*
(*d*) Cap. *De morbi Venerei curatione*.
(*e*) Cap. *De ligno Guaiaco &c.*
(*f*) Cap. *De Aqua Argenti*.

„ ſphermaticorum memborrum excrementa: *Unde concludit* (*a*) Aquam argenti, quam „ cetera medicamina hujus morbi curationi videri quadrare magis. „

VIII. Jubet inunctiones ſequenti methodo adhiberi. „ (*b*) Patientis, *inquit*, antea „ purgati mane hora quarta brachia ac crura cum manu molliter ac leniter fricta mer- „ curiali ungantur linimento ante ignem. Prandeat hora undecima aut decima, & ho- „ ra quinta poſt meridiem cœnet. Hora nona iterato prædicta ungantur membra, & „ continuent ſex, octove dies. Primo tamen die ſemel fiat unctio, diebus ſequentibus „ ſemel aut bis pro morbi ac patientis viribus. „ Cenſet autem in hac curatoria methodo ægrum identidem purgandum, & inunctiones intermittendas eſſe. „ Utile ſatis „ erit, *inquit*, ſi poſt ſextum aut ſeptimum diem ſumat patiens caſſiam fiſtulam, & „ ad vires reficiendas duos aut tres dies quieſcat. „ Recte monet autem „ ſi materia „ videtur eſſe craſſa aut atrabilaria, ſintque tubera ſclerotica (*Skirrhodea*) aut ulcera „ eſthiomena (quod frequentius ob morbi diuturnitatem accidit) debiliore utendum eſ- „ ſe illitione, & longiori tempore immorandum eſſe hoc in caſu curationi; alioqui „ ſuſpicionem eſſe de recidiva. „

IX. Docet (*c*) „ unguentorum baſim eſſe argenti aquam, quæ augetur, minuiturve „ pro patientis ac morbi natura; auſpicandum eſſe a debilioribus, ac ſemper virtuti „ providendum: ubi morbus diuturnaverit benignioribus.... opus eſſe linimentis, ac „ longiori tempore. „ Ceterum varia alia proponit medicamentorum genera, quæ unguentis mercurialibus addi ſolent, ut oleum laurinum, adipem, Theriacam, Mithridatium, Lithargyrium, Sal, &c. cauſaſque pro virili explicat, cur addantur.

X. Deſcribit gonorrhœam, *Cap. de Puſtulis*, quæ ſane deſcriptio gonorrhœæ prima omnium, quas ſciam, eſſe videtur. „ Conſuluit me quidam Juvenis, *inquit*, cujus „ mentula ſeſquiannum perpetuo ſanioſum ac virulentum vomebat ſuccum, quod vene- „ nereo (ait) contraxerat certamine. Uſus fuerat vel fruſtra multorum Medicorum ac „ Chirurgorum conſilio; horum, fomentis ac catheteris; illorum, victus ratione ac „ vacuatoriis opitulantium. Cum mentula doloroſe arrigeretur, de ulcere ſuſpicatus „ ſum, conſului caveret ab injectionibus tum ne phegmone proritaretur, tum ſi ſemi- „ nariis ulcus latitaret vaſis in mentulæ utroque latere ſinuoſe diſpenſatis, tales inuti- „ tiles penitus eſſent cathetere.... medicaminibus deſiccatoriis convaluit.

XI. Adeſt in ultimo Capite *Dialogus Aquæ Argenti, lignique Guaiaci colluctatorum ſuper eorum prælatura aut principalitate in morbi venerei curatione veritatis enucleativus*, quem concludit Auctor *Epilogo*, in quo ſtatuit „ propter multas cauſas in Dialo- „ go poſitas Guaiaco debere præferri Aquam argenti; *atque adeo*.... Aquæ argenti me- „ thodo.... quam Guaiaci methodo magis fidendum eſſe. Nonnullos quidem robuſtos „ venereo morbo correptos, humidos, pituitoſoſque præcipue patientes Guaiaci bene- „ ficio poſſe curari: Graciles vero, bilioſos, debiles ac famis impatientes haud fre- „ quenter: Omnibus vero Aquæ Argenti methodum tali morbo correptis conferre.

XII. Non diſſimulat tamen rem aliquando minus proſpere ſuccedere, ſed id totum „ in medentium imperitiam refundit. „ Nec mirum, *inquit*, ſi optati rarenter ſucce- „ dant eventus; quippe Cerdones, Scorta, Mulierculæ, nonnullique Apoſtatici litera- „ rum penitus ignari, nullis vocatis Medicorum decretis, frequentius cum Aqua ar- „ genti, ne dicam illius methodo, omni vorato pudore huic medentur morbo.

Hic Auctor primus eſt Scriptorum omnium, qui Mercurii uſum uſui Guaiaci præferendum eſſe pronunciaverit; inter primos numerandus, qui methodum adhibendarum inunctionum mercurialium accurate propoſuerit; denique Gallorum Medicorum alter, quem novi, qui de lue venerea ſcripſerit. Qua vero ratione factum ſit, ut Auctor ille ceteros pleroſque Galliarum Medicos præverterit in deſcribendo morbo venereo, ſatis non capio; niſi ideo forte, quod lues illa Rothomagi & citius & crudelius videtur ſæviiſſe, quam in ceteris Galliarum urbibus. Certe lues venerea Rothomagenſis in Galliis vulgari olim circumferebatur proverbio, quaſi curatu difficillima, qua de re vide *le Pantagruel de Rabelais*, *Liv.* 5. *Chap.* 21. l'Hiſtoire de Francion, *Liv.* 10, & Menjotii Diſſertationem *de lue venerea*, *pag. m.* 39.

1529. Franciscus Delgado, vel Delicado Presbyter Hiſpanus, natus in Diœceſi Cordubenſi, (*d*) ut ipſe ait, ſed inſtitutus in oppido Bæticæ, quod olim *Tuccis*, nunc *Peña de Martos*, hoc eſt, *Rupes de Martos*, appellatur, in Diœceſi Giannenenſi, vulgo *de Jaen*, (*e*) Vicarius loci *de Cabecuela* Diœceſeos Placentinæ, vulgo *Placentia*, in Regno

(*a*) Cap. *De Illinimentis*. (*b*) Cap. *De Curatione in ſpecie*. (*c*) Cap. *De Illinimentis*.
(*d*) Libri ſui Cap. 1. (*e*) Ipſe ait ad calcem Libri.

gno Legionenſi, ab anno 1503 (*a*) per annos viginti tres lue venerea ipſe laboravit, ac (*b*) *in Archi-Hoſpitali Sancti Jacobi Apoſtoli Romæ diu graviſſimos dolores ac pene incurabiles infirmitates ex illo morbo paſſus eſt*. Convaluit tandem anno 1526 Decocto ligni ſancti ſive Guaiaci, unde occaſionem arripuit ſcribendi italice Opuſculum de modo adhibendi Decoctum ejuſmodi, cujus excudendi privilegium obtinuit a Summo Pontifice Clemente VII, anno 1526, quod ad calcem libri in forma Bullæ affigitur.

Editum eſt hoc Opuſculum Venetiis ſumptibus Auctoris, anno 1529 cum hac inſcriptione.

Del modo di adoperare il Legno Santo, ovvero del modo di guarire il Mal Franceſe ed ogni mal incurabile, in 4. Biblioth. Mazarinæ.

In hoc Opuſculo, quod pagellis conſtat ſexdecim, ſequentia legere eſt, quæ notatione digna viſa ſunt.

1°. (*c*) Morbum venereum ſive Gallicum exortum fuiſſe anno 1496 in regno Neapolitano; juxta quoſdam ex prava aeris conſtitutione, & ex impotenti militum Gallorum licentia atque abnormi vivendi ratione; juxta alios vero ex farinis calce a Neapolitanis addita adulteratis, quæ in panem militarem Gallorum ſubigebantur.

2°. (*d*) Auctori tamen veriſimilius videri morbum hunc divinitus immiſſum fuiſſe Rapalli in ditione Genuenſi: ſiquidem cum miles quidam Gallus lectum, quem in noſocomio Leproſorum occiſis prius ægrotantibus expilaverat, aureo uno ibidem vendidiſſet, in eadem, qua nummum ceperat, manu puſtula derepente ſuborta eſt, aureo latitudine par, quæ prima fuit mali labes, unde ad alios contagione promanavit. Sed hæc meræ nugæ ſunt.

3°. (*e*) Hiſpanorum quoſdam morbo jam contaminatos, cum in Inſulam Hiſpaniolam nave profecti eſſent, perfecte ibi ſanatos fuiſſe exhibito decocto Ligni cujuſdam huic Inſulæ peculiaris, & Guaiaci dicti, quo inſulani jam dudum utebantur ad morbum conſimilis naturæ ſibi familiarem. Scilicet ignorabat Auctor luem veneream in Inſula Hiſpaniola ab omni ævo indigenam fuiſſe, atque inde in Orbem noſtrum primitus translatam eſſe.

4°. (*f*) Abhinc lignum hocce in Europam devectum & ad uſum medicum adhibitum fuiſſe: In Hiſpania quidem jam ab anno 1508; In Italia vero ab anno 1517, quæ cum veritate quadrare videntur, quippe compertum eſt ex Leonardi Schmai, & Ulrichi de Hutten libris, Lignum Sanctum ſive Guaiacanum in Germania non innotuiſſe aut in uſum receptum fuiſſe ante annum 1518.

Sequentibus quinque Capitibus Auctor multis diſſerit de ligni illius natura, viribus, præparatione, adminiſtrandi modo, ſed hæc omnia jam pridem vulgata ſunt.

Auctor profert demum ad calcem libri Inſcriptiones aliquot Romanas, quas ait ſupereſſe in oppido *Peña de Martos* dicto, datamque occaſionem avide amplexus memorat *ibidem* quo pacto oppidani olim a Sancta Martha immani ſerpente liberati ſint, qui vicinam oppido regionem omnem infeſtam habebat. Unde ſequitur in extrema Bætica idem de Sancta Martha miraculum narari, quod a Civibus Taraſconenſibus in Provincia ad ripas Rhodani jactitari ſolet de Martha eadem Draconem ſævum, quem *Taraſcum* vocant, colligante & enecante, & pari quidem fide utrobique, ut videtur, nempe ex ſola nominum alluſione, illic ad Martham, hic ad Taraſcum.

Ceterum Auctor (*g*) *non charitatis zelo*, de quo tamen gloriatur, ſed potius quæſtus cauſa Librum ſuum conſcripſiſſe videtur: ſiquidem (*i*) miris laudibus effert virtutes Electuarii cujuſdam, quod ex ipſo Guaiaco præparabat, cujus efficaciæ ligni ipſius recentis & viridis parem ipſe deprædicat, ſed cujus præparandi modum de induſtria reticet, quod ſane fraudes venditatoris remediorum, arteſque diribitoris arcanorum aperte redolet, (*g*) *qui ſibi ſemitam non ſapiunt, alteri monſtrant viam*.

NICOLAUS LEONICUS THOMÆUS, Epirota patre Venetiis genitus, (*k*) 1530.
teſte Paulo Jovio, unde ſequitur Johannem Andream Quenſtedt (*l*) hallucinatum eſſe, cum

(*a*) Libri ſui *Cap.* 1. (*b*) In Bulla Summi Pontificis Clementis VII. quæ ad calcem Libri affixa eſt.
(*c*) Cap. 2. (*d*) Ibidem.
(*e*) Cap. 3.
(*f*) Cap. 5.
(*g*) Vide Bullam Clementis VII. ad calcem Libri adjectam.
(*h*) Cap. 4. pollicetur ſe abeuntem Venetiis electuarii ſui præparationem communicaturum cum *Johanne Baptiſta Papienſi*, *Dominico Senno*, & *Julio Martiano Rota*, Medicis Venetis, ad quos Librum inſcribit.
(*i*) Cicero, 1. *de Divinatione*.
(*k*) Elogior. *Cap* 91.
(*l*) De Patriis illuſtrium Virorum, *pag. m.* 285.

cum narravit Leonicum natum *Leonici*, in oppido agri Vicentini, quod nunc *Lunigo* dicitur, & ideo *Leonicum* appellatum fuiſſe, quod verius dici potuit de Nicolao Leoniceno, de quo *ſupra* ad annum 1498. Videtur potius nomen vel agnomen familiæ illi Leonico fuiſſe, cum frater illius germanus a Pierio Valeriano (*a*) Bartholomæus Leonicus nuncupetur.

Profeſſorio munere in Patavino Gymnaſio functus eſt Leonicus, ubi Philoſophiam Peripateticam docuit & plurima Ariſtotelis Opera latine interpretatus eſt, ac egregie commentatus, unde nomen ſibi fecit. Præter hæc edidit anno 1531. jam ſenex Libros III. *De varia hiſtoria*, (*b*) *quos alias juvenis admodum multiplici cum Græcorum*, *tum Latinorum lectione confecerat*. Interiit Patavii anno 1531. auctore (*c*) Petro Bembo, qui Leonico amicus ſummus fuit; non vero anno 1533. ut volunt plerique Bibliographi, quos (*d*) Petrus Bayle ſequutus eſt; natus annos non 73 ut (*e*) Paulus Jovius, nec 76, ut (*f*) Johannes Albertus Fabricius ait; ſed annos 75, menſem 1, dieſque 26, ut diſerte ſcriptum eſt in Epitaphio, quod idem Bembus amico ponendum curavit, & quod (*g*) a Jacobo Salomonio profertur inter *Inſcriptione Patavinas*

Refert (*h*) Joſias Simlerus *Librum de morbo Gallico* a Leonico *ſcriptum fuiſſe*, qui *excuſus ſit in Italia*, in quo conſentientes habet (*i*) Iſraelem Spachium, (*k*) Paſchalem Gallum, (*l*) Johannem Georgium Schenchium, & (*m*) Nicolaum Comnenum Papadopoli. Sed cum Liber ille Leonici laudetur a nemine, nec a recentioribus Bibliographis, (*n*) Lindenio, (*o*) Mercklino, (*p*) Mangeto, recenſeatur, facile inducor ut credam cum (*q*) Johanne Alberto Fabricio hoc Opus Nicolao Leoniceno potius adſcribendum eſſe, quem conſtat ſcipſiſſe *De morbo Gallico*, ut ſupra vidimus, quam Nicolao Leonico; & ideo tanto quidem magis, quod ſciam ob nominum vicinitatem a pleriſque Bibliographorum Opera alterius alteri perperam attribui, imo a Mercklino & a Mangeto plerumque dici de altero, quæ alteri tantum conveniunt.

1530 Hieronymus Fracastorius, Veronenſis, Patavii operam dedit Medicinæ, inde Livianum Copiarum Venetarum Ducem ſequutus eſt pluribus bellis, ſed eo mortuo ad Abduam anno 1515, in patriam ſe recipit. Medicus fuit Patrum Concilii Tridentini. Fato functus eſt ſeptuagenario major in ſuis Caphiis prope Veronam, 8 Idus Auguſti anno 1553, apoplexia correptus in menſa.

Johannes Baptiſta Ramuſius egregiam ſuam Collectionem *Delle Navigazioni e Viaggi* dicavit Hieronymo Fracaſtorio, quem plurimum laudat in Epiſtolis nuncupatoriis, quas ſingulis tribus Tomis præfixit, non modo tanquam Medicum & Philologum eruditum, ſed etiam tanquam Coſmographiæ & Geographiæ peritiſſimum.

Inter cetera Fracaſtorii Opera, duo exſtant de Morbo Gallico.

Prius eſt eximium illud Poema, in quo eleganter luſit tribus Libris *De Morbo Gallico*, ſive ut ille ait, *De Syphilide*, quam a Syphilo Paſtore in Deos impio ſic dictam fingit,

Syphilidemque ab eo labem dixere Coloni.

Dicatum eſt Petro Bembo Leoni X. Pontifici Maximo tunc a Secretis, ideoque ſcriptum annum 1521, quo Leo X. fato functus eſt, ſed quod editum non novi ante annum 1730, quo Veronæ excuſum eſt.

Biblioth. Sloaniana. Poſterius eſt Opus *De contagionibus & contagioſis morbis & eorum curatione*, in tres Libros diſtributum, quod primum editum eſt anno 1546. Venetiis, *in* 4°. In illo *Capitibus* 11. *&* 12. *Lib.* 2. Morbi Gallici naturam & cauſas; *Capite vero* 10. *Lib.* 3. ejuſdem curationem explicat.

In utro-

(*a*) De Litteratorum felicitate, *Lib. II. pag. m.* 84.
(*b*) Ex *Epiſtola nuncupatoria* ad Cuthberthum Tunſtallum, Epiſcopum Dunelmenſem.
(*c*) Epiſtolarum *Part.* 2. *Lib.* 8. in Epiſtola data *die* 28. *Martii anni* 1531.
(*d*) Dictionnaire Critique, au mot *Themaus*.
(*e*) Elogior. *Cap.* 91.
(*f*) Biblioth. Med. & Infim. Latinitatis, *Volum.* 4. *Lib.* 2; in voce *Leonicus*.
(*g*) Inſcriptione Patavini agri, *pag.* 338, 339. N°. 89.
(*h*) In Biblioth. Geſneri contracta.
(*i*) In Nomenclatore *Scriptor. Medicor.*
(k) In Biblioth. *Medica*.
(*l*) In Biblioth. *Iatrica*.
(*m*) In Hiſtor. Gymnaſii Patavini, *Tom.* 1. *pag.* 302.
(*n*) De *Scriptis Medicis*.
(*o*) In Lindenio renovato.
(*p*) In Biblioth. *Medica*.
(*q*) Ubi *ſupra*.

In utroque Opere Fracaſtorius eadem docet circa naturam & cauſas morbi, ut (*a*) morbum *novum* eſſe; præcedentibus ſæculis non viſum; *ab elefantia & ab Arabum ſafati plane diverſum; in inſulis, quas Hiſpanæ navigationes adinvenere*, endemium; inde *contagione* devectum. At vero ne quid diſſimulem, aſſerit (*b*) ibidem, tametſi *maxima quidem mortalium pars a contagione morbum hunc contraxerit, obſervatum tamen fuiſſe innumeros alios ſine ulla contagione per ſe infectionem eam perpeſſos fuiſſe:* Atque adeo, licet contagionem admittat præjudicio ductus, cenſet etiam admittendam eſſe *ſordidam* aeris *putrefactionem*, quam tria ſuperiora ſidera, Saturnus, Jupiter, & Mars coeuntia intulerint.

2°. Quod ad curationem, proponit ſtatim methodicam therapejam, quam cenſet ad incipientem morbum ſufficere. Si vero inveteratus ſit, auctor eſt ut æger utatur decocto ligni Guaiaci, cujus præparandi rationem explicat, aut decocto radicum cynarum, quæ paucos ante annos in Europam delatæ fuerant.

Poſt hæc profert duo alia remediorum genera, *quibus*, ut ipſe ait, (*c*) *primis temporibus ſtatim utebantur, ab Empiricis primum inventa, inunctionem* ſcilicet *& ſuffitum*. Et primo quidem inunctionem mercurialem deſcribit, neque illam damnat, licet incommoda exaggeret: (*d*) „ Os, *inquit*, & palatum exulcerantur, ac ſordities tanta per „ os concitatur per dies 15. & amplius, ut nihil fœdius, nihil intolerabilius videatur; ci- „ bus nullus mandi poteſt, etiam vix ſorberi datur, dentes luxantur, ſomnus adimitur, „ & breviter per id tempus nihil gravius ſentiri poteſt. Diſertius vero in libro II *Poematis de Syphilide*, ubi propoſitis variis unguentorum mercurialium formulis, ſic pergit.

„ His igitur totum oblinere atque obducere corpus
„ Ne obſcœnum, ne turpe puta; per talia morbus
„ Tollitur, & nihil eſſe poteſt obſcœnius ipſo.
„ Parce tamen capiti, & præcordia mollia vita,
„ Tum ſuper & vittas ſtringe, & ſtuppea necte
„ Vellera: Dein ſtratis tegmento imponere multo,
„ Dum ſudes, fœdeque fluant per corpora guttæ.
„ Hæc tibi bis quinis ſatis eſt iteraſſe diebus.
„ Durum erit, at quicquid poſcat res ipſa, ferendum eſt.
„ Aude animis: tibi certa ſalus ſtans limine in ipſo
„ Signa dabit, liquefacta mali excrementa videbis
„ Aſſidue ſputo immundo fluitare per ora,
„ Et largum ante pedes tabi mirabere flumen.
„ Ora tamen fœda erodent ulcuſcula, quæ tu
„ Lacte fove & cocto cytini, viridiſque liguſtri.

Quod ad ſuffitum, (*e*) ait, acerbiſſimum medicamentum eſſe, quo numquam auſus „ eſt uti ad totum corpus, ſed quod ad certas tantum partes ut crura & brachia, cum „ vel ſphaceli ſunt, vel feræ gummoſitates, vel dolores vel ulcera male morigerata, et- „ iam præſtantiſſimum arbitratur. Ceterum ab eo abſtinendum ſuadet, nec Empiricis „ credendum, quibus nihil temerarium eſt magis, quando & per os etiam auſi ſunt ar- „ gentum vivum, & quod *præcipitatum* vocant, confectis ex iis pilulis exhibere.

LAURENTIUS PHRISIUS vel FRISIUS, Germanus, Artium & Medicinæ doctor, (*f*) Medicus Civitatis Metenſis, (*g*) claruit in Germania. Dicitur Argentinenſis a (*h*) Johanne Bernier, D. M. ſed an ſatis vere neſcio. 1532

Præter Opera alia ſcripſit *Epitomen Opuſculi de curandis Puſtulis, ulceribus, & doloribus morbi Gallici; mali* Frantzos *appellati*, quæ Baſileæ excuſa eſt apud Henricum Petri, anno 1532, in 4. & quæ Capitibus octo abſolvitur.

1°. Ait in *Præfatione*, „ ſe intendere opitulari miſerrimis hominibus hoc malo francigeno „ intoxicatis, *ideoque* opuſculum illud in unum redigere propoſuiſſe, quod (Deo annuen- „ te, ſine quo omnia caſſa) curam hujus morbi recentis & veterati, floridis experimen- „ tis, non minus quam ratione approbatis, elucidabit „. Et ſane profitetur alibi non modo „ (*i*) ſe multos curaviſſe, *ſed etiam ſe* (*k*) nihil docere præſumere, niſi quod ratione, auctoritate & experientia probavit.

2°. Nar-

(*a*) Lib. 2. Cap. 12. (*b*) Ibidem (*c*) Lib. 3. Cap. 10. (*d*) Ibidem.
(*e*) De Morbis contagioſis, *Lib. 3. Cap.* 10.
(*f*) Scenckius, in *Biblioth. Iatrica*.
(*g*) Valerius Andreas, in *Biblioth Belgica*.
(*h*) Eſſais de Medecine, *Part.* 1. *Chap.* 4.
(*i*) Cap. 6. (*k*) Ibidem.

2°. Narrat eadem, quæ apud ceteros ejuſdem ævi Scriptores reperire eſt, de novita-
,, te & origine morbi; *nempe* (*a*) morbum *hunc* atrociſſimum anno Chriſti, Salvatoris
,, noſtri, 1496 efferbuiſſe; irruiſſe in homines ſævo morſu ulcerum, glandularum &
,, duriſſimorum dolorum; incognitum & inviſum fuiſſe.... non tantum vulgo, verum
,, etiam doctis in ſacra Medicina eruditis.

3°. Multis deſcribit vel potius exaggerat Medicorum ſocordiam in Germania, qui ſe
,, (*b*) nolebant intromittere in curam *illius morbi*, tam ſpeculando, conſulendo, quam
,, viſitando,.... donec ſublimis & glorioſus Deus,.... miſit ex Gallia & Neapoli non-
,, nullos Empiricos vel medicos, qui potius temeraria audacitate, quam induſtria cœ-
,, perunt curare homines hoc malo laborantes.

4°. Nulla alia proponit morbi ſigna, (*c*) quam 1°. ,, Puſtulas cruſtoſas, latas, aut
,, longas, quæ de facili exſiccantur & cadunt ex carne concavæ ad modum cupularum
,, glandium, & cum ceciderunt remanet quædam glandula elevata ſupra cutem. 2°.
,, Nocumenta circa pudibunda. 3°. Dolores intentiſſimos in juncturis, in capite, in
,, focilibus brachiorum & pedum, cum durie & tumore.

5°. Cauſam morbi ex errore ætate ſua vulgari ab influxu ſiderum deducendam eſſe arbitratur, ob varias Planetarum conjunctiones, quas ait contigiſſe anno 1483. Quin imo (*d*) refert *a quodam Doctore & Aſtrologo famoſiſſimo*, quem ipſe noverat, *morbum aliquos ante annos prędictum fuiſſe*.

6°. Contendit (*e*) ,, curam hujus mali difficiliorem eſſe in hodiernis diebus, *hoc eſt*
,, *ętate ſua*, quam nuperrimis fuit. Quod, *inquit*, perpendere potes in multis, qui
,, elapſis annis aliquibus famoſi fuerunt in ipſius cura, nunc autem parum proficere va-
,, lentes; cujus cauſam *Ille* aſſignat duplicem, primam ſcilicet Saturni efficax dominium,
,, quod jam ſibi vendicavit: .... ſecundam, quia homines amplius non abominantur
,, id malum, quare nolunt perſequi bona conſilia, & ſuſtinere diætam bonam.

7°. Multus eſt in tradenda curatione methodica, quæ, ut jam ſepius dictum eſt, obtinetur diæta, alterantium uſu, purgatione iterata & unguentis detergentibus, exſiccantibus, cicatricem inducentibus, quibus tamen nullus admittitur Mercurius. Inter cætera Galenica pharmaca impenſe laudat (*f*) *Theriacam & Mithridatium*, quibus ait *ſe vidiſſe quamdam Matronam curatam*, *cui omnia alia remedia nihil profuerant*.

8°. Indicat tamen unguenta quinque mercurialia, ſed eo tantum fine ne ignoraſſe vi-
,, deatur, & ut indicando eadem damnet. ,, Iners vulgus, (*g*) *inquit*, nonnunquam
,, peritiſſimos Medicos floccipendere non veretur, cum putat illos latere illa unguenta,
,, quibus Medici porcini ,, (ſic vocat ille Medicos, qui unguentis ex mercurio & axun-
gia porcina utebantur) ,, corpora inungunt: Certe dico tibi, quod non ſunt abſcondi-
,, ta, imo autem manifeſta, ſed propter nocumenta illorum eis uti nolunt. Deſcribam
,, igitur tibi, *pergit Ille*, aliqua unguenta illorum Medicorum, ut ſentias quod non
,, ſint Medicis ſecreta, quemadmodum fatentur illi Empirici.

9°. Ceterum videtur fide optima proferre, quæcumque utiliſſima noverit. Sic in Opuſculi fine proponit (*h*) *ſecretum chariſſimum ad ulcera virgæ*, *cum amplius nulla ſpes eſt*, *cum quo*, ut ait, *ipſe ſæpius famam & pecuniam impetravit*. Secretum autem tale eſt.

,, ℞. Pulverum barbæ (*i*) Silvanæ ℥ j.
,, Myrræ, & Thuris *ana* ʒ i j.
,, Oſſis ſepiæ ʒ j.
,, Aſpergatur cum eo Ulcus.

Hoc Phriſii Opuſculum Collectioni primæ Venetæ anni 1535, & Collectioni Luiſininæ ſeu Venetæ ſecundæ anni 1566, inſertum eſt, ſed Epiſtola nuncupatoria ſive Prefatione truncatum, & mutatis quibuſdam vocibus ſive locutionibus in melius correctum.

1532 Nicolaus Massa, Venetus, Medicus ſuo tempore celeberrimus, teſte Borgarucio (*k*) *Vir ſummę auctoritatis*, *doctrinæ ac experientiæ*, & ut verba Aloiſii Luiſini uſurpem (*l*), ,, talis in profliganda peſte hac Gallica, uti mundo donatus de induſtia a
,, Deo Optimo Maximo in calamitates noſtras demum reſpiciente viſus fuerit, qui
,, arte

(*a*) Cap. 1.
(*b*) Cap. 1.
(*c*) Cap. 2.
(*d*) Cap. 3.
(*e*) Cap. 6.
(*f*) Cap. 6. (*g*) Cap. 6.
(*h*) Cap. 8.
(*i*) Barba Sylvana eſt Plantago aquatica. Vid. *Dodonæum*. (k) De morbo Gallico, *Cap.* 4.
(*l*) In Epiſtola nuncupatoria præfixa *Tom.* I. *Collect.* *Venetæ*.

„ arte ſua mirifica & ingenio ſolertiſſimo tam pertinacem efferamque ægritudinem de „ medio tolleret.... Qua de re credendum eſt totius fere Europæ Viris quampluri- „ mis magni nominis, qui nomine illius audito partim per literas illum conſulebant, „ tanquam alterum Æſculapium, partim ipſi ad illum undecunque perveniebant & ad „ priſtinam ſanitatem, ad quam recuperandam non ſat erant ceterorum Medicorum „ præſidia, illo duce revocati, læti in ſuas quiſque regiones redibant.

Ne quid autem adulationi datum putes, poſſunt quæ ab Aloyſio Luiſino dicta ſunt, certiſſimis exemplis confirmari. Sic (*a*) *Dominus Franciſcus de Plaſentiis, Civis & Nobilis Cremenſis, qui nullis unquam auxiliis Medicorum potuerat liberari*, a Nicolao Maſſa feliciter ſanatus eſt. Sic *Dominus* * *Broila, Vir generoſus, magnificus, dives, & nobilis Turinenſis*, qui licet *Turini, Mediolani, Papiæ & Lugduni plurimos & famigeratos Medicos ad ſui curam accerſiſſet, nunquam potuerat liberari, Venetias ſe contulit*, & a Nicolao Maſſa perfecte ſanatus fuit. Sic *Illuſtriſſimus & ſtrenuus Princeps D.... M.... Gallus & Vicedominus in Arce Mediolanenſi, cum paſſus eſſet morbum Gallicum per multos annos, non potuit ex toto liberari, quin relinqueretur ulcus magnum in capite bronchi*, hoc eſt, Tracheæ Arteriæ. *Primarii Medici Mediolanenſes, Januenſes & Lugdunenſes, nomine inclyti Regis Gallorum, plurima fecerunt, ſed ipſi fruſtra laboraverunt*. Verum illum Nicolaus Maſſa, quem demum accerſivit, perfectiſſime ſanavit.

Præter multa alia Opera, ſcripſit Maſſa Librum de *Morbo Gallico*, (*b*) *cum hæc lues pullulare cœpit, ſi non primus omnium, certe inter primos, qui quidem pauci admodum exſtiterunt, & mutila ſcripſerunt*. Sane conſtat illum Syphiliticorum cadavera diſſecuiſſe jam anno 1524, imo Librum ejus *de morbo gallico* prodiiſſe Venetiis anno 1532, cum hac inſcriptione. Biblioth. Collegii Ludovici Magni.

> *Nicolai Maſſæ, Veneti, Artium & Medicinæ Doctoris*, Liber de Morbo Gallico *noviter editus, in quo omnes modi poſſibiles ſanandi ipſum mira quadam & artificioſa doctrina continentur, ut ſtudioſo Lectori patebit*. MDXXXII. In fine vero adjicitur. *Explicit* Liber de Morbo Gallico *ab excellentiſſimo Artium & Medicinæ Doctore Nicolao Maſſa editus, Venetiis in ædibus Franciſci Bindoni, ac Maphei Paſini ſocii, ſumma diligentia impreſſus, anno Domini MDXXXII, die vero* XIIII *menſis Julii*.

Pluries adhinc typis recuſus eſt Tractatus ille, nempe bis anno eodem 1536, Baſileæ & Lugduni, unde liquet editionem anni 1563, quam Maſſa dedicavit Cardinali Carolo Borromæo, Archiepiſcopo Mediolanenſi, ſanctitate conſpicuo, haud primam fuiſſe, ſed *tertiam*, ut ipſe in Præfatione teſtatur, & *multis additamentis auctam*.

Tractatus ille Nicolai Maſſæ eximius eſt, & vere dignus qui legatur; qua de re audiendus Johannes Freind, æquiſſimus Auctorum æſtimator. (*c*), „ Nicolaus Maſſa, „ *inquit*, ſcriptor optimus eſt, qui & experientia niti maxima & argumentum ſuum „ optime intelligere videtur....,. Æque accuratus in explicanda medelæ ratione Maſ- „ ſa eſt, declarat etiam malum illud novis tractari oportere remediis, atque ex pri- „ mis, ſi non primum, ſe fuiſſe, qui hæc invenerit, aliiſque communicarit... Utique u- „ no verbo, *pergit Ille*, Maſſæ laudem concludam, ex omnibus Auctoribus, quorum „ ingens copia eſt, hic præcipue videtur in praxi verſatus „.

Diſtribuitur Tractatus Maſſæ in ſex *Libros* ſive *Tractatus*, quorum *Primus*, qui complectitur Capita VII, agit *de natura, origine & cauſis morbi Gallici*: Ibi ſtatuitur morbum hunc eſſe ægritudinem novam, quæ multiplicis contagionis via propagatur, ſed (*d*) *quæ cauſatur etiam ab alteratione intrinſeca, concurrentibus aliquibus diſpoſitionibus corporis, & regimine in cibo & potu, & aliis rebus non-naturalibus*.

Multis *Ibidem* probatur, (*e*) „ humorem prædominantem ſive baſim morbi eſſe pleg- „ maticum humorem. Ego ſtudioſe aperui, *inquit Maſſa*, puſtulas dicti morbi, & „ quamvis extra apparebant rubicundæ vel alterius coloris, apertis tamen in baſi & „ fundo erat quædam materia alba, denſa, viſcoſa, quæ nihil aliud quam phlegma di- „ ci poteſt .... Vidi etiam ſæpiſſime, *pergit Ille*, in anatomiis corporum mortuo- „ rum patientium dum viverent, morbum Neapolitanum cum doloribus, multam quan- „ titatem materiæ albæ, viſcoſæ in locis ubi erant dolores, quam quandoque vidi duram

(*a*) Maſſa, De Morbo Gallico, *Lib.* 3. *Cap.* 9.
* Procul dubio ex nobili Broilarum familia Chierienſi in Pedemontio, cujus ſtirps una in Galliis hodie floret fortiſſimis Viris. (*b*) In Præfatione Præfixa *Editioni tertiæ Libri Maſſæ*.
(*c*) *In Hiſtor. Medicinæ* a Johanne Wigan, D. M. latine verſa, *Part. ſecunda*.
(*d*) Lib. 1. Cap. 1. (*e*) Ibid. Cap. 4.

„ ram & aliquando molliorem: Ut in anatomiſato MDXXIV, qui laborabat tali mor-
„ bo cum doloribus crurum, ut affirmabant ejus vicini; & in hoc in locis dolorum, quando
„ fuerunt inciſa, inventa eſt iſta materia alba, viſcoſa, quæ adhærebat panniculo co-
„ operienti crus, & in multis aliis juncturis, & prope ipſas reperi quantitatem maxi-
„ mam iſtius materiæ albæ viſcoſæ. „

Secundus tractat Capitibus VIII *De regimine aeris*, *de regimine per cibum & potum*, de recto uſu ceterarum rerum non-naturalium, de purgatione & alteratione, *de convenientia phlebotomiæ*, *ventoſarum & ſanguiſugarum* in hac ægritudine.

Monet Auctor fugiendum eſſe coitum cum mulieribus menſtruatis de novo, & infectis iſta ægritudine. „ (*a*) Quod ſi forte, *ſubjungit Ille*, quis cum muliere infecta coi-
„ verit, laventur partes illæ poſt coitum cum vino albo calido vel cum aceto, quod ma-
„ gis mihi placet, ut fiat confortatio membri & prohibitio corruptionis ad illam ma-
„ lam qualitatem.... Si vero quis cum infecta muliere coire voluerit, quod fatuum eſt,
„ lavetur vulva cum vino aut aceto & membrum virile cum aceto, quoniam non ſinit
„ imprimere malam illam qualitatem, & non moretur in coitu, & poſt lavetur mem-
„ brum virile, ut ſupra; & e contra ſi mulier cum viro infecto coiverit, lavet viri
„ membrum & vulvam ante & poſt coitum, & non moretur in coitu. „ Quæ ſane mirari ſubit dici, præſertim in Tractatu, qui nuncupabatur Cardinali & Archiepiſcopo.

In *Tertio* agitur Capitibus XIV *de Medicina ligni Indici*, *Salſæ-parillæ*, *atque radicis Chinæ*; moduſque præparandi & adminiſtrandi varia ex ſingulis remedia fuſe explicatur.

In *Quarto* proponuntur Capitibus VI multa variaque genera inunctionum vel ceratorum mercurialium; cautiones, quæ neceſſariæ ſunt, ut iis uti tuto liceat; demum (*b*) *modi ſucurrendi oris*, *gingivarum*, *& aliarum partium gutturis alterationibus*. Affirmat autem Maſſa (*c*) „ viam ſanandi Morbum Gallicum cum juncturarum unctionibus,
„ in quibus argentum vivum ingreditur, eſſe infallibilem & ſecuriſſimam viam ſanan-
„ di hanc ægritudinem .... Inunctiones & linimenta ex axungia & argento vivo &
„ aliis facta eſſe mirabile præſidium & medicinam ſecuritatis, cum qua, ut ſæpiſ-
„ ſime viſum eſt, omnes patientes Morbum Gallicum ſanantur, & quæ poteſt in
„ omnibus corporibus & iſtius morbi accidentibus adminiſtrari, in quocunque tem-
„ pore & ætate, & etiam in prægnantibus & pueris, ut ipſe ſæpe fecit, & illis be-
„ ne ſucceſſit.... Addit demum *alibi* (*d*) „ virtutes unguentorum *mercurialium*, cum
„ ſint mirabiles, & ſupra alia medicamina in hac ægritudine nobiliores, ſe ſilentio
„ pertranſire non decreviſſe, ſed quantum in ſe erit, & quantum ingenium ſuum va-
„ lebit, cum veritate eas extollere intendere, cum per talia unguenta gentem pluri-
„ mam, quæ ab aliis medicaminibus nunquam ſanata fuerat, poſtea ab unctione un-
„ guentorum iſtorum ſanitati reſtitutam viderit.

Ceterum multa referuntur a Maſſa de therapeia mercuriali, quæ notari velim: 1°. (*e*) Ab illo proponi tum unguentum ad Scabiem Meſues in *Antidotario*, *Diſtinct. XI.* tum unguentum Saracenicum Arnaldi de Villanova, in *cura Scabiei*, „ ut ſint teſtimonia di-
„ ctorum ſuorum, videlicet quod dicta unguenta non ſunt ab Empiricis inventa, ut
„ multi credunt, neque modus uſus ipſius, cum ex dictis jam appareat, quod Anti-
„ qui, antequam ad nos veniſſet morbus iſte, ungebant etiam ipſi juncturas, ex qua
„ unctione fluxus materiæ phlegmaticæ eveniebat.

2. Ab eodem deſcribi (*f*) „ Unguentum ſuum, *benedictum completum* dictum in i-
„ ſta ægritudine, quod ſanat puſtulas morbi Neapolitani, doloreſque, & reſolvit apo-
„ ſtemata dura ſive grumas, & ulcera mala ſanat, ſi cum eo ungantur juncturæ & pu-
„ ſtulæ..... cujus unguenti iſta eſt deſcriptio.

„ ℞. Axungiæ porcinæ mundatæ a ſuis pelliculis & per ſetonem
„ colatæ ſine igne, *Lib.* ij.
„ Argenti vivi *Lib.* j.
„ Lithargyrii ℥ iij.
„ Ceruſſæ ℥ ij.
„ Olibani ℥ j.
„ M. & f. Unguentum in mortario lapideo, extinguendo in primis argentum
„ vivum cum axungia, poſtea addendo res alias, ſemper piſtillo bene agitando.

3°. Inun-

(*a*) Lib. 2. Cap. 6. (*b*) Lib. 4. Cap. 4. (*c*) Ibidem, Cap. 1.
(*d*) Lib. 4. Cap. 3. (*e*) Lib. 4. Cap. 3.
(*f*) Ibidem.

3°. Inunctiones a Nicolao Maſſa quandoque per intervalla tantum adhibitas fuiſſe, „ cum ægri debiliores eſſe videbantur. „ (*a*) Sanavi, *inquit*, multos maraſmode laborantes, debiles, cum ægritudine magna, per plures reiterationes unctionum, & ungebam per quatuor dies omni ſero, deinde dimittebam ipſos per hebdomadam quieſcere ſine unctione, ... & poſtea iterum ungebam per quinque dies in ſero ſecundum eorum virtutes, iterumque dimittebam quieſcere, & ſic ſanitati reſtituti ſunt.

4°. Ab eodem „ (*b*) laudari etiam multum, ſi inter ungendum accipiatur aliqua evacuatio appropriata, quoniam non ſinit materias omnes currere per os; & ergo, *pergit Ille*, ſæpe hoc pacto procedo, & mihi bene ſuccedit.

5°. Jam tum Nicolao Maſſæ exploratum fuiſſe (*c*) „ ſæpiſſime accidere, quod in aliquibus *poſt adhibitas inunctiones* nullus appareat fluxus materiei ab ore, neque aliqua alteratio, ſive dolor dentium, neque fluxus ventris, aut aliquod ſignum evacuationis manifeſtæ, ... & in iſtis ungendo procedere oportere uſque ad aliquam manifeſtam puſtularum, dolorum, apoſtematum & ulcerum ſanationem.... Et cum hoc apparet dimittendam eſſe unctionem.

6°. Demum ea methodo Maſſam (*d*) „ ſanaviſſe inter alios unum, qui a pluribus jam inunctus & non ſanatus fuerat, quem per triginta ſeptem dies inunxit & liberatus fuit, & nunquam recidivavit, & ab omnibus incurabilis dicebatur, & ſanus adhuc vivit, & multos alios.

Quintus explicat *III Capitibus* qualitatem & adminiſtrationem ſuffumigiorum, & regimen obſervandum in ipſorum adminiſtratione; *circa quod* (*e*) oportet, *inquit*, in primis medentes admonere, quod non eſt ſine timore nocumenti membrorum principalium, imo ſæpe recidivant, & ad malas ægritudines cum iſto deveniunt.

Denique in *Sexto* diſſeritur *Capitibus VII* de curatione *accidentium*; quæ morbo Gallico peculiaria ſunt. Mira autem prædicat *de Pulvere ſuo Angelico*, ſeu Mercurio præcipitato rubro, de cujus præparatione ſic loquitur. „ (*f*) Et quamvis Johannes de Vigo, Vir doctiſſimus, ipſum pulverem doceat componere ſub nomine *Pulveris rubei*, nihil ei debeo in hoc, quoniam antequam ipſe ſcriberet, ego ipſum componebam, & habui a quodam Viro Alchimiſta ſene, qui erat mirabilis experimentator, & multa alia ipſe docuit me, cujus anima requieſcat in pace, quoniam mortuus eſt.

Copioſiori Libri illius analyſi ægræ ſuperſedeo, quem fere totum excerpendum eſſe cenſerem, ſed auctor ſum, ut Medici, quibuſcunque curæ eſt artis incrementa perſpecta habere, Librum hunc legant & perlegant, in quo omnimodum curandæ luis venereæ artificium continetur. Inde ſane comperient tum quantos in curanda lue venerea progreſſus Medicina jam feciſſet anno 1532, intra annos 37 a morbo nato; tum quantulos fecerit abhinc per annos ducentos, & quod excurrit.

Ceterum animadvertendum eſſe videtur in primis Libri a Maſſa ſcripti Editionibus nonnulla deeſſe, quæ in tertia Editione anni 1563 ab Auctore adjecta ſunt, & quæ leguntur in Collectione Luiſinina, cui Editio illa inſerta eſt: Nempe in *Tractatu* ſive *Libro tertio* deficere, 1°. Caput IX. ubi *de plurimis dubitationibus & hæſitationibus, quibus Auctor reſpondit, de exhibitione Decoctionis ligni Indici*: 2°. Capita X & XI, ubi *de virtute, præparatione, adminiſtratione, operatione radicis ſalſæ-parillæ*, quæ ab Editione prima in uſum advocata fuerat. 3°. Capita XII, XIII, & XIV., ubi *de præparatione, & exhibitione decocti radicis Chinæ*, quæ pariter in uſum venerat, ex quo tempore prima libri Editio prodierat. Demum in *Tractatu* ſive *Libro ſexto* deeſſe Caput *III*, ubi quæſtio eſt *de his quæ opitulantur pilorum caſui, gingivarum roſionibus, & dentium caſui*, ſymptomatis ſcilicet morbi, quæ nondum apparuerant, cum primum Tractatus ille publici juris factus eſt.

Multa alia, ſed non diſſimilia leguntur, de morbo gallico in *Epiſtolis Medicinalibus* Nicolai Maſſæ, Venetiis editis *in* 4. *anno* 1558. *Tom. II.*

Sic 1°. Laudat paſſim uſum inunctionum mercurialium, quem, (*g*) *ſi a prudenti docto & experto Medico* uſurpetur, *ceteris omnibus longe meliorem eſſe fatetur*:.... *quo ſecurior & certior morbi eradicativa medicina excogitari non poteſt, neque ab alio inventa fuit.*

2°. Non diſſimulat (*h*) *aſſumptionem decoctionis ligni Indici leviorem eſſe medicinam*, ſed minus efficacem, & *poſt quam, ſi æger in recidivam inciderit, nulla alia medicina quam unctionibus mercurialibus utendum ſit.*

3°. Mo-

(*a*) Lib. 4. Cap. 2. (*b*) Lib. 4. Cap. 4. (*c*) Lib. 4. Cap. 2. (*d*) Lib. 4. Cap. 2. (*e*) Lib. 5. Cap. 1. (*f*) Lib. 6. Cap. 6. (*g*) Tom. II. *Epiſtola* 20, *data* Ann. 1555. (*h*) Ibidem.

3°. Monet ut inunctiones aliquot dierum intervallis adhibeantur, ne ori exulceratio inferatur, (*a*) „ Caverem, *inquit*, ab illa ulceratione oris & gingivarum omnino, & „ hoc interponendo tempus inter unctionem & unctionem duorum & trium dierum „ & plus, ita ut ex hujuſmodi inunctione præpararentur materiæ quæ ſunt in membris „ exterioribus, non tamen membra intrinſeca inflammarentur, quæ poſtea communicando ſuam inflammationem capiti per vapores, exulcerant os & gingivas.

4°. Refert quæ a ſe in cadaveribus obſervata ſunt. (*b*) „ Equidem, *inquit*, plures „ homines mortuos in Hoſpitalibus ſecavi, qui viventes morbo gallico laborabant, in „ quibus venæ per univerſum corpus plenæ erant materia pituitoſa alba, quæ pituita „ in quantitate longe ſuperabat ſanguinem, & loca etiam doloroſa madebant eadem materia pituitoſa, imo in aliquibus omnes lacerti iſta jam dicta materia.

5°. Tandem memorat, in *Epiſtola XXX. Tom. I. ſcripta anno* 1538. „ Depilationes „ paſſim illis temporibus hominibus accidere & eſſe morbi Gallici accidens; „ quæ mire quadrant cum iis quæ ſupra dicta ſunt de diverſis periodis, quas lues venerea initio habuit, *Lib. I. Cap. XII.*

Dicitur Maſſa a Jacobo Alberico, (*c*) ſupremum diem obiiſſe anno 1569, ſed creditur a
1532. (*d*) Nicolao Comneno Papadopoli *non ſuperaſſe annum* 1564.

COLLECTIO SECUNDA, quam Venetiis editam fuiſſe ſuſpicio eſt, ſed quæ neque Typographi, neque Urbis, ubi excuſa fuit, nomen præfert, adſcripto tantum ad calcem libri anno MDXXXII.

Frons Libri, cujus forma eſt in 8°, quot & quæ Auctorum Opera in illa Collectione contineantur, abunde docet; ſic enim legitur,

Bibliothec. Sloaniana.

CONTENTA

Nicolai Maſſæ, Veneti, Artium & Medicinæ Doctoris, Liber de Morbo Gallico, *mira ingenii dexteritate conſcriptus*, qui eodem anno Venetiis prodierat.

Johannis Almenar, Valentini Hiſpani, Philoſophi ac Medici, Liber perutilis de Morbo Gallico, *VII. Capitulis quidquid deſideratur complectens*, de quo vide ad annum 1512.

Nicolai Leoniceni, Vicentini, fidiſſimi Galeni Interpretis, Compendioſa ejuſdem morbi *cura*; quæ jam excuſa fuerat apud Aldum Manutium anno 1497.

Angeli Bolognini, Medici eximii, Libellus de cura ulcerum exteriorum. *Et* de Unguentis in ſoluta continuitate a Modernis maxime uſitatis, *in quibus multa ad* curam Morbi Gallici *pertinentia inſerta ſunt*, quod Opus in lucem exierat anno 1514 Bononiæ, ſi non & prius.

1534. JOHANNES PASCHALIS vel PASCALIS, Sueſſanus, hoc eſt, oriundus ex Urbe Epiſcopali Campaniæ, *Sueſſa* dicta, quæ Metropoleos Capuanæ ſuffraganea eſt, Doctor Medicus.

Bibliothec. Mazarinæa & Sloaniana.

Liber de Morbo quodam compoſito, qui vulgo apud nos Gallicus *appellatur.* Neapoli, *apud Johannem Antonium de Caneto*, 1534. in 4°.

Inſcribitur Tractatus ille „ Gaſpari Siſcario, Patricio Neapolitano, *a quo quæſitum fuerat*, an de morbo Gallico appellato a priſcis Medicis dictum ſit: *Cui quæſtioni ut ſatisfaceret, Auctori* „ Priſcorum quidem conſultatione & afflatu fuit opus. Quod eo libentius, *addit Ille*, „ conatus ſum facere, quando Noſtrates priorum dicta ita inſipide legentes, ab eis duntaxat haberi talem morbi ſcientiam ac notitiam, dicere non erubeſcant. Ego vero, „ *pergit Auctor*, quando Medicinæ principes accurate, & eorum tam generice, quam „ ſpecifice dicta conſultaverim ac perlegerim, illorum pace aliter ſentio. „ Hæc autem Epiſtola nuncupatoria abeſt a Veneta Collectione Luiſini, cui inſertum eſt Opus Paſchalis.

Capita novem Tractatum illum conficiunt, quorum tribus primis ad nauſeam diſputat Auctor, ut probet morbum illum Gallicum ex omnibus morborum generibus, nempe *ex mala complexione, mala compoſitione & continui ſolutione compoſitum eſſe*. Poſſunt tamen inde ſequentia excerpi, quæ ad hodiernam morbi curandi methodum facere videntur.

1°. (*e*) „ Licet hujuſce morbi Gallici, Hiſpani, Italici, vel quovis alio nomine „ nuncupati, in antiquiorum & primorum Medicorum libris nullam mentionem factam adinveniamus, ſat eſſe per canones & ipſorum præcepta eſſentiam ejus nobis „ decla-

(*a*) Tom. I. Epiſtola XII. *ſcripta* ann. 1538. (*b*) Ibid. Epiſtola XXX. *ſcripta* ann. 1538.
(*c*) Catalogo breve de gl' illuſtri e famoſi Scrittori Venetiani, di Giacomo Alberici, *pag. m.* 67.
(*d*) Hiſtoria Gymnaſii Patavini, *Tom.* 2. *Pag.* 214. (*e*) Cap. 2.

„ declarari, & illa mediante nobis cauſam ſignificari; ſic enim poſtea ſecundum proceſ- „ ſionis, alterationiſque modum, ipſum morbum curamus.

2°. Ad curationem morbi (*a*) „ maxime valere Argentum vivum propriis (*Auctoris*) „ conſiderationibus, *hoc eſt cum ſputo humano*, extinctum, quod proficuum, honorifi- „ cum, & lucroſum, ad curam talis morbi continuo ſe expertum eſſe affirmat.

3°. In curando morbo Primum locum deberi inunctionibus, quarum prima fiat (*b*) cum *anodynis & confortantibus*, *ut ſunt Oleum Chamomelinum*, *Anethinum*, *de ſemine lini*, &c. Altera *cum digerentibus & maturantibus*, ut ſunt *adeps anatina*, *vitulina*, *leonina*, *leopardina*, *caprina*, *hircina*, *phaſianina*, *taurina*, &c. Tertia demum cum unguento, cujus formulam ille tradit, & cujus octavam partem argentum vivum ſputo extinctum componit. Sic deinceps pari methodo & ſucceſſione procedendo *ad certam & indubitatam ſanitatem recuperandam*.

4°. (*c*) „ Contigiſſe Auctori, ut quemdam ſenem & naturæ & virtutis debiliſſimum „ de eodem morbo cum unguentis prædictis curaverit, fuiſſe autem opus longam di- „ geſtionem per primam & ſecundam unctionem..... facere, & in tertia & quarta & „ quinta unctione multo parum de dicto Argento vivo apponere; & illas ſic debiles per „ longum temporis ſpatium operari, etiam cum interpolatione alicujus diei. Medici- „ na enim debilis, *addit Ille*, longo tempore & frequenter ſine interpolatione admi- „ niſtrata ſupplet vices medicinæ fortis.

5°. (*d*) Alterum *modum* eſſe *ejuſdem morbi curativum*, quem Auctor ait eſſe *Galeni*, hoc eſt, ex Galeno per analogiam deductum. Nempe æger fortiter inungatur „ oleo „ Sabino vel Anethino calente, deinde intra dolium vel commodam tinam bene coo- „ pertam intrare permittatur, ubi duo vel tres vel plures lapides mylites ſeu molares, „ vel pyrites ſeu focarios bene ignitos intromittas, ſupra quibus (dum ſic igniti & ar- „ dentes ſervantur) cum petiis vel ſcopa aliqua de acerrimo aceto ſuperaffundatur tali- „ ter & tandiu, quoſque indifferenter totum corpus exquiſite ſudaverit..... Conſecu- „ to ſudore corpus totum ſabanis calefactis abſtergatur, & in lecto ponatur, ... & ſic „ fiat fomentatio ſeu ſtuffa per circa ſeptem dies, ... & ſic erit finis modi curativi „ Galeni cum ſtuffa & ſine argento vivo, „ cui Auctor *maxime confidit*, & quem affirmat *eſſe maximæ efficaciæ in reſolvendo materiam morbi*.

6°. *Tertium* medendi *modum Experimentatorum torpidorum*, *eſſe ſimiliter ſine Argento vivo*, videlicet ope decocti ex *ligno quodam*, *quod nominatur lignum Sanctum ſive Indiacum*, *quia inde recens ductum eſt*; cujus decocti præparationem & adminiſtrationem ille fuſe explicat; at vero ſimul confitetur " multos a dicto ordine cum ligno „ plus lædi, & ſi aliquem lignum curet vel curare videatur, non ob aliud niſi quia oc- „ currit cum dicto regimine (*ſeveriore*) alicui plethoræ, cacochymiæve & repletioni „ cauſatæ maxime a cibo & potu.

7°. (*e*) „ Accidere diſpoſitiones quaſdam circa modum curandi cum Argento vivo, „ inter quas maxime ſunt ulcera gingivarum, oris, linguæ, palati, dentium denigra- „ tiones & relaxationes, *quæ cenſet Auctor produci* venenoſitate Argenti vivi, quæ non „ valet in ultimo extingui, & quæ apud agitationem ejus fricando, dum unctio admi- „ niſtratur, ſurſum verſus effumat, & exitum petendo viam largiorem, hoc eſt, os, „ invadit; ..... partes oris tenelliores ulcerat; duriores vero, hoc eſt, dentes, tingit, „ maculat, & in eis limoſitates congelat, eorum ligamenta relaxando: „ ad quas læſiones corrigendas Auctor proponit *Gargariſma ad ulcera oris*, & *Pulverem ad dentes relaxatos*.

8°. (*f*) „ Quandoque infra unctiones prædictas cum Argento vivo ſputum ſequi co- „ pioſiſſimum, tanquam unam de evacuationibus dictum curationis modum ſequentibus; „ *& tunc Paſchalis auctor eſt*, *ut* ſic permittatur, quia, *inquit*, Natura operatur in ma- „ teriam morbi reſolvendo per omnes convenientes regiones, & per ſeceſſum, per uri- „ nam, per vomitum, & per ſudorem & hujuſmodi generis. Unguentum enim tale „ materiam aptam jam exſiccat, exprimit, & ad extra per ſuas regiones expellit.

9°. (*g*) Contingere quandoque, tam poſt ſtuffam prædictam, quam poſt aſſumptionem „ aquarum ligni prædicti, renes calidam dyſcraſiam acquirere.... ſicut etiam hepar, „ & tandem totum corpus dyſcraſiari, *quibus affectionibus*, *ut obviam eat*, *Auctor laudat* „ Conditum & Syrupos ad Renum & Hepatis dyſcraſiam; Unguentum pro He- „ pate

(*a*) Cap. 6. (*b*) Ibidem. (*c*) Cap. 6.
(*d*) Ibidem. (*e*) Cap. 6.
(*f*) Cap. 7.
(*g*) Cap. 7.

pate ad idem; unguentum pro Renibus ad idem; Pharmaca, *hoc eſt*, *formulas purga-*
„ *tionum*, poſt conditum & ſyrupos; & Morſellum poſt pharmaca.

AUGUSTINUS NIPHUS, (*a*) Jopolitanus Calaber, hoc eſt, natus Jopoli, in oppido Calabriæ ulterioris, *quod a Tropæa & Nicotera, civitatibus in illo tractu minime contemnendis æquali ferme ſpatio diſtat*, *juventutem egit*, *uxorem duxit*, *lares fixit Sueſſæ* in Campania, unde ſe *Sueſſanum* dicere ſolitus eſt, ac ceteris pleriſque occaſionem præbuit, ut illum e Sueſſa oriundum exiſtimarent. Fuit ſuo tempore Philoſophus, Aſtronomus, Medicus celeber, qui Ariſtotelicam Philoſophiam cum plauſu maximo docuit Piſis, Salerni, Romæ, Bononiæ, Patavii, & in ceteris pleriſque Italiæ locis, unde tamen frequentes & fere annuos in patriam excurſus habebat, nempe Sueſſam. Juvenis in ſuſpicionem venit, quaſi de fide male ſentiret, nec immerito, maxime quia cum Nicoleto Verniate, Theatino, præceptore ſuo, opinionem Averrois *de unico intellectu* propugnaret: ſed „ (*b*) ab ancipiti illo diſcrimine celeriter exemptus eſt Petri
„ Barocii, Epiſcopi Patavini, patrocinio; *attamen* ut facilius adverſarios ſuos placaret,
„ ſcriptis ſuis *de intellectu & Dæmonibus*, priuſquam anno 1492 in publicum exirent,
„ lituras quaſdam allinere coactus eſt. Medicinam, licet circitoris inſtar aut periodeu-
„ tæ nunquam exercuerit, optime tamen callebat; cujus rei ſignum eſſe poſſunt *Libri*
„ *IV. de ratione medendi*, quos ad Curtium Seſſam, alumnum ſuum, edidit. Tanta
„ gaudebat titulorum farragine, ut nomine ſuo minime contentus, ſe quoque *Eutychum*, *Philotheum*, *Magnum*, *Philoſophum*, imo vero *Medicem*, vel *de Medices* ap-
„ pellaret, unde non mirum eſt ſi quotidie in multorum cenſuras incurrat, qui plus
„ illum, in tota vitæ ratione, aut judicii aut moderationis attuliſſe vellent „. Vide-
„ tur autem Gabrieli Naudæo ideo Niphum ſe appellaviſſe *Euthicum*, quia ſe *felicem*,
„ *fortunatumque* crederet; *Magnum* & *Philoſophum*, quia ſe κατ' ἐξοχὴν *Magnum* atque *Philoſophum* eſſe arbitraretur; *Philotheum*, quia ſignificare vellet ſe prorſus in diverſum abire a pravis illis dogmatibus, quæ ſibi juveni perniciem & calamitatem maximam tantum non intulerant; *Medicem* demum, vel *de Medices*, quia, ut Niphus ipſe teſtatur „ quibuſdam in Epiſtolis & Præfationibus, illi indulta fuiſſe a Leone X,
„ ſummo Pontifice, licentia Mediceorum nomen & inſignia uſurpandi.

Niphus „ non Philoſophiæ modo, ſed venationibus, ludis, choreis, comeſſationi-
„ bus, ... ſed amoribus præſertim, ita indulſit toto vitæ tempore, ut omnibus qui
„ tanti nominis Philoſophum a petulcis & laſcivientibus puellis deludi, faſcinarique
„ videbant, ludos de ſe maximos fecerit.

Obiit ſeptuagenario major, poſt annum 1545, „ Salerni, cum e Sinueſſa nocturno
„ itinere refrigeratus & obortis tonſillis, eam in urbem veniſſet.

Adſcribitur Auguſtino Nipho ab omnibus Bibliographis, qui Scriptorum medicorum catalogos conſcripſere,

Liber de Morbo Gallico, quem *Neaopli editum* eſſe volunt *in* 4°. *anno* 1534.

ſed recte cenſet Gabriel Naudæus „ *Sueſſani* titulo Bibliographos omnes in eum erro-
„ rem ſeductos fuiſſe, ut alterius cujuſdam *Sueſſani* Librum *de Morbo Neapolitano* &
„ eo magis quod excuſus Neapoli, *Nipho* Philoſopho tribuerent; licet ut ipſius libri
„ prima frons indicat, ſi attente legeretur, Johanni Sueſſano, ex Paſchaliorum fami-
„ lia, tribuendus ſit, „ atque adeo idem plane ſit atque liber ille de quo modo verba fecimus, & quocum ſane (*c*) loco, anno & forma editionis ad amuſſim convenit.

Ceterum non poſſum quin ea huc adducam, quæ a Naudæo ibidem ex oblata occaſione adjunguntur, maxime quod inde ſpes ſit & errata quoque mea excuſationis aliquid habitura. „ Quid hominibus facias *inquit Ille*, ſæpe non tam incuria aut negli-
„ gentia ſua, quam rebus ipſis offuſa caligine deceptis? Profecto ea eſt in recte ſcri-
„ bendo difficultas, ut mirum ſit potius apud me, illos qui ſe huic admodum faſtidio-
„ ſo negotio addixerunt, non frequentius ceſpitare.

Narrat Naudæus falſam divinationem Johannis Stoefleri, Germani, de Cataclyſmo maximo, futuro anno 1524, quia Jupiter & Saturnus hoc anno coituri erant in 1_0. gradu Piſcium, ab Auguſtino Nipho impugnatam fuiſſe, quod debet illi laudi verti, ea ætate qua vixit, & qua Viri non pauci, etiam perdocti, aſtrologiæ fabulis aniliter creduli erant.

GUH-

(*a*) Ibidem. (*b*) Gabriel Naudæus, in *Judicio de Auguſtino Nipho*. Opuſcolis illius moralibus & & politicis præfixo.

(*c*) Notari tamen velim, præter Editionem Neapolitanam anni 1534. Libri De *Morbo Gallico* Auguſtino Nipho adſcripti, quæ cum Editione Libri a Johanne Paſchale *de eodem argumento* ſcripti coincidit, & eadem eſſe videtur nec injuria, indicari ab Iſraele Spachio, in *Nomenclatore Scriptorum medicorum*, Editionem alteram Venetam anni 1519, ſed an ſatis vere addubito, cum illa a nullo alio Bibliographorum indicetur.

GUNDISALVUS FERNANDEZ, hiſpani e *Gonçalo Hernandez de Oviedo y Valdes*, *genere* (*a*) *Aſtur*, *natali Matritenſis*, *natus eſt circa annum* 1478, in Aula Ferdinandi Regis Aragoniæ & Iſabellæ Caſtiliarum Reginæ educatus fuit inter Ephebos aulicos, ac ipſe præſens adfuit Barciyone anno 1493, quo Chriſtophorus Columbus ab Inſula *Haiti* ſive Hiſpaniola, quam detexerat, primum reverſus eſt. Amicitia vel conſuetudine junctus fuit cum pleriſque comitibus Columbi, ceteriſque qui annis ſequentibus ab Antillis rediere, (*b*) a quibus ſæpius audivit quæcunque in primis illis navigationibus acciderant, & quorum plures vidit lue venerea, quam in Orbe novo conceperant, male affectos. Demum (*c*) anno 1513 a Ferdinando, Aragonum rege, in Hiſpaniolam & in Americæ continentem miſſus eſt, ut fuſionibus auri, argentive e terra effoſſi & effodiendi præeſſet, ac in Provincia dicta *Darien* conſtitutus fuit *Rector Civitatis Sanctæ Mariæ antiquæ*, hoc eſt Coloniæ ab Hiſpaniis ad littus Maris Auſtralis in illa Provincia conditæ. Sic ipſe præſens vidit & obſervavit quæcunque per id tempus in Hiſpaniis, in Inſula Hiſpaniola, & in Americæ continente contigerunt, atque adeo nec locupletior, nec oculatior teſtis alter adhiberi poteſt, qui certius confirmet luem veneream in Inſula Hiſpaniola inquilinam, inde primis Columbi itineribus in Hiſpanias devectam, in plurimos brevi clanculum diſſeminatam, ac demum in regnum Neapolitanum translatam fuiſſe, cum militum nonnullis, quos Gonſalvus Fernandus, Cordubenſis, ſeu magnus Capitaneus, in Italiam tranſportaverat, ut Ferdinando II ſuppetias ferret adverſus Gallorum impetum.

1535.

1525.

Scripſit hiſpanice Volumina duo de rebus Indicis: *Alterum* Toleti anno 1525. in Hiſpaniam negotiorum cauſa reverſus, quod ad Carolum V. Imperatorem & Hiſpaniarum Regem, dedit cum hac inſcriptione.

Summario de la Hiſtoria general y natural de las Indias Occidentales. cujus ſunt Capita LXXXVI.

Alterum, quod rerum copia duplo majus eſt, anno 1535 cum inſcriptione ſequente.

La Hiſtoria general y natural de las Indias Occidentales.

diſtributum in Libros XX.

In utroque I. multis probat luem veneream in Inſula *Haiti* antiquitus familiarem fuiſſe & endemiam, ac inde in Hiſpaniam primum, & ab Hiſpania in Regnum Neapolitanum traductam fuiſſe, qua de re vide quæ ſupra dicta ſunt, *Lib. I. Cap.* 11.

II. Multis deſcribit arbores, quæ lignum Guaiacanum & lignum ſanctum proferunt, modum quo ligna illa decoqui, methodumque qua decocta adminiſtrari debent, ac emolumenta, quæ inde ſolent colligi.

III. Proſtant in Collectione Luiſinina, quæ Venetiis prodiit anno 1566, Tractatus duo breviſſimi, quorum alter *de Guaiacano*, alter *de ligno ſancto* inſcribitur. Prior quidem, ut indicatur in Adnotatione oræ libri adſcripta. excerptus eſt ex *Cap.* 2. *Lib.* 10, *Hiſtoriæ naturalis Indiarum Occidentalium* Conſalvi Fernandez; poſterior vero *ex Cap.* 17. *Lib.* 16. *ejuſdem Hiſtoriæ*. Attamen, ſi Nicolao Antonio, *in Biblioth. Script. Hiſpaniæ*, credimus, Tractatus ille uterque a Fernandez hiſpanice ſcriptus ſeorſum in lucem prodiit cum hac inſcriptione, *Dos Tratados del Palo de Guayacan*, *y del Palo Santo*, de quo addubito.

PETRUS ANDREAS MATTHIOLUS, Senenſis, natus (*d*) anno 1500, ſtuduit Medicinæ Patavii, ubi Doctor renunciatus eſt. Accerſitus in aulam Cæſaream, diu Imperatorum Archiatrus fuit. Inde Tridentum ſe recepit, ubi extremum clauſit diem peſtilentia e vivis ereptus anno 1577, ætatis ſuæ 77. Conſtat (*f*) ipſius teſtimonio eum Romæ commeratum fuiſſe ſub Adriano VI, hoc eſt, ab anno 1522 ad annum 1523. 1535.

Multa exſtant illius Opera, potiſſimum *de Botanice*, in qua maxime claruit. Habemus tamen præter cetera *De Morbo Gallico Librum unum*, ubi ſe inducit colloquentem cum Franciſco Aligero, & qui Venetiis excuſus eſt anno 1535.

In illo affirmat morbum novum eſſe, & ab elephantiaſi diverſum; negat ortum eſſe ab influxu ſyderum; caſtigat Nicolaum Maſſam, quod dixerit *nulla aliquando contagione fieri*, *ſed evenire ex affectis humoribus*; redarguit Laurentium Friſium *tanquam penitus ignorantia refertum*, *& a quo ne una tantum veritas elici poſſit*, quod nempe crediderit *ſyderum aſpectibus eveniſſe*, & afferat ſe *Gallicum Morbum fugare linimentis Mercurio carentibus*, *quibus quidem pene levis ſcabies curari poſſet*.

F 2 Di-

(*a*) N col. Ant. *in Biblioth Script. Hiſpan.* (*b*) *Vide* La Hiſtoria general y natural de las Indias *Lib II. Cap.* 14.
(*c*) Ipſe ſic refert in *Præfat Hiſtor general. & natural Indiarum*: Et inidem, *Lib. V Cap.* 3
(*d*) Nicolaus Comnenus Papadopoli, *in Hiſtor. Gymnaſii Patavini*, *T. II P.* 231. (*e*) In Dialogo, de quo inf.

Diſtinguit ipſe Morbum Gallicum pro humoris prædominio & ægri temperamento *in ſanguinem*, *bilioſum*, *pituitoſum & melancholicum*; ad unumquemque idoneam curationem alterantem proponit; ac dein in unoquoque præſcribit uſum inunctionum mercurialium cum unguento mercuriali, cujus compoſitio varia ſit pro varia humoris prædominantis natura. Affert inde ſequentia ſigna, quibus licet *ſcire ægrum illinitum ſatis, cum dentes dolent, os exulceratur, lingua intumeſcit, dolores medicamentis cedunt, diſtenſio nervorum deficit, & totum corpus laſſatur*. Quod ſi *ex hujuſmodi unctionibus propter humorem, qui ex toto corpore ad os redundat, occidat ut fauces exaſperentur, guttur exulceretur & gingivæ male habeant*, multa affert gargariſmatum genera, quibus malum corrigatur vel mitigetur.

Refert novos eſſe Medicos, qui arbitrentur ægros tutius curari uſu ligni Indici, unde arrepta occaſione ſatis fuſe deſcribit hanc curationis methodum, ſed fatetur *exhibentium incuria*, qui ægris diætam ſolitam non imperant, factum eſſe *ut diebus iſtis, ſicut jam prius, non videatur hijuſmodi lignum male habentibus conferre, nam plerique ejus decoctum aſſumentes non ſanantur*.

Duo proponit remedia nova, tanquam utilia ad curationem Morbi Gallici, 1°. Mercurium præcipitatum rubrum, cujus præparandi modum docet, & quem utiliſſimum eſſe cenſet; non modo ad curandum Morbum Gallicum, ſed etiam ad affectus alios non paucos. 2°. Oleum ſeu potius ſpiritum ſulphuris per campanam eductum, cujus præparandi rationem explicat, & quem laudat, quaſi valde proficuum, tum ad Morbum Gallicum, tum etiam ad morbos alios quamplurimos.

Videtur merito caſtigandus, quod ipſe credulitate nimia cenſuerit poſſe Morbum Gallicum profligari remediis variis, quæ proponit, ſed quæ plane inefficacia ſunt. *Prima* eſt aqua diſtillata ex decoctis anguibus cum farragine herbarum alterantium aut vulnerariarum, cujus præparationem dicit *in intimo cordis ſui hactenus delituiſſe*. *Alter* eſt potus ex decoctione remediorum multorum alterantium, temperantium, diluentium, vulnerariorum, purgantium, &c. quem *decreverat omnino nemini unquam aperire*. *Tertia* eſt aqua, quam *Philoſophicam* dicit, alembico diſtillata ex ſimili ſimilium herbarum farragine, *quam alicui nunquam dicere voluerat*.

1535. Bibliothec. Jcanian. Collectio prima Veneta, quæ numero Tertia eſt, prodiit anno 1535, cum hac inſcriptione.

Liber de morbo Gallico, in quo diverſi celeberrimi in tali materia ſcribentes Medicinæ continentur Auctores, videlicet Nicolaus Leonicenus, Vicentinus, Ulricus de Hutten, Germanus; Petrus Andreas Mattheolo, Senenſis; Laurentius Phriſius; Johanes Almenar, Hiſpanus; Angelus Bologninus. Venetiis per Johannem Patavinum & Venturinum de Ruffinellis. *Anno Domini* 1535. 8°.

His autem ſuccedit eadem omnino forma, eadem charta, iiſdemque typis, licet in fronte Libri non indicetur, *Nicolai Poll, Medicinæ Profeſsoris & ſacræ Cæſareæ Majeſtatis Phyſici, Libellus de cura Morbi Gallici per lignum Guaiacanum*, de quo ſupra ad *annum* 1517.

Hinc colligere eſt proſtare in ea Collectione

I. Nicolai Leoniceni, Vicentini, *Librum de Morbo Gallico*, qui jam pridem excuſus fuerat Venetiis typis Aldi Manutii, anno 1497.

II. Ulrichi de Hutten, Germani, *Librum de Guajaci Medicina & Morbo Gallico*, qui Moguntiæ editus fuerat anno 1519.

III. Petri Andreæ Matthioli, Senenſis, *Dialogum de Morbo Gallico*, quem tum primum, vel ſaltem anno eodem, in lucem emiſſum fuiſſe opinor.

IV. Laurentii Phriſii, Germani, *Epitome Opuſculi de curandis puſtulis, ulceribus & doloribus Morbi Gallici*, Mali Frantzos *appellati*, quæ Baſileæ ſub prælo ſudaverat anno 1532.

V. Johannis Almenas, Hiſpani, *Librum de Morbo Gallico*, qui jam typis mandatus fuerat Papiæ anno 1516 in Collectione Papienſi omnium prima, de qua ſupra ad illum *annum*.

VI. Angeli Bolognini, Bononienſis, *Libros II. de cura ulcerum exteriorum & de unguentis communibus in ſolutione continui*, qui proſtabant quoque in Collectione Papienſi anni 1516, & qui ante excuſi fuerant Bononiæ, anno 1514, ſi non prius.

VII. Nicolai Poll, *Libellum de cura Morbi Gallici per lignum Guaiacanum*, quem prius prodiiſſe puto anno 1517.

1536. Collectio Basileensis ſive Quarta. Hæc Collectio ſive συναγωγή, prima Papienſis altera anonyma copioſior tertiæ ſeu Venetæ Auctorum numero fere æqualis, adornata fuit a Joſepho Tectandro, Polono Cracovienſi, qui Patavii Medicinę operam dederat, & edita a Johanne Bebelio, in 4°. Baſileæ, anno 1536 cum inſcriptione ſequente.

Morbi

Morbi Gallici curandi ratio exquiſitiſſima, a variis iiſdemque peritiſſimis Medicis conſcripta.

In qua proſtant,

Petri Andreæ Matthioli, Senenſis, *Dialogus de Morbo Gallico*, qui in Collectione Veneta anni 1535.

Johannis Almenar, Hiſpani, *De morbo Gallico Liber*, qui in Collectione Papienſi, anni 1516.

Nicolai Maſſæ, Veneti, *Liber de Morbo Gallico*, qui excuſus Venetiis, anno 1532.

Nicolai Poll, *Libellus De cura Morbi Gallici per lignum Guaiacanum*, inſertus collectioni ſecundæ anni 1532; imo, ut opinor, excuſus ſeorſum anno 1517.

Benedicti de Victoriis, ſive Victorii, Faventini, *Liber de Morbo Gallico & ejus cura*, quem Tectander Editor dicit a ſe exſcriptum fuiſſe Auctore ipſo *dictante*.

Angeli Bolognini, Bononienſis, *De ulcerum exteriorum medela Opuſculum; & Ejuſdem de unguentis ad cujuſvis generis maligna ulcera conficiendis Lucubratio*, quæ prodierat Bononiæ. anno 1514, & in Collectione Papienſi, anno 1516.

Ceterum Tractatus *de Morbo Gallico & ejus cura*, quem in illa Collectione diximus adſcribi Benedicto de Victoriis, Faventino, idem ille eſt quem negat ipſe Benedictus Victorius *e ſua officina erutum eſſe*, ut infra videbimus ad *annum* 1551.

COLLECTIO LUGDUNENSIS, ſive QUINTA, edita fuit *Lugduni, expenſi Scipionis de Gabiano & fratrum, anno* 1536., *menſe Auguſto*. Numero & ordine Auctorum, quorum Opera collecta proſtant, ceteriſque omnibus Baſileenſi Collectioni, de qua modo, plane compar, ſi literas excipias, quæ ſunt *Italicæ*, & *formam* Libri, quæ eſt in 8. 1536. Biblioth. Regia.

AUREOLUS PHILIPPUS THEOPHRASTUS PARACELSUS BOMBAST ab HOHENHEIM, natus anno 1493 in viculo Pagi Suitenſis apud Helvetios, dicto *Einſidlen*, quod *Eremum* germanice ſonat, unde (*a*) *Eremita* a deſiderio Eraſmo dictus eſt, patrem habuit Guillelmum, in Medicina Licentiatum, qui artem exercuit Villachii in Carinthia ab anno 1504 ad annum uſque 1534, quo mortuus eſt, & quem ferunt nothum filium fuiſſe Equitis cujuſdam ex nobili familia Bombaſtorum ab Hohenheim. 1536.

Paracelſus ab ætate prima ſtudio Chemiæ, quæ tunc in obſcuro latebat, ſedulo incubuit, primum apud Johannem Thrithemium, Abbatem Spanheimenſem, Virum doctum; inde apud Sigiſmundum Fuggerum, Virum nobilem, alioſque non paucos, quos ipſe (*b*) recenſet non ſine oſtentatione. *Præceptores*, inquit, *fuerunt primum VVuilhelmus Hohenhemius, parens meus fideliſſimus; aliique infiniti, qui ea, qua debebant, fide nihil me celabant. Ad hæc*, pergit Ille, *plurimorum doctiſſimorum virorum ſcriptis non mediocriter adjutus ſum, Setthaghii nimirum Epiſcopi: Erardi Laventalii; Nicolai, Hipponenſis Epiſcopi; Matthæi Schactii, ſuffraganei Phreiſignenſis;.... aliorumque doctiſsimorum Chimiſtarum.* Quin imo arcana quotquot reperire potuit, corraſit undique delectu nullo *a medicis*, (*c*) *Chirurgis, Tonſoribus, Aniculis, Magis, Chimiſtis, Nobilibus ac Ignobilibus*, etiam (*d*) *a Zigeunis* (les Bohemiens) *Necromanticis, Agyrtis, & ſenioribus Ruſticis*.

Vitam duxit inopem, vagam, errabundam, multum peregrinatus per Helvetiam, Alſatiam, Carinthiam, Auſtriam, Moraviam, Sueviam, ceteraſque Germaniæ Provincias pleraſque, ſed tamen *non per Galliam, Italiam, Hiſpaniam, Portugalliam, Angliam, Boruſsiam, Lithuaniam, Poloniam, Pannoniam, Valachiam Tranſylvaniam, Croatiam, Illyricum*, &c. ut ipſe gloriatur in *Præfatione Chirurgiæ magnæ*; ac multo minus per Arabiam integro decennio, ut fingit Bickerus in *Hermete redivivo*, qua de re conſule Sennertum, *De conſenſu & diſſenſu Galenicorum & Peripateticorum cum Chimicis, Cap.* 4.

Ubicumque verſatus eſt ſive fortuna ſive animi levitate jactatus, Medicinam factitavit ſuo modo, remedia ſua thraſonice venditans, aliena curioſe expiſcans. Si ejus aſſeclas audiamus, nullibi miracula non edidit, quod ab adverſariis negatur. Eum tamen *in curandis ulceribus etiam deploratiſsimis* expertum fuiſſe conſtat teſtimonio Joannis Oporini (*e*), qui ejus amanuenſis per biennium fuerat, & hac de re tanto magis credendi, quod in ceteris illi minime adulетur. Utique facile crediderim Paracelſum hanc Medicinæ partem paulo melius calluiſſe, quam per biennium, annis ſcilicet 1527 & 1528, Baſileæ lingua vernacula, hoc eſt Germanica, docuerat, *amplo Dominorum Baſileenſium ſtipendio*

(*a*) In Epiſtola ad Paracelſum ſcripta, quæ exſtat in Tomo tertio Operum Paracelſi.
(*b*) Chirurg. Lib. 2. Tractat. 3. Cap. 1.
(*c*) Ipſe ſic ait in Præfat. *Chirurgiæ magnæ*.
(*d*) Ipſe ſic ait in *Lib. De Philoſophia occulta, in fine*.
(*e*) In Epiſtola *ad Solenandrum & VVierum*.

ſtipendio invitatus, ut ipſe teſtatur in *Programmate*. Sane quod conjecturam firmare videtur, Paracelſus ipſe ait odioſe ſibi objici (*a*) *ſe Phyſicæ* (Medicine) *rudem & ignarum omnino exiſtere: at in Chirurgia Rabbinum præſtare; non*, pergit Ille, *quod ſerio hanc laudem mihi conferant, ſed ut per contemptum ac contumeliam me ex omni Medicorum ordine excludent.*

Certe prodigium hominis fuit, qui (*b*) ebrietati & crapulæ deditus, (*c*) Aurigæ ſimilis & Aurigarum ſodalitio mirifice delectatus, literarum ignarus, latine vix ſciens, (*d*) Magiæ credens, (*e*) volens ipſe Magus credi, (*f*) nomen Profeſſoris ſacræ Theologiæ ſibi falſo aſſumens, (*g*) circa religionem delirans, mente (*h*) parum conſiſtens, Nugivendulus, fabularum artifex egregius, opinionum portenta vocibus (*i*) novis, inauditis, barbaris, monſtruoſiſſimis (*k*) occultabat, nec plura unquam aut impudentius effutiebat, quam ubi aqua hærebat maxime. Veterum Medicinam ceu fallacem & falſam abrogare, novamque ex inanibus veterum Chimicorum commentis depromptam, ſed ſuis deliramentis auctam & locupletatam condere conatus eſt. „ Me, me ſectabimini, *ait Ille vecors* (*l*) *alicubi*, tu Avicenna, tu Galene, tu Rhaſes, tu Montagnana, tu Meſue. Non ego vos, ſed vos me ſectabimini, vos dico Pariſienſes, vos, Monſpeſſulani, vos Suevi, vos Miſnenſes, vos Colonienſes, vos Viennenſes, vos quotquot Danubius ac Rhenus alit, vos quos inſulæ maritimæ claudunt, tu etiam Italia, tu Dalmatia, vos Athenæ, tu Græce, tu Arabs, tu Iſraelita; non ego vos, ſed vos me ſectabimini...... Ego Monarcha ero, mea ipſa Monarchia erit...... *Et* (*m*) *alibi*; Tantus equidem ſum, *inquit*, ut vos (*Medici ceteri*) non digni ſitis qui calceorum vincula mihi ſolvatis, ... ſed vos univerſi tandem ſub pedes meos provolvendi eſtis. „

Jure dubitatur utrum ſana ſatis mente id conſilii ceperit, necdum proinde ſatis liquet deceptuſne, an deceptor habendus ſit. Id tantum mirum eſt inſulſis & anilibus hujuſcemodi fabellis Medicos, nec numero paucos, nec gradu infirmos, ita dementari aliquandiu potuiſſe, ut ipſos non puduerit in Paracelſi verba jurare, tanquam Magiſtri certiſſimi & ab omni errore tuti: Quæ veſania, ut in Gallia noſtra apud Medicos ſuper rarior fuit, ſic ex illa jam pridem penitus exulat.

Obiit Paracelſus Saliſburgi die 24 menſis Septembris, anno 1541, ætatis anno 47, ita ut qui aliis longævitatem pollicebatur, qui * *ſibi ſolo Elixirio proprietatis annos Mathuſalemi ſpondebat*, ne virilem quidem ætate exceſſerit.

Liquet ex ejus tum Operibus, tum teſtamento Paracelſum propriis nominibus dictum fuiſſe *Theophraſtum Bombaſt ab Hohenheim*. Poſtrema duo nomina gentilitia erant, primum vero Baptiſmi tempore impoſitum: *Et natura & Baptiſmatis jure Theophraſtus nominor*, inquit ipſe, *in Præfatione Paragrano præfixa*. Cetera ergo nomina *Aureolus*, *Philippus*, *Paracelſus*, quibus videtur ſuperbire, adſcititia ſunt. Ignoratur qua de cauſa duo prima aſſumpſerit, niſi forſan iis declarare voluerit & auream ſuam eloquentiam, & ſuum in equos ſtudium; ſed de tertio videtur, poſſe conjici hoc *Paracelſi* Epitheto, quo maxime gloriatur, ſe quaſi *maxime excelſum* ſive *Triſmegiſtum* dicere voluiſſe, ut qui Latinæ Linguæ parum gnarus putaret *Paracelſum & Perceſſum*, idem eſſe. Sic idem inſcripſit unum ex ſuis Operibus *Paramirum*, quaſi *Permirum*, hoc eſt *maxime mirum*.

Inter cetera Paracelſi Opera numero multa exſtat *Chirurgia magna*, quam integram anno 1536

(*a*) Lib. 2. *De Podagricis*, Pag. m. 646. Tom 1. Edit. Genev. (*b*) Oporinus, *ubi ſupra*.

(*c*) Henricus Bullingerus, qui Paracelſum Tiguri ipſe noverat, *apud Eraſtum Diſp.* 2. *contra Paracelſum.*

(*d*) Georgius VVetterus, qui Paracelſi per biennium comes individuus fuerat, *in Epiſtola apud Eraſtum, in 2. parte Diſputat. contr. Paracelſum.*

(*e*) Paracelſus ipſe, *Lib.* 5. De *Morbis inviſibilibus*.
Bullingerus & VVetterus, *locis laudatis*.

(*f*) In Libello *De Peſte, ſcripto ad Civitatem Sterzingenſem.* (*g*) Paſſim in Operibus ſuis.

(*h*) Paracelſus ipſe fatetur in *Reſponſione ad quaſdam accuſationes & calumnias ſuorum æmulorum & obtrectatorum*, *Defenſione* 3. ſibi objici *quod Capitis heterocliti ſit & miri comatis*.

(*i*) Ut ſunt Chærionium, Relollaceum, Iliadus, Ilech, Iliaſtrum, Archæus, Ens Pagoycum, Cagaſtrum, Cagaſtricum, Eveſter, Tiaramas, Noſtoch, Scajolæ, Leſſas, Neaſtron, Turban, Zoneni, Stannar, Perenda, Zenda, Dualech, Domor, & alia ſexcenta ejuſdem generis.

(*k*) Omnia enim ſtolidi magis admirantur amantque,
Inverſis quæ ſub verbis latitantia cernunt. *Lucret. Lib.* 1.

(*l*) Præfat. in *Paragranum prius*.

(*m*) Paragrani alterius *Tract.* 1. *De Philoſoph.*

* Hermannus Boerhaave, *Chemiæ Part.* 1. *De Hiſtor. artis.*

no 1536 Ferdinando, tunc Romanorum, Hungariæ & Bohemiæ Regi inſcripſit. Hujus Chirurgiæ pars quarta, quam jam anno 1528 ſcripſerat, & quam dicaverat *Hieronymo Bonero*, *urbis Colmar Dictatori*, agit *De tumoribus, puſtulis ac ulceribus Morbi Gallici*, & in decem libros diſtributa eſt. Ejuſdem pars quinta idem argumentum tractat, & in Libros quatuor diſtribuitur, quorum primus, *De impoſturis in Morbo Gallico*: Secundus *De correctione impoſturarum in curatione Luis Gallicæ*: Tertius, *De male curatis ægris reſtituendis*: Quartus *De Cauſis & origine Luis Gallicæ*, qui poſtremus ſubdividitur ipſe in octo alios particulares Tractatus.

Ad ſequentia referri poteſt ſumma doctrinæ Paracelſi circa luem veneream, qualem ex lutulento ſterquilinio gerrarum, inficetiarum, ineptiarum, battologiarum, convitiorum, ſannarumque in Medicos, quibus ejus Libri ſcatent, non ſine labore colligere licitum fuit.

I. Luem Gallicam morbum eſſe in orbe noſtro (*a*) *novum*, (*b*) *antiquis Medicis incognitum*, quem tamen ipſe ſecum diſcors ait *alibi* in Europa primum apparuiſſe, modo circa (*c*) *annum* 1480, modo circa (*d*) *annum* 1478, modo multo citius, ut quem putat (*e*) *ſui rudimenta quædam exhibuiſſe ætate Petri de Argillata & Guidonis* (de Cauliaco), hoc eſt anno 1460, imo etiam anno 1360.

II. (*f*) *Johannem de Monte Regio*, ſive Regiomontanum, celebrem ſæculi decimi quinti Aſtronomum, cujus Petrus Gaſſendus vitam ſcripſit, & qui fato functus eſt Romæ anno 1476, *inſultum luis Gallicæ prædixiſſe* ex aſtrologia. Sed iis, cum ſine auctoritate proferantur, fides nulla habenda eſt, qua de re *Vide* ſupra ad *annum* 1475, ubi *de Regiomontano*.

III. Gallicam luem duabus cauſis inductam fuiſſe, ſcilicet (*g*) *influxu cœleſti Veneris*, ſeu ut alibi ait, *Veneris exaltatione*, tanquam cauſa efficiente; & (*h*) *terreſtri luxuria*, ſeu ut vulgo dixit, *luxu*, *ſive venerearum rerum intemperantia*, *tanquam*, *a cauſa ſine qua non*.

IV. (*i*) „ Ab nulla unquam hominum memoria tantam fuiſſe in veneris uſu intem-„ perantiam, quæ tantum malum excitare potis fuiſſet (*k*) nec Veneris influentia in „ majore exaltatione unquam fuiſſe, ... quam illo ipſo ſæculo, quo puſtulæ Gallicæ primum exſtiterunt.

V. (*l*) „ Influentiæ hujus, (quæ luem hanc peperit) tantam virulentiam fuiſſe, ut „ totum terrarum orbem pervagata omnes mortales, vel lue hac, vel alio non minus „ gravi morbo affligeret ..... Neque prius malum hoc deſiturum eſſe ſævire, donec „ omnes totius orbis regiones pervagatum ſit. *Dicit alibi* (*m*) ſperandum non eſſe hunc „ morbum abolitum iri, niſi *qui infecti ſunt* actu venereo poſthac omnino abſtineant „ ..... Quocirca conſultum eſſet ut lue venerea laborantes, perinde ut elephantiaci, „ ſeorſim ab hominibus diſtincti viverent.

VI. (*n*) „ Sequentibus ſæculis non ſemper parem fuiſſe veneris actionem ac influxum, „ ſed ejus in locum alias duas ſucceſſiſſe ſoboles ſeu filias, quæ in omnem deinceps ætatem ac ſexum dirum hoc malum propagarunt, nempe vel in ſanguine vitium inhæ-„ rere, vel contagione quadam communicari. „

VII. (*o*) „ morbum quidem in ſanguine conſiſtere, ubi materia quædam luis Gal-„ licæ ſpermati commixta in ipſa conceptione vitium implantaverit: .... Contagium ve-„ ro variis modis contrahi, contactu, ſudore, affectione, aliiſque non paucis rationibus, „ quibus venenum conceptum intro ſerpit ...... (*p*) Ceterum venenum Gallicum „ aliud non eſſe, quam ſpiritum quemdam ſubſtantiæ noſtri corporis quadam proprietate „ occulta adverſantem, qui in frigido corpore calidus, in calido frigidus ſentiatur. „

F 4 VIII. Si-

(*a*) In Præfatione præfixa *Part.* 4. *Chirurgiæ magnæ*. (*b*) Quintæ Patris Chirurgiæ *Lib.* 3. *Cap.* 6.
(*c*) Chirurg. Part. 5. Lib. 4. Tract. 1. Cap. 3. (*d*) Chirurg. Part. 4. Lib. 4. Cap. 3.
(*e*) Chirurg. 5. Lib. 4 Tractat. 1. Cap. 2.
(*f*) Lib 1. De Peſte. Cap. 4.
(*g*) Chirurgiæ Part. 5. Lib. 3. Cap. 6.
Et Lib. 4. Tractat. 1. Cap. 6.
(*h*) *Ibidem*, & Chirurg. Part. 4. Lib. 4. Cap. 3.
(*i*) Chirurgiæ Part. 4. Lib. 4. Capp. 3. & 4.
(*k*) Chirurg. Part. 5. Lib. 4. Tract 1. Cap. 2.
(*l*) Chirurg. Part. 5. Lib. 3. Cap. 4.
(*m*) Chirurg. Part. 5. Lib. 4. Tractat. 1. Cap. 4.
(*n*) Ibidem. (*o*) Ibidem.
(*p*) Chirurg. Part 5. Lib. 4. Tractat. 2. Cap. 6.

VIII. Signa diagnoſtica luis venereæ non raro obſcura eſſe & æquivoca, ſed tunc (*a*) „ hoc catholicum eſſe debere, quod ubicunque aliquis affectus ſupra id quod talis eſt, „ aliquid amplius eſt, id eſt malignior exiſtit, ſtatim ad Morbum Gallicum referri debeat.„

IX. (*b*), Uſum Guaiaci incertum, imo nocuum eſſe in curanda lue Gallica, & de „ hoc omnibus conſtare eos, qui ſemel curam ligni ſubierint priſtinæ ſanati nunquam „ penitus reſtitui poſſe; & etſi videatur morbus curatus eſſe, nihilo tamen tutius vive- „ re ægros, namque vel de præpropera recidiva periclitantur, vel ſi diutius ea differatur, „ capitis affectus, aliaque mala paulatim radices agunt, ac ingraveſcunt, morbuſque „ priore duplo pejor erumpit tandem.“

X. (*c*) *Uni Mercurio omnem* luis Gallicæ *curationem deberi*, *ſed Mercurium in iſtis morbis ſummum eſſe myſterium*, ſcilicet (*d*) *periculoſa eſſe tum unguenta*, *tum ſuffumigia mercurialia*, *neque uſurpanda*, niſi prius Mercurius rite præparatus fuerit; adeoque (*e*) „ Montiſpeſsulanos & Salernæ Medicos cinnabrio in ſuffumigiis adhibito, cum jam per- „ fectam ſe curandi morbi rationem aſsecutos opinarentur, præpropero concepto gaudio „ ſubſequentem calamitatem graviorem reddidiſſe.

XI. (*f*) „ Cavendum proinde, ne Mercurius in ſubſtantia, id eſt Mercurius corpora- „ lis uſurpetur, ne quod ceteris evenit, tibi quoque accidat; namque ſi Mercurii cor- „ pus noſtrum corpus ſubeat, non poteſt non gravis alicujus morbi cauſa eſſe. (*g*) „ Mercurius enim, ſi alia ratione quam inſtar cibi adhibeatur, nihil niſi venenum eſt.„

XII. (*h*) *Summum in arte medica myſterium eſſe, ſcire qua forma Mercurius adhibendus ſit*, unde merito dicitur (*i*) *remedium Morbi Gallici vere arcanum eſſe*. Ideo Paracelſus multos, varioſque proceſsus præparatorum mercurialium ænigmatice profert, potiſſimum *VIII & IX Libro Partis quartę Chirurgiæ magnæ*, ubi agit *de curatione Phyſicalium*, id eſt Medicinalium, *& Chirurgicalium morborum luis venereę*: Sed Libros ipſos adeat Lector, ſi plura deſideret. Certe ex ea officina prodiere arcana fere omnia, quæ ad luis venereæ curationem oggeruntur paſſim, quaſi certiſſimæ & indubitatę virtutis, ſed quorum tamen pleraque neque ſatis efficacia, neque ſemper innoxia eſse ſupra probavimus. *Libro II. Cap. 9.*

XIII. His addenda puto, quę Paracelſus dicebat de futuris periodis luis Gallicę. (*k*) „ Morbus Gallicus *ajebat Ille*, incepit cum ſal corroſivum ſe ſeparavit ab Yliado; & „ nunc quamdiu ille morbus ſęvit, eſt in ſecunda ętate, & non ceſsabit donec reſolvatur, „ & ad tertiam ętatem veniat.

Ceterum haud diffitetur Paracelſus Tractatum ſuum *de Morbis venereis* ſibi vitio datum fuiſse; ſic enim in Medicos invehitur. (*l*) „ Cur vos ſaniores convitium mihi de „ lue Gallica ſcribenti dicitis? Et me aliud nihil ſcire nugamini; An vero id tenue & „ contemnendum eſt, ſi quis maximum, maligniſſimum ac late diſperſiſſimum mor- „ bum, de quo * prior nemo commentatus eſt, deſcribat? Ex hoc Opere mihi potius „ honorem collatum iri ſperaveram, quamquam ut a vobis laudarer nunquam magnope- „ re expetiverim. Laudarer enim ſaltem ab impoſtoribus, quorum laus cruce rependi debeat.

Notari velim a Paracelſo mentionem fieri in Chirurgia magna, quæ ut tardiſſime circa annum 1536 ſcribi debuit, tum (*m*) *Bubonis*, tum (*n*) *GonorrhϾ*, quaſi ſymptomatum, quę in lue venerea rara non eſſent. De priore quidem parum miror, notum eſt enim bubonem in lue venerea obſervatum fuiſſe jam ab anno 1526, vel ſaltem 1330. Sed de poſte-

(*a*) Chirurg. Part. 4. Lib. 5. Cap. 6.
(*b*) Chirurg. Part. 4. Lib. 7. Cap. 2.
Vide etiam Chirurg. Part. 4. Lib. 1. Capp. 3. & 12.
(*c*) Chirurg. part. 4. Lib 1 Cap. 1.
(*d*) Chirurg. Part. 4. Lib. 7. Cap. 2.
Et Part. 5. Lib. 2. Cap. 5.
(*e*) Chirurg. Part. 4. Lib. 1. Cap. 8.
(*f*) Chirur. Part. 5. Lib. 2. Cap. 5.
(*g*) Chirurg. Part. 4. Lib. 7. Cap. 2.
(*h*) Ibidem.
(*i*) Ibidem, Lib. 1. Cap. 10,
(*k*) Lib. II. De Morbis ex Tartaro oriundis Tractat. 2. Comment. in Cap. 3.
(*l*) In Fragmentis Medicis, *Tom. 2. Pag.* m. 335, *Edit. Genevenſis*.
* Hoc ſupinam Paracelſi ignorantiam palam arguit, cum ante annum 1527, quo ut quam citiſſime, Partem quartam Chirurgiæ ſuæ ſcribere potuit, plures jam eſſent quam 30. Auctores Medici, qui de lue venerea ſcripſerant Tractatus typis editos.
(*m*) Chirurg. Par. 4. Lib. 5. Cap. 9.
(*n*) Ibidem, Lib. 6. Cap. 7. Et Lib. 8. Cap. 7.

poſteriore miror magis, nam vulgo creditur gonorrhœam in lue venerea primum apparuiſſe circa annum 1540. Fortaſſe hæc addita fuere ab Interpretibus vel ab Editoribus; neque enim Paracelſi Opera, quæ germanice ſcripta erant, in Latinam Linguam verſa, typiſve latine edita ſunt ante annum 1560, aut etiam 1570. Memini tamen gonorrhæam veneream a Jacobo a Bethencourt deſcriptam fuiſſe in Opere, quod certe conſtat anno 1527 typis vulgatum eſſe, ſed de his vide ſupra ad *annum* 1527.

Tres priores Libri *Partis V.* Chirurgiæ magnæ Paracelſi, de quibus hactenus, prodierunt Noribergæ germanice ſcripti, anno 1552, cum hac inſcriptione. Biblioth. Mazarinæ.

Durch den hochgelerten Herrn Teophraſtum *von Hochenheim*, *beyder Artzney* Doctorem, *von der Frantzoſiſchen Kranckheit drey Bucher* Paracelſi. *Gedruckt zu* Nurnberg, *bey Jeronimus Formſchneyder.* 1552, *in* 8°.

Id eſt, *Per eximie doctum Dominum* Theophraſtum *ab Hohenheim*, *utriuſque Medicinę Doctorem*, De Morbo Gallico *Libri tres Paracelſi*. Noribergæ *apud Hieronymum Formſchneyder*. 1552. in 8°.

Abhinc Libri iidem, ſed mutato parumper titulo, pluries & variis in locis typis excuſi ſunt, ut (*a*) anno 1565, iterum Noribergæ in 8°. (*b*) anno 1577, Baſileæ in 8°. anno 1579, (*c*) Argentinæ in 8°. &c.

Utinam, atque iterum utinam Vir quidam eruditus ex tot doctiſſimis Medicis, quos nutrit Germania, cui primarum editionum germanicarum copia ſuppeteret, facem criticam afferat recenſendis variis Paracelſi Operibus; (*d*) ſpuria a genuinis diſtinguat; indicet quo anno, quo loco, cujus ſtudio ſingula in lucem primum edita ſint; exponat quot modis Auctoris contextus mutatus, adulteratus, interpolatus fuerit in poſterioribus Editionibus; demum notum faciat (*e*) quorum opera & qua fide ſingula latine verſa ſint. Neque minus reipublicæ medicæ emolumento fore arbitror, ſi pari ſimilique diligentia Baſilii Valentini, ceterorumque Chimicorum antiquiorum Opera expendantur, quorum non pauca ſubdititia & adulterina, quorum cetera miſerum in modum ita mutilata & corrupta ſunt, ſive ab his quibus de luce obſcuris locis præferenda, ſive ab his quibus de verbis Auctorum in ſuum ſenſum detorquendis curæ erat, ut jam in illorum Operibus nihil authenticum, & auctoritatis indubiæ eſſe videatur.

ANONYMUS, Germanus. 1536.

Zene Artznen &c. ..... *Mit dem holtz* Guaiaco, *das Franzoſen, odder holtz des lebens genant*, *alteſchaden locher vund beulenn in geringem koſtenn vund grundtlich zuheylenn.* Franckfurt, *bei Chriſtian Egenolph.* 1536. in 4°. Biblioth. Mazarinæ.

Id eſt, *Dentium Medicina &c.* ..... *Cum methodo uſu Ligni* Guaiaci, Ligni Morbi Gallici, *aliter* Ligni Vitæ dicti, *antiqua ulcera & plagas*, *minimo ſumptu & radicitus curandi*. Francofurti, *apud Chriſtianum Egenolphum*, 1536. in 4°.

Prętermiſſis, quæ pertinent ad medicinam morborum dentes afficientium, & quæ ſunt ab inſtituto noſtro aliena, reliqua tractatio, quæ ſex brevibus Capitibus abſolvitur, verſatur tota circa electionem, præparationem, & decoctionem Ligni Guaiaci, & methodicam decocti adminiſtrationem.

SEBASTIANUS MONTUUS, Rivoriæ Dominus, Philoſophiæ ac Medicinæ Doctor, Allobrox, filius Michaelis Montui, qui *Medicinæ lauream Papiæ indeptus fuerat*, arcta amicitia uſus eſt cum Symphoriano Campegio, Lugdunenſi; Petro a Bayro, Taurinenſi; Jacobo Sylvio, Ambianenſi, Medicis ſua ætate famigeratiſſimis. 1537.

Dialexeon Medicinalium Libri duo. Lugduni, 1537. *in* 4°.

Edide-

(*a*) In Indice VVolffgangi Mauritii Endteri, *ad Calcem Indicis duarum priorum Decadum Ephemer. Natur. Curioſor. Germaniæ*.

(*b*) In Biblioth. Geſneri contracta.

(*c*) In *Numenclatore Scriptorum Medicorum* Iſraelis Spachii.

(*d*) De ſuppoſititiis & interpolatis Paracelſi Operibus *Vide* Fredericum BitisKium, in *Præfatione* Operibus Paracelſi præfixa.

(*e*) Quatuor ſunt ad minimum, a quibus Paracelſi Opera, quæ germanice ſcripta erant, latine verſa ſunt, ſcilicet 1. Gerhardus Dornæus; *Vide* Johann. VVierum, *De Lamiis Lib.* 3. *Cap.* 15. Et *Lib. Apologetic.* ubi diluit *calumnias Leonis Suavii*, id eſt, Jacobi Gohori, Doctoris Medici Pariſienſis: 2. Michael Toxites Rhætus; *Vide* Melchiorem Adamum, *De vitis Germanorum Medicorum*: 3. Adamus Bodenſtein, Andreæ Caroloſtadii filius; *Vide* eumdem *ibidem*: 4. Joſquinus Dalhemius; *Vide* Georg. Hieron. Velſchium, *Curat. propriar. Decad.* 2. *Curat.* 2. *Et Decad.* 9 *Curat.* 10: qui omnes & ſinguli Paracelſi admiratores nimii fuerunt, & ut vere dicam, Magiſtri parum ſani nihilo ſaniores Diſcipuli.

Ediderat nempe Leonardus Fuchſius librum, cui hunc titulum fecerat, *Errata recentiorum Medicorum LX numero, adjectis eorumdem confutationibus*, qui Hagenoæ prodiit *anno* 1530, in 4°.

Scripſit Montuus in hunc Fuchſii(*a*)librum *paucas notatiunculas*, *quas in ſchedulis deſtinavit ad Simphorianum Campegium in omnigena ſcientia præcellentem*, *quoniam hunc cum reliquis Medicinæ anteſignanis minutulus ille Medicus citra rationem ſugillaverat. Illas Vero de typis in vulgus emanare fecit prȩter* Auctoris *conſilium Campegius*.

Fuchſius ob hoc ſtomachatus ſua contumeliis errata locupletare ſtuduit, *quæ titulum incudi reddens* Paradoxa *vocavit*. Alter ſcilicet Liber Fuchſii inſcriptus fuit, *Paradoxorum Medicorum Libri tres*, *in quibus multa a nemine hactenus prodita*, *Arabum*, *ætatiſque noſtræ Medicorum errata confutantur*, *& obiter Sebaſtiano Montuo*, *Medico Rivorienſi*, *reſpondetur* & Baſileæ editus 1535, *in fol.*

Ut Fuchſii convicia retunderet, ac objecta dilueret, Montuus Librum compoſuit, cujus inſcriptio ſupra propoſita fuit, ac *in duos Libellos* partitus eſt, *quorum primo aliquot paradoxa*, *quæ ad medicam materiam pertinent*, *exploduntur; in altero vero quædam*, *quæ ad morbos*, *cauſas*, *medendique rationem ſpectant*, *confutantur*.

Exſtat ibi *Lib.* 2. Dialexis ſecunda *De morbo Gallico adverſus Erratum XLV*, *& Paradoxum ſecundi Libri XVII* Fuchſii, ſed in qua vix quidquam occurrit, quod notatione dignum ſit.

1°. Montuus arbitratur *falſiſſimum eſſe quod Fuchſius aſſeverat*, *ſcilicet præfatum malum novum morbi genus eſſe*; & ut opinioni ſuæ patrocinetur, ſubjungit *cauſas illud efficientes millies poſt mundi initia .... exſtitiſſe*, *quare ſimile malum ex cauſis ſimilibus*, *etiam ſuperioribus ætatibus*, *contigiſſe par eſt:* in quo Montuus aperte fallitur.

2°. Recenſet ſymptomata morbi Gallici, qualia vigebant ætate ſua, *Puſtulas & ulcera*, *quæ pudenda primum*, *dein Caput*, *os & reliquum corpus occupant*; *impetiginem: Depilationem cum porrigine*; *Arthritidem*; *Sphacelon ſeu cariem*, *quæ eſt oſſium ſubſtantiȩ corruptela*, ... *quam præcedit membranæ oſſa tegentis vehemens dolor*, *& conſequenter ejus corruptio.*

3°. Enumerat varia nomina morbo a diverſis impoſita, ut *Morbi Hiſpanici*, *Mentagræ*, *pudendagræ*; additque *tunc a pleriſque omnibus* Depilationem *appellari*, *& a Campegio*, *qui adeo doctus ut nihil ſupra*, *in* Lugdunenſi Aggregatore, *Lichenem vocari*.

De morbi Diagnoſi, Prognoſi, & Therapeia Montuus ne verbum quidem profert. Conſtat autem ipſius teſtimonio, eum anno ipſo 1537, quo liber ſuus prodiit, octogenarium fuiſſe, ſed vegeta ſenectute frui.

Johannes Antonius Roverellus, Bologninus, Artium & Medicinæ Doctor.

Tractatus de Morbo Paturſa, *affectu*, *qui vulgo* Gallicus *appellatur*.

1537 *Cypris impreſſus anno* 1537. in 8.

Duas urbes Italiæ *Cypras* dictas Ptolomæus in Piceno memorat, Maritimam, *alteram*, quæ creditur nunc eſſe *le Bourg de Grotte*: *Alteram* Montanam, quæ nunc appellatur *Loretto*. Sed in utra Liber editus ſit plane ignoro.

Scripſit ad me Antonius Leprottus, Archiatros S. P. Clementis XII. beatiſſimæ memoriæ, Vir omni doctrina ornatiſſimus, urbem eam Italiæ, quæ *Cyprarum* nomine de-
1537 ſignatur in fronte Tractatus Johannis Antonii Roverelli, urbem eſſe in Piceno, nunc
1553 *Marchia Anconitana*, quæ olim *Cupra Montana* appellabatur, & quæ hodie dicitur *Ripa Tranſona*, gaudetque ab anno 1571 ſede Epiſcopali in Firmana Metropoli: Urbs enim altera cognominis; quæ olim *Cupra Maritima* vocabatur, nunc pagus eſt, in quo Typographos nunquam exſtitiſſe abitratur.

Alfonsus Ferrus vel * Ferrius, Neapolitanus, Artium & Medicinæ Doctor, publicus in patria Chirurgiæ Lector, primarius fuit (*b*) Chirurgus, vel ut alii (*c*) volunt, Medicus Pauli III, Summi Pontificis, qui electus anno 1524, fato functus eſt anno 1549. Ferrus autem (*d*) vita fruebatur etiamnum ann. 1574.

Scri-

(*a*) In Proęmio Dialexeon, Pag. 3.

* Alfonſus ſe *Ferrum*, non *Ferrium* Vocat ipſe in fronte ſuorum Operum, unde facile inducor, ut credam de Alfonſo noſtro, qui medicicina Neapoli faciebat, intelligendam eſſe ſcurrilitatem illam, quam narrat Auguſtinus, *Libro* De *Viro Aulico*, *Cap.* 85, quem ſcripſit anno 1534. " Vultiſne, *ait apud Niphum Scurra*, " ut vobis oſtendam mulam *de Ferro*, & ſellam *de Ferro*, & eum qui ipſam equitat, eſſe *Ferrum*? Omnes " admirantes rogarunt, ut oſtenderet: Ecce, *inquit*, hæc eſt, erat enim mula cujuſdam Medici, qui " *Ferrus* vocabatur. (*b*) Vanderlinden, De *ſcriptis Medicis*.

Alfonſus Ferrus ſe *Chirurgum Pauli* III. ipſe vocat in *Epiſtola Nuncupatoria*; & a Paulo III. in *Privilegio*, quod ad Libri calcem proſtat, *Artium & Medicinæ* Doctor appellatur, *ſuuſque Chirurgus*.

(*c*) Nicolò Toppi. *Bibliothec. Napoletana*.

Mandoſius, *in Vitis Archiat. Pontifical.* (*d*) Nicolò Toppi, ubi *ſupra*.

Scripſit *Libros quatuor de Ligni ſancti multiplici medicina & vini exhibitione*, quos Paulo III. Pontifici Maximo, inſcripſit & qui Romæ primum editi ſunt apud Baldum Aſulanum, anno 1537, in 4°. & Baſileæ, anno 1538, in 8°. Biblioth. Mazarinæa Sloaniana.

In *Lib. I.* agit *Capitibus XXX. de ligno ſancto cognoſcendo, eligendo, preparando & exhibendo.*

In *II.* diſſerit *Capitibus XXIX. de Morbis* a Morbo Gallico diverſis, qui curandi ſunt „ per ligni ſancti medicinam; Cephalæa ſeu Hemicranea, vigilia immodica, pertur- „ batione, intellectus, defectu & amiſſione memoriæ, melancholia, vertigine, epile- „ pſia, paralyſi, ſpaſmo ſeu contractione, fluxi nimio lachrymarum, auditu obtuſo, „ naſi morbis, polypo videlicet, aliiſque ulceribus, linguæ ſpaſmo & ranula, gingivarum „ imbecillitate, defluxu humoris, ulceribus, ac dentium commotione, aſthmate, phthiſi „ faſtidio cibi, ſpiritu fœtido, ſtomachi apoſtematibus, apoſtemate carnoſo & duro je- „ cinoris, hydrope ſeu aqua inter cutem, ulceribus renum ac veſicæ, fluxu ex matri- „ ce, ſterilitate, cancro in matrice, ulceribus matricis, hernia elephantia & varicibus, „ podagra & iſchiade, ſtrumulis ſeu ſcrofulis puerorum.

In *III Capitibus XV.* diſputat de Morbo Gallico, cujus naturam, cauſas, originem & curationem explicat. Cenſet in recente curationem methodicam ſufficere; at in inveterato adhibendum eſſe potum decocti ligni ſancti, (a), nec veniendum eſſe ad unctio- „ nes mercuriales, niſi ex medicina ligni ſancti bis terve ſumpta cognitum fuerit ægrum „ non convaleſcere. Nam, *inquit*, hæc ligni medicina propria eſt ad morbum Gallicum „ curandum, ac præter ceteras maxime ſalutaris nullaque remanent ex ea corporum of- „ fenſiones, quod minime fit ex argenti vivi & cinapri (*cinnabrii*) medicina.

Demum in *IV* quærit *Capitibus VI* an & quomodo vinum addendum ſit in decoquendo ligno ſancto.

Exſtat ejuſdem Liber alter

De Caruncula ſive Callo, quæ cervici veſicæ innaſcuntur, ad Philippum Archintum. Biblioth. Mazar.

qui Lugduni prodiit apud *Matthæum Bonhomme, anno* 1553, *in* 4°. & qui Capitibus XII brevibus comprehenditur

Affirmat Auctor in *Præfatione* „ ſe in hunc Librum ſtudioſe conjeciſſe, quæcunque „ per multos jam annos & Neapoli & Romæ chirurgicam facultatem publice profiten- „ do, vel intra privatos parietes legendo vel diſputando, vel longo medendi uſu, ad eam rem maxime idonea eſſe cognovit.

Inde I. Præmiſſis paucis *de cervicis veſicæ examinatione*, *Cap.* 1: Et *de natura carunculę ſive calli*, *Cap.* 2. enumerat *Capp.* 3. & 4. inter morbi cauſas *Morbum Gallicum aut Gonorrhœam.*

II. Cenſet *Cap.* 8. ante uſum cathæriticorum *Carunculam ſive Gallum medicamentis præmolliendum eſſe*, ut exſiccantibus vel cathæreticis facilius cedat.

III. Duo diſtinguit *Cap.* 9. cathæreticorum genera, alia debilia, vehementia alia. Ex prioribus laudat „ tanquam tutiſſimum & probatiſſimum, & quod vires omnes medi- „ camentorum habeat, imbecilli ſcilicet, vel valentioris, ac medii quod ex Sabinæ ex- „ ſiccatæ in umbra ſeſquidrachma fit, ac cerati de mucilaginibus ſemuncia, quo tutiſ- „ ſime tractu temporis caruncula omnis ſine dolore minuitur, ac deinde radicitus tolli- „ tur, exſiccatur: „ ut ille *ſe ſæpius expertum fuiſſe* aſſerit.

IV. Inter *valentiora* ait, *Cap. eodem*, „ tutiſſimum eſſe illud * Alexandri Græci me- „ dicamentum, atque omni ex parte ſaluberrimum, quod fit ex Vitrioli romani, Au- „ ripigmenti, Aluminis rochæ, Eruginis raſæ, quæ aceto albo acerrimo per triduum „ emaceraris, in ſoleque exſiccaris, ſingulorum drachma una, cerati ex Ceruſſa unciis „ duabus

(a) *Lib* 1. *Cap.* 6.

* Alexandrum Trallianum intelligi puto; neque enim Medicum Græcum ullum alium novi, nomine *Alexandrum*. Quod ſi conjectura vere auguror, indicat Ferrus procul dubio, *Caput II Libri III. De arte Medica*, in quo Alexander Trallianus *ad ſordida ulcera* meatus auditorii, *e quibus pus effluit & caro crecit*, proponit ceratum ſequens, quod a cerato Ferri non ita abhorret.

℞. Eruginis raſæ, & Aluminis, *ſingulorum* ʒ ij. Thuris ʒ j. Mellis „ *heminas* j. Aceti *heminam* „ j. Incoquito, dum mellis fiat craſſities, ac utitor inſtillans, aut penicillum circumlitum „ in meatum demittens.

Potuiſſet quoque Ferrus, imo vero multo magis, in exempla adducere Paſtillos varios cathæreticos, ut *Andronis*, *Paſionis*, Polyidæ *Fauſtini*, *Pantolmium* &c. qui apud Antiquos in uſu erant ad *Nomos*, ſeu ſulceta chironia & depaſcentia, & qui ſpecies fere eaſdem recipiebat, quas ceratum de quo mentionem ipſe facit.

„ duabus, quæ lento igne ferveant, exinde prædictorum pulveres miſceantur, & ex his „ factum ceratum in uſum ſervetur. „ Id autem remedii genus idem eſt ac illud, quod ab Andrea Lacuna ante propoſitum fuerat, anno 1551, ut infra videbimus ad illum *annum*, & quod Lucana ait *ſibi communicatum fuiſſe a Philippo quodam Luſitano, homine empirico.*

V. Multa præſcribit, *Cap.* 10. *ut internę partes exulceratę atque inflammatę curentur poſt carunculæ diminutionem*, quæ omnia repetuntur ex anodynorum, paregoricorum, lenientium, demulcentium familia.

VI. Proponit, *Cap.* 11. „ *quibus medicamentis abſceſſibus, plegmonis, & erypſipelatis Scroti ſuccuratur*, quæ in curatione carunculæ non raro adveniunt.

VII. Demum quærit, *Cap.* 12., *qua ratione ſanati conſerventur*, laudatque ut eo conſilio utantur ſæpe decocto Guaiaci, ac frequenter in urethram immittant *candelam butyro, aut oleo myrtheo, aut roſaceo, aut amygdalino, aut aliquo unguento ex his quæ cicatricem inducunt, illitam.*

1537 JOHANNES EYCHMAN, ſeu ut ipſe vocari maluit græco nomine, pro more ætate ſua recepto, JOHANNES DRYANDER, Veteranus Haſſus, Doctoris Medici titulum adeptus Moguntiæ, Matheſeos & Medicinæ Profeſſor fuit in Academia Marpurgenſi in Haſſia, quæ a Landtgravio Philippo inſtituta eſt anno 1516, quod munus cum laude ſuſtinuit annos 24, obiitque anno 1560.

Repurgavit Ille Johannis Vochſii Librum *De Peſtilentia anni M. DVII*, Magdeburgi olim typis excuſum, & quem ſupra recenſuimus ad *annum* 1508, ac edendum curavit Coloniæ, cum ſequenti Inſcriptione:

Biblioth. Mazarinæ & Sloaniana

Opuſculum pręclarum de omni Peſtilentia, ſive ab aere corrupto, ſive ab aquis putridis, aut a cadaveribus: Et de diuturna Peſte Morbi Gallici, *quę non ceſſabit, donec putredo ejuſdem morbi funditus eradicetur.* Coloniæ, 1537. in 8.

1537 CHEIREDINUS vel CHEIRADINUS dictus BARBAROSSA, hoc eſt, Ænobarbus, ex Mitylene in inſula Lesbo oriundus, frater fuit famoſi illius Piratæ, cui nomen *Horuch*, qui mare mediterraneum latrociniis infeſtum olim habuit ineunte ſęculo XVI, & qui Algerii regnum ut fraude occupavit, ſic vi retinuit, donec ab Hiſpanis interemptus fuit anno 1518.

Cheiredinus, ſimili facinorum exercitatione aſſuefactus, mortuo fratri ſucceſſit, regnum quod hæreditario jure adierat, amplificavit expugnato Tuneto, a Solimanno II. Turcarum Imperatore rei Turcarum maritimæ præfectus fuit, & univerſas Italiæ oras diu territavit & deprædatus eſt.

Ut perpetuus & capitalis, Imperatoris Caroli V, & Hiſpanorum hoſtis, ſtuduit pro virili rebus Franciſci I, Galliarum Regis, quocum illi aperto marte dimicabant. Ideo cum Rex ille Carolo V. univerſalem in Europa Monarchiam meditante, premeretur iniquius, Solimanni juſſu Maſſiliam venit anno 1543 cum magno apparatu ſuppetias laturus, & conſociata claſſe Niceam fortiter oppugnavit, quæ urbs ex tota ditione una tunc retinebatur a Carolo III, Sabaudiæ Duce, qui Carolo V junctus erat fœdere. Sed inceptum illud malis avibus auſpicatum ceſſit improſpere, & odioſa ejuſcemodi auxilia Franciſco I plurimum invidiæ conflaverunt, nullam vero præbuerunt utilitatem.

Vita defunctus eſt Cheiredinus Conſtantinopoli anno 1547, jam octogenarius. Vir fuit effrenatæ libidinis, atque adeo morbo venereo, qui ſua ætate ſæviebat maxime tentatus, nec ſemel. Ferunt ſibi medicatum fuiſſe cum pilulis quibuſdam, quæ præter cathartica non pauca mochlica, hydrargyrum crudum ſeu mercurium vivum recipiebant, & quas a Medico quodam Judæo acceptas habuerat.

Fama fuit illarum copiam (*a*) Franciſco I, Galliarum Regi, qui nec ipſe ejuſdem mali immunis erat, a Barbaroſſa factam fuiſſe, unde Pilulæ illæ vulgo dictæ ſunt *Pilulæ Barbaroſſę*.

Proſtant in Libris Medicorum illius ævi formulæ plurimæ harumce pilularum, quæ numero, doſi, natura ſpecierum, quas admittunt, ita differunt invicem, ut tamen ſemper eædem ſint. Sic vide *ſupra Lib. II. Cap.* 7. *Pagg.* 120. 121. qualis formula a Petro de

(*a*) Videtur poſſe colligi ex loco Petri de Bayro ſupra adducto, *Pagg.* 120. 121, Barbaroſſæ Chriſtianis primum innotuiſſe circiter *anno* 1537.

tro de Bayro, & infra ad *annum* 1558. qualis ab Hieronymo Montuo proponatur.

I. Exſtant aliæ duæ formulæ conſimiles apud Guillelmum Rondeletium, *Libro de Morbo Italico*, quarum *altera* hæc eſt.

℞. *Rhabarb. & Agarici*, ana ʒ j.
Aloes ℥ j
Argenti vivi exſtincti in ſucco roſarum ʒ i i j.
Cinnamomi & *Ambræ* ana ℈ j.
Myrrhæ & *Maſtiches* ana ʒ j.

„ Cum terebinthina excipiantur: Et fiant Pilulæ octo pro ʒ j. Capiat ℈ j. pro prima „ doſi; deinde ℈ j ß; poſtremo ℈ i j.

Pro divitibus adde limaturæ auri, vel pannorum auri (bracteolarum auri, gallice „ *des feuilles d'or*) ℈ i i i j.

„ Non deſunt, qui Diagridium, Colocynthida, & fortiora remedia addi velint, & addant. Verum novæ materiæ deſcenſum accelerant, ſicque corpus minus ſiccatur, i- „ taque parum juvant.

Altera vero talis eſt.

℞. *Ladani puri* & *Hypociſtidis* ana ʒ j.
Aloes ʒ j.
Ambræ & *Moſchi* ana ℈ j.
Argenti vivi loti in vino ℥ i j.

„ Incorporentur ſimul cum ſyrupo roſarum laxativo, & fiant Pilulæ Capiat ℈ j. ſin- „ gulis matutinis.

„ Verum hæ pilulæ non debent aſſumi, niſi purgato corpore, & qui utentur, debent „ iis uti, donec aut venter laxetur liberalius (quod pro quantitate medicamenti fiet) „ aut in ore fœtor, aut calefactio appareat & ſentiatur.

II. Occurrunt quoque tres aliæ earumdem pilularum formulæ apud Johannem Wierum, Doctorem Medicum, *Obſervat. Lib.* 2, ubi *de Morbo Gallico*, quarum hæc eſt *prima*.

℞. *Mercurii* ʒ i i j.

„ Tere eumdem ſuper porphyritem cum ſucco limonum aut arantiorum, donec Mercu- „ rius taliter fuerit extinctus, ut amplius internoſci non poſſit.

„ Adde *Rhabarbari* & *Agarici*, ana ʒ i j.
Myrrhæ & *Maſtiches* ana ʒ j.
Cinnamomi & *Garyophylorum* ana ℈ i.

„ Omnia miſceantur & incorporentur in maſſam pilularem cum terebinthina veneta, „ e cujus ʒ j formentur pilulæ IX. Capiat principio pilulas iij. Dein, ſed pro morbi „ conditione, ʒ ß. Tandem ℈ i j, habita ſemper patientis ratione.

Altera purgantia habet admixta paulo fortius draſtica.

℞. *Mercurii* ʒ v j.
Rhabarbari ʒ i i j.
Farinæ tritici ʒ i j.
Scammoneæ ʒ j.
Moſchi ℈ j.

Præparandus eſt Mercurius, ut ſupra dictum, cum ſucco limonum: „ Poſtea adde fa- „ rinam tritici & tere ulterius, & ſenſim permiſceto reliqua ingredientia.

Tertia nullum admittit catharticum, & talis eſt.

℞. *Mercurii in aqua Salviæ exincti* ℥ j.
Seminis papaveris nigri ʒ i i j.
Amyli ʒ i j.
Moſchi gr. x i i i j.

„ Formetur maſſa, ex qua fiant pilulæ exiguæ. Quod ſi poſt earumdem uſum dolor „ aliquis corpus exagitaverit, aſſumendus erit hauſtus purgans.

III. Pilulas eaſdem deſcripſit etiam Hercules Saxonia, *Tractat. De lue venerea* nomine *Pilularum Patavinarum*, quæ pariter recipiunt & ipſæ quoque Mercurium crudum, ut ſequitur.

℞. *Rhabarbari electi & pulverati* ℥ j. ß.
Scammonii ℈ i ß.

„ Pulverata miſceantur cum ſucco limonum.

„ Ad

„ Ad *Argenti vivi per pannum tranſmiſſi & mortificati per eumdem limo-*
„ *num ſuccum* ℥ ſs.
Moſchi, gr. x.
Farinæ parum.
„ M. fiat *ſ. a.* Maſſa Pilularum, Doſis ℨ j per ſpatium triginta dierum continuorum.

IV. Demum ſimiles formulas legere eſt in pleriſque antiquioribus Diſpenſariis, nomine *pilularum mercurialium cum Mercurio vivo*, a quibus vix differunt Pilulæ aliæ mercuriales, quæ in recentioribus Pharmacopœis obviæ ſunt, niſi quod Mercurio crudo, qui ejectus eſt, ſubſtituta ſint præparata varia mercurialia, ut Panacea mercurialis, aut Aquilla alba, quæ apud pleroſque jam dudum in pretio ſunt, rectene, an injuria, jam non quæro.

1538. THOMAS RANGONUS, dictus PHILOLOGUS, Ravennas, (*a*) in Patavino Gymnaſio Philoſophiam & Medicinam didicit, & Doctoratus lauream conſecutus eſt. Medicinam Venetiis fecit annos fere viginti feliciſſime, ita ut maximas ſibi paraverit divitias. Deinde
1575. Medicinam aliquandiu docuit in Academia Patavina, ab anno ſcilicet 1496, ad annum uſque 1509, quo propter bellum a fœderatis Cameracenſibus illatum Profeſſores dimiſſi ſunt; reſtituta Academia ad Cathedram Aſtronomiæ dicitur translatus, quam tenuit per quinque vel ſex annos. Deceſſit Patavii anno 1559, prope nonagenarius. Teſtamento erigi juſſit Patavii Collegium in gratiam ſtudioſorum in ſua domo, quod hæredum ſtudio locum habuit. (*b*) Ipſe dum viveret, ædes ſacras non paucas Venetiis vel ornandas vel reficiendas curaverat.

Sic ea narrantur in *Hiſtar. Gymnaſii Patavini* ſed vide *infra* ut illa emendentur a J. B. Morgagno.

Scripſit Rangonus Tractatum de Morbo Gallico, qui Venetiis prodiit cum ſequenti Inſcriptione.

Thomę Philologi, Ravennę, Mali Galeci ſanandi, Vini ligni, & aquæ: unctionis, ceroti, ſuffumigii, pręcipitati, ac reliquorum modi omnes. Venetiis, MDXXXVIII. in 4. Et ad calcem Libri, *Venetiis, per Johannem Antonium de Nicolinis de Sabio. Anno Domini MDXXXVIII.*

Bibliothecâ Sloanian.

Liber idem iterum typis recuſus fuit Venetiis anno 1545, & tertium anno 1575, ſed amplificata Inſcriptione, ut ſequitur.

Apud Lindenium & Merckhnum.

Malum Gallicum, Depilativam, Ungitivam, Dentativam, Nodos, Ulcera, Vitia queque, affectus & rheumata uſque ad contortos ſanans: Ligni Indici, aquę, vini, ſublimati, Cynę, Sartę parillę, Hyſan, Hetechen, Caravalgii Altar, Mechoacan, Antimonii, Unctionis, Ceroti, Suffumigii, Pręcipitati, Seminis indi, ac additorum Mundi novi & reliquorum, modos omnes & facultates explicat.

Librum hunc nondum vidi, ſed ex ipſa Libri epigraphe patet ab Auctore, 1°. Luem veneream ſeu Gallicam deſignari præcipuis ſymptomatis, qualia ſuo tempore obſervabantur; ſcilicet pilorum, unguium, & dentium caſu, eamque idcirco *Depilativam*, *Unguitivam*, *Dentativam* vocari.

II. Varia ad hunc morbum remedia congeri nullo delectu; quorum pleraque ne nomine quidem jam nota ſunt, ut enumeratione liquet. 1°. Manifeſtum eſt *Ligno Indico* Guaiacum ſeu Lignum ſanctum intelligi: 2°. Parum conſtat quid ſignificent voces illæ, *aquæ*, *vini*, *ſublimati*, niſi forſan eliſiis virgulis de *aqua vini ſublimati*, hoc eſt, de ſpiritu vini diſtillati debeant accipi: 3°. *Cyna* & *Sparta parilla* notiſſimæ ſunt nomine radicum Chinæ & Sarſæ-parillæ: 4°. *Hyſan* ne nomine quidem novi: 5°. Cenſeo nomine *Hetechen* indicari lignum illud *Heſtdeen*, vel *Heſtebdehen*, de quo loquitur Avicenna, *Lib.* 2. *Tractat.* 2. *Canon.* 354, & quod olim credidere nonnulli (*c*) idem eſſe ac Guaiacum, ſed nullo prorſus fundamento; vel potius eſſe lignum illud, de quo primus mentionem fecit Johanes Leonis, *Deſcript. Africæ*, *Lib.* 9. nonime *Ettalche*, quod nomen a (*d*) pluribus in *Hetechen* depravatum fuit; ſed de lignis illis vide ſupra, *Pagg.* 152 & 153. 6°. Neſcio quid ſit *Caravalgii Altar*: 7. Cetera notiſſima ſunt, ſi *ſemen indum* excipias.

Venit nuper in manus alius Auctoris ejuſdem Tractatus paucis pagellis comprehenſus, qui inſcribitur *ad clariſſimos Salutis Juſtiſſimę Urbis Venetiarum Pręſides*, *D. Laurentium Lauretanum*, *D. Johannem Cornelium*, & *D. Andream Tauriſianum*, De repentinis mortiferis, & ut ita dicam, miraculoſis noſtri temporis ægritudinibus, *qui Venetiis*

(*a*) Hiſtor. *Gymnaſii Patavini*, T. I. Lib. 3 Sect 2. Cap. 10. No. 58. (*b*) Sanſovino, *Venetia deſcritta* Libb. 1. & 2
(*c*) Proſper Borgarucius, *Method. De Morbo Gallico*, Cap. 40.
Gabriel Falloppius, *Tractat. De Morbo Gallico*, Cap. 16.
(*d*) Bernard. a. Tomitano, *Lib.* 2. *De Morbo Gallico*, Cap. 16. Antonio Fracanciano *De Morbo Gallico*, C. 10.

netiis editus eſt *per Auguſtinum de Bindonis*, anno 1535. *in* 4°. In illo Rangonus, pro more etate ſua recepto, Aſtrologiæ, & quod forte turpius, Cabalæ deliramentis nimium tribuit, in utroque aniliter credulus. Sed hæc ab argumento noſtro aliena ſunt; quæ vero ad argumentum faciunt, ea ſunt quæ ibidem leguntur, de luis venereæ origine, dum in eo eſt ut probet morbos novos, novaſque peſtilentias identidem ingruere. „ Temporibus noſtris, (*a*) *inquit*, anno 1488, vel ſaltem 1494, coitu trium ſu- „ periorum planetarum inſigno Cancri, contagioſus Gallicus morbus: Dein anno 1527 „ venenoſæ & peſtilentes comparuerunt impetigines. „ Quæ poſtrema verba videntur eſſe intelligenda de maculis purpureis ſive petechiis, qua de re vide infra ad *annum* 1565, ubi *de Alexandro Trajano Petronio*, a quo eadem de prima Petechiarum invaſione narrantur.

Prædixerat Johannes Stoeflerus, Germanus, maximum in Europa cataclyſmum fore anno Chriſti 1524, *quia Jupiter & Saturnus hoc anno coituri erant in* 10 *gradu Piſcium*; quod vaticinium egregie (*b*) probavit ac fortiter propugnavit Thomas Philologus, cum aliis non paucis viris non indoctis. Mirum quot & quantas turbas fecerit illa prædictio in Italia, in Gallia & in Borealibus plagis, donec fruſtratio eventus prædictionis vanitatem declaravit.

Ea quidem pauca ſunt & de Rangono, & de Libro plane ſingulari, quem Rangonus conſcripſit *De Morbo Gallico*. Sed quamquam pauca, non ſine difficili inveſtigatione collecta fuiſſe auſim affirmare; nihilominus, ne quid ad explendam Lectorum cupiditatem mea culpa deeſſet, viſum fuit de utroque Capite amice percontari Johannem Baptiſtam Morgagnum, Medicinæ Profeſſorem in Academia Patavina, Virum celeberrimi nominis, ſed fama majorem, quem vere dixeris Medicorum noſtri temporis decus & ornamentum. Multa protulit Ille de Rangono, nobis prorſus incomperta; plura de illius Libro. Bonis enim avibus evenit, ut tertia illius Libri editio anni 1575, quæ rariſſima eſt, & quam nec in Gallia, nec in Germania, nec in Anglia reperiri facile crediderim, cum curaverim incaſſum tot locupletiſſimas harumce regionum Bibliothecas evolvendas, lateret inter Libros Morgagni. Idcirco facile fuit illi Librum analytice deſcribere, quod negotium & lubenter ſuſcepit & expedivit diligenter, ut ex ſequente Diſſertatione palam eſt, cujus vel apicem unum circumcidere religio fuit.

„ Philologi illius *de lue venerea* Opuſculum, quod fruſtra a te adhuc quæſitum ſcri- „ bis, in Bibliotheca mea eſt, ita inſcriptum, ut ex *Lindenio Renovato* tu & Cl. „ Mangetus (*c*) deſcripſiſtis, niſi quod pro *Hyſan*, *Hetechen*, *Caravalgii Altar*, Philo- „ logus edidit *Huyſan*, *Hetechen*, *Caravalgii Alvar*. Eſt autem editio hæc mea, quæ „ apud Lindenium noviſſima indicatur, *Venetiis*, *apud Petum de Franciſciis*, *Tertia im-* „ *preſſio*, *MDLXXV*. in 8°; conſtatque ex foliis octo, & chartis duabus: Quam ab Au- „ ctore ipſo curatam non ſolum integumentum libri oſtendit, in quo auris literis ſigni- „ ficatur, dono, ab eodem miſſum fuiſſe, ſed & ex Epiſtolis duabus libro præfixis, „ altera commonſtrat, qua *Comiti Guidoni Rangono*, cujus ſe *Alumnum* profitetur, hanc „ *impreſſionem tertiam*..... *cognominis gratia*, *reconſecrare voluit*.

„ Huic eidem Rangonio Dialogum olim dicaverat, quem ab nemine adhuc vidi in- „ ter Philologi libros commemoratum, *de optuma hominum felicitate contra Ariſtotelem*, „ *& Averoim*, *ceteros nec non Philoſophos*: ipſe autem habeo *impreſſum Mutinæ per An-* „ *tonium Rocociolum*, *anno Dominicæ Incarnationis MDXXI*, *die XXXI*. *Octobris* in 4°, „ libellum ex tribus foliis cum dimidio. Huic quoque Dialogo Epiſtolæ præfixæ ſunt „ duæ, ad Rangonum prima, ad *munifficentiſſimum Senatum* altera, *generoſum Collegium* „ *viginti quatuor*, *& duodecim Viros urbis Ravennæ*: ex quibus, ut mandatis ſatisfa- „ ciam tuis, nonnulla juvabit adnotaviſſe. In altera *cariſſimam ſuam genitricem*, *anti-* „ *quam Ravenam* fatetur, ſeque ab ipſa ad capeſſenda præclara ſtudio auro adjutum vi- „ detur ſignificare. In prima autem Rangonium in caſtra ſecutum ſe, indicat. *Me*, „ *preſente*, inquit, ... *Firmum*, *& Reate Piceni nobiliſſimas urbes a gravi Tberorum* „ *obſidione non pluribus mille peditibus*, *equitibuſque trecentis*, *imo Reate ſolum quin-* „ *quaginta equitibus liberaſti*. Hoc etiam addit: *Tu denique aſtrologiam*, *reliquaſque di-* „ *ſciplinas ita calles*, *ut nemini ſecundus locus admittatur*. Quibus ſi illud adjunxeris, „ quod cum huic Dialogo ita ſuum nomen præſcripſiſſet, *Thomæ Philologi Janothi*, *Ra-* „ *vennatis*, in quibuſdam poſtea emiſſis libellis, velut in eo qui inſcribitur *De Vita Prin-* „ *cipis & Venetorum commoda ſemper*, *Conſilium*, ad hunc modum, quem *infra*, vel poſt

(*a*) Libro & loco laudato. *Cap.* I. (*b*) Gabriel Naudæus, in *Judicio de Auguſtino Nipho*.
(*c*) In Bibliotheca Scriptorum Medicorum.

poſt ejus mortem ſervatum oſtendam, ſe nominavit *Thomam Philologum Rangonum*, *Ra-*
,, *vennatem*, ex his videlicet proclive erit intelligere, tum quod ipſi patrium cognomen
,, fuerit *Janothus;* tum quod alterum a Rangonio, ut videtur, acceperit; tum quare e-
,, jus ſe, ut diximus, *alumnum*, & *cognominis gratia* Opuſculum ipſi *de lue venerea*
,, *reconſecrare* profitetur.

,, Quod cum fecit, & Comes Rangonus perſenex erat, ut qui a Petro Bembo ſub ini-
,, tium Libri XII. *Rerum Venet. Hiſtor.* ſtrenuum ejus anni 1511 militare facinus recen-
,, ſente, *magni animi adoleſcens* vocatur. Ipſe autem Philologus qua ætate tunc eſſet,
,, in prima, quam eidem Opuſculo proponi dixi, Epiſtola aperte docet. Auguſtino enim
,, Gadaldino, cui latinam tot Galenicorum Librorum interpretationem debemus, id ab eo
,, ſcriptum petenti, mittere ſe ait, quæ *longo ſuo fere octogenario ſecundo rerum uſu per-*
,, *cepta* habebat. Quos ſi annos ex illius tertiæ editionis anno 1575 ſubducas, invenies
,, natum annis circiter ſeptem ante finem ſeculi XV. Nec vero Opuſculum de quo loqui-
,, mur, Philologo ultimum fuit: Nam *Conſilium*, quod paulo ante memoratum eſt, ha-
,, beo *excuſſum Venetiis MDLXXVII. die Martis XI. Junii*. Quam editionem ne forte
,, poſt Auctoris mortem iteratam ſuſpiceris ſecundum eam, quam apud Lindenium u-
,, nam vides anni 1558, ſcire licet *Sereniſſimo* Venetorum *Principi*, *D. D. Sebaſtiano Ve-*
,, *nerio* a Philologo ipſo oblatam, qui & *Auream Sacratiſſimam Roſam* commemorat,
,, munus Gregorii XIII. Pont. Max. ad Venerium principatus initio delatum: quæ nem-
,, pe in eum annum incidiſſe 1577, poſtquam III. Nonas Junii Mocenicus Princeps de-
,, ceſſerat, confirmat Andreas Maurocenus, *Lib. XII. Hiſtoriarum Venetarum*.

,, Equidem hæc ſcio cum *Hiſtoria Gymnaſii noſtri*, (*a*) ante hos treredecim annos edi-
,, ta, & apud Mangetum (*b*) exſcripta, non conſentire. Nam poſtquam annos circiter
,, viginti Medicinam Venetiis feciſſet Philologus, *Patavii ab anno* 1496 *ad belli uſque*
,, *Cameracenſis initia*, *hoc eſt*, *ad annum* 1509 *ſcribitur docuiſſe*: *ab anno autem* 1520 (*ſi-*
,, *ve potius*, *ſi Tomaſinum* (*c*) *ſequimur*, 1521) *ſuffecto ipſi in tradenda publice Aſtrolo-*
,, *gia Friderico Delphino*, *quod reliquum vitæ fuit exercendę Patavii Medicinę dediſſe*,
,, *ubi octogenario major obiiſſe dicatur anno* 1559; *ſed verius eſſe*, *eum ſuperſtitem fuiſſe*
,, *ad annum* 1556, *neque ante annum ſequentem prope nonagenarium deceſſiſſe*. Quæ ta-
,, men num iis quæ a nobis producta ſunt, argumentis certiſſimis, apertiſſimiſque
,, ſatis infirmentur, ipſe judicabis. Ego præterea ex ejus libris, non Patavii, ſed Ve-
,, netiis ſenem Medicinam feciſſe, intelligere mihi videor, ubi & ſacram ædem in ce-
,, leberrimo loco, non *D. Julianę*, ut nonnulli ſcribunt, *ædificavit anno* 1554, ſed D.
,, Juliani, conlata pecunia inſtauravit, nobili uſus Architecto Sanſovinio, quod ad ædis
,, frontem attinet, (*d*) in qua Philologi ſtatua ex ære viſitur, & hæc leguntur: *Thomas*
,, *Philologus*, *Ravennas*, *Phyſicus*, *ære honeſtis laboribus parto*, *ædes primum Paduæ virtuti*
,, *poſt has Senatus permiſſu pietati erigi fecit. Illas animi*, *has etiam corporis monumen-*
,, *tum*, *anno Mundi VI. MDCCL. IIII. Non. Octob.*; *Jeſu Chriſti MDLIIII*; *Urbis*
,, *MCXXXIIII.* Ex his liquet ante eum annum 1554 ædificaviſſe ædes Patavii, de qui-
,, bus non uno loco meminit Tomaſinus (*e*) ad ſtudioſorum juvenum uſum.

,, Ex aliis autem, quæ in eodem illo Templo leguntur, ante finem certe ſeculi XVI.
,, obiiſſe, intelligimus; ſed quo anno haud apparet. Deſcribam tibi, ut apud Sanſovi-
,, num (*f*) ſive diligenter, ſive ut videtur, oſcitanter Tipographi repræſentarunt. A
,, dextris quidem aræ majoris ſic: *D. O. M. Thomæ Philolog. Rang. Raven. Phyſ. Ec-*
,, *cleſ. & Tab. Proc. Opt. merito*, ℞. *Commentarii*. A ſiniſtris autem ſic: *MDIIC. In*
,, *ſpem reſurr. futuræ*, *& immort. gloriæ perpetuum monumentum ex teſt. P.*

,, Ceteris tamen, quæ de Philologo leges in eadem *Hiſtoria Gymnaſii Patavini*, non
,, eſt cur repugnem. Hæc tantum addo: Numiſmata circumferri ejus imagine ſignata (*g*)
,, ipſumque Equitis ornamentis auctum fuiſſe; *Eques* enim in ejus, quod ſemel atque
,, iterum memoravimus, *Conſilii*, itemque in *Microcoſmi*, & *Opuſculi* de quo agimus
,, *Inſcriptionibus* appellatur.

,, Nunc, quando ad ejus vitam quæ attinebant, utque memoria noſtra in præſen-
,, tia tulit, ſatis attigimus, ad ipſum Opuſculum redeamus. Id decem primum habet
,, Capita.

,, Primum eſt *de mali Gallici* (ſic enim ſemper, & in fronte quoque libri ſcribit, quod
deſcri-

(*a*) Tom. 1. Lib. 3. Sect. 2. Cap. 10. (*b*) Bibliothec. citata
(*c*) De Gymnaſio Patavino Lib. 3. Cap. 39. (*d*) Sanſovin. Venet. Deſcritta. Lib. 1.
(*e*) Opere citato, Lib. 1. Cap. 61. & Lib. 4. ad *annum* 1577. (*f*) Lib. & loco citato.
(*g*) Marches. Monumenta Viror. Illuſtr. Galliæ Togatæ. *Lib.* 2. *Cap.* 4.

„ deſcribentes non attenderunt, *a Gallaicis*, *ſeu Gallecis Hiſpaniæ populis* nomen repe-
„ tens *ortu & nomine*. Quo in Capite credit, hujus morbi deſcriptionem apud Vete-
„ res etiam Medicos inveniri. Tempus autem quo Capita hæc ſcripſit, aperte ſigni-
„ ficat non poſt annum fuiſſe 1547, nec ante 1515, his verbis: *Chriſtianiſsimus autem*
„ *nunc vivens Franciſcus primus*.

„ Capite II. *Mali Galleci eſsentia*, *cauſa*, *& deffinitio* proponitur, quæ eſt ejuſmodi,
„ *Gallecus morbus eſt compoſitus ſeu Diabolicus varia humorum corruptione*, qui cum per
„ contagium communicatur, non ſolum concubitu, ſed & veſtibus, cibo, potu, o-
„ ſculo, lacte, aeris ab infecto coinquinati inſpiratione contrahitur.

III. *Gallecæ luis ſigna*. Hæc ponuntur quinque, *ipſum ſemper*, *ſed non inſimul*, ſe-
„ quentia; dolores videlicet, tubera, puſtulæ, ulcera, macies cum pallore quodam..

„ IV. *Prognoſticon*.

„ V. *Sanandi modi aut cura*, & primum diæta & chirurgia.

„ VI. *Primus ſanandi modus*, *evacuatio*; ubi Pharmacia, in qua improbat eos, qui
„ hunc morbum *vehementibus primo curant*, *quoniam*, ut modo dixerat, *morbus*
„ *hic perpaucos interimit*.

„ VII. *De ligno ſancto ac Regio*, *an autem a Priſcis cognitum*, *queritur*, & Ebani
„ ſpeciem eſſe ſtatuitur.

„ VIII. *De ligno Indiæ* eodem, ubi ejus deſcriptio, ſelectus, vires, & variæ ex eo
„ formulæ & præparationes.

„ IX. *Aqua ligni fit hoc modo;* traditurq; ratio conficiendi ejus decoctum primum & ſecundum.

„ X. *Præparatio ante aquæ* modo dictæ *potum*, ubi & regimen in ſummenda multo
„ ſeverius, quod ad alimenta attinet, quam ætate hac noſtra: nec ſolum tamen vere & autu-
„ mno, ſed & aliis anni temporibus *infinitos* a Philologo hac rationes curatos fuiſſe legimus.

„ Hactenus in prima Editione. Cum autem *ſuperveniſſet poſtea Galleci .... ſignum*
„ *ſextum... anno* ut ait, *a Chriſto* 1538 *vel circa*, & *Clariſſ. Medicus* Veronenſis Ga-
„ jonus *diminutum* Auctorem cenſuiſset, quod *nihil dicere voluiſſet de caſu pilorum con-*
„ *tingente in morbo iſto*, eorum *tempeſtate propter ulteriorem aduſtionem acquiſitam in ma-*
„ *teria*, *a qua lues ipſa cauſatur*, *quod accidens tunc fere omnes infeſtare videbatur:* ideo
„ Philologus *ſecunda impreſſione...Librum perfecit* ſuum. Ac primum agens *de Depilativa*,
„ linimentum, lixivium, unguentumque deſcripſit, tunc a Medicis ad præcavendum pi-
„ lorum defluvium in uſum adducta; tum ubi pili cecidiſſent, quid faciendum, indicavit.

„ Quoniam vero *ſeptimum demum etiam* tunc *comparuerat ſignum .... dentium ca-*
„ *ſus* (ut *alia deinceps*, *ſi vixerimus*, *diu nos ipſi*, inquit, *ſed rationalibus poſteri viſuri*
„ *ſunt ſymptomata*,) idcirco *de Dentativa* etiam addidit quod ſibi eſt viſum; & quia *den-*
„ *tes in adultis deperditi* non *renaſcuntur amplius*, attigit quæ ſunt facienda, ne cadant:
„ Ut illa quoque *an vocis ſempiterna ac perpetua amiſſio*, *octavum eſſe poſſit Galleci mor-*
„ *bi ſignum*; an *unguium caſus in pluribus Romæ contingens*, *Venetiis*, *ac ubique locorum*
„ *multis*, *nonum valeat eſſe ſignum;* denique an *ulcera Meri*, hoc eſt, Pharingis, *Amyg-*
„ *dalarum*, *Epiglottidiſque*, *decimum*. Mirum eſt quod bubones vix ſemel idque o-
„ biter *Cap. XIX.* gonnorrhœæm autem nuſquam, quod animadverterim, ne anno qui-
„ dem 1575, hæc tertio, ut dictum eſt, edens memoraverit. Certe Falloppius duodecim
„ ante annis librum ſcribens *de morbo Gallico*, indicavit (*a*) hanc obſervari cœptam cir-
„ ca annum *1549*, defluvium aut pilorum anno 1533, ut neque in hoc cum Philologo
„ conveniat. *Agitur jam* inquit Falloppius, 30 *annus quo hoc pilorum defluvium ince-*
„ *pit*, *non ſunt* 15 *anni quibus obſervata eſt gonorrhæa:* Nam bubones quidem, etſi a
„ primis illis hujuſce luis Scriptoribus commemoratos non memini, a pluribus qui an-
„ te Falloppium ſcripſerunt, propoſitos legi. Sed hæc, atque alia, tu melius.

„ Secundum illa Philologus *de Cina* ſermonem inſtituit, natale ſolum, delectum,
„ vires, aliaque ejuſmodi proponens, & denique ejus aquæ, ſive decocti conficiendi
„ modos plures & regimen. Interjicit autem inventum, *ut ait*, ſuum tertiæ conficiendæ aquæ,
„ ſive ex China, ſive ex Sarſa, ſive ex ligno Indiæ, ſi poſtquam ſecunda parata eſt, tan-
„ tumdem aquæ, quantum in ſuperioribus, addatur, & ad quartæ dumtaxat partis con-
„ ſumptionem decoquatur, eaque ad membrorum potiſſimum ablutionem ſervetur. Nec re-
„ ticet alias formulas & præparationes, interque has, ut in ligno indico fecerat, docet quibus,
„ & quomodo pro aqua vinum ſit ad decoctionem adhibendum, aut addendum, aut China
„ contuſis uvis adjicienda, aut denique ex decocto aqua, aut vino parato humor ſit per
„ deſtillationem eliciendus. Hunc autem *ſublimatum* vocat. Ex his intelliges quod cu-
„ piebas, quid ſibi illis velit, quæ in Opuſculi inſcriptione poſuit, *aquæ*, *vini*, *ſublimati*

(*a*) Cap. 23.

,, Quibus abſolutis hæc ſubjicit, unde cognoſcamus, cur, & quando de China, de-
,, que Sarſa, quæ ipſi nota eſſent, addiderit Opuſculo huic ſuo. *Accedit modo Clariſſ.*
,, *Doctorum modeſta repetitio, qui labore inſigni Auctorum quorumcunque Galleci morbi*
,, *ſex & 40. Scripta impreſſa ſimul recollecta* (ſic), *cum Jordane* (Ziletto) *Typographo or-*
,, *natiſſimo, aliiſque pluribus ingenioſiſſimis Viris, Aloyſioque Luiſino rogantibus, ne quid*
,, *egregio & magno huic Volumini* deeſſet, de* (ſic) *Cinæ, Spartæ parillæ, duarum ſtirpium,*
,, *ultimo præſenti tempore a Medicis cognitarum, hiſtoriam, vires & operationes. . . . ederem,*
,, *& ſententiam meam proderem; a quibuſdam licet Viris doſtiſſimis nonnulla de his fuerint*
,, *ſcripta, & ultimo Falloppii eximii, & eminentiſſimi Fracanciani, ut ajunt in lucem impreſſio-*
,, *ni data, quibus tenetur quamplurimum ętas noſtra; .... Verum enim cum ſeneſcentes addiſca-*
,, *mus ſcientiæ & artes additione compleantur, ut juniores ſemper ſint perſpicaciores, cumque*
,, *præfatos lectione & experimento multis præceſſerim annis, ... quicquid ſenſerim ſcriptis meis*
,, *jamdiu impreſſis de Gallico Morbo, ligno vel indico, Cynna, & Sarſa pardiglia, po-*
,, *ſtea Hetechen, ultimo de Caravalgio Alvar, novis mirabilium virtutum planta* (ſic),
,, *expromere & lumini dare decrevi.*

,, Et continuo de Sarſa eadem, proportione, tradit, quæ de ligno Indiæ, Chinaque
,, tradiderat, niſi quod in aqua fere, hoc eſt, confecto in aqua decocto, ſubſiſtit.

,, Tum *de Huyſan, beata radice*, hæc habet. *Species duæ: aſſumantur ambę a graviſsi-*
,, *mis diſpoſitionibus præter naturam, inſignique languore correptis. Infunditur horis vigin-*
,, *ti quatuor Huyſan libra una, ſeu duæ. Eaque, humiditate virtutum plurimarum ſufficien-*
,, *ter acquiſita contundatur, & exprimatur ſuccus velut ſpuma alba; expreſſus vaſculi parvi*
,, (ſic) *aurora calidus, ac ſero potatus. Ex quibuſdam cum Saccharo, ex aliis cum melle, ex*
,, *quibuſdam ſolus ad placitum, ac pro temperie captus, ventrem bis, vel ter in die commovet,*
,, *humoremque requiſitum educit.* Hinc decocta Huyſan proponit tria, ſcilicet *ad medie-*
,, *tatis*, ad *tertię partis*, ad nullam conſumptionem. Ceterum de hac radice in extremo li-
,, bro illud indicat, *ab Inſulis Indię Occidentalibus ab Hiſpanis nuper compertis* afferri. Ha-
,, bes quod cupiebas de *Huiſan*; de reliquis, cum ad libri finem pervenerimus, accipies.

,, Nam poſtquam Auctor ſcriptis, ut videtur, ab initio Capitibus ea omnia interje-
,, cit quæ memoravimus, continuo redit ad Capita reliqua.

,, XI. Eſt *tertius ſanandi modus, unctio*, videlicet *ex argento vivo ſaliva hominis* ex-
,, tincto. Quæ melius, aut ſecus addantur, aliaque perſequitur.

,, XII *Quartus ſanandi modus, Cerotum*, ſcilicet ex eodem argento.

,, XIII. *De unctionis, ac ceroti accidentibus*, quibus qua ratione occurrendum docet.

,, XIV. *Quintus ſanandi modus, ſuffimigium* ex cinnabari; quod in quibus non ten-
,, tandum, & quomodo interdum mane, illo; ſero, inunctione uti conveniat, oſtendit.

,, XV. *Sextus ſanandi modus, Præcipitatum*, cum priora inutilia fuerint, exhibendum.

,, XVI *Reliqui ſanandi modi inventi, ac futuri*, quorum neutros commoſtrat.

,, XVII. *De doloribus*, id eſt qua ratione in his ſuccurrendum.

,, XVIII. *Puſtularum cura.*

,, XIX. *Tubera, apoſtemata dura, vulgo gummas reſolvemus, maturabimus & aperiemus.*

,, XX. *Ulcerum cura*, in qua tamen Auctor monet ſe *rectius antiquiſsima quoque*
,, *ulcera, ac nullo adiutus medicamento curata, ſolo mollitivo melle liquefacto roſeo*, imo
,, etiam *abſque melle eo, tantum petiis cooperta cicatrizaviſſe, ac perfectæ ſaluti* per de-
,, cocta exhibita *reſtituiſſe magno cum decore.*

,, XXI. *Delentur maculæ*, quæ nimirum *Puſtulis ac Tuberibus, Ulceribuſque cicatri-*
,, *zatis, remanent.*

,, XXII. *Modus vivendi poſt curationem ſani.*

,, Ad extremum addit *Empiricum illuſtre novum* 1575 *menſe Februarii acceptum.*
,, Eſt autem decoctum corticis ligni ſancti in vino paratum, & ſine ſeveriore regimine exhi-
,, bitum. Denique ut pollicitus fuerat, *de Caravalgio Alvar planta quidem nova e Portu-*
,, *galia nuper allata*, cujus ſcobs unguento ex mercurio addenda ſit ſecundum formulam,
,, quam latine redditam proponit, verbum potius, quam verba facit. Sic etiam de *ſemine*
,, *Indo, Hetechenque decocto*, indidem unde Huyſan diximus, nuper advectis cum *Radice*
,, *Mechoacan*, & *Yerve planta Eſcuerzonera*. Nam de illo ſemine hoc tantum habet:
,, *Semen Indum anno* 1534. *adeo laborioſum, ut vomitum ſimul ac ventris profluvium timoroſum*
,, *ingenti cum vitæ diſcrimine promoveat, pluresque enecaverit, corpuſque totum adeo perturbet,*
,, *ut qui ſolum granum unum voraverint, ferme perierint.* De *Hetechen* autem hæc: eſt lignum
quod

* Liber Rangoni Collectioni Luiſininæ inſertus tamen non fuit, cujus omiſſionis cauſa mihi incomperta eſt.

„ *quod quidem ſpinoſum eſt, mediocriter craſſum, phœnicei coloris, quo Afri utuntur ex Johan-*
„ *ne Aphricano* ſuis in hiſtoricis, *veluti ſcribit Francancianus Medicus Clar.* (cujus vide-
„ licet verba ex libro *de Morbo Gallico* (*a*) tum præcedentia, tum inſequentia ſine ulla
„ fere, aut levi mutatione, ſua facit. *Cum autem ad nos medicamenti uſus, aliorum*
„ *velut ſuperiorum, non juſtius pervenerit, idcirco dum certi nihil adhuc afferre poſſim,*
„ *ſicut nec de radicibus quibuſdam quibus in Galleco, ſimili vel morbo utuntur mulieres in*
„ *Inſula ſancti Thomæ;* de his, aliiſque pluribus, *inquit*, ſi vixero, eadem methodo quas
„ de ligno Indiæ, China, Sarſa, *Antimonio etiam, prætermiſſo ſui inſigni diſcrimine,*
explicabo, ut quod in libri fronte de Antimonio promittitur, non fuiſſe præſtitum, ap-
„ pareat.

MARTINUS DORCHESINO. Cuicunque viſum ſit ſub hoc nomine latere, ſcripſit ille Triumphum luis venereæ cum Inſcriptione ſequente, atque adeo locum meritus eſt in Elogiographos, qui ludicris & ironicis encomiis res peſſimas celebravere, quales Eraſmus qui Moriam; Cardanus, qui Podagram; Paſſeratius, qui cæcitatem *&c.* laudaverunt. 1539.

Le Triumphe de tres haulte & puiſſante Dame Verolle, Royne du Puy d'Amours: nouvellement composé par l'Inventour de menus plaiſirs honneſtes, M. D. XXXIX. *On les vend a Lion, chez Francoys Juſte devant Notre-Dame de Confort.* in 12. Biblioth. Regia.

In principio proſtant duo præloquia, in quorum poſteriore quæſtio eſt de prima origine luis venereæ. *Aut tems paſſé*, inquit Auctor, *plusieurs Sçavantz hommes ont eſté embeſoignez pour ſçavoir en quel endroit de la terre elle à pris premierement ſa naiſſance: Et les ungs ont dit & affermé que ce fut à Naples: les aultres en Eſpaigne: les aultres en Angleterre: les autres en Flandres: les aultres és Isles du Peru.*

Confitetur ibidem Auctor luem veneream de ſua ſævitia jam multum ſua ætate remiſiſſe. *Icelle maladie*, ait ille, *a remis beaucoup de ſa ferocitè & aigreur premiere, & n'en ſont les peuples ſi travaillen qu'ils ſouloient.*

Deinde ſequitur Carmen allegoricum Johannis le Maire, Bavacenſis, gallice ſcriptum, quod inſcribitur *Les trois Comptes, intitulez de Cupido & d'Atropos*, & de quo verba fecimus ſuperius ad *annum* 1520.

Ad Carminis calcem apponitur Ordo Triumphi Luis venereæ: *Le Triumphe Verolique commence a marcher par ordonnance de ranc en ranc;* conſtatque ex imaginibus XXXIV ſummæ totidem paginarum oræ præfixis, quibus ſingulis verſus gallice ſcripti ſupponuntur.

Sic *v. g.* ſub imagine Figuræ, qua *Le Herault, Fecialis*, exhibetur, & quæ omnium prima eſt, leguntur ſequentia.

De toutes parts, Amoureux malheureux,
Qui ſoubs l'eſpoir pretendu d'eſtre heureux,
Avez uſé des abus de jeuneſſe,
Venez tous voir triumphe, dont * jeà n'eſſe
Du puy d'amours les faitctz Chevalereux.
Et ne vous chault des propos rigoureux,
Vous qui aimant eſtes tant vigoureux;
Venez avant & prenez cy adreſſe
De toutes parts.
Sortez, ſaillez des limbes tenebreux,
Dés fournaulx chauds & ſepulcres umbreux,
Où pour ſuer de gris & verd on greſſe.
Tous verollez, ſe goutte ne vous preſſe,
Nudz & veſtuz fault delaiſſer voz creux
De toutes parts.

* Forte *id n'eſſe*, id eſt *jam exeunt*.

Quarta imagine repræſentatur *Scabies Rothomagenſis*, *La Gorre de Rouen*, hoc eſt *lues venerea incipiens* cum verſibus adſcriptis ſequentibus.

Sur toutes villes de renom,
Ou l'ont tient d'Amour bonne guyſe,
Midieux Rouen porte le nom
De veroller marchandiſe.
La fine fleur de paillardiſe
On la doit nommer meshouen;
Au puy d'amour prens ma deviſe,
Je ſuis la *Gorre de Rouen*.

G 2 Dixe-

(*a*) Cap. 10.

Dixerat Auctor in præloquiorum altero luem veneream ſua ætate Rothomagi in Normania ſæviſſime graſſatam fuiſſe. *Verolle, la belliqueuſe Emperiere*, inquit Ille,..... *traine aprez ſon curre triumphal pluſieurs groſſes villes, par force prinſes & reduictes en ſa ſubjection, meſmement la Ville de Rouen capitalle de Normandie, où elle a bien faict des ſiennes, comme l'on dit, & publié ſes loix & droitz diffuſement.* Quæ mire conveniunt cum iis quæ ſuperius diximus *de lue venerea Rothomagenſi* ad *annum* 1526, ubi *de Jacobo a Bethencourt.*

Cetera mittimus Triumphi illius Emblemata, quibus Venus, Voluptas, Cupido; Veneris pediſſequæ, arthritis, magna Variola, Diæta; Veneris aſſeclæ &c. exhibentur. Satis ſit animadvertere inter ceteros aſſeclas recenſeri *les Refondeurs*, hoc eſt, *pinguedinem ægrotantium ſuffumigiis liquefacientes*, qui trigeſimo; Et *Les faiſeurs de nouveau cuir*, hoc eſt, *Reunctores & Iatraliptas, corium ſive cutem unguentis & linimentis renovantes*, qui trigeſimo primo Emblemate repræſentantur, unde colligitur Auctoris ætate, anno ſcilicet 1539: utramque curandi morbi methodum in Gallis uſu vulgo receptam eſſe.

Demum monet Auctor in Epilogo *dulce* & *utile* in opere ſuo miſceri; *Dulce* quidem quia gratum erit ad varias ægritudines attendere, quibus male habent, qui ex lue venerea ægrotant. *Les uns*, inquit Auctor, *bouttonnantz; les aultres refonduz & engraiſſez; les aultres pleins de fiſtules lacrimantes; les aultres tous courbés de gouttes noueés; les aultres eſtantz encore aux faulxbourgz de la Verolle, bien chargez, de chancres pourreaulx, filetz, chauldes-piſſes boſſes chancreuſes, carnoſitez ſuperflues & aultres menu ès drogues, que l'on acquiert & amaſſe au ſervice de Dame Paillardiſe.* *Utile* vero quia aliena exempla cautiores Lectores facient. *Si tu es homme de bon entendement*, inquit Auctor, *& bien reduict a honnetete & raiſon, à l'exemple des malheureux qui tombent par leur luxure diſſoluë aux accidentz deſſuſdictz, tu eviteras telz dangiers & inconveniens de ta perſonne.*

1539. Jacobus Sylvius, Ambianus, vel potius Diœceſeos Ambianenſis, e pago qui *Leuvilly* vocatur, in literarum humaniorum ſtudio diu verſatus eſt, magiſtro primum,
1541. deinde impulſore fratre ſuo germano Franciſco Sylvio; ſed Grammaticæ, quam in Collegio Tornacenſi Lutetiæ diu docuerat pertæſus ad Medicinam ſe applicuit, quam ſuo-
1555. pte ingenio adiddicit, nullo uſus præceptore. „ Hippocrati & Galeno legendis, interpretandis, vertendis ſedulo invigilavit, Anatomen & Pharmacopœam diligenter „ excoluit, priuſquam ad docendum ſe compararet. „ Sed demum cœpit pacto Minervali „ annis duobus univerſam Medicinam ex Hippocratis & Galeni Libris Philiatris explicare, *non* tanta quidem celebritate famæ, ut ad eum audiendum ex omnibus Europæ partibus innumeri auditores confluerent „ quemadmodum Renatus (*a*) Moreau intemperantius exaggerat, ſed ea tamen, quæ Medicos Facultatis Pariſienſis ſollicitaverit, quos fatetur (*b*) Renatus Moreau „ infenſos illum habuiſſe & adverſos, ut „ qui ſine animi acerbitate cernere non poterant novum hominem laurea doctorali non „ donatum, nulla in academia probatum, contra majorum inſtituta in celeberrima totius regni civitate docendæ Medicinæ provinciam adminiſtrare. „ Quamobrem, ut „ a moleſtiis ſe vindicaret „ cogitavit Sylvius de laurea doctorali adipiſcenda apud Monſpelienſes Medicos (qui apud exteras regiones auctoritate & gloria plurimum valebant) & anno vigeſimo nono poſt ſequi-mileſimum in Montem-peſſulanum profectus, & ibi aliquandiu commoratus Doctoris honores & inſignia obtinuit anno 1530, vel 1531.

Haud me quidem fugit narrari a Renato Moreau, Doctore Medico Facultatis Pariſienſis, qui pleraque Sylvii Opera collegit, edidit, auxitque Auctoris vita; Sylvium mutato conſilio, neglectaque Doctoris Monſpeſſulani laurea, Lutetiam rediiſſe. Sed certus ſcio Renatum Moreau erraſſe tota via, & erraſſe ſcientem, quod utrumque paucis me probaturum confido, atque una eademque opera (*c*) reſponſurum votis, ſeu potius inſtigationibus Anonymi, cujus ſunt Criticæ illæ adnotationes in Dictionarium Petri Bayle, quæ in Editione Trivultienſi ſingulis extremis Dictionarii Tomis adjectæ ſunt.

Nam 1°. Conſtat ex Actis Facultatis Medicæ Monſpeſſulanæ, *Jacobum Sylvium Diœceſeos Ambianenſis inſcriptum fuiſſe die 20 Novembris anni* 1529, *& elegiſſe in patrem*, (hoc eſt in futurum præſidem) *D. Schyronium.*

2°. Conſtat ex Actis iiſdem „ *Jacobum Sylvium factum fuiſſe Baccalaureum die penul-*

(*a*) Renatus Moreau, in Vita *Jacobi Sylvii*. (*b*) Renatus Moreau, in *Vita Sylvii*.
(*c*) *Voyez* les Remarques du Tome V. au mot. *Sylvius*.

„ *penultima menſis Novembris anni* 1529, *præſide aut patrono Reverendo Medicinæ Docto-*
„ *re D. Johanne Schyronio.*

3°. Conſtaret pariter ex illis Jacobum Sylvium ad Doctoratus gradum promotum fuiſſe, niſi Acta anni 1530 & annorum decem ſequentium jam dudum intercidiſſent. At vero quod diſerte non probant Acta Facultatis Monſpeſſulanæ, probant evidenter Acta Facultatis ipſiuſmet Pariſienſis, quibus conſtat „ *Magiſtrum Jacobum Sylvium die* „ 28. *Junii anni* 1532„ *Magiſtro Huberto Coquiel Decano*, *ſupplicuiſſe* quidem *pro Bacca-* „ *laureatu*„ ad quem videtur deinde admiſſus fuiſſe; ſed quibus ſimul conſtat illum nullum ulteriorem gradum in eadem Facultate neque petiiſſe, neque obtinuiſſe, & inter Licentiandos, Licentiatoſve nunquam connumerari, quod argumentum valentiſſimum eſt.

4°. Imo vero, quod decretorium eſt, quibus conſtat expreſſe eum Doctorem Facultatis Monſpeſſulanæ fuiſſe, quippe in quibus legitur totidem verbis, „ *die* 27. *menſis Januarii* „ *anni* 1535, *Magiſtro Tagaultio Facultatis Decano*, *ſtatutum fuiſſe congregatis Doctori-* „ *bus*, *ut qui extra Scholas Medicinæ profitebantur*, *poſſent deinceps legere in ſcholis*, *&* „ *mercedem ſuorum laborum ibidem*, *ut & alibi*, *a ſcholaſticis accipere*. *Hoc* „ *autem ſtatutum eſt propter Johannem Fernel*, *qui legebat in Collegio Cornua-* „ *le*, *& Jacobum Sylvium Baccalaureum ſcholæ Pariſienſis*, *&* * DOCTOREM MONTISPESSULANI, *qui Medicinam profitebatur in Collegio Tricquet.*„

Proinde recte ſentit Franciſcus Ranchinus, qui in *Catalogo Doctorum Monſpelienſium*, Jacobum Sylvium inter Facultatis illius Doctores connumerat. Hallucinantur vero Johannes Riolanus qui *Anthropographiæ L.* 1. *C.* 19. Renatus Moreu, qui in *Vita Sylvii* quam editis a ſe ejus Operibus præfixit; Guillelmus Duval, qui in *Hiſtoria Collegii Regii Franciæ*, gallice ab illo conſcripta, aliique Pariſienſes Medici, qui paſſim fere omnes in ſtudio incumbunt, ut ſibi ac Facultati ſuæ Sylvium, adſciſcant. Eſt autem mirandum a Medicis Facultatis Pariſienſis Sylvium, ex quo ad plures abiit, ambitioſe requiri, quem, dum viveret, illorum anteceſſores aſpere inſectati ſunt. Quid porro tamen? Quaſi vero plerique hominum ita non ſunt a natura comparati.

(*a*) *Virtutem in columem odimus*,
Sublatam ex oculis quærimus invidi.

Sed ut jam eo redeam, unde diverti, eodem tempore, quo Fernelius Medicinam docebat in Collegio Curioſolitico, ſed paucis ſtipatus auditoribus, Sylvius qui in Tricquetico profitebatur, diſcipulorum frequentia celebris fuit, ac tantam exiſtimationem privatis ſuis prælectionibus ſibi paravit, ut cum mortuo Rege Franciſco I. Vidus Vidius, Primus & Primarius Medicinæ Profeſſor in Collegio Franciæ Regio, in Italiam ſe recepiſſet anno 1548, ut narrabitur infra ad *annum* 1550, qui in ejus locum ſufficeretur nemo Pariſiis dignior habitus eſt, quam Sylvius. Hoc autem officium nedum ambivit ille, ut etiam ab Henrico II oblatum diu recuſaverit, ac per duos annos obluctatus regium profitendæ Medicinæ munus non prius aggreſſus ſit, quam anno MDL.

Multa, tum de anno quo Sylvius deceſſit, tum de numero annorum quos vixit, Auctores variant. Obiiſſe eum dicunt (*b*) Sammarthanus & Geſnerus anno 1554, natum annos LXII: Narrant vero Nizaldus Paſchalis Gallus. † Arrivabenus, Burgenſis, *La Croix du Maine*, anno 1555, ætatis LXXVII defunctum fuiſſe, quorum opinionum ideo potiorem eſſe duco, quod Alexander Arnaudus in Præfatione præfixa *Iſagoge in anatomicam partem Phyſiologiæ Hippocratis & Galeni*, quæ anno ipſomet 1555 edita fuit, ſcripto prodiderit Sylvium *jam decrepitæ ſenectutis* fuiſſe, cum mortem obiit, quod de Viro annorum 77 recte, ſed de Viro annos nato tantum 63, minus bene dici potuit.

† Hoc eſt. *Henricus Stephanus*

Sylvius nullum quidem ſpecialem Librum edidit de lue venerea, ſed pleriſque ſuis Operibus varia interſperſit loca ad id morbi genus ſpectantia, quæ tanto magis digna ſunt quæ adnotentur, quanto a doctiore Medico ſcripta certius patefaciunt qualis therapeia in Galliis primis morbi temporibus paſſim adhiberetur: Quod ut apertius innoteſcat, viſum eſt illa Sylvii Opera, ex quibus deſumuntur loca mox adducenda, eodem ordine recenſere, quo edita fuerunt.

Itaque I. Sylvius in lucem emiſit anno 1539 *Librum de ordine & ordinis ratione*

* Renatus Moreau, dum laudatum locum ex Actis Facultatis ſuæ ipſe tranſcripſit in *Vita Sylvii*, verba illa duo *Doctorem Montiſpeſſulani*, quæ majoribus literis ſcripta ſunt, peſſima fide ſuppreſſit, ut negare poſſet Jacobum Sylvium ad Doctoris gradum in Facultate Monſpeſſulana promotum fuiſſe, atque ea de cauſa in Medicos, qui tunc temporis in Montepeſſulano profitebantur, & qui ipſo longe meliores erant, indecore deblateraret.

(*a*) Horatius, *Lib.* 3. *Od.* 24. (*b*) Vid. *apud Renatum Moreau* adductos ſingulorum locus.

in legendis Hippocratis & Galeni Libris, qui Lutetiæ excuſus eſt apud Andream Wechelum, *in* 8°. in quo dum verſatur in enumerandis diverſis Medicinæ partibus, ait „ quoſdam ſcrupuloſius dividentes tot propemodum Therapeuticæ partes adſcripſiſse, quot „ ſunt corporis partes & harum morbi, quales ſunt *Ophtalmice*, oculorum morbis Proſpiciens; *Odontice*, dentium; *Cynanchice*, cynanchis; *Pleuritice*, Pleuritidibus; *Paracentice*, id eſt punctoria in Hydrope & Suffuſione; *Tomice*, id eſt inciſoria in Hernia; „ *Lithotomice*, quæ calculum veſicæ, & ut docet Hippocrates, renum quoque exſecat; „ *Hedrice*, quæ affectibus ſedis medetur; *Arthritice*, arthritidibus; & quæ haud ita pridem inventa eſt miſeris mortalibus ægris *Hidrotice*, ſudatione (*a*) morbum ſeptentrionalem, quo non eſt peſtilentior alter, curans; ſcripta (*b*) a Jacobo Caſtrio, (*c*) Haſebrocano, Antuerpienſi Medico. Ne interim omittam, *pergit Ille*, quæ annis circiter quadraginta ante Hidroticen inventa eſt, *Aleipticen*, hoc eſt Unctoriam, quæ luem „ initio Hiſpanicam, nunc vero toti orbi communem & publicam, ipſa Elephantia multo ſeviorem, multis alioqui ſymptomatis illi ſimilem, curare conatur unguentis ex „ Argento vivo, & aliis quibuſdam: cujus hodie quæſtus eſt longe uberrimus, ſibique „ adjunxit magna ex parte *Leptodieteticem*, cum Ligni Guajaci decocto; & interdum *Thymiamaticen*, hoc eſt ſuffitu quodam ex Argento vivo & ſulphure ſimul uſtis curatricem; cujus partis Aleiptices immenſa hodie volumina plena invenias, ut etiam parva „ urbe, atque adeo villa Aleiptes aliquis peritus & reunctor vivere etiam laute ſuo lucro „ poſſit, cum a dictis nuper therapeutices particulis, Ophthalmice, & ceteris aliis dicti Medici, jam inde a Galeni ætate vivant Romæ tantum & Alexandriæ & Pariſiis, „ & in aliis ſolum magnis urbibus; parvas vero ſæpe mutare cogantur.

II. Vulgavit Sylvius anno 1541. *Methodum medicamenta componendi ex ſimplicibus, quatuor Libris diſtributam*, quæ excuſa fuit Lutetiæ apud Andream Wechelum, *in* 8°. & cujus *Lib. II.* leguntur ſequentia. „ Lignum Guaiaci, (quod vocant) Scabiem Hiſpanam tota „ ſua ſubſtantia ſanare quibuſdam videtur, cum tamen in eo ſapor ſit amarus & acer „ non invalidus, unde vim habet incidendi, tenuandi, tergendi & purgandi, per quas „ facultates vacuat urinis, ſudore, vomitu, dejectione, inſenſibili tranſpiratu, putrem ex „ contagione materiam: ſæpe tantum ſpirituoſam, cum recens eſt contagio, nec vehemens, & ſpiritus affici contumaces; ſæpe ſimul etiam humidam, cum in vaſa ipſa & „ corpus mali labes jam graſſatur. Cui corruptelæ niſi occurratur per alterantia & vacuantia, etiam in partes ſolidas impetus fit, eaſque putredo occupat, ferro ſæpe & cauterio tantum curabilis. Neque victus tenuis & tenuans, catapotia Ægidiana, (*fere eadem, ut opinor, quę Pilulę Barbaroſſę*) aut illitus ex Argento vivo, ſuffitus ex „ cinnabari factitia, vel herbarum digerentium & tenuantium decocta, (quæ ſunt alia „ hodie conſuetiſſima mali hujus remedia) ratione alia, quam corruptæ hujus materiæ totius vacuatione luem iſtam perſanant.

III. Prodiit poſt mortem Sylvii Lutetiæ anno 1555, *in* fol. apud Johannem Hulpeau illius *Iſagoge in Hippocratis & Galeni Phyſiologię partem anatomicam*, in cujus Præfatione ſequentia ſcripta ſunt de Lue venerea „ Paulo ante noſtram ætatem, „ inquit, Sylvius, dum de morbis novis verba facit, „ morbus maxime pernicialis & contagioſus, „ Elephantiæ ſymptomatum ſævorum magnitudine propinquus, Europam prius pervaſit „ ex Orbe novo invectus, ut docte probat Manardus, ætate noſtra Medicus longe diligentiſſimus; nunc etiam tenet Aſiam & Africam. Noſtra denique memoria, *pergit Ibidem*, morbus neſcio quis ſudatorius ex Britannia in Germaniæ loca quædam „ maritima pervaſit, acutiſſimus & corrupto cœli tactu epidemius magis, quam nuper „ dictus contagioſus, „ ſcilicet quam lues venerea.

Ex allatis locis colligere facile eſt, ut modo dicta omittam, quæ a Sylvio de origine & natura morbi ſcripta ſunt, therapejam luis venereæ per illitus mercuriales in Galliis ab ipſo morbi ingreſſu non modo receptam fuiſſe, ſed etiam longe ante annum 1539 ita pervulgatam, *immenſa volumina illius plena eſſent*, & vix urbs ulla eſſet *tam parva, in qua Aleiptes aliquis peritus non occurreret*.

1540 JOSEPHUS STRUTHIUS, Polonus Poſnanienſis, Medicinæ tirocinium poſuit Patavii, ubi

(*a*) Morbus ille Septentrionalis erat Febris Sudatoria ſeu Anglica, quę tunc Britannia in Germaniæ loca mari Baltícho finitima pervaſerat. Vid. infra, *Artic. III.*

(*b*) Jacobus ille Caſtrius ſcripſerat *Epiſtolam de Sudore epidemiali, quem* Anglicum *vocant, ad Medicos Gadenſes* quæ excuſa erat Antuerpiæ, anno 1529. *in.* 8.

(*c*) Vel potius *Haesbrecano*, hoc eſt, nato in oppido Flandriæ, quod *Haeſbreuc* vocatur, & non longe diſtat a Casleto, vulgo *Caſſel*.

ubi Doctor renuntiatus eſt, & ubi (*a*) *anno 1635 artem medicam ſtipendio Senatus Veneti publice profiteri* cœpit; de quo tamen (*b*) Nicolaum Comnenum Papadopoli dubitaſſe ſcio. Quamdiu autem profeſſorio munere ibi defunctus fuerit non liquet; liquet tantum anno 1540 adhuc illo functum fuiſſe, cum prima prodiit editio *Artis ſphygmicæ* ab illo conſcriptæ & Baſileæ eodem anno typis excuſæ, quippe dicitur Liber ille a Profeſſoribus Patavinis ita laudatus, ut intra paucos dies 800. exemplaria diſtracta fuerint.

Inde reverſus in Patriam medicinam cum laude Struthius factitavit Poſnaniæ, unde fit ut varia referat de pulſibus a ſe Poſnoniæ obſervata (*c*) in *Shaſco quodam, hiſtrione apud Andream, Comitem de Gorca, Virum inter omnes Poloniæ proceres primarium; & in viro provectæ jam ætatis Jacobo Broſovio, de Ordine Cruciferorum Beatę Virginis.*

Conſtat circa idem tempus (*d*) Struthium *Budam in Hungaria* evocatum fuiſſe * *a Regina Iſabella*, nempe uxore Johannis de Zapolia, Tranſylvaniæ VVaivodæ, qui Rex Hungariæ electus fuerat anno 1526, poſt obitum Ludovici II. ſeu junioris, & filia Sigiſmundi I. Regis Poloniarum, & Bonnæ Sfortiæ: Imo etiam aliquandiu commoratum fuiſſe Conſtantinopoli (*e*) *apud Imperatorum, Turcarum, Sultanum Soluimanum*, quem ille *Sachum* dicit, ſed quæ fuerit commorationis cauſa, ignoratur.

Teſtatur (*f*) Starovolſcius, & cum Staravolſcio (*g*) Mercklinus & (*h*) Mangetus Sthruthium Archiatri munus obtinuiſſe in aula Sigiſmundi Auguſti, Poloniæ Regis, qui defuncto Patri Sigiſmundo I. ſucceſſit anno 1548.

Mortem obiit Struthius anno 1568, ætatis anno 58, ſecundum Starovolſcium, ſed contra cujus teſtimonium multa pugnat, nempe 1°. Quod tunc Sthruthius, alienigena & vix annos 25 natus, a Senatu Veneto electus fuiſſet anno 1535 ad profeſſorium munus in Academia Patavina, doctiſſimis Viris refertiſſima, & *cui* ut (*i*) Struthius ipſe teſtatur, *Deus tot nationum ingenia erudiendi, expoliendique faculutatem conceſſerat*. 2°. Quod Struthius profiteatur ipſe in altera Libri ſui *De arte Sphygmica*, editione, quæ Baſileæ prodiit anno 1555, ſe (*k*) *in arte medica & ejus operibus verſandis conſenuiſse*, cum hoc anno 1555, vix apud quadrageſimum quintum ætatis annum attigiſset, ſi reipſa annos tantum 58 numeraverit anno 1568, quo mortuus dicitur. Verum utrumque hunc nodum expedire facile eſt, ſi fides adhibeatur, ut par eſt, (*l*) Epithaphio Struthii, quod Poſnaniæ in templo majore legitur, & in quo diſerte ſcriptum eſt Sthruthium obiiſſe anno 1568, natum annos 68, ſiquidem ea computatio allatis appoſite ſatisfacit.

Scripſit Struthius eruditum Tractatum de Pulſibus, cui ſequentem titulum adſcripſit

Sphygmicę artis, jam mille ducentos annos perditę & deſideratę Libri V. Baſileæ 1540 in 8°.

qui iterum excuſus fuit ibidem anno 1555, iterumque anno 1602.

In hoc opere agit Struthius, *Lib. IV. Capite* 35. *De morbi gallici pulſu*, aitque *in Morbo Gallico inveterato pulſus eſſe parvos, tardiores, rariores, languidos*, quorum cauſam deducendam eſſe arbitratur ex prædominio *frigidi & plegmatici humoris*, quem putat *pabulum eſſe hydræ hujus Lernęæ*. At vero contra ſtatuit, *quod ſi febricula accedat, ut ſæpe fit putreſcente eodem plegmate crebriores tunc eſſe pulſus & celeriores, ſi licebit per facultatem*. Hæc autem utcumque exigua & vulgata, digna tamen viſa ſunt Aloyſio Luiſino, quæ Collectioni Venetæ anni 1566 inſererentur; unde factum ut in poſterioribus Collectionis illius editionibus, nempe Veneta altera anni 1599, & Lugduno-Batava anni 1728 reperiantur.

In illo Struthii libro obviæ occurrunt Obſervationes geminæ, quas referre non pigebit, licet ab inſtituto alienæ ſint. Altera quidem probatur lætitia immodica mortem inferri poſſe. *Nos ipſi comperimus*, (*m*) inquit Struthius, *Matronam in Polonia nobilem, provectę jam ętatis, cum filium cerneret ad ſummum dignitatis gradum evectum, ſtipatum caterva Magnatum, qui eum honoris cauſa comitabantur, præcedebant, & ſequebantur, pręterire in ęquo ædes ſuas, prę lętitia viribus fuiſſe deſtitutam & poſt complures*

(*a*) Sphygmic. Art. *Lib.* 1. *Cap.* 1. *Et Lib.* 2. *Cap.* 4. (*b*) Hiſtor. Gymnaſii Patavini *Tom.* 2. *pag.* 219.
(*c*) Artis Sphygmicæ *Lib.* 2. *Cap.* 4. (*d*) Ibidem.
* Quæ mortem oppetiit anno 1558. (*e*) Ibidem.
(*f*) In *Scriptorum Polonicorum* ἑκατοντάδε (*g*) In *Lindenio renovato*.
(*h*) In *Bibliotheca Medica*.
(*i*) In *Epiſtola Nuncupatoria Tractatus de Arte Sphygmica* ad Scholam Philoſophorum & Medicorum Patavinorum, *Editioni Baſileenſi anni* 1555 *præfixa*.
(*k*) Lib 5. Cap. 16.
(*l*) Apud Nicolaum Comnenum Papadopoli. *Hiſtor. Gymnaſ. Patavini*. *Tom.* 2. *pag.* 219.
(*m*) Lib. 4. Cap. 13.

dies mortuam. Cujus rei exempla leguntur apud Valerium Maximum, *Lib. IX. Cap. XII. artic. II. & III.* Indicatur vero altera pulſum arteriarum ex amatorio pathemate magnopere variare. (*a*) *Memini*, inquit Ille, *me jam olim pulſus amoris primum experimentum feciſſe in uxore cujuſdam Viri nobili, quam ſubolfeceram adulteri amore fuiſſe correptam, ſed neſcivi quis eſſet. Cum aſſiderem quadam die ei fœminæ, cœpi de induſtria percunctari res plurimas ab ea, quarum cognitio ad curandam eam .... videbatur eſſe neceſſaria: interim vero manum ejus adtrectabam & tangebam arteriam interpollatim. Inſinuavi etiam mentionem multorum hominum coram ipſa, quos nominatim recenſebam. Cum vero inter ceteros nominavi eum, quem ipſa deperibat, cœpit illico pulſus variari, ac ex naturali fieri multo minor, celerior, crebrior & languidior; ſed in iis omnibus inæqualiter, commutans ſine ullo ordine pulſus parvos in magnos, debiles in languidos, & viciſſim hos in illos, ſimiliter & celeres in tardiores, crebriores in rariores & e contra. Perſeveravit vero ea pulſuum immutatio aliquouſque nec cito deſiit. Ac ergo*, pergit Ille, *tum conjectura ſum aſſecutus illum ipſum fuiſſe ejus adulterum, ad cujus commemorationem ipſa tantum expavit & pulſus perturbavit.* Non diſpari artificio narrant (*b*) Eraſiſtratum magni nominis Medicum olim ex pulſu detexiſſe quanta animi impotentia Antiochus Strathonicem deperiret, ſocrum ſuam, uxorem Seleuci Nicanoris Regis Syriæ.

Refert (*c*) Tullius ſe *neminem cognoviſſe Poetam, qui ſibi non optimus videretur*. Idem, ſi non de cunctis Medicis, quod nefas, at certe de Struthio vere dici potuit, qui de ſuorum præſagiorum veritate ſibi plaudit ipſe αὐθαδῶς tanquam certiſſimus Medicinæ vates, & (*d*) *Phœbo digna locutus*. (*e*) *Notum eſt*, inquit, *lippis & tonſoribus mea Prognoſtica vera eſſe ubique, ut abierit in Proverbium apud multos: Quem Struthius morti adjudicat, moriendum eſt illi certo; cui ſalutem promittit, evadet.*

Non celat ille artis præcepta, unde ſua capiebat morborum præſagia, & quibus ait *Lib.* 1. *Cap.* 1. „ *ſe acceptum referre quidquid ipſe auctoritatis apud populares ſuos & exteras na-* „ *tiones, quidquid invidiæ apud æmulos*, quidquid opum & divitiarum adeptus eſt, quibus „ ſe abundare, ne Dei beneficio ingratus eſſe videatur, inficias ire non vult. „ Sed hæc præcepta neque nova ſunt, neque tanti ponderis, ut hinc fatidicas ſuas præſagitiones certiſſime deducere potuerit, atque illam ſibi comparare celebritatem, de qua gloriatur.

Ceterum nomen illud, *Struthius*, Στρόθιος, quod Auctor ſibi adoptavit, pro more ſua ætate recepto, Græcum eſt, ac *Paſſerem* ſignificat, ſeu potius id quodcunque ad Paſſerem pertinet & *Paſſerinum* latine dici poteſt, unde fit ut nullus dubitet, quin Polonice vocatus ille fuerit nomine, quod ad eadem ſignificationem alluſerit.

DIONYSIUS FONTANONUS, Monſpeſſulanus, florebat in Montepeſſulano anno 1526.
1540. Obiit poſt annum 1544. De eo plura in Hiſtoria noſtra Scholæ Medicæ Monſpeſſulanæ brevi edenda. Notari velim hunc alterum eſſe Medicorum Monſpelienſium, & tertium Medicorum Gallorum, qui de lue venerea ſcripſerit.

1550. *Practica Medica, ſive de morborum internorum curatione Lib. IV.* in lucem dati a Johanne Renerio, Lugduni anno 1550. in 8.

Libro primo hujus Operis, *Capite octavo*, quæſtio eſt de *Cephalalgia a Morbo Gallico*, ad cujus curationem Fontanonus proponit, 1°. Alterantia & purgantia multigena, 2°. Decoctum ligni ſancti potandum per aliquot dies. 3°. Emplaſtrum ex multis conſtans remediis, ſed præſertim ex emplaſtro nobili Johannis de Vigo, cui ineſt Mercurius, quo *in alutam extenſo fingitur pileolus capiti dolenti ſuperponendus.*

Notandum eſt *Dionyſium Fontanonum*, *Monſpelienſem*, inter Medicos ætatis ſuæ haud incelebrem, & tum *Practica* ſua *medica*, quæ pluries typis excuſa eſt, tum Bibliographorum ferme omnium teſtimonio notiſſimum, dici per errorem in Editione Lugduno Batava Collectionis Aloyſii Luiſini, *Dionyſium Fontaninum*, *Monſpudienſem*. Sentio probe hoc mendum typographorum incuria irrepſiſſe, ſed de errato ideo monere viſum eſt, ne Medici, quibus in manus Editio Batava venerit, recentioris editionis Auctoritate
1540. in errorem inducantur.

NICOLAUS MICHEL, Doctor Medicus, Decanus Facultatis Medicæ Pictavienſis, Tractatum Alfonſi Ferri, quem gallice vocat *Ferrier*, ſed ſatis inepte, gallicum fecit, ſcholia
1546. ſingulis Capitibus adjunxit, verſionem ſuam excudendam curavit Pictavii cum hac inſcriptione.

Bibliothe. Mazarinæ. *De la adminiſtration du Sainct Bois, en diverſes formes & manieres, contenues en quatre Traitez: Enſemble la forme de miniſtrer du vin, fait par Alfonſe Fer-*

(*a*) Ibid. Cap. 14. (*d*) Plutarch. *in Demetrio*. Valerius Maximus. *Lib.* 5. *Cap.* 7. Appian. *in Syriacis*. Galenus, *De præcognitione* ad Poſthumum, *Cap.* 6. &c. (*c*) 5. Tuſculan. 63.
(*d*) Virgil. 6. *Æneid.* 662. (*e*) Artis Sphygmic. Lib. 5. *Cap.* 16.

Ferrier Neapolitain, docte Medicin & premier Chirurgien du Pape Paule tiers, Traduict de Latin en Françoys par Meſſire Nicoles Michel, Docteur & Doyen en la Faculté de Medecine à Poictiers; Avec aulcunes briefves ſcholies, de nouveau inſerées es lieux les plus difficiles, non encore imprimées. On les vend à Poictiers, a l'enſeigne du Pelicam, MDXL in 12. *Imprimé à Poictiers par Jehan & Enguilbert de Marnef, freres demourans à l'enſeigne du Pelican*.

Interpres verſioni ſuæ præpoſuit Epiſtolam ad Chirurgos Pictavienſes, quos *charos amicos*, *& fratres ſuos* vocat, in qua ſequentia notatione aliqua digna ſunt. Placuit autem ideo illa idiomate ipſo gallico priſco, quo ſcripta erant, referri, ne quid orationis vehementiæ & acrimoniæ additum eſſe videri poſſit.

„ Ce, mes freres, m'a incité vous préſenter ceſtuy profitable livre de language latin en maternel francoys, à cauſe que le laps du temps a immué les choſes, car comme du „ premier (*a*) la Medicine fut en tout conduicte par meſmes hommes, la manuelle ope- „ ration a eſté laiſſee à aucuns mediocrement doctes, qui par ce ſe ſont appellez Chirur- „ giens, ainſi que voyons les Oculiſtes, Tireurs de dents, Reparateurs de fractures & „ dislocations, Inciſeurs de la veſſie, & autres ſemblables œuvres diſſonantz à noble art. „

„ II. Le mal de Naples eſt traité par gens, qui n'on apris fors vuyder les bources & „ operans ſans art, gens incogneuz & eſtrangiers, recueillantz grands profitz de ce qu' „ ilz ignorent..... Et à preſent ſont en admiration telz monſtres, voyre les viles fem- „ mes & cantonnieres, tyriacleurs & coureurs, qui veulent avoyr bruyt d'ung ſeul, que „ nature aura cure ou fortune, & en auront occis cent, aulcuns en brief eſtouffez, aul- „ tres puys avoir longuement ſouffert la tyrannie de ces feſtinateurs, periſſent en grand „ douleur & angoiſſe. „

„ III. N'eſt celluy digne de nom de Medecin, qui n'a aprins les deux voyes, qui „ ſont les deux inſtrumens de l'art (dict Galen), car la Medecine eſt (*b*) ung manteau „ de raiſon, fourré d'experience, & convient au Medecin les deux apprendre, ung „ aprez l'autre ſans confuſion, & les joindre, où la choſe le requiert.

„ IV. Tant d'abuz (mes freres) ont eſté commis en la cure de ce mal, qu'on eſt „ injurié eſtre appellé *panſeur de groſſe verole*; non que ce ne ſoit vraye diſcipline apol- „ linée, mais pour les abuz qu'ont commis telz intoxiquateurs, qui par doulx langua- „ ge enveniment premier les aureilles, puys la bource, finablement le corps.

Prodiit iterum Liber idem Pictavii apud eoſdem anno 1546, auctus nova Diſſertatione ad calcem adjecta & ſic inſcripta.

Pour noſtre Ferrus avons à répondre à aulcuns Cavillateurs, (ainſi qu'avons promis au commencement du quatriéme Libre) autrement de ſinguliere érudition. Bibliothec. Regia & Sloaniana.

In qua Alfonſum Ferrum ab iniquiore cenſura Antonii Galli conatur vindicare, cujus Liber *de ligno ſancto non permiſcendo* in lucem emiſſus fuerat Pariſiis, anno 1540, eodem circiter tempore, quo prior editio Tractatus Alfonſi Ferri a Nicolao Michel gallice verſi.

ANTONIUS GALLUS, Pariſinus, Doctor Medicus Facultatis Pariſienſis.

De ligno ſancto non permiſcendo: Idem *in imperitos fucatoſque Medicos*. Pariſiis, *apud Simonem Colineum*, Pariſiis 1540. in 8. Bibliothec Regia.

Hoc Opus Capita ſex complectitur, quorum *primo* agitur de natura & origine morbi, quem Auctor *luem Hiſpanicam* vocat; *duobus* ſequentibus de Hydrargiro & Hydrargyri, uſu ad curationem morbi illius; *tribus* ultimis de natura, indole & adminiſtratione ligni ſancti, quod *remedii genus admixtionem nullam recipere* contendit in *ſexto*, unde factum ut Tractatus inſcriptus fuerit *de ligno ſancto non permiſcendo*.

Gallus, dum de uſu hydrargyri diſſerit, multa proponit præparata ex hydrargyro, quæ interne adhiberi poſſunt, ut *Cinabrium*, quod a Serapione cognitum fuiſſe ait; *Præcipitatum rubrum*, a Johanne de Vigo *Mercurium rubrum*, a Nicolao Maſſa *Pulverem angelicum* dictum; denique *Præcipitatum rubrum ſolare*, quod *ab amico quodam Alchimiſta* (*ut vulgo vocant*) *magnis profecto precibus ſe vix extorſiſſe* narrat.

At vero aperte confitetur mercuriales illitus interno uſui præparatorum ex hydrargyro multum præſtare, quorum tamen pravos effectus non diſſimulat. „ Linimentis, *inquit*, „ injiciendum eſt Hydrargyron, lavacro (*lotione*) vel illo ſublimatu (*revivificatione*) „ præparatum, aut ſimpliciter etiam quodvis exanimatum (*extinctum oleo Amygdalarum* „ *amararum, aut jejuni ſaliva*) licet ipſum non ignorem haud levi injuria ſic curatos affice- „ re, ut morbo favere potius, quam eum amoliri interdum videatur. Siquidem noxis innu-

(*a*) Galenus, 6. *Therap.* (*b*) Galenus, 2. *Therap.*

„ innumeris fatigare conſpicitur; hoc enim gingivæ ſolvuntur, ac propemodum exeduntur; tonſillæ tument; labant dentes; ori tetrum halitum parit, viſum ſuffundit, obeſt auribus, tremula reſolutaque membra detinet, oſſa corrumpit, pulmones denique tabefacit, principeſque omnes partes inficit & oblædit. Quapropter temeraria multis putatur hæc medicina, nec minus ipſo morbi impetu reformidanda, ſine qua tamen Patrum memoria neminem unquam rectæ ſanitati reſtitutum conſtat. Nam ut in quibuſdam forte felici ſucceſſu non fit reſponſum curantis vel imperitia, vel decumbentis vitio, vel certe mali pervicacia, innumerabiles tamen hoc uno remedio curatos, nullo relicto veſtigio, cognovimus, ut plane Amuletum hujuſce luis credi oporteat, quaſi Antipharmacon Alexiterion. „ Nemo autem abſque uno hoc auxilio ſanitati redditus eſt, niſi poſtmodum ligni ſancti ope divina, cujus efficaciam in profliganda radicitus lue Hiſpanica mirum in modum ille deprædicat, modo cum ligno, dum decoquitur, nihil quidquam permiſceatur, in quo Alphonſi Ferri opinionem aperte impugnat.

Palam eſt ex Henrico Garetio Antonium Gallum & Pariſiis Medicinam feciſſe, & inter Pariſienſes Medicos celebrem fuiſſe. (*a*) Narrat enim ille Petrum Bruheſium, Medicum Eleonoræ, Chriſtianiſſimæ Francorum Reginæ, & Caroli V. Imperatoris ſororis, in Belgio poſt obitum Franciſci I. cui nupſerat, degentis, Lutetiam ad Antonium Gallum, Jacobum Sylvium & Johannem Fernelium ſcribere juſſum eſſe, ut eorum conſilia exquireret de adverſa valetudine *Ludovici a Flandria, Domini Prati, arthritide vaga & anomala dudum laborantis.

Idem liquet ex Roberto Lyonnet, Anicienſi, qui in *Epiſtola nuncupatoria Diſſertat. De Morbis hæreditariis*, ubi celeberrimos omnis ævi Medicos Pariſienſes enumerat, Antonii Galli mentionem facit, quaſi Fernelio ſupparis. Conſtat autem ex Theoderico de Hery (*b*) Antonium illum Gallico nomine dictum fuiſſe le *Cocq*, ut ille Paſchalis Gallus, qui *Bibliothecam Medicam* ſcripſit, nomen habuit *Paſchal le Cocq*, qua de re vide (*c*) Citeſium.

Hic autem Gallus idem ipſe eſt, qui, ut ferunt, (*d*) in conſilio Medicorum de reſtituenda valetudine Franciſci I. Galliarum Regis lue venerea infecti, cum Fernelius uſum ſuaderet ſuæ Opiatæ anti-venereæ, cui plurimum, ſeu ut verius dicam, cui niminm fidebat, contra tenuit inunctionem mercurialem præferendam eſſe, in hæc verba erumpens: *Inungatur*, ſeu ut ipſiſſimam vocem uſurpem, *Frottetur*, *ut viliſſimus quiſque e ſuo regno*, *cum nec diſpari modo contaminatus fuerit*, quam tamen loquendi libertatem aiunt a Rege haud iniquo animo latam fuiſſe.

1541. Remaclus Fuchsius, Limburgus. Frater (*e*) Gilberti Philareti, *Canonicus fuit ad ſanctum Paulum Leodici*, ubi deceſſit anno 1586, vel ut alii volunt 1587, 12. Calendas Januarii.

Biblioth. Sloaniana. Præter alia Opera conſcripſit Librum de lue venerea cum ſequenti inſcriptione.

Morbi Hiſpanici, *quem alii* Gallicum, *alii* Neapolitanum *appellant*, *curandi per ligni Indici*, *quod* Guaiacum *vulgo dicitur*, *decoctum*, *exquiſitiſſima Methodus: in qua plurima ex veterum Medicorum ſententia*, *novi morbi curationem magis abſolutam*, *medica theoremata excutiuntur*. *Auctore Remaclo F. Limburgenſi*, Pariſiis *apud Chriſtianum Wechelum*. *MDXLI*. in 4.

1541. 1559. Gualtherus Hermannus Ryff. Argentoratenſis Poliatros, qui (*f*) *ab obitu Hieronymi Braunſchvveig* ſive Brunſvvicenſis, *Medici* non incelebris, *in illius ſucceſſit locum*, edidit Argentorati Librum ſequentem, anno 1541.

Neu erfundne und bevvahrte artzney, *nicht allein die Frantzoſen oder boſen blattern*, *ſunder auch andere ſchvvere Kranckheit*, *durch den gebrauch des Indianiſchen holtz*, Guaiacum, *oder Frantzoſen holtz zu heylen*. Strasburg. 1541. in 8. Biblioth. Mazarinæ.

Id eſt, *Nuper inventa & utilis Medicina ad curationem non modo Morbi Gallici ſive puſtularum malignarum*, *ſed etiam multorum aliorum morborum*, *per uſum ligni Indici*, Guaiaci *dicti ſive Ligni Morbi Gallici*, Argentorati, 1541. in 8.

Libri

(*a*) Paraceſve in Epiſtolas de Morbis Articularibus.

*Ludovicus ille a Flandria, Dominus Prati, id eſt, *de Praet*, erat Eques Velleris aurei; Hollandiæ Gubernator, primus Cubicularius Imperatoris Caroli V. ſummuſque Fiſci præfectus, atque pronepos Ludovici, filii nothi Ludovici III. Comitis Flandriæ. *Vide* l'Hiſtoire Genealogique & Chronologique de la Maiſon de France, & des Grands Officiers de la Couronne. *Tomo II. pag.* 767.

(*b*) *Methode curatoire de la Maladie Venerienne*. Pag. 17.

(*c*) Ad calcem Tract. De *dolore colico Pictonico*, *Pag*. 234.

(*d*) *Lettres de Gui Patin*. Tom. 1. Let. 133. (*e*) Valerius Andreas, in *Bibliotheca Belgica*.

(*f*) Johannes Georgius SchencKius, in *Bibliothec. Medic.*

Libri illius quatuor ſunt partes : In I. De natura , viribus , electione & præparatione ligni Guaiaci : II. De adminiſtratione decocti ex Guaiaco ad diverſos morbos ; III. De Morbo venereo ſive Gallico , & de efficacia Guaiaci ad illius curationem : IV. Demum de uſu vini in decoquendo Guaiaco . Unde facile colligere eſt hoc Opus , quod Gualtherus Hermannus Ryff quaſi ſuum edidit manifeſto plagio, ipſiſſimum eſſe Tractatum in quatuor libros diſtributum , *De ligni ſancti multiplici medicina & vini exhibitione*, ab Alfonſo Ferro ſcriptum, & typis excuſum , primo Romæ , anno 1537; deinde Baſileæ , anno 1538 ; & de quo ſupra *Pag. 669.* mentionem fecimus ad *annum* 1537.

Haud inanis eſt conjectura eumdem Gualtheri Hermanni Ryff librum iterum Baſileæ typis commiſſum fuiſſe anno 1559, cum ſequente (*a*) inſcriptione.

Frantzoſen Cur vermittelſt des Guaiaci, Baſel, 1559, in 8.

Id eſt, *Morbi Gallici Curatio ope Guaiaci*. Baſileæ, 1559. in 8.

Ceterum Liber ille inter cetera Opera Gualtheri Hermanni Ryff , a Simlero , Spachio, Gallo, Schenckio recenſetur : Omittitur vero a recentioribus Bibliographis Lindenio, Mercklino & Mangeto, unde liquet quam negligenter iſti ſe geſſerint in enumerandis libris germanice ſcriptis.

LEONHARTUS FUCHSSIUS, (*b*) Wemdingenſis in Rhætia , natus anno 1501 , Philoſophiæ & Medicinæ ſtudio operam dedit Ingolſtadii , ubi doctoris Medici gradum obtinuit anno 1524 , & Profeſſor Medicinæ conſtitutus eſt anno 1526. Onoltzbachium acceſſitus fuit anno 1528, ab Illuſtriſſimo Principe Georgio , Marchione Onoltzbachienſi , ad Medicinam in aula ſua exercendam ; ſed inde Ingolſtadium rediit anno 1533 , ad Profeſſorium munus revocatus , quo tamen defungi ei non licuit, ubi primum compertum eſt Lutheranæ religioni illum nomen addixiſſe . Itaque regreſſus Onoltzbachium , Archiatri dignitatem & officium habuit in aula Marchionum Brandeburgico-Onoltzbachienſium , donec anno 1535 publicus Medicinæ Profeſſor ab Ulricho , Duce Wirtembergico, inſtitutus fuit in Academia Tubingenſi , quam ſpartam coluit ad extremum uſque vitæ terminum, nec obtemperare voluit Coſmo Medicæo, a quo optimo ſtipendio in Piſanam ſuam Academiam invitabatur. Obiit anno 1566 , ætatis 65.

1542. 1535.

Fuchſius inter Opera alia diverſi generis, duo ſcripſit , in quibus occaſionem nactus eſt diſſerendi de Morbo Gallico, nempe *Paradoxorum Medicorum Libros III*, qui Baſileæ excuſi ſunt *apud Johannem Bebelium*, anno 1535 , *in fol*; & *de ſanandis totius humani corporis*, *ejuſdemque partium*, *tam externis* , *quam internis malis* , *Libros V*, qui Baſileæ *apud Johannem Oporinum* prodiere anno 1542. *in* 8.

In *Priore* contendit, *Lib.* 2. *Cap.* 17 , contra Symphorianum Campegium & Sebaſtianum Montuum , Morbum Gallicum novum eſſe : Anno ,, a Criſto nato 1493 apud ,, Neapolim primum irrepſiſſe : A Lichene & impetigine omnino diverſum eſſe.

In *Poſteriore* ſtatuit, *Libro quinto*, *Capite* 40, ,, Morbum Gallicum novum eſſe, o- ,, mnique ævo priore incognitum : Si recens ſit, levioribus ſæpe tolli remediis,,, quæ ,, paucis proponit: ,, Quod ſi vero is morbus jam longo tempore corpus infeſtavit, ad ,, ligni uſum, quod barbara gens, quæ nobis illud tranſmittit, vernacula lingua *Guaia-* ,, *cum* appellat, confugiendum eſſe , ,, cujus adminiſtrationem breviſſime explicat.

Ad calcem ejuſdem Capitis legere eſt in Editione Francofurtenſi anni 1604, quæ præ ,, manibus eſt, ,, multos eſſe qui hodie, (hoc eſt, *tempore quo ſcribebat Auctor*) in cu- ,, ratione hujus morbi non ſolum ligno Guaiaco , verum etiam radice Chinæ & Sarſa- ,, parilla non infeliciter utuntur, ſed ſe probare non poſſe eorum ſententiam, qui inun- ,, ctiones ex Argento vivo & id genus aliis confectas uſurpant , nam etſi vitium hoc ,, tollunt, tamen , *pergit Ille* , ita corporis vires perturbant , ut non ita multo poſt ,, in longe deteriores morbos labantur: ,, Quæ verba non occurrunt in Collectione Aloyſii Luiſini, cui Caput hoc ex laudato Fuchſii libro inſertum eſt, neque ſatis ſcio omiſſane in Collectione Veneta Auctorum Aphrodiſiacorum , an addita fuerint in Francofurtenſis Editione Operum Fuchſii .

MICHAEL ANGELUS BLONDUS , Italus , *militavit* (*c*) ut ipſe ait , *pleriſque annis ſub diſciplina Auguſtini Niphi* , hoc eſt, eo præceptore & magiſtro diu uſus eſt. 1532.

Scripſit Tractatum *de Origine Morbi Gallici*, *deque ligni Indici ancipiti proprietate*, qui 1555,

(*a*) In Catalogo Librorum VVolffgangi Mauritii Endteri, qui *Indici Decuriæ* 1. & 2. *Ephemerid. Germanicar.* poſtponitur.

(*b*) Ex *Oratione funebri* Leonharti Fuchſii , a Georgio Hizlero *habita* , & *Operibus Fuchſii præfixa*, in editione Francofurtenſi, *anni* 1604. (*c*) In Libro *de origine Morbi Gallici*.

qui anno 1542, in 8°. Venetiis excuſus fuit a Johanne Antonio, & Petro de Nicolinis ad calcem Tractatus *de partibus ictu ſectis citiſſime ſanandis, & medicamento aquę nuper invento*. Proſtat uterque Tractatus in Collectione Tigurina *Scriptorum optimorum de Chirurgia*, a Conrado Geſnero editorum, anno 1555. *in* fol.

Liber ille *de origine Morbi Gallici* brevis eſt, nullo ordine digeſtus, & ita obſcure ſcriptus, ut vix liceat interdnm Auctoris ſenſum aſſequi.

I. Ait Morbum Gallicum antiquitus notum fuiſſe, quandoquidem *Hippocrates & Galenus ſcripſerunt de omni ſpecie morborum, quibus humanum corpus ſubjicitur .... Antiquum ergo ſymptoma hoc; quod omnes etiam aſſerunt, qui de Lepra, Serpigine, Herpete, & ſimilibus ſcripſerunt, ut eſt Ægineta, aut etiam Cornelius* (Celſus), *qui de Elephantia .... Non dicamus*, inquit, *morbum ab Indis transfretaſſe ad nos, quoniam fatuitatem profitebimur dicentes.*

II. Confitetur ſe uſum fuiſſe *juribus Indici ligni* (Guaiaci) in Syphiliticis, ... *qui omnes prę tenui victu & inſubſtantiali potu tenuiſsimi & exangues deveniebant; ſed cum arbitrabatur liberos eſſe, ... tamen priuſquam luna complebat orbem ſuum, pleroſque comperiebat in graviorem recidiſſe morbum.*

III. Proponit ad curationem, 1°. *Regimen vitę in ſex rebus non naturalibus*. 2°. Remedia quædam ex alterantibus vulgaribus quæ mutuatur, ut ipſe refert, *a Johanne Almenar Doctore Hiſpano*, vel *ab Auguſtino Nipho*. 3°. Pilulas mercuriales quaſdam ex Mercurio crudo, moſcho, theo & ſcammonio confectas. Dicit *id remedii genus fuiſſe præſtans medicamen Barbarorum, quo ipſe (a) Teucrorum Rex frequenter uſus ſit*. Quem autem Rege illo Teucrorum intelligat vix ſatis capio, niſi forſan eo nomine deſignet Chairadinum Barbaroſſam Regem Algerii, de quo ſupra *Lib. II. Cap.* 7. & *Lib. V.* ad *annum* 1537, qui ſi non iiſdem, at certe haud valde diſparibus pilulis utebatur. 4°. *Præſidium*, ut ille loquitur, *quoddam familiare*, ſeu *cęleſte ex Pilulis de Hermodactylis majoribus cum parva portiuncula* præcipitati Mercurii rubri, cujus peculiarem quemdam proceſſum proponit, 5°. Denique ad diſcutiendos dolores artuum, delendos tumores, exſiccandas puſtulas cutaneas &c. innumera profert unguentorum & cerarum genera, inter quæ plurima Mercurium admittunt, ſed nullomodo explicat, nec qua cautione adhiberi illa debeant, nec quid ab illorum uſu metuendum ſit.

Arguitur Blondus a Johanne Georgio Schenckio (*b*) *in ſuum Tractatum pleraque remedia tranſtuliſſe ex Tractatu Auguſtini Niphi de eodem morbo*. Sed falſus eſt Schenckius: Neque enim ullus unquam exiſtit Tractatus Auguſtini Niphi *de Morbo Gallico*, ut ſupra probatum eſt ad *annum* 1534; quem Blondus compilare potuerit. Si qua ergo a Nipho mutua ille habuit, ut ipſe ſe multa habuiſſe ultro confitetur, hæc accepit ab ore
1554 Niphi docentis, *ſub cujus diſciplina pleriſque annis militaviſſe* honori ducit.
1558. Aloysius Lobera, Abulanus, hoc eſt, ex civitate Abula, quæ nunc *Avila* vocatur in vetere Caſtilia, Medicus fuit Caroli V. Imperatoris & Regis Hiſpaniarum: Scripſit hiſpanice circa annum 1544 Librum *De quatuor ægritudinibus aulicis*, inter quas recenſet Morbum Gallicum, neque ſane mirum, cum (*c*) teſte Gaſpare Torella morbus ille in ulteriori Hiſpania *morbus Curialis* vocetur, *eo quia Curiam inſequitur*.

Bibliothec. Mazarinæ Hæc eſt Libri illius inſcriptio:

Libros de las quattro Enfermedades Corthesanas, que ſon Catarrho, Gotta, mal de Piedra, y mal de Buas, por el Doctor Luis Lobera de Avila. En Toledo, 1544, quem Italicum fecit, ediditque Venetus Petrus Laurus, anno 1558. *in* 8°.

Hinc excerptus eſt Tractatus *De Morbo Gallico* Collectioni Aloyſii Luiſini inſertus, qui *Capita ſeptemdecim* continet, ubi Auctor affirmat (*d*) *Morbum ignotum fuiſſe Veteribus cum nulla ejus indicia attulerint*. Inde vero explicat morbi curationem triplicem, potu decocti ligni Guajacani, uſu inunctionum mercurialium, & ope ſuffumigiorum; ſed unicuique cenſet præmittendam eſſe præparationem cum purgantibus, alterantibus, temperantibus. Exiſtimat autem potum decocti Guajacani ceteris præſtare; uſum vero ſuffumigiorum plerumque gravioris eſſe periculi. Sub finem pauca addit de uſu radicum Chinæ.

Id autem in primis notatu dignum videtur, quod Lobera velit inunctiones aliquando per intervalla fieri: *Si ægritudo* inquit, *ingens fuerit, ægroto imbecillo exiſtente, unctionem*

(*a*) Sic Henricus Wolver, in *Chronic. Archiepiſc. Bremenſ.* circa annum 1480. ſcripto, quod exſtat in *Tom.* II. *Collect. Henrici Meibomii*, ait *Turcos in Latino dici Teucros*. Sic etiam Marcellus Cumanus, *Obſervat.* 14. Turcas *Teucros* vocat.

(*b*) *Bibliotheca Medica*, in voce *Auguſtinus Niphus*.

(*c*) De dolore in pudendagra.

(*d*) Cap. I.

ctionem alternis diebus fieri probaverim, interpoſita etiam quiete abſque unctione per biduum, interim alimenta optima offerendo.

ANDREAS VESALIUS, Bruxellenſis, ſic dictus a VVeſalia Cliviæ Civitate unde familia Andreæ oriunda fuit, natus eſt Bruxellis anno 1514, patremque habuit cognominem, qui Caroli V. Imperatoris medicamentarius fuit.

Humaniores literas doctus eſt Lovanii, deinde Lutetiæ in Medicina audiit Johannem Guntherium, Andernacum, & Johannem Fernelium, ſed præcipuum (*a*) *præceptorem habuit Jacobum Sylvium*, Ambianum, *eruditiſſimum & celeberrimum artis medicæ Profeſſorem*, de quo ſupra *Pag.* 683, *a quo inſtitutus, ingenio duce & labore ad ſumma mox pertigit.* Quin etiam nuperi Editores Operum Veſalianorum quæ prodiere recuſa Lugduni-Batavorum anno 1725, atteſtatur, quod a ceteris Bibliographis omiſſum fuit, Veſalium *Monſpeſſulanam quoque Academiam cum Tagaultio commelitone coluiſſe.*

Narrat ipſe (*b*) Veſalius, ut oſtendat quam cupide Anatomiæ ſtudio incubuerit, ſe *Pariſiis in Innocentum cœmeterio horis multis oſſa lubenter verſaviſſe; oſsium videndorum gratia ad Falconis Montem adiiſſe, ubi ſemel cum Sodali quodam tot interfectorum canum pœnas quaſi dedit*, a moloſſis vix non devoratus; *Lovanii ſceleto ſibi parando media nocte oſſa ex palo ſumſiſſe; Judicibus moleſtum fuiſſe, ut hoc aut illo ſupplicio homines necari curarent, ſive in hoc aut illud tempus* ſuis *ſectionibus opportunum conſervarent; in cubiculo aut e monumentis, aut publicis ſuppliciis data corpora, etiam ſeptimanis aliquot aſſervaviſſe &c.*

Cave tamen putes hæc omnia de eo tempore intelligenda eſſe, quo Veſalius Pariſiis Medicinæ ſtudio operam dabat. Nam præterquam quod nonnulla ſunt, quæ Lovanii acta dicuntur, refert ipſe Veſalius ſe Lutetiæ Pariſiorum canum tantum anatomiæ incubuiſſe; humanum cadaver nullum ſecuiſſe; imo neque ſectionibus ullis humanorum cadaverum, niſi duabus tantum, interfuiſſe. *Cum a Gallica expeditione veniſſem*, (*c*) inquit Ille, hoc eſt anno 1537, a quo tempore Lutetiam non rediit, *a Comitiſſæ Egmondanæ Medico rogabar, ut nobilis cujuſdam puellæ, annos natæ duodeviginti, diſſectioni adeſſem........ Cum hujus ſectionem Tonſor imperitiſsimus aggrederetur, manus ab opere continere nequivi, qui alius nunquam ſecanti, a duabus quas primum Pariſiis vidi, rudibus & ante triduum in Scola abſolutis ſectionibus, adſtiteram.*

Meruit, ut modo diximus, tanquam Chirurgus & Medicus, in bello Gallico, quod Carolus V. Imperator, movit adverſus Franciſcum I, Gallorum Regem, anno 1535. Sed ea, quæ narrat ipſe de Medico Comitiſſæ Egmondanæ, cujus conſuetudine uſus eſt, dum ab expeditione Gallica rediret, aperte ſignificant Veſalium non irruptioni Copiarum imperialium in provinciam, quæ Carolo V. tam male ceſſit, ſed irruptioni alteri in Picardiam interfuiſſe, quæ non multo melioribus auſpiciis ſuſcepta fuit.

Pace inita anno 1537, Veſalius in Italiam profectus (*d*) Venetiis aliquandiu commoratus eſt, ubi *ſub præceptoribus & precipuis illic artem exercentibus Medicis ægros inviſit*; Patavii (*e*) anatomiam aliquandiu docuit, non tamen per annos ſeptem, ut (*f*) Caſtellanus, & (*g*) nuperi Veſalii Editores referunt; obſtat enim nota vitæ Veſalii chronologia; nec ea demonſtranda uſus eſſe videtur jure profeſſor o, ut iiſdem placet, ſed ea tantum facultate, quæ nullibi non conceditur Doctoribus anatomiam privatim demonſtrandi, quoties lubet.

Per id tempus ſedulo vacavit ſcribendis Libris VII. *De Humani corporis fabrica*, quos edendos curavit anno 1542. Baſileæ, apud (*h*) *Johannem Oporinum diligentiſsimum & non vulgariter doctum, ex Græcarum literarum Profeſſore factum Typographum*, & ex cujus officina prodiere anno ſequente 1543, in *fol.* quo Opere immortalem ſibi famam Veſalius comparavit, quaſi accuratioris anatomiæ reſtaurator vel potius parens.

Interim merebat ille Medici nomine in bello Geldrico, quod Imperator confecit anno 1543, eoque confecto (*i*) *in Italiam reverſus eſt* anno 1544, & *publicam anatomen Patavii*

(*a*) Valerius Andreas, *in Bibliotheca Belgica.*
(*b*) In Epiſtol. *de radice Chinæ.* Pag. 97. verſ.
(*c*) Epiſtola *de radioc China.* pag. 72. verſ.
(*d*) In Epiſtola *de radice Chinæ*, Pag. 6.
(*e*) Exſtat Epiſtola Veſalii Patavio ſcripta ad Florenatem, Medicum Caroli V. Imperat. anno 1539.
(*f*) In Vitis illuſtrium Medicorum.
(*g*) In vita Veſalii novæ Editioni præfixa.
(*h*) In Præfatione Franc. Veſalii, præpoſita Epiſtol. *de radice Chinæ.*
(*i*) Epiſtol. *De radice Chinæ*, *pag.* 89.

Patavii & Piſis, & aliqua ex parte Bononiæ agreſſus fuit, cum illac Piſas profecturus iter faceret.... Quo tempore (*a*) *Illuſtriſſimus Tuſcorum Dux, Coſmus Medices I*, quem *præcipuum denuo collabentium magna ex parte diſciplinarum Mæcenatem* vocat, ei obtulit *octingentorum coronatorum ſtipendium*, ut *Medicinam Piſis profiteretur*. Sed ille oblatas conditiones repudiavit, rediitque paulo poſt in Belgium ad aulam Imperatoris, (*b*) cujus juſſu manſit anno fere toto 1545 Noviomagi ad curandam valetudinem Bernardi Navageri, Venetorum Oratoris, qui difficili, gravique morbo conflictabatur, neque prius inde, una cum ægrotante ad ſanitatem jam perducto, Ratiſponam ſe contulit, quam anno 1446, unde ſcripſit Epiſtolam *de radice Chinæ*, de qua mox.

Abhinc Veſalius adſcitus fuit inter Medicos aulicos Imperatoris Caroli V, & deinde Philippi II, Hiſpaniarum Regis, ejuſdem filii, egitque reliquum vitæ tempus in aula ad annum uſque 1564, quo ſubito converſa eſt magni Viri fortuna.

„ Hiſpanum (*c*) curabat Nobilem, nec morbi cauſam ſatis intelligere ſe dolens, „ petiit ab amicis defuncti corpus aperire, ut morbi rationem & mortis ſcrutaretur „ cauſam. Quo conceſſo viſum eſt cor in aperto jam pectore palpitans; cognati accu- „ ſant homicidii apud Judices, & impietatis ad Tribunal Inquiſitionis Hiſpanicæ.... „ Poſtremo datus eſt Regi, totique ſimul deprecanti Aulæ, eo omine ut peregrinatio- „ ne religionis ergo ſuſcepta Hieroſolymas, expiaret crimen. Ivit ergo Venetias Ve- „ ſalius exul anno 1564, indeque in Cyprum, & a Cypro Hieroſolimas navigavit, un- „ de a Senatu Veneto largiſſimi ſtipendii oblatione vocatus Patavium, ut mortui pri- „ dem Falloppii in anatomicis locum ſuppleret. Rediit ergo, ſed adverſis ventis ejectu- „ in Zacynthum inſulam, in loco ſolitario inops, omnique carens ſubſidio miſerabilis „ ter vitam finivit, menſe Octobri, anno eodem, vix natus ipſe 50 annis. „ Unde li- „ quet erraſſe (*d*) Valerium Andream, cum ait Veſalium anno ætatis 58 mortem obiiſſe.

In referenda Veſalii morte auctorem ſequi lubuit Hubertum Languettum, Virum eximium & ejuſdem ætatis, qui rem narrat ordine in *Epiſtola Lutetia data ad Caſparum Peucerum* anno 1565. Sunt (*e*) tamen qui rem paulo aliter referant: Silent nempe de ſecto vivo homine, de Veſalio impietatis reo coram Tribunali Inquiſitionis, & exilii damnato. Volunt potius hunc „ Aulicæ vitæ pertæſum, viſendæque Paleſtinæ „ ſtudio atque religione ductum, Cyprum, indeque Hieroſolymas ſponte adiiſſe: Poſt „ magno illo Gabriele Falloppio Patavii vivis erepto, a Senatu Veneto in demortui „ locum, honorificis oblatis ſtipendiis evocatum, dum Italiam verſus menſe Aprili ad- „ navigaret, tempeſtate in deſertum Zacynthi inſulæ angulum ejectum fuiſſe, ibique „ morbo correptum & ope omni deſtitutum, in miſerrimo tuguriolo.... e vita di- „ ſceſſiſſe. „ Jam vero ab utra parte ſtet veritas, & utris inurenda ſit mendacii nota, æquo lector dijudicandum permitto.

Scripſit Veſalius, ut jam monuimus, Epiſtolam *de Radice Chinæ ad* (*f*) *Joachimum Roelants, Medicum apud Mechlinienſes primarium, amicum chariſſimum ſuum, Ratiſpona* datam *Idibus menſis Junii anni* 1546, a Franciſco Veſalio, Andreæ fratre, qui *Juris ſtudio* tunc in Italia operam dabat *Coſmo I Mediceo, Tuſcorum Duci*, nuncupapatam, editamque Venetiis & Baſileæ, cum hac inſcriptione.

Bibliothecæ Mazarinæ.

Andreæ Veſalii, Bruxellenſis, Medici Cæſarei, Epiſtola, rationem modumque propinandi radicis Chinæ Decocti, quo nuper Invictiſſimus Carolus V. Imperator, uſus eſt, pertractans: Et præter alia quædam, Epiſtolæ cujuſdam ad Jacobum Sylvium ſententiam recenſens, veritatis ac potiſſimum humanæ fabricæ ſtudioſis perutilem, cum qui hactenus in illa nimium Galeno creditum ſit, facile commonſtret. Venetiis & Baſileæ, 1546. *in* 8.

Hoc Opus paginis 100 comprehenditur, quarum primis viginti quæſtio eſt de adminiſtratione decocti *radicis Chinæ & Spartæ parillæ*; reliquo tractatu Auctor multis diſputat adverſus Sylvium, Ambianum, Doctorem Medicum Facultatis Monſpeſſulanæ, & deinde Profeſſorem in Collegio Franciæ Regio.

Ex *priore* Operis parte, quæ facit ad argumentum noſtrum, ſequentia poſſunt colligi.

I. Interea dum Veſalius, „ *Venetiis ſub præceptoribus.... ægros inviſebat*, hoc eſt poſt an- „ num 1537, *radicem* Chinæ *non ſine maxima expectatione, ſummiſque laudibus, illuc per-* „ *latam fuiſſe; ſed in uſum, infelici ſucceſſu, in uno atque altero poſitam.*

II. In-

(*a*) Ibid. *pag.* 10 *verſ.* (*b*) Ibid. *pag.* 1.
(*c*) Nuperi Editores Operum Veſalianorum, ex *Epiſtola Huberti Langueti*.
(*d*) In Biblioth. Belgica. (*e*) Thuanus, in *Hiſtoriis ſui temporis*, ad annum 1564. Melchior. Adamus, *de Vitis Germanorum Medicorum*. (*f*) Scripſit Joachimus ille Roelants Tractatum *de novo morbo Su-dorifico*, nempe de Sudore Anglico.

II. Infauſtum tamen hunc ſucceſſum „ non tam medicamenti vitio àut adminiſtran-
„ tium imperitia eveniſſe, quam quod in illis tum propinari cœpit, qui alioquin mor-
„ ti erant proximi, quibuſque nulla ſalus a Medico ſperanda fuiſſet; „ quod ille pro-
„ bat adductis exemplis.

III. Inde tamen factum. „ ut tantiſper, dum *Veſalius* in Italia fuit, Chinæ deco-
„ ctum procul rejectum fuerit, neque ipſe, præceptores imitatus, magni ipſum fecerit.

IV. Haud feliciori ſucceſſu Decoctum Chinæ, in Burgundia eodem propemodum tem-
„ pore, atque Bruxellæ *exhibitum fuiſſe*; *cum in pleriſque* & potiſſimum gravius
„ morbo Gallico vexatis, longe minus præſtitum fuerit, quam ex ligni Guaiaci decocto.

V. Quamobrem anno 1545, Cæſar (*Carolus V.*) poſtpoſita China, articularis ſui mor-
„ bi & mali habitus occaſione, Guaiaci decocto uſum fuiſſe.

VI. Verum, anno ſequente 1546, Cæſarem egregiis Hiſpanorum laudibus inductum fuiſſe, „ ut decoctum Chinæ aſſumeret, facilius huc allectum, quod tantopere vel ideo
„ China commendaretur, quod tempus quo hac utendum eſt, brevius, victuſque ratio
„ longe quam in Guaiaci decocto facilior, minuſque legibus .... adſtricta præſcriberetur.

VII. Cæſarem ea medicina uſum fuiſſe „ ſuo potius Marte, quam (*a*) D. Cornelii
„ conſilio, cujus tunc potiſſimum opera, a D. Cavalii diſceſſu, utebatur.... Quam-
„ quam interim a Cæſare parum efficax in Chinæ commendationem deſumi queat ar-
„ gumentum, cum quindecim tantum diebus, & in varia victus ratione, & mutato
„ ſubinde propinandi modo, idque potiſſimum ſuo arbitratu, China uſus fuerit, cum
„ neque reſpirandi teneretur difficultate, neque per intervalla ipſi moleſtis morbi arti-
„ cularis cruciatibus.

VIII. Attamen „ articulum, quo ſiniſter humerus ſcapulæ committitur, alias ex ſu-
„ periori anno adhuc in motu .... nonnihil impeditum, liberum factum fuiſſe; & id
„ quoque in ſiniſtro cruore reſolutum eſſe, quod ex eodem tempore juxta malleolos,
„ & tali cum tibia articulum, utcunque motum præpedire & elegantem alioquin for-
„ mam depravare videbatur.

IX. Inde tamen „ tantum nominis & opinionis, brevi, medicamento conciliatum
„ fuiſſe, ut vicini Germaniæ Medici, & qui Comitiis in ſuorum Principum familia
„ *Ratiſponæ* intererant, ſedulo ac diligenter de ejus decocti apparatu percunctarentur,
„ neque prius moleſti eſſe deſinerent, aut exigendi, orandique finem ponerent, quam
„ formulam nacti fuiſſent, qua Medicos Cæſareos decoctum illud offerre ſibi perſuadebant.

X. Veſalium hiſce de cauſis inductum fuiſſe, ut in ſe provinciam ſuſciperet explicandi naturam, qualitatem, electionem radicis Chinæ, atque candide tradendi legitimum decocti inde præparandi modum & uſum, quæ ſingula præſtare conatur in ſua Epiſtola.

XI. Uſu decocti ex China „ Veſalium in aliquot ex morbo Gallico ægrotantibus ſatis proſpere profeciſſe, ſed qui magis tamen illo decocto ex amicorum ſuaſu, quam e-
„ jus hortatu uti voluerunt, & qui neque oſſium excreſcentiis, tumoribuſve, neque
„ pravis ulceribus ſcatebant, in quibus Chinæ decoctum longe inferius Guaiaci deco-
„ cto eſſe compertiſſimum ſe habere *Ille profitetur*.

XII. Obſervatum fuiſſe a Veſalio „ Chinæ decoctum bibentes tentigine teneri, &
„ quoſdam interea dum decocto illo uterentur, adeo * ad venerem provocatos fuiſſe,
„ ut cum *alioquin* diu a coitu temperaſſent, illumque variis rationibus fugerent, a
„ concubitu *tunc* non abſtinuerint.

XIII. Ab eodem mentionem fieri „ Spartæ-parillæ, (*ſic enim vocat Ille Sarſam-parillam*) quaſi remedii novi, quod in cœlum uſque a multis & præcipue mercatoribus ef-
„ ferebatur; quod ipſi jam notum erat, ſed cujus periculum nondum fecerat, quando-
„ quidem ille, cui ab amicis, divini auxilii vice ſarmenta hæc miſſa fuerant, Guaia-
„ ci decocto a morbo Gallico jam videbatur reſtitutus.

XIV. „ Exoticis illis pharmacis noſtratia & familiaria pharmaca a Veſalio præfer-
„ ri, ut radicem Pentaphylli ſive Tormentillæ, qua Stephanus Sala de Caſala, Cæſa-
„ ris Chirurgus, feliciter utebatur in pauperibus; Decoctum Chamædryos, inſtar nu-
„ minis cujuſdam a Genuenſium Primatibus commendatum ad morbum articularem;
„ Rhaponticum, „ quod in Germaniæ montibus colligi poſſe ſibi perſuadet &c.

In

(*a*) Cornelii a Baeſdropp, Goeſani Zelandi, qui erat Cæſareus Archiatros, & a quo ſcripta exſtat *Methodus univerſæ artis medicæ*, Brugis excuſa anno 1538.

* Idem narrat de radice Chinæ Garcias ab Horto, *Colloquios dos ſimples, e drogas, he cauſas medicinais de Indias*, Lib. 1. Cap. 38.

In parte *altera* Epiſtolæ ſuæ Veſalius Galenum multis redarguit, quod humana cadavera ſecuerit nunquam, nec ullam cadaverum humanorum ſectionem viderit, ſed alio-
„ rum tantum animalium, maxime Simiarum; quod pleraque in anatome ſcripſerint
„ quæ nunquam vidiſſet; quod Promethei more corporis fabricam, & illius partium
„ uſus confinxerit &c.

Hujus Epiſtolæ Veſalianæ pars prior, in qua quæſtio eſt de radicibus Chinæ & Spartæ-parillæ, Collectioni Venetæ Aloyſii Luiſini inſerta eſt, reſecta parte altera, in qua de anatomicis diſſeritur, utpote ab argumento aliena.

Nunc an ſatis juſta & idonea digreſſionis excuſatio futura ſit, haud ſcio: Unum ſcio me minime poſſe quin adducam loca duo, notatione digniſſima, meo quidem judicio.

Alterum ex *ipſo* Andrea Veſalio, qui in *Epiſtola ſua* conqueritur ſibi, „ ubi pri-
„ mum in aulam veniſſet, multum obſtitiſſe ſua ætate prorſus collapſæ anatomes ſtu-
„ dium, ſuoſque, quos Medicinæ candidatis communes fecerat, conatus. Sic novi *pergit Ille*,
„ quantopere alii propter linguarum peritiam, alii ob mathematum ſtudia, ob ſimplicium
„ medicamentorum ſedulum examen, ab omnium horum imperitiſſimis ac ſoli quæſtui,
„ procul ſemotis ſtudiis, inhiantibus Medicis.... traducti fuerint. Nempe peſtilentibus
„ his hominibus adeo ſubſervit calumnia, ut ſi quem aliqua ab ipſis ignorata cognoſce-
„ re animadvertant, illum quidem eorum peritum fateantur eſſe, ceterum (quod ipſi
„ nomine tantum ſunt) Medicum eſſe negent; quaſi is demum Medicus foret, qui ni-
„ hil minus quam Medicus vere cenſendus ſit, & perinde ac ſi abſolutior in aliqua
„ Medicinæ ſubſervientium diſciplinarum diligentia ad reliquam Medicinæ cognitio-
„ nem obeſſet.

Alterum ex Franciſco Veſalio, Andreæ fratre, qui in *Epiſtola* ſua *nuncupatoria*, Coſmum, Tuſcorum Ducem, ſic alloquitur. „ Pater tuus Johannes, omnium noſtræ me-
„ moriæ belli imperator facile laudatiſſimus, (ut fato non mediocriter tribuebat) ad-
„ modum te adhuc puerum, ex nutricis ulnis, ab elatiori, quam quiſquam facile (niſi
„ omnibus in Italia ſatis conſtaret) credere poſſit, feneſtra, præcipitem dari, tuo ad
„ patrem properante genio, curavit, ut num & filius, & is quem ſperabat, futurus eſſes,
„ inde conjiceret, quod citra ullam noxam in ſuo gremio & pallio ſuſciperetis, ac non
„ tanquam fruſtatim divellendus, in terram colaberreris. Res ſane militaris, *pergit ille*
„ ſed quæ non niſi maxima quæque a tua indole expectanda prædiceret. „ En ſane novum & periculoſum experimenti genus, quod a quoquam tentatum fuiſſe vix mihi perſuadeo, quamvis de Coſmo, Coſmo ipſimet res narretur, & narretur quaſi toti Italiæ notiſſima.

1546. Benedictus Rinius, Venetus, floruit ſub Julio III, ſummo Pontifice, ſecundum (*a*) VVolfgangum Juſtum, vel quod eodem recidit, circa annum 1554, ſecundum (*b*) Sanſovinium, & (*c*) Albericum.

Scripſit Rinius brevem de Morbo Gallico Tractatum *Conſultationis cauſa in gratiam Illuſtriſſimi cujuſdam Antiſtitis*, quem poſt mortem Patris Fabritius Rinius Antonio Cauco, Archiepiſcopo Corcyrenſi, dicavit & excudendum permiſit in Collectionis Venetæ Luiſini Tomo ſecundo, qui prodiit *anno* 1567.

Rinius in *ſua conſultatione*, quæcunque ad theoriam pertinent, verbis iiſdem mutuatur ex Conſilio Bartholomæi Montagnanæ, de quo *ſupra* ad annum 1499, atque adeo ibidem reperire eſt, & totidem verbis ac in illo Conſilio, morbum gallicum eſſe Morbum
„ epidemialem: Productum fuiſſe planetarum conjunctione & ſtellarum influxu. Analo-
„ giam quamdam intercedere inter pudenda & morbum hunc, merito cœleſtis influxus
„ ex conjunctione Saturni & Jovis in tertia ſcorpionis facie, in 23 gradu tranſacta an-
„ no 1484: Errare eos, qui morbum hunc collocari dicunt ſub ſpecie *Saphati*: Mor-
„ bum Gallicum Veteribus fuiſſe incognitum, & ideo nos nomine ejus proprio ca-
„ rere: Nec ob id tot illuſtres Auctores de inſufficientia criminandos eſſe, quia ſunt a-
„ liquæ ægritudines, quæ non accidunt niſi diuturnis temporum intervallis, quoniam con-
„ ſequuntur ſtellarum concurſus, qui non fiunt niſi raro, & magno temporis decurſu:
„ Sic Galenum nunquam vidiſſe Venam Medinenſem, Febrem ſeptenam aut novenam:
„ ſic eumdem nunquam vidiſſe lapidem ab inteſtinis egredientem, quem tamen vidit
„ Gentilis, a quo viſus eſt quoque lapis a ſtomacho egreſſus poſt diuturnos ac ve-
„ hementes ſtomachi dolores: Sic ab Alzharavio obſervatam eſſe tuſſis ſpeciem quamdam,
indu-

(*a*) In Chronologia Medicorum.
(*b*) Della Venezia, *Lib.* 3. *ad ann* 1554.
(*c*) Catalogo degl' illuſtri Scrittori Veneziani.

„ inductam ab animalibus generatis in canna pulmonis & locis vacuis, quæ animalia „ ſunt minora ſatis mulcilionibus, & ubi transferuntur loco ſuæ originis, reſultat tuſ- „ ſis illorum motu &c.

Quod ad Therapeiam, præmiſſa methodica præparatione, ac „ interpoſito die uno „ vel duobus, *cenſet Auctor* partes extremas unguento mercuriali illinendas eſſe, ſicut „ brachia, pedes & juncturas quoque per ſex dies. Sic enim, *inquit*, materiæ plurimum „ per ſudorem, tum per os emittetur.

Duo proponit unguenta mercurialia ad illitiones, quorum alterum ſeptimam hydrargyri partem recipit, alterum decimam tantum, ſed cui adjecta eſt haud mediocris cinnabrii doſis, quæ Mercurii vices ſupplet.

Laudat „ novum quoddam poſteriori hoc ſuo ſeculo inventum, ac tanquam per Deo- „ rum manus traditum auxilium pro morbi Gallici expugnatione, ac omnimoda illius „ evictione, nempe decoctum quoddam ligni Guajaci dicti, cujus vires & utilitates o- „ mnes ſummatim enarrat.

Refert, loco Guaiaci nonnullos aſſumere Buxum: .... alios Cypreſſum; alios eſſe, „ qui Chinæ radicem eadem ac majora præſtare poſſe contendant; alios, qui Salſam- „ parillam ſupponi poſſe dicant, ſed hæc, *pergit ille*, debilis & obſcure eſt impreſſio- „ nis, ... niſi per addita quædam alia virtus ejus corroboretur.

Inde facile eſt colligere a Rinio, ſi cuncta Rinii ſint, hunc Tractatum ſctiptum fuiſſe poſt annum 1545, quo primum in Italia Radix Chinæ, & Salſæ-parillæ innotuerunt, ut modo dicebamus, ubi de Veſalio.

HIERONYMUS CARDANUS, Mediolanenſis, (*a*) filius fuit, ſed nothus, Patritii 1548.
& Juriſconſulti, cui nomen erat Facio Cardano, (*b*) natus eſt anno 1501, literis operam dedit Patavii, (*c*) ubi promotus anno 1524 ad magiſterium artium, & anno ſe- 1559.
quente 1525 ad gradum Doctoris Medici. Docuit (*d*) aliquandiu Medicinam Mediolani & Papiæ ſeu Ticini, noluitque anno 1543 conditionem accipere a Rege Daniæ ob- 1566.
latam, ut in aulam ejus veniret, ſuumque in Dania domicilium conſtitueret. Attamen in Scotiam profectus eſt anno 1552, ut Johanni Amulthon (*Hamilthon*) Archiepiſcopo Sancti Andreæ, gravi orthopnœa affecto mederetur, ſed iter breve fuit & proſperum. Æger enim Cardani remediis cito melius habuit, ac demum convaluit methodo ab illo propoſita. Eundo Gallias, redeundo Belgium, & Rheno finitimas Germaniæ Provincias Cardanus peragravit. Redux poſt menſes decem Mediolani commoratus eſt, donec (*e*) Ticinum ſeu Papiam anno 1559, & Bononiam anno 1562 conceſſit, ubi publice Medicinam docuit ſucceſſive ad annum uſque 1570, quo Romam (*f*) petiit. Obiit Romæ anno 1576, ætatis 75, eo ipſo anno & die, quibus ſe moriturum prædixerat, ſed non deſunt, (*g*) qui afferant, ne falſa vaticinatus videretur, mortem ſibi inedia accerſiviſſe.

Fertur Cardanus plura ſcripſiſſe, quam legiſſe, pluraque docuiſſe, quam didiciſſe. Dicitur etiam ſtatuiſſe milleſimo quoque anno vix unum perfectum & excellentem Medicum dari, & ſe eorum ſeptimum feciſſe. Hæc & alia non pauca, quæ ipſe de ſe refert in Opuſculo, quod *de vita propria* inſcripſit, probant de illo ſaltem verum eſſe, quod a Seneca dici meminimus, (*h*) *Nullum magnum ingenium fuiſſe*, *ſine mixtura dementiæ*.

Omnia Cardani Opera in Tomos X digeſta ſunt ſtudio Caroli Sponii, Doctoris Medici, & edita Lugduni anno 1663. Exſtant ibi Opuſcula aliquot, quæ ſi non de Morbi Gallici natura, at ſaltem de illius curatione ſcripta ſunt, & quæ ideo ad argumentum, cujus ſatagimus, ſpectant.

I. *De radice Cyna*, *ſeu Reſponſum petitioni M. Antonii Majoragii* Collect. Lugdun. Tom. VII.

in quo, licet Cardanus non approbet Cynam ad Phthoen, hujus tamen radicis adminiſtrationem paucis explicat.

Exſtat hæc eadem Diſſertatio, *Collect. Lugdun. Tom. IX*, inter Conſilia medica Cardani, & inſcribitur *Conſilium XXVII. De eroſione gingivarum & Phthoe*.

(*a*) Cardanus, *De Vita propria*, Cap. 2.
(*b*) Ibidem. (*c*) Ibid. Cap. 3.
(*d*) Ibidem. Cap. 4.
(*e*) De Vita propria, Cap. 5.
(*f*) Ibidem. (*g*) Thuanus, *Hiſtoriar. Lib.* 62.
Joſephus Scaliger, in *Prolegomenis de Aſtrologia Veterum Græcorum*. Manilio præmiſſis, qui tamen de ætate Cardani errat.
(*h*) *De tranquilitate Animi*, ſub finem.

II. *De Sarſa-parilla*, Colleſt. Lugdun. Tom. VII.

in qua breviſſima Diatriba Auctor una aut altera pagella modum exponit decoquendi Sarſam-parillam, & illius decoctum exhibendi, aitque affirmatiſſime Sarſam-parillam *gallicam luem plus juvare*, *quam Cynam*, *aut lignum*, *quod* Sanctum *vocant*, cujus rei fides ſit penes Auctorem.

Exſtat eadem Diſſertatio Collectionis ejuſdem Tomo IX, inter Conſilia medica Cardani, & eſt *Conſilium XXXIV*, *Pro lue Gallica*, *Arthritide*, *ulceribus pravis*, *œdematibus*, *Elephantiaſi*.

Binæ illæ Diatribæ adjectæ olim fuerunt ad calcem Tractatus cujuſdam Cardani, qui ſcribebatur *Contradicentium Medicorum Libri duo*, & qui primum prodiit in lucem *Lugduni*, anno 1548, in 4°. *apud Sebaſtianum Gryphium*.

III. *De Cyna radice ſeu de Decoctis*. Collect. Lugdun. Tom. VII.

Cardanus deſcribit ibi paulo fuſius, quam in Diſſertatione priore, modum adminiſtrandi Decoctum radicis Cynæ, quo quidem ait morbum Gallicum curari poſſe, ſed *nihilominus non adeo hujus radicis decocto favet*, *ut illud ligni Sancti aut corticis decocto conferat*.

Porro addit in fine „ vim medicamenti hujus, ſi ad lignum ſanctum conferre libeat, „ ſic expediendam eſſe. Advehitur ad nos hæc radix poſt biennium, raro uſus ante „ quinquennium: Unciæ tres in quindecim Libras aquæ, ligni ſancti unciæ quindecim; proportio effectus ferme tripla, proportio ergo quindecupla; cui ſi adjiciatur „ moræ ratio, erit trigintupla. At lignum Indicum inter præcipua medicamenta habetur, & hydrargyro ferme par, unde haud recte dictum videtur vulgare & ineffi- „ cax fore medicamentum. „ Fateor me non aſſequi Cardani computationem. Opinatus ſum diu locum in mendo cubare, ſed collatis variis editionibus huic excuſationi locum non eſſe comperi. Certi hic ænigmata loquitur Cardanus, neque videtur quid ſibi vellet, ſatis intellexiſſe.

Hæc Diſſertatio inter Cardani Opuſcula *de lue venerea* unica eſt, quæ Collectioni Luiſininæ *de Morbo Gallico* inſerta ſit. Jam ante edita fuerat *Baſileæ*, apud *Henricum Petri*, anno 1559, *in fol.* cum *variis aliis Cardani Opuſculis*.

IV. *Conſilium XXIX*, *pro laborante jam biennio doloribus ventriculi cum aliis diſpoſitionibus*, *ob morbum Gallicum male curatum*, *qui eo ſanatus eſt intra quadraginta dies*, *ut* Cardanus *fratribus ſuis* (ejus) *pollicitus erat*, *& eſt Hippocraticum*. Collection. Lugdun. Tom. IX.

Ut datam fidem liberaret, Cardanus, præmiſſis variis remediis præparantibus quæ recenſet, præſcripſit exhibendum per dies quadraginta *Decoctum corticis Guaiacani in vino flavo*, *tenui*, *odorato*, *claro*, *ad tres quartas*, cujus uſu dicitur æger perfecte convaluiſſe.

Hocce conſilium primum editum fuit in Tomo primo *Artis curandæ parvæ* Cardani, quæ *Baſileæ* excuſa fuit anno 1566, apud *Henricum Petri*. *in* 8.

V. *Conſilium XLIX*, *Pro Germano quodam Juvene*, *laborante Morbo Gallico & ſtillicidio urinæ ac ſuppreſſione*. Collection. Lugdunenſis Tom. IX.

Cardanus ſatis temere in illo contendit ſtillicidium illud non a caruncula produci, nec ab ullo obice, quo Urethræ via anguſtetur, ſed ab *imbecillitate virtutis expulſivæ veſicæ*; in quo videtur ea ignoraſſe, quæ jam ante Andreas Lacuna, Chriſtophorus a Vega, & alii plures, de Carunculis excreſcentibus in veſicæ collo erudite ſcripſerant. Porro præter remedia aliquot parum efficacia, proponit uſum Decocti ligni Guaiaci per dies quadraginta.

1548 Guilielmus Brunellus, Doctor Medicus Facultatis Pariſienſis.

Petrus Descamps, Pariſinus.

Bibliothec. Sloaniana.

Quæſtio Medica Quodlibetaria diſputatione agitanda in Sholis medicis die XI Februarii, M. Guillelmo Brunello, *Moderatore*. An Lues Hiſpanica methodo curetur?

Hæc theſis, more ceterarum omnium, quæ in Facultate Pariſienſi propugnantur, diſtribuitur in Corollaria V, in quorum ultimo ſic legitur.

„ Huic affectui ſuccurritur victu tenui, ſyrupis humorem præparantibus, medica- „ mentis, miſſione ſanguinis ex utraque cubiti vena, decocto ligni Guaiaci, (quod „ (*a*) nulli commode permiſcetur medicamento) & omnium corporis partium frictio- „ ne per illitus.

Un-

(*a*) Abit Auctor in ſententiam Antonii Galli, qui Librum ediderat Lutetias anno 1540. *De ligno Sancto non permiſcendo*.

Unde ſic concluditur." Lues igitur Hiſpanica methodo curatur.

Reſpondebat Lutetiæ M. *Petrus Deſcamps*, Pariſinus. Anno MDXLIX.

Adducta fuit ſupra Theſis medica *de Lue Venerea*, quam Simon Piſtor in Academia Lipſienſi propugnavit anno 1498; ſed cui vel ſola vetuſtas erat inſtar meriti. Incertus magis animo pependi utrum expediret pari jure ceteras Theſes academicas ejuſdem argumenti omnes proferri, quippe diſſuadebant multa: Quod in theſibus iſtiuſmodi argumentum breviter & ſtrictim tractetur: Quod nihil in illis nec novi, nec ſingularis plerumque occurrat: Quod exemplaria, cum perpauca emittantur, brevi evaneſcant, atque adeo cum non ſint obvia, locum vix habere poſſint inter Libros utiles & fructuoſos. Sed pervicit voluntas, ſeu ſi mavis, reverentia erga medicas Academias, quam mihi innatam ſentio, verituſque ſum ne viderer meritas illarum laudes iniquius intercipere, ſi mihi minus penſi eſſet ut productis theſibus, quaſi authenthicis totidem tabulis, demonſtrarem, quanta diligentia incubuerint ſingulæ in Philiatris ad morborum venereorum notitiam & therapeiam informandis, quantove ſtudio artem medicam ab ea quoque parte amplificare certaverint. Placuit ergo, neque facti pœnitet, Theſes omnes, quas de morbis veneris, aut morborum venereorum remediis ſcriptas noveram, ordine chronologico recenſere, paucis tamen, & ut plurimum indicato tantum titulo, niſi forte quiddam aut novum, aut ſingulare fuſiorem tractationem mereri viſum ſit. Accidit infeliciter ut pauculas reperire datum fuerit, præſertim antiquiorum, ſiquidem notum eſt Theſes *rem eſſe brevis ætatis*, ſed quæ repertæ ſunt, eo majoris pretii eſſe debent, quod ſint veluti reliquæ communis naufragii tabulæ.

Porro autem, cum in ambiguo eſſet ab utro theſes illæ conſcriptæ fuiſſent, an a Præſide, an a Reſpondente, ut neutri fieret injuria, viſum eſt amborum nomen referre in indicem Auctorum Aphrodiſiacorum, tanto quidem magis, quod Reſpondens aliquando notior fuerit celebriorque, ut patebit exemplis aliquot infra proponendis.

DE
MORBIS VENEREIS
LIBER SEXTUS.

Index Chronologicus Auctorum, qui de Lue venerea, vel Luis venereæ remediis ſcripſerunt ab anno quinquageſimo ſeculi XVI, ad exitum ejuſdem ſeculi, cum brevi plerorumque Operum Analyſi & Epicriſi.

1550. JOHANNES BAPTISTA MONTANUS, Veronenſis, natus anno 1488, vel potius 1490, Medicinam fecit (*a*) Veronæ, Brixiæ, Neapoli, (*b*) Romæ & Patavii; & in hac ultima urbe etiam publice docuit (*c*) ab anno 1539 annos 12. Lenta tabe confectus interiit anno 1551, ætatis ſuæ 63, vel potius 62, ut diſerte affirmatur a Franciſco Pola, Juriſconſulto Veronenſi, in Elogio Johannis Baptiſtæ Montani, quod proſtat apud Andream Chioccum, *De Collegii Veronenſis illuſtribus Medicis*, *Sect.* 1. C. 13.

Præter Opera alia numero permulta, ſcripſit Montanus duo, quæ ad rem præſentem faciunt, & quæ proſtant in Collectione Luiſinina; 1°. *Tractatum de Morbo Gallico*, qui mantiſſæ inſtar acceſſit *Libris duobus de Excrementis*, *alteri de urinis*, *alteri de fæcibus*, Patavii ſimul & Venetiis editis in 8., anno 1554: 2°. *Conſultationes medicas de variorum morborum curationibus*, opera Hieronymi Donzellini, & Philippi Bechii collectas, & editas (*d*) Baſileæ, in 8. anno 1557, inter quas ſunt Epiſtolæ ad diverſos datæ, ſive *Conſilia ſex de Morbo Gallico*, nempe XXIV. LXII. LXIII. LXIV. LXV. LXVI.

I. Conſtans Auctoris doctrina eſt „ Morbum Gallicum novum eſſe in Europa, ſed „ Indis familiarem, ſicuti apud nos ſcabiem, unde accidit ut cum Columbus una cum „ multis Hiſpanicis acceſſit in Indias illas novas, anno 1492, multi ex illis Hiſpanis ..... infecti ſint tali morbo, qui deinde ad ſuas regiones & ad nos revertentes multos ex „ noſtris infecere.

„ II. Ce-

(*a*) Petrus Caſtellanus in *Vitis Medicorum*.
(*b*) Hiſtor. Gymnaſii Patavini, *Tom.* 1. *pag.* 306.
(*c*) Jacobus Philippus Tomaſinus, in *Gymnaſio Patavino*,
(*d*) Conſultationes eædem jam vulgatæ fuerant Bononiæ, anno 1554. a Valentino Lublino, Polono Medico, Montani diſcipulo.

„ II. Celebrem opinionem eſſe de origine Morbi Gallici, *nempe* morbum illum ab „ influxu cæleſti initium & originem ſuam traxiſſe: ..... Verum opinionem iſtam ſibi nunquam placuiſſe.

„ III. Certum eſſe, quod morbus iſte per contagium acquiritur, & non tantum ex „ congreſſu mulieris cum viro, verum etiam ſi quis cum laborante hujuſmodi morbo, quique puſtulas habuerit, dormierit, eiſque veſtimentis ac rebus, quibus ipſe utitur, „ uſus fuerit, facile infici.

„ IV. Verum morbi antidotum, a Deo glorioſo oſtenſum, eſſe decoctum ligni Gua- „ iacani, „ de quo mira ille prædicat, atque adeo cenſet, præparato prius corpore, morbum ſemper curandum eſſe uſu ligni ſancti, cujus decoquendi, & exhibendi methodum explicat, damnatque eos, qui in vino decoquunt, præſertim aromatico, vel malvatico.

„ V. Eſſe aliud lignum, nuper in Italiam allatum, (radicem Chinæ) quo utuntur, „ ut aiunt, feliciſſime Romæ, & videtur radix cujuſdam Cannæ, & eſt longitudinis „ unius digiti longi, & non admodum craſsum ac etiam inſipidum, ſicuti Canna, & „ dicunt quod decoctum iſtius mirabilem qualitatem habet. *Addit Auctor ſe obſervatu-* „ *rum* an bene ſuccedat in poſterum, *ſed* interea utendum eſse Guaiaco, quo ſcimus „ tolli Morbum Gallicum ex longo uſu.

VI. Ultra decoctum ligni Guaiaci, frequentiſſimum eſse uſum *linimenti Argenti vi-* „ *vi*, & *olei de Calchanto ſeu de Vitriolo*, quæ dicuntur habere proprietatem contra i- „ ſtum morbum, & non tantum utuntur Argento vivo exterius in linimentis, ſed in- „ terius etiam, quod pejus eſt, exhibent in ſuffumigiis vel in pilulis.

VII. At vero Argentum vivum quocunque modo adhibeatur, „ nullam contra mor- „ bum proprietatem habere; immo eſse peſſimum venenum, & exterminandum a to- „ to uſu medicinæ, præcipue in pilulas præparatum, quod licet videatur curare, tamen „ non curat.

VIII. Fatetur Montanus „ ſe cum junior eſset, uſum fuiſse iſto linimento ex *hy-* „ *drargyro*, & viſum fuiſse ſanaſse aliquos, cum tamen non ſanaverit, nam redibat „ poſtea deterior affectio priore.

IX. In Conſiliorum, ſive *Epiſtolarum* II, quæ in Collectione Donzellini, & Bechii numeratur LXII, Auctor ait „ præſente excellentiſſimo Fracaſtorio, inunctione Mercu- „ rii ſtatim quemdam incidiſſe in Epilepſiam, & vix potuiſſe curari ab ea, & nullam cau- „ ſam habuiſſe, niſi eam occaſionem. *Addit* poſt aſſumptionem Argenti vivi ægros i- „ ta decolorari, ut nunquam poſſint redire ad priſtinum colorem, *ex quo fit*, *pergit Il-* „ *le*, ut quando video hominem in facie, interrogem an fuerit illitus aliquo unguento, „ in quo eſſet Argentum vivum, quia tot vidi ut experientia doctus ſim. „ En quo concepta ſemel præjudicia viros etiam doctos tranſverſos agant! Conſtat quidem eos, qui Epileſpſiæ jam obnoxii ſunt, paroxyſmo quandoque tentari in hydrargyroſi, ſi inconſideratius aut præcipitantius adminiſtretur; at vero inauditum eſt quemquam ab Epilepſia vacuum in hunc morbum incidiſſe illitu Mercurii. Similiter ex tot ægrotantibus, qui non hydrargyroſim modo, ſed ptyaliſmnm etiam experti ſunt, vix ullum novi, cui facies decolor diutius peſtiterit, quam ceteris qui ex morbo quovis æque diuturno convaleſcunt.

X. In *ſexto* & ultimo *Conſiliorum*, quæ inſerta ſunt Collectioni Luiſini, ſeu quod idem eſt in LXVI. Collectionis a Donzellino & Bechio editæ, quæſtio eſt de Galeotto Pico II, Mirandulæ Comite, pro quo videmus mox ſcriptum fuiſſe conſilium a Bartholomæo Maggio. „ Statuit *ibi Montanus* gallicam luem ex eo corpore, in quo ſemel egit radices, penitus tolli non poſſe, quamquam ita mitigari atque extingui poſſe non neget, ut per longum temporis intervallum nullam moleſtiam faceſſat.

Porro autem (*a*) Andreas Chioccus duo refert Montani Apophtegmata, quæ cum egregie dicta ſint, ſilentio prætermittere non licet, quamquam a noſtro argumento aliena videri poſſint: Alterum, *in curandis morbis ſæpe nihil agere*, *eſſe totum agere*: Alterum, *Medicorum levium & rudium proprium eſſe*, *felices dumtaxat curationum exitus & eventus jactare & paſſim oſtentare*.

VIDUS VIDIUS, Florentinus, nomen jam ſibi fecerat in patria cum (*b*) in Gallias optimis conditionibus accitus eſt anno 1542. Nempe per id tempus Franciſcus I. Gallium Rex & Literarum parens, *viros doctrinæ laudem florentes conquirebat undique*, ut

(*a*) D. Collegii Veronenſis illuſtrib. Medic. *Sectio* 1. *Cap.* 13.
(*b*) Guillaume du Val, Hiſtoire du College Roial de France, *Pag.* 64.

Collegium Franciæ Regium decoraret, quod nuper Lutetiæ inſtituerat, ceu *eruditionis omnimodæ promptuarium*.

Accepit oblatas conditiones Vidius, eique (*a*) *inter Medicos regios* cooptato, *Medicinam* Lutetiæ *publice docendi munus delegatum eſt*, non in Univerſitate Pariſienſi, ut a nonnullis perperam dicitur, ſed in Collegio Franciæ Regio, quod ab Univerſitate diverſum legibus, diſciplina, inſtituto, & in quo Vidius primus fuit publicus Medicinæ & Chirurgiæ Profeſſor ad annum uſque 1548.

Poſt Franciſci I. patroni ſui mortem, in patriam rediit revocatus a Coſmo I. Magno Etruriæ Duce, (*b*) *ut Medicinam non modo faceret, ſed Piſis publice etiam doceret ampliſſimis ſtipendiis*, quo munere videtur ſatis diu functus eſſe.

Teſtatur Vidius ipſe, beneficii memor, " ne ſibi res anguſta foret domi (*c*) effeciſ-
,, ſe jam ante, tum liberalitatem Franciſci I. Galliarum Regis inviƈtiſſimi, qui illum
,, ſacerdotio ſatis opulento ornaverat, *tum* Coſmi *I. Magni Etruriæ Ducis* liberalita-
,, tem, qui multis illum beneficiis cumulavit. ,, Sane conſtat (*d*) ex Vido Vidio juniore, antiquiorem illum Vidium, patruum ſuum, de quo quæſtio eſt, annos aliquot ante obitum, *Piſciæ .... plæclariſſimi oppidi* in Etruria, *veluti & totius Nebulenſis vallis Antiſtitem fuiſſe*, ibidemque *commoratum eſſe*; hoc eſt, ut opinor, Piſciæ Propoſitum fuiſſe, cum Epiſcopali juriſdiƈtione non modo ſuper civitatem illam, ſed etiam ſuper ſedecim pagos, qui ſunt in valle Nebulenſi finitima; ea enim (*e*) Epiſcopalis juriſdiƈtio Piſcienſi Præpoſito attributa fuerat anno 1519, conceſſione Leonis X. ſummi Pontificis.

Piſis, quo Piſcia delatus fuerat, deceſſit Vidius valde ſenex, quarto Kalendas Junii, anno 1569, non anno 1567, ut a pleriſque Bibliographorum ex errore dicitur.

Præter alia Opera non pauca, ſcripſit Vidius *De curatione* (*f*) morborum *generatim Libros XXXIV; Libroſque alios XI de curatione membratim*, quos affecerat, Vidus Vidius junior, ejus ex fratre nepos, confecit, correxitque, & omnes una edidit Venetiis anno 1611, inſcripſitque Coſmo II, Coſmi I. nepoti.

Laudati operis (*g*) *De Curatione generatim*, *Parte ſecunda*, *Seƈtione* 11, diſſerit Vidius antiquior *de Morbo Gallico*, Lib. III. qui totius Operis Liber eſt XXVII, & diſſerit erudite. Quæ vero diffuſa & diſſipata ſunt, cogi poſſunt ad ſequentia capita.

,, I. (*h*) Anno a Chriſti Servatoris noſtri ortum 1493, Carolus, Galliarum Rex o-
,, ƈtavus, ut Neapolitanum Regnum expugnaret, exercitum fortiſſimum ſuperbiſſimo
,, deleƈtu & duriſſima conquiſitione colleƈtum, in Italiam conduxit, quo non tantum
,, urbes depopulatus eſt, agros vaſtavit, exhauſit domos, ſed totam Italiam, & bre-
,, vi tempore Galliam, Hiſpaniam, Germaniam, atque univerſam denique Europam
,, contaminavit novo ac fœdo morbi genere, quod illum exercitum primo invaſit. Id
,, Galli *Neapolitanum* a provincia, ceteræ Nationes a gente, a qua ipſum receperunt,
,, *Gallicum* nominarunt.

,, II. Gallici morbi hæc eſt ratio: Viro qui cum muliere, & mulieri quæ cum vi-
,, ro ægrotante ejuſmodi malo concubuerit, paulo-poſt ulcuſcula erodentia genitales par-
,, tes occupant ..... ſemen aſſidue præter voluntatem effluit; ſuper veniunt ſimiliter in
,, genitalibus verrunculæ in ſummo aſperæ, ubi ſinduntur ac cruentantur; inguina intu-
,, meſcunt atque inflammantur; erumpunt per univerſum corpus, ſed potiſſimum in
,, capite, in facie, in cervice, in ſcroto, in ano, puſtulæ ſordidæ, lividæ, mucum ſi
,, exprimantur maxime fœtidum fundentes; ubi autem poſt longum tempus aperiun-
,, tur, puſtuloſus locus ulceratus conſpicitur valde ſordidus, exeſus, durus, lividus,
,, aut ſubater; fiunt tubercula dura, quæ ob quamdam ſimilitudinem *Gummi* vulgo no-
,, minantur, tardius autem matureſcunt & interea vitiant oſſa ſubjeƈta in capite, in ma-
,, xilla, in coſtis, in brachiis, in cruribus, ita ut erodantur & in cariem incidant; de-
,, ſtillat a capite pituita acris, quæ linguam exulcerat, erodit gingivas & uvam, cor-
,, rumpit os palati, exeſt extremum naſi, & male uſque adeo afficit partes ulceratas ad
,, quas fertur, ut undique exeſæ decidant; excitatur dolor intolerabilis in capite, in cru-
,, ribus, in brachiis, qui hominem noƈtu maxime torquet; oriuntur in palmis manuum
,, ac plantis pedum impetigines feræ & calloſæ cum rimis quibuſdam; contrahuntur aut
,, reſolvuntur nervi; cadunt dentes, fluunt pili capitis, menti, palpebrarum, ſuperci-
,, liorum; depravantur membra; deformantur, decolorantur & fœtidæ fiunt partes pu-
,, e

(*a*) Vidus Vidius ipſe, *Inſtitut. Medicinæ*, *Lib.* 1. *Cap.* 8 (*c*) Ibidem. (*d*) *Ubi ſupra.* (*b*) De Curatione membratim, *Lib* 8 *Cap.* 8 (*e*) M. A. Baudrand. in *Geographic. Lexic.*, in voce *Piſcia.* (*f*) Prodierat Seƈtio II. Partis illius II. *De curatione generatim*, Venetiis, in 4. *anno* 1586. (*g*) P. 1.

„ pe omnes, tabeſcit corpus totum, oritur febricula, quæ niſi curetur, ægrotantem tot „ malis obrutum conficit. „ Quæ ſunt ipſiſſima ſymptomata, quæ a lue venerea hodierno adhuc tempore induci ſolent, dum ſævit maxime.

„ III. Importantur hæc, aut omnia, aut pleraque a Morbo Gallico, ſingula autem, „ ſi diligenter eſtimentur, non nova, ſed antiquiſſima fuiſſe & omnium ſæculorum reperiemus .... Nulla tamen peſtis, neque ipſe etiam Elephas, (quamvis ex pluribus „ conſtet & huic ſimilis ſit) ex tot malis compoſita, aut legitur ſcripta a Veteribus Medicis, aut perſpecta eſt a noſtris patribus aut avis, ante dictum annum 1494, adeo ut „ Gallicus Morbus novus cenſeri debeat, in omni memoria noſtris regionibus inauditus, „ quem ut ab aere vi aſtrorum affecto incepiſſe videtur veriſimile, ita credibile eſt aliqando ceſſaturum, idque vel ex eo comprobatur, quod in dies lenior efficitur ac mitior. „ Quæ ſane morbi novitatem apertiſſime demonſtrant.

„ IV. (*a*) Teſtantur, qui hiſtoriam conſcribunt, allatum fuiſſe ex Hiſpania, quo tempore Carolus VIII. Gallorum exercitum in Italiam tranſportavit, ſed de ejus ortu „ in Hiſpania non convenit inter omnes. Plerique tamen ex Inſulis nuper in Oceano „ Hiſpanorum navigatione repertis, (ubi quaſi ſcabies frequentiſſimus eſt) eo allatum „ fuiſſe per contagionem aſſeverant. Sed alii ortum ibi eſſe ex morbo Elephante, quo „ graviter oppreſſus dives quidam Eques care noctem emit ſumptuoſæ ac nobilis meretricis, quæ non multo poſt turpis avaritiæ pœnas dedit; contraxit enim virus illud & „ in Gallicum convertit, unde quæ bene valens & formoſa erat, paucis diebus corrupta „ & deformata fuit; .... Quod tamen non ita ſubito accidit, ut non contaminaverit prius „ aliquot, cum quibus concubuit; hi deinde in Italiam ad Neapolitanum regnum defendendum profecti eam peſtem apportarunt meretricibus, a quibus in Gallorum exercitum poſt hæc illata eſt. „ Quæ poſterior hiſtoria de luis venereæ origine, ipſiſſima fabula eſt, quam a Johanne Manardo narratam fuiſſe memoravimus ſupra *Pap. 69.*

„ V. (*b*) Contagio Gallici Morbi nunquam viſa eſt per medium aerem obeſſe vicinis, raro etiam per fomitem, ſed fere ſemper communicatur per contactum, & „ proprie per complexum venereum viris & mulieribus, & pueris meretricio more „ viventibus; omnes enim, licet bene valeant, afficiuntur ab illis cum quibus concumbunt, ſive maribus, ſive fœminis hac peſte ægrotantibus, quæ interdum etiam „ per ſolam oſculationem & contrectationem imprimitur ... Sed quod maxime miſerandum eſt, nutrices & lactentes infantes, cum hoc malo tentatur, mutuo ſe contaminant.

„ VI. (*c*) Credunt plerique eum, quem ſemel hæc peſtis attigit, nunquam reſtitui „ in antiquum ſtatum, ſed ſi quando liberatus videatur, rurſus hac aut illa parte gravius „ tentari, quod fortaſſe verum fuit memoria patrum cum incepit; adeo enim gravis erat, ut vel jugularet quos invadebat, vel certe nullis auxiliis vinceretur. Proceſſu „ temporis evaſit mitior, & inventa ſunt auxilia præſtantiſſima, ita ut homo liberari ex „ toto poſſit & prorſus in priſtinum ſtatum reverti. Ob eaſdem cauſas nunc raro exitialis eſt, cum primis illis temporibus ſæpe hominem tolleret; maxima tamen ex parte „ ubi inſedit, non ſanatur ex toto, ſed levatur aliquantum & (ut vulgo dicunt) magis „ inducias facit, quam pacem .. „ Quæ in melius jam mutata fuiſſe nobis gratulandi locus eſt, cum ætate noſtra raro accidat, ſi forte unquam, ut lues venerea non curetur radicitus, modo remedia ex arte adminiſtrentur.

„ VII. (*d*) Qui cum contaminatis pariter ac cum integris volutantur, ... incidunt in „ hanc peſtem fere perpetuam .... *Quocirca* quicunque cautiores ſunt, diligenter conquirunt bene valentem meretricem, quæ cautio non ſemper ſufficit, cum ſæpe quæ videntur bene valere, miſerabiliter torqueantur hac peſte ..... Percautus & diligens tenendus meretricum delectus, neque ad complexum cujuslibet veniendum, ſed illius tantum quæ nullis hujuſmodi maculis notata, mundo corpore, elota, minus ſuſpecta videatur. Ubi talem quis delegerit, tanto tutior erit, quanto minus cum ea verſabitur. „ En virum egregie religioſum, qui permittat, quid aio, permittat? qui pene ſuadeat meretricias libidines, in quibus ne connivere quidem licitum eſt Medico ingenuo & cordato, nedum eas approbare poſſet Medicus, qui inter clericos nomen adſcripſerat, qui beneficio eccleſiaſtico dudum fruebatur, qui forte jam parochus erat.

VIII. „ (*e*) Qui ſemel liberati ſunt a Morbo Gallico, ... quamquam minus contaminantur, & contaminati minus affliguntur, (*quod utrumque falſum eſſe nunc conſtant*) efH 4 fuge-

(*a*) Cap. 3. (*b*) Cap. 3. (*c*) Cap. 7. (*d*) Cap. 8. (*e*) Cap. 9.

,, fugere contagionem debent, ne in eumdem morbum rurſus incidant.... Neque enim ,, evenit his, quod illis qui Variolas ſemel ſunt experti; nunquam enim amplius ten- ,, tantur ejuſmodi puſtulis, neque ſimili contagione afficiuntur.

IX. (*a*) Multa profert de Guaiaci, Chinæ & Sarſæ parillæ natura, virtute, admi- niſtratione, efficacitate, &c. ſed quæ nullibi non proſtant. Putat Guaiaci decoctum præ ceteris ad curationem luis venereæ efficaciter valere: Secundum locum aſſerit de- cocto radicis Chinæ, & tertium decocto Sarſæ-parillæ. Illa vero ſuccedanea remedia, quæ adverſus eamdem luem facere creduntur, ut Juniperum, quo *Africani utuntur pro Guaiaco*, Buxum, Quercum, radices Arundinis, Perſonatæ, Smilacis aſperæ &c. pa- rum proficua arbitratur.

,, X. (*b*) Medici Morbo Gallico cum extremum, ut extremo remedio, medentur hy- ,, drargyro (latine *Argentum vivum* ſeu *liquidum* nominatur) non ignorantes ipſum in ,, venenis poni, eſſeque remedium periculoſum multique laboris, & ubi non caute ad- ,, hibeatur, interitum, ubi caute, non mediocria mala afferre poſſe; minus tamen da- ,, mnum anteponunt majori, potiuſque eligunt quod ab hydrargyro, quam quod a Gal- ,, lico Morbo timetur. Vident autem hoc præſidio non modo extingui ac deleri jam ,, adultam peſtem, ſed ſtirpem etiam ac ſemen totius mali, quod vix poteſt ſuccede- ,, re alia via, & propterea exiſtimant datum a natura hydrargyrum, ut ſit auxilium ,, Gallici Morbi, cujus incommodis adeo ſuccurrit, ut Deus feciſſe medicinam videa- ,, tur. ,, Non miror hydrargyrum laudari, ceu remedium efficax adverſus luem vene- ream; hæc enim cum certiſſima experientia conſentiunt: Miror potius Vidii ævo, hoc eſt, anno 1550, imo fortaſſe 1560, potuiſſe etiamnum pro veneno haberi, necdum tan- dem compertum fuiſſe erudito præſertim Viro & in arte exercitato, hydrargyrum, ut præſentiſſimum, ſic quoque ex ſe remedium eſſe plane innocuum.

XI. Multis (*c*) deſcribit inunctionum mercurialium moleſtias; tædia ſalivationis, ex- ulcerationis oris, gingivarum, faucium, manducandi & deglutiendi impotentia; la- pſus dentium, tetrum oris fœtorem, vigilias, alvi profluvia, &c. quæ ſane ſympto- mata, cum graviſſima ſint, abunde indicant hydrargyrum olim doſi nimia & inconſi- deratius illitum fuiſſe, & quibus non miror ſi ea curationis ratio quondam apud ple- roſque infamata fuerit. At vero nunc tam periculoſa, nec tam lubrica res eſt, & ut hydrargyrus cautius adminiſtratur, ſic pacatius quoque vim exerit, & ſi non perpetuo abſque omni incommodo, at perpetuo ſaltem abſque diſcrimine. (*d*) *Didicimus* enim *periculis noſtris* & *experimenta* non *per mortes* quod iniquius dictum videtur, ſed per pe- riclitationes *egimus*. Cunctis tamen rite penſitatis concludit Auctor ,, mala, quæ *inun- ,, ctionibus* ſuperveniunt, brevia eſſe & non tanta quæ nos debeant ab hac medicina ,, deterrere, quæ poteſt Morbum Gallicum cum tot incommodis junctum exſtirpare; ,, *additque Hydrargyrum* validiſſimum eſſe remedium, & non tantum Gallico Morbo, ,, qui graviſſimus eſt, ſed aliis levioribus etiam ſuccurrere; ut Scabiei, quod & Avi- ,, cenna teſtatur, & Auctor Libri de *Dynamidiis*, Galeno attributi, qui ipſum extin- ,, gui docet cinere & ſputo, unde fortaſſe moti ſunt, qui hoc remedio primum ſana- ,, re Morbum Gallicum tentarunt.

XII. Triplicem agnoſcit hydrargyri ,, (*e*) apparatum, cum vel ad liquidi cerati, quod ,, illinitur, vel ad emplaſtri formam componi poſſit, ,, vel ex ſuffimento adhiberi forma ,, cinnabaris. ,, Lutetiæ Pariſiorum, *inquit*, ubi maxime (*f*) frequentatur hoc remedium, (*Inunctio ex hydrargyro*) plerique accipiunt adipis ſuillæ *uncias* octo, olei amygdalini *un- ,, cias* duas, hydrargyri ſaliva extincti *uncias* quatuor, quæ ſimul ſubacta dum in unitatem ,, quamdam coeant, adhibent, & cum ſatisfacere videant, ſupervacuam putant aliorum ,, mixturam.... Ad emplaſtri *vero* confectionem, præter hæc, duri aliquid accipitur, ut ,, cera, maſtiche, myrrha, argenti ſpuma. *Demum* (*g*) longe efficacius eſt ſuffimentum ,, cinnabaris, quam ceratum aut emplaſtrum ex hydrargyro, cum magis ad intimas par- ,, tes feratur vapor ille p r cutem a calore rarefactam, quam craſſior materia tam cerati ,, illiti, quam emplaſtri ſuper-impoſiti. Quamobrem tantum abeſt, ut minus ſuſpectum ,, eſſe debeat ſuffimentum, quam ceratum vel emplaſtrum, ut longe magis pernicioſum ,, ſit; minus periculoſum eſſet, ſi tantum crura & brachia ſuffumigarentur, ſed quod ,, ſæpe exitioſum eſt, ſuffumigatur venter ac thorax, & incluſo atque obvoluto capite ,, attrahuntur venenati illi vapores ore ac naribus.

XIII.

(*a*) Capp. 10. 11. & 12. (*b*) Cap. 13. (*c*) Cap. 13. (*d*) Plin. Hiſtor. Natural. *Lib.* 29. *Cap.* 1.
(*e*) Cap. 13. (*f*) Hæc debent intelligi ab anno 1542, quo Vidius Lutetiam venit, ad annm uſque 1548, quo rediit in Italiam. (*g*) Cap. 14.

XIII. Demum *Capite ultimo* qui XVI eſt Libri, Vidius agit de curatione ſymptomatum conſequentium Morbum Gallicum, nempe „ Dolorum nocturnorum, fluxus gonorrhoici, defluvii pilorum, Ulcerum, Puſtularum, Tumorum durorum *ſive Gummatum*, verrucarum in genitalibus, impetiginis in palmis manuum & plantis pedum, cariei oſſium, lapſus dentium, „ ſed hæc ſingula paucis & perfunctorie tractat.

BARTHOLOMÆUS MAGGIUS, Bononienſis, (*a*) Philoſophus ac Medicus ætate ſua celeberrimus, & publicus Chirurgiæ Profeſſor in Academia patria, coluit amicitiam 1550. Cardinalis Johannis Mariæ del Monte, qui ſummus Pontifex electus anno 1550, appellari voluit Julius III, & apud quem magno loco fuit; unde factum ut ubi primum Cardinalis ille ſupremum Pontificatum obtinuit, Maggium Romam acciverit, ac illi Archiatri ſui munus detulerit. Sed cum is ex temperie aeris romani male haberet, miſſionem brevi petiit, ac demum obtinuit. (*b*) Paulo poſt mortem obiit Bononiæ, VIII. Calendas Aprilis, anno 1552, natus anno 75 & Menſes 7.

Maggius conſilium Medicum *in Capita VI.* diſtinctum ſcripſit anno 1550 pro Galeotto Pico II. Comite Mirandulæ & Concordiæ Domino, pro quo Montanus Conſilium quoque ſcripſerat. Laborabat ille *Morbo Gallico* jam ab annis novem, hoc eſt, ab anno (*c*) 1541. contracto, qui ſemel viſus debellari uſu decocti Guaiaci, ita recruduerat, ut (*d*) æger laboraret tunc ulcere skirrhode & *rhagadioſo* in ano, duritie hepatis cum ictero, *caſu pilorum barbæ cum maxima totius corporis demacratione & decoloratione faciei tendente ad fuſcum*, (*e*) *ulcuſculis narium*, demum *cutis aſperitate & maculis rubeis, quæ aſſimilabantur Eſsare Arabum*.

Refert Maggius (*f*) Galeottum *quater aſſumpſiſſe Guaiaci ligni decoctum, & nunquam in totum potuiſſe liberari, quod fortaſſe fuit vel quia denuo infectus fuerit, quod facile evenire potuit, cum alias mulieres & Venetiis & Galliæ* (ſic) *pertractaverit,... aut quoniam nondum tota illa malignitas per medicamenta penitus diſcuſſa fuerit*.

Fatetur Maggius *duo eſse remedia alexipharmaca aut antidota in Morbo Gallico, lignum Guaiacum & Argentum vivum*, ſed addit *de Argento vivo pro Illuſtriſsimi Domini curatione non eſse loquendum*, neque tamen rationem ullam affert hujus aſſumpti. Inde tantum concludit, *quod quamvis æger decocta de ligno ſæpius aſsumpſerit, & tali morbo non convaluerit, nihilominus a tali antidoto non ſit diſiſtendum, quia tutius eſt ceteris aliis in hoc morbo*. Verum ut intendatur Guaiaci efficacia præſcribit, ut præmittatur vel conjungatur uſus variorum purgantium & alterantium, in quibus proponendis multus eſt, ſed quæ plane inefficacia ſunt.

JOHANNES (*g*) ELISIUS vel (*h*) ELYSIUS, Neapolitanus, Doctor Medicus.

Scripſit *de Curatione Morbi Gallici contra Barbaros & vulgares Empiricos*, ſecundum Simlerum, Spachium, Gallum & Sckenchium; ſed Lindenius, Mercklinus & Mangetus, qui de ceteris ejuſdem Auctoris ſcriptis mentionem faciunt, de illo Libro, de quo quæſtio eſt, ſilent, quamobrem æquo Lectoris judicio permitto, ut ſtatuat ipſe utra pars potior videatur.

Auctoris illius ætatem ignoro, ſed cum ille anno 1553 publicum fecerit Venetiis (*i*) *Tractatum de Balneis totius Campaniæ, item Ænariæ, inſulæ, ejuſdemque mirabili incendio*, facile conjicio circa annum 1550. vixiſſe.

BENEDICTUS VICTORIUS, Faventinus (k) nepos Leonelli Victorii Bononiæ medicorum principis ætate ſua, *primum Theoricæ Medicinæ locum tenebat* (*l*) *anno* 1454 *in Patavino Gymnaſio*, (*m*) anno vero 1551 *Medicinæ Theoriam ordinario in Gymnaſio Bononienſi edocebat*.

Scripſit Bononiæ, (*n*) *anno ætatis ſeptuageſimo*, Librum *De Morbo Gallico & ejus cura*, in *decem Capita* diſtributum, qui editus eſt eodem Anno, cum hac Inſcriptione:

> *Benedicti Victorii, Faventini, Liber de Morbo Gallico. Huic annectitur de curatione Pleuritidis per ſanguinis miſſionem Liber ad Hippocratis & Galeni ſcopum.* Florentiæ, *apud Laurentium Torrentinum*, 1551 in 8°.

Cenſet

(*a*) Mandoſius, In *Vitis Medicorum Pontificiorum*.
(*b*) Pellegrino Antonio Orlandi, *Notizie degli Scrittori Bologneſi*.
(*c*) In proœmio. (*d*) Cap. 1.
(*e*) Cap. 4. (*f*) Ibidem.
(*g*) Simlerus, Spachius, Gallus, Schenckius, Mangetus.
(*h*) Vanderlinden, Mercklinus.
(*i*) Apud Gallum & Schenckium.
(*k*) Mercklinus, in *Lindenio renovato*.
(*l*) In fine Tractatus *de Curatione Pleuritidis*. (*m*) In fine Tractatus *De morbo Gallico*.
(*n*) Ibidem.

Cenſet Auctor in hoc Opere, I. (*a*) Morbum Gallicum ,, *epidemialem* eſſe, *quia ſi-*
,, *mul uno in loco multos invadit*; *non tamen peſtilentem*, *quoniam non interimit*.

II. Tres (*b*) morbi cauſas eſſe : ,, *Primam*, contagium ex concubitu : *Alteram*, ſpi-
,, ritum qui reſpirando attrahitur ; Equidem, *inquit* experientia edoctus fui juvenem ſe-
,, re inculpabili ſanitate munitum, longo quodam temporis intervallo aſſuetudinem te-
,, nuiſſe quam ſæpiſſime mulierem gallico morbo depravatam ore exoſculare . At per
,, Jovem nullo exercitato coitu, ſed ſolo ſtatu & ſpiritu a muliere, motu reſpirationis
,, attracto fœda & jam morbo Gallico detenta, (*ſeu potius ulcerati oris attactu*) Ju-
,, venis hic in morbum cecidit Gallicum, occurſantibus ei omnibus morbi illius ſym-
,, ptomatibus, abſque penis infectione, neque quidqnam in pudendis & genitalibus ap-
,, paruit : *Tertiam* demum, cæli ſtatum, nempe varios aſtrorum influxus, atque eorum
,, aſpectus diverſos .... *unde nemo inquit*, turbari debet, ubi quiſpiam aſſeverat hominem
,, Gallico morbo aliquando corripi poſse, nulla cum infecta muliere habita coitione,
,, nulloque commercio,

,, III. (*c*) Si poſt novam genitalibus communicatam in viris atque mulieribus urina
,, adfuerit ſubalbida, nullo in ea apparente coctionis indicio judicium certum eſſe præ-
,, ſenti morbo Gallico humanum corpus depravatum fore : ,, quod a nullo præter Victorium
,, notari memini & quod falſum eſſe pro comperto habeo . Aſſerit denuo *ibidem* ſe
,, firma fide opinari contagium ipſum non eſſe exquiſite neceſſarium ad morbi Galli-
,, ci proventum, ſed præſentis cæli ſtatum cum humorum ſtatu putreſcentium ſufficere.
,, Sane, *inquit*, occurrerunt mihi quandoque honeſtæ & ſanctæ Moniales, ſub fortiſſi-
,, mis clauſuris obſeratæ, ſub ardua quippe & inviolabili cuſtodia, quæ ex præſentis
,, cæli ſtatu, atque ex ſtatu humorum in eis putreſcentium cum ſtatu imbecillium
,, membrorum, ſorte ſua mala in Gallicum cecidere morbum. ,,

IV. Curationem obtinendam eſſe (*d*) 1°. Per victus rationem ; 2°. Per medicinarum
,, oblationem ; 3°. Per manuum opera, quæ Chirurgia perficit. De his Victorius tractat
copioſiſſime Capitibus tribus *quarto*, *quinto*, & *ſexto*, ſed hæc ad methodicam therapeiam pertinent, de qua jam ſatis fuſe, & quæ nullius pretii eſt.

V. (*e*), Durationem morbi gallici quam Unctiones & linimenta ex Mercurio confe-
,, cta perficiunt, periculi plenam eſſe, & quam prudenter Medici proſequi haud qua-
,, quam debent, niſi cum timore & cautela .... Si unguentum ex Mercurio factum,
,, leve & minoris quantitatis argenti vivi, inungendi tempus eſse dierum novem vel decem;
,, ubi vero fortius & majoris argenti vivi quantitatis exſtiterit, inunctionis tempus eſse,
,, quinque vel ſex dierum .... A curatione morbi gallici, quam aliqui imperiti & im-
,, prudentes Medici, vel truſatores ex ſuffumigiis moliuntur tenentibus ſubſtantiam mi-
,, nii, vel cinabrii, vel argenti vivi ſublimati cavendum eſse, uti ab inimico necem
,, inferente .... Igitur etſi uterque hic modus curæ gallici morbi, (*per unctiones & per*
,, *ſuffumigia*) fallax atque periculoſus ſit, minoris tamen periculi hunc eſse, qui un-
,, guento ex Mercurio confecto molitur, eo qui per ſuffumigia exercetur.

VI. (*f*) Omnibus Gallici morbi curativis intentionibus expeditiorem eſse atque ſe-
,, curiorem & minus periculoſam illam, quæ potu decocti ligni Guaiaci efficitur ; ,,
,, quapropter eamdem pluribus deſcribit.

,, VII. (*g*) Quamquam nonnulli de Neotericis Medicis *aliter ſentiunt*, putare ipſum
,, Medicos nullo criminari errore, ubi ad thermas calidas, non quippe valentis Calidi-
,, tatis, Gallica corpora conſimilis temperaturæ conducent : Et in hoc, *inquit*, indu-
,, bitatam facio fidem examinata ægrotantis temperie, pariterque & thermarum Ita-
,, liæ, me ad thermas calidas gallica miſiſſe corpora, non valentis *tamen* & urentis cali-
,, ditatis ..... *Nam* thermas multum excedentis caliditatis his gallico affectis morbo
,, prohibui. ,,

VIII. Enumerat (*h*) præcipua luis venereæ ſymptomata ,, 1. Dolorem capitis ; 2°.
,, Tubercula gummoſa in capite, atque in membranis tegentibus oſſa ; 3. Ulcera,
,, quæ corpori gallico inſurgunt ; 4. Fœdum ulcus in pene oriens ex contagio, *ulcu-*
,, *ſculum cancroſum*) aut profluvium ex eo ſuperfluitatis putreſcentis, (*gonorrhœam vi-*
,, *rulentam*) aut tumorem & inflammationem in inguinibus, (*Bubonem*) ; 5. Alopeciam
,, ſeu pilorum caſum, quod ex morbo gallico ſymptoma *ait ille* ſuis temporibus,
,, *hoc eſt anno* 1550, contingere ; 6°. Tubercula calloſa plantis pedum contingentia ;
7°. Quaſ-

(*a*) Cap. 1. (*b*) Cap. 2. (*c*) Cap. 3. (*d*) Cap. 4.
(*e*) Cap. 7. (*f*) Cap. 8. (*g*) Cap. 9. (*h*) Cap. 10.

„ 7°. Quaſdam corroſiones & ſciſſuras in palmis manuum ortas; „ variaque proponit remediorum genera, quæ ad hæc ſingula ſymptomata faciant:

IX. Negat *in fine Operis* „ Tractatulum quemdam alium de Gallico morbo Baſileæ „ (*a*) impreſſum, & ſibi adſcriptum a quibuſdam errore ductis, ex officina ſua erutum „ eſſe, niſi forte fortuna id contigerit ut per modum empiricum præſidia quædam mor- „ bo convenientia Gallico, quibuſdam ſuis diſcipulis, qui ad hoc illum impulerint, „ condonaverit. „

Extat præterea *Conſilium* Medicum Auctoris ejuſdem pro *Reverendo D. Bartholomæo, Vicentino*, in quo ad morbum Gallicum proponit tantum diætam, & uſum medicinarum alterantium & purgantium. *Ubi vero*, ſubdit Ille, *forte fortuna his non ſaneſceret Reverentia ſua, conſulo ut non ſubmittatur inunctioni ex Mercurio propter nocumenta, quæ ſuæ Dominationi facile contingere poſſent: eam autem devenire ad potum decoctionis aquæ ligni Guajacani cum convenienti ordine & rectis modis dictæ non poſſum vituperare, ſed ſumme laudare....... Ubi vero hæc non in totum patientem ſanarent, conſulo ut fiant duo vel unum ſaltem cauterium in cruribus.*

Hoc autem Conſilium excerptum eſt ex *medicinalibus* Auctoris *Conſiliis*, quæ primum excuſa ſunt Venetiis apud Vincentium Valgriſium anno 1551. Eodem quoque anno primum typis editus fuit Liber *De Morbo Gallico & cura ejus*, de quo ſupra, unde colligere eſt Benedictum Victorium, qui tum ſeptuagenarius, erat natum eſſe circa annum 1481.

ANTONIUS MUSA BRASSAVOLUS, Ferrarienſis diſcipulus Nicolai Leoniceni, ut (*b*) ipſe teſtatur. Tractatum juſtæ magnitudinis de Morbo Gallico conſcripſit anno 1551, quem conſtat totum exerptum eſſe ex Opere ampliore *De examine omnium Loch, hoc eſt Linctuum; Suffuf, id eſt pulverum; aquarum, oleorum & decoctorum, quorum apud Ferrarienſes Pharmacopolas uſus eſt*, quod Venetiis typis excuſum fuit *in* 8°. anno 1553. apud Juntas.

Hujus Operis *Libro ſexto*, in quo *de Decoctis*, a propoſito digreſsus de Morbo Gallico multa diſſerit egregie.

I. De morbi natura, origine, novitate affert, eadem, quæ jam ſæpius in præcedentibus retulimus.

II. Diſtinguit 234. ſpecies diverſas Morbi Gallici pro diverſo diverſorum ſymptomatum plurium pauciorumve concurſu, ſed hæc oſtentationis ergo, magis quam utilitatis. Id unum videtur dignum eſse quod adnotetur, nimirum referri a Braſsavolo, qui ſcribebat anno 1551, ut liquet ex pluribus Tractatus locis „ a viginti annis citra „ hoc eſt *ab anno* 1531, „ alias quaſdam ſymptomatum ſpecies ortum habuiſse, quæ an declinan- „ tem morbum ſequantur, an aliquo modo immutatum ſit genus, ait ambigendum eſse. „ Quinque vero ſunt potiſſimum modi illi novi, quos refert: Unus, qui vulgo *Pellaro-* „ *la* vocatur, vel defluvium pilorum, ab aliquibus Alopecia ...... Alius eſt modus, „ qui vulgo dicitur *Dentarola*, quoniam dentes patienti decidunt.... Tertius modus, „ eſt unguium caſus, ... quem vulgus vocat *Unguiarolam*:...... Quartus modus eſt „ ceteris deterior & ſumme verendus, in quo homines oculos amittunt, & *Occhiarolam* „ vulgo nuncupant.... Quintus modus eſt *Gonorrhæa*,.... qui modi non aderant ante an- „ num vigeſimum.

III. Probat cum Leoniceno, quem laudat, Morbum Gallicum diverſum eſse ab Elephantiaſi, Lepra, Lichenibus, Pruna, Igne Perſico & Aſaphati.

IV. Cenſet contagium venereum admitti per contactum triplici via; 1°. *Per Coitum*, & tunc partes pudendæ primum afficiuntur; 2°. *Per Lactationem*, & tunc morbus per mammas invadit; 3. *Per oſcula cum vibratione & conflictu linguarum*, & tunc exulceratio in faucibus & palato contrahitur. Addit „ *per anum* quoque recipi, ... & cum „ hoc fieri non poſſit niſi ex concubitu præter naturam, idcirco hoc videtur divinum in „ his, qui per hanc viam ſumpſere contagium, quod affectus his gallicus ſemper ſæ- „ viſſimus eſt, ob vindictam quam ſumit Deus de hoc nefando ſcelere; & quamvis di- „ ci poſſit magis imprimi ob loci arctitudinem, tamen ut ab hoc nefando ſcelere ho- „ mines deterreamus, dicendum eſt eſſe Dei omnipotentis judicium, quod pro meritis „ illos ita tractat, & longe vehementiorem morbum efficit, cum per talem locum „ contagium recipitur.

V. Affir-

(*a*) Apud Johannem Bebelium *anno* 1536, in Collectione Baſilienſi.
(*b*) Initio *Tractatus De Morbo Gallico*.

V. Affirmat „ ad ſuum uſque tempus non eſſe viſum, neque cognitum, quod quiſ-
„ piam niſi per coitum, vel per oſculum, vel per mammas hunc morbum receperit.
„ Tamen *pergit Ille*, quantum in me eſt, cum eo haud cubarem, qui ſcabie gallica
„ affectus eſſet, neque in eodem poculo biberem, aut in eadem ederem lance, neque
„ eadem uterer mappula ad extergenda labia, tamen nunquam aliquem novi qui mor-
„ bum hoc modo ſuſceperit, per ſolam ſcilicet converſationem, neque quempiam au-
„ divi, qui id viderit.

VI. In curando morbo Gallico, qui recens eſt, utitur tantum alterantibus & evacuantibus, ſed ad affectiones ſingulas locales, quæ in pudendis eveniunt, ut ulcuſcula cancroſa, puſtulas, gonorrœam, phimoſim, bubonem &c. præſcribit uſum topicorum.

VII. Si vero morbus inveteratus ſit, poſt debitam præparationem quatuor proponit remediorum genera, *Suffumigium*, *inunctionem*, *decoctum ligni Indici*, *& quartum nuper additum*, *quod eſt Decoctum radicis Chinæ*.

VIII. ſuffumigium ſemel tantum in die *per octo vel ad ſummum per decem dies exercendum eſſe* dicit: Et „ ne dentes, *inquit*, doleant, vel ne tam cito, ſingulo mane ſcru-
„ pulus unus pilularum Alexandri exhibendus eſt, *quibus alvus ſolvatur*. *Æger* ſuffu-
„ migandus eſt exerto e conopeo capite; *alioquin* periculoſiſſimum eſt. *Hoc remedio*
„ plerumque gingivæ ulcerantur, lingua & fauces; & tum gargariſmatis uti oportet.
„ *Porro notat ille ſe* rariſſimos vidiſſe qui fuerint per ſuffumigium ab affectu Gallico pe-
„ nitus abſoluti, licet aliqui plus temporis intermiſerint, alii minus a recidivatione;
„ ſed pro majori parte in recidivam incidere. „

IX. Utramque methodum utendi Mercurio vel in ceratis vel in linimentis deſcribit. Cerata mutanda cenſet *tertio quoque die per novem dies*; linimenta vero admovenda *ſemel quolibet die per dies novem vel decem*; ſed *ſingulo mane ſcrupulum unum pilularum Alexandri* exhibendum eſſe, *ne gingivę*, *palatum & fauces exulcerentur*: Ceterum *multum non propter ejuſcemodi cerata*, *quoniam fallacia ſunt*; *nam etſi unum quandoque in ſanitatem reſtituant*, *decem erunt qui ſanitati minime reſtituentur*.

X. Multis explicat & modos varios componendi linimenta mercurialia, & cautiones ſecundum quas debent illini; ac demum concludit *ſe rariſſimos vidiſſe*, *qui per inunctionem non ſint ſanitati reſtituti*, *vel pro parte ſaltem ab ægritudine abſoluti*, *quamvis nonnulli ſint qui inunctiones reprehendant*, ſed quas Braſſavolus ait *ita ſalutares eſſe*, *ut Diis potius quam ab hominibus inventæ videantur*.

XI. Multa profert de electione & præparatione ligni indici, & adminiſtratione ejuſdem decocti, per dies fere quadraginta exhibendi, quo tempore tenuiſſimo victu æger nutriendus eſt, ut jam alibi docuimus. Porro aſſerit Braſſavolus *inunctionem & decocti Guaiaci potionem illa eſſe*, *quæ potiſſimum & vere in ſanitatem deducunt*.

In Tractatu *altero*, qui *de radicis Chinę uſu* inſcribitur, Braſsavolus profert modum utendi decocto radicis Chinæ, quam in Italiam non ita diu advectam eſſe ait.

Adeſt & Tractatus *tertius* in quo Braſſavolus reſpondet *Quæſtionibus Alexandri Fontanæ*, *Medici Mutinenſis*, *de Morbo Gallico & de Ligno Indico*, ſed in quo vix quidquam eſt quod ſit notatu dignum.

Joſephus Scaliger de Braſsavolo peſſime ſentiebat, cum (*a*) ſcribere ad Franciſcum Vertunianum 4. *Nonas Februarii anni* 1675, jam dudum ſibi perſuaſiſse & ex Braſsavolæ Scriptis comperiſſe, *nihil aliud eum Virum fuiſſe quam Cymbalum ineptæ Medicorum plebis*; in quo videtur quidem Scaliger iniquior eſse, ſed unde liquet Braſsavolum jam tum fato functum fuiſse.

Andreas Lacuna, natus (*b*) Segoviæ, ut creditur, anno 1499, in urbe veteris Ca-
1551. ſtiliæ, literis humanioribus Segoviæ in urbe patria, Salmanticæ Dialecticæ, & Lutetiæ Pariſiorum literis grecis ſub Petro Daneſio & Jacobo Tuſano vacavit. Reverſus eſt e Gallia in Patriam anno 1536, Doctoriſque gradum aſsecutus in Toletano gymnaſio, Medicinam aliquandiu exercuit in exercitibus Belgicis Caroli V, unde conceſſit anno 1540 in urbem Metenſem, ubi per quinquennium Medicinam cum laude fecit. Inde in Italiam profectus, Romæ annos duodecim Medicinam profeſsus eſt, ac
(*c*) inter

(*a*) in Epiſtolis ad diverſos.

(*b*) Didacus Comenares, *in Segobienſis urbis Hiſtoria*, apud Nicolaum Antonio, *Bibliothec. Hiſpan.* Tom. I. Pag. 59.

(*a*) inter Medicos Julii III. Summi Pontificis cooptatus eſt patrocinio Franciſci a Mendoza, Cardinalis Burgenſis. In Hiſpaniam jam redierat ab anno 1557, cum miſſus eſt in Galliam anno 1559, ut Medici munere fungeretur in deducenda Eliſabetha, Henrici II. Francorum Regis filia, ad Philippum Hiſpaniarum Regem, ejus ſponſum. Tot ac tam variæ peregrinationes ſatis probant a Lacuna vere olim dictum fuiſſe ſe (*b*) *per Hiſpaniam, Galliam, Angliam, Germaniam, atque Italiam oberraſſe*. Deceſſit anno 1560.

Methodus cognoſcendi exſtirpandique excreſcentes in veſicæ collo carunculas. Romæ, 1551, in 12. *foliorum* 24.

Auctor in Epiſtola nuncupatoria *Marino Spinello*, *Archiatro Viceregis Neapolitani*, inſcripta dicit „ eos, qui apud ſe nonnulla ſecreta naturæ vel artis medicæ ſupprimunt, „ quibus vitam juvare poſſent mortalium, gravanturque ea in publicam omnium com„ moditatem edere, communes, capitaleſque humani generis hoſtes cenſendos eſſe ut„ pote homicidas teterrimos; non ſecus atque illos qui cum horrea magnis habeant „ frumenti acervis referta, eſurienti haud condoleſcunt plebeculæ, ſed permittunt ut „ in maxima caritate annonæ conficiatur extrema fame & inopia.

Quocirca, ne in tantam vituperationem veniret, Lacunæ viſum eſt *in communem hominum uſum*, qui carunculis in veſicæ collo innatis cruciantur, *methodum ſalutarem exterminandi hunc morbum tradere*, *quæ a Philippo* quodam *Luſitano*, *homine quidem empirico, ſibi fuerat haud ita pridem communicata*, & cujus Philippum illum *primum inventorem eſſe* opinabatur.

In eo autem ſumma curationis hujuſce ſita eſt, ut (*c*) „ cerea candela, ea videlicet „ craſſitudine, quam meatus urinarius facile excipere poſſit, „ in veſicam intrudatur, „ & intruſa detineatur aliquandiu, „ Quippe candela ipſa compreſſa, ſuccinctaque a ca„ runcula, veluti a nervo quodam arctiſſimo, veram ſedem illius indicabit, poſteaque „ in ea ipſa parte, quæ cincta & ſignata fuerit, emplaſtrum ſuperfluæ carni exeden„ dæ aptum recipiens, accurati emmoti ac linicinii vicem præſtabit.

„ Quod ſi non una tantum, ſed plures præter naturam carunculæ diverſas partes mea„ tus urinarii infeſtent, totidem in partibus candelam ſuccinctam eſſe comperies, quot „ ipſe carunculæ exſtiterint. (*d*) Extracta candela inſpiciendum curioſe eſt, qua in par„ te ſit contuſa & compreſſa, nam circa eam ipſam partem eſt obducendum Philippi „ emplaſtrum;.. .(*e*) & ne id videlicet exſtans, eminenſque penetrare ad affectam „ ſedem ob inæqualitatem non poſſit, evacuanda eſt deradendaque modice ipſa candela „ circa eam partem, quæ receptura eſt emplaſtrum. (*f*) Hoc autem emplaſtrum facul„ tate admiranda præditum eſt, quippe quod partes quidem ſanas tuetur atque conſer„ vat integras; eas vero, quæ una cum ulcere excreſcunt, abſumit abſque inſigni do„ lore. Ejus autem deſcriptio talis eſt.

℞ *Æruginis*.
Auripigmenti.
Chalcitidos, quam in officinis Vitriolum *nominant*,
Aluminis Rochæ, ſingulorum ℥ij.

Perfuſa quam acerrimo aceto, inter duos marmoreos vel porphyrites lapides ducantur accuratiſſime, redactaque in lævorem tenuiſſimum exponantur Soli caniculari.

Exſiccatus pollen rurſus aceto affuſo ducendus ac lævigandus eſt, Solique ſimiliter exponendus, id quod octo aut novem dierum curriculo facere non ceſſabimus, donec partium ſumma tenuitate acquiſita omnem prorſus acrimoniam atque mordacitatem amiſerit......

Confecto pulvere accipito
Argenti ſpumæ, quæ & Lithargyros *appellatur* ℥ij.
Oleo roſacei ℥iv.

quibus

(*a*) Ipſe Lacuna, in *Epiſtola nuncupatoria* ad Julium III. commentario *De articulari Morbo* præfixa.

(*b*) In Epiſtola Nuncupatoria ad Julium III. ſummum Pontificem, præfixa *Tractatui de Articulari Morbo*.

(*c*) Lacuna Method. exſtirpandi carunculas, *Pag.* 34. & *ſeqq.*

(*d*) Ibidem. *Pag.* 38.

(*f*) Pag. 43.

(*e*) *Pag.* 39. Attribuitur ab Alphonſo Ferro hoc Emplaſtrum Alexandro, Medico Græco. Vide Pag. 670. Sed videtur potius compoſitum ad formam Paſtillorum illorum cathæreticorum, Andronis, Polyinæ, &c. qui olim adhibebantur ulceribus Chyroniis.

quibus per coćturam ad emplaſtri corpulenti conſiſtentiam redaćtis, illius uncias duas permiſceto conficitoque medicamen duriuſculum, ut candelæ.... adhærens diffluere a propria ſede vel ſi comprimatur, non poſſit.

Licet autem pro lubitu emplaſtri efficacitatem varie variare pro diverſa pulveris doſi, quæ emplaſtro additur: Nempe efficacius & acrius erit emplaſtrum, ſi pulvis cum emplaſtro ad æqualem; contra mitius, ſi ad ſubduplam vel ſubtriplam quantitatem permiſceatur.

Omitto de induſtria tum remedia, quibus ægrotos ante uſum emplaſtri præparari expedit; tum cautelas, quæ in adminiſtrando emplaſtro adhiberi debent; tum methodum, qua ulceri poſt deraſas carunculas in urethra ſuperſtiti cicatrix poteſt obduci; quandoquidem hæc omnia vel ex ſe aliunde nota ſunt, vel poſſunt ex ipſo libro repeti.

Refert autem Lacuna propoſita methodo a Philippo illo Luſitano perplures Romæ ſanatos fuiſſe, ac inter ceteros (*a*) *Ferdinandum a Cardona, Almirallum Neapolitanum, & Ludovicum Caravajallum, non minus propriis meritis quam proſapia majorum clarum.*

Ceterum Aućtor ille initio Libelli ſui inter præcipuas caruncularum cauſas, in quas inquirit, recenſet gonorrhœam quamcunque in genere, illam vero maxime, quæ contrahitur (*b*) *ob inexauſtam libidinem, acceſſumque ad putida ſcorta, præcipue dum illis menſtrua deſcendunt*; quibus verbis, ut opinor, gonorrhæa virulenta intelligi debet, qua conſtat carunculas, vel anguſtationes, quæ carunculas mentiuntur, in urethra frequentiſſime produci. Et ſane ideo fαćtum eſſe puto, ut a ſæculo decimo ſexto tot Medici de exſtirpandis carunculis urethræ ſolliciti fuerint, præſertim inter Hiſpanos, ut Alderetus Salmanticenſis Profeſſor, anno neſcio quo; Andreas Lacuna, anno 1551; Chriſtophorus a Vega, anno 1552. Amatus Luſitanus, anno 1554; Franciſcus Diaz, anno 1588. &c; nempe quod ab introdućta lue venerea atque gonorrœa virulenta, carunculæ vel anguſtationes urethræ pro carunculis habitæ frequentius occurrerint in Europa, potiſſimum vero in Hiſpania, ubi venerea lues & latius & citius pullulavit, cum e contra antiquioribus Medicis de iiſdem uræthræ affećtibus magis ſecuris eſſe licuerit, quippe qui ipſorum ætate, ſi forte unquam, ſaltem rarius obſervabantur.

1551. Jacobus Cornicius, Embdanus, medicinam faciebat Embdæ Friſiorum, in urbe patria, anno 1550;

Sripſit *Librum de Morbi Gallici remedio per radicem Chinam*, ſi ſtandum ſit fidei Simleri *in Biblioth. Geſneri contraćta*, Galli, *in Bibliotheca Medica*, & Schenckii *in Biblioth. Iatrica*. Sed cum nulla hujuſce Libri mentio fiat a Spachio, in *Nomenclatore Scriptorum Medicorum*, Vanderlinden *de Scriptis medicis*, Mercklino in *Lindenio renovato*, & Mangeto in *Biblioth. Scriptor. medicorum*; maxime vero cum in nullis librorum Catalogis proſtet, nec ab ullo Aućtore recentiore laudetur, quod ipſe quidem ſciam, non inanis eſt ſuſpicioni locus Librum hunc nunquam exſtitiſſe.

1552. Philippus Lusitanus, Empiricus, inclaruit olim inter primos arte exſtirpandi excreſcentes in collo veſicæ carunculas, quam primum Uliſſipone, ac deinde Romæ feliciter exercuit, antequam Damaſcum abiret, cujus artis *primus inventor* (*c*) Ab Andrea Lacuna creditus fuit, quippe qui ab illo fateatur *ſalutarem illam methodum ſecum communicatam fuiſſe*.

At vero Amatus, Luſitanus, *Centur. IV. Curat*, 19. *in Sholio*, hanc eamdem methodnm ſibi tribuit contenditque Philippum, de quo quæſtio eſt, illam a ſe didiciſſe, dum ipſi adſtitit militem quemdam curanti, qui ex carunculis in Urethra graviter ægrotabat: atque ut fidem ſibi impetret, tanto magis meretur, mea quidem ſententia, quod ultro & ingenue confeſſus ſit ſe methodum illam ſuo marte non adinveniſſe, ſed ab Aldereto, Profeſſore Medico Salmanticenſi, & ſuo quondam præceptore, accepiſſe.

Verum præſtat Amatum ipſum audire, qui ſic loquebatur anno 1554, *loco ſupra laudato*. „ Quod vero ad inventum attinet, vellem ſane ut Philippus ipſe, quem nunc Damaſci agere intelligo, adeſſet; profiteretur enim ingenue per quos profeciſſet, eſt enim homo neque malus, neque ingratus.

„ Is Uliſſipone eo fere anno, quo Tunetum, urbs clariſſima, Cæſaris (*Caroli V.*)
„ auſpiciis ſubjećta eſt, (*atque adeo paulo poſt annum* 1534) cum ad me officii cauſa
„ veniſſet, eſt enim Chirurgus rerum magis experientia, quam Aućtorum lećtione inſi-
„ gnis, memini cum mihi diceret veniſſe in eam urbem e regione proximam, virum quemdam

(*a*) Pag. 6. (*b*) Pag. 12. (*c*) Vide *ſupra* ad annum 1551.

,, dam ſatis divitem, qui urinæ ſtillicidio, & ut ſibi videbatur, calculo etiam labora-
,, bat; precatus itaque me eſt enixiſſime, ut hominem adirem.

,, Ego vero partim amici precibus, partim etiam compendiolo adductus ægrotantem
,, inviſo adoleſcentem, annos natum viginti quinque, qui in Africa & India multa
,, ſtipendia fecerat. Is, ut milites intemperantes majori ex parte ſolent, ex promiſcua
,, venere in morbum, quem *Gallicum* vocant, inciderat, cui malo ſeminis etiam pro-
,, fluvium (*gonorrhœa*) acceſſerat, quo biennium integrum laboraverat. Erat tamen ro-
,, buſta quadam & militari plane temperie, unde mihi ſuſpicio inceſſit eum calculo
,, non laborare; malus enim ille & carnifex morbus & vires attenuat, & pallorem in-
,, ducit, & quoddam quaſi vitæ tædium ſecum affert, imo longe alia ſymptomata præ
,, ſe fert, per quæ ab altero diſcernitur.

,, Ratus itaque id quod erat, appii thyrſo & (*a*) aliis, ut dixi, prius amygdalino
,, oleo intinctis, per urinarium meatum immiſſis, facile illum carunculis laborare de-
,, prehendo, continuoque ad ea remedia, quibus ipſe Philippus poſtea Romæ uſus ma-
,, gnam ſibi auctoritatem cum maximo quæſtu comparavit, deſcendo, brevique adole-
,, ſcentem priſtinæ valetudini reſtituo.

,, Non eſt mihi animus (*pergit Amatus*) Philippum ingrati animi accuſare, neque
,, enim ille hoc inficiatur. Hoc tamen unum dolet, quod cum apud viros in re
,, medica illuſtres, tum apud Lacunam, alterum Hiſpaniæ Galenum, totum hoc cu-
,, randi inventum ſibi adſcripſerit, impudenter mehercule, & ut ingenue loquar, in-
,, grate egerit. Affuere enim curationi noſtræ viri mehercule doctiſſimi & magnæ apud
,, ſuos auctoritatis, Ludovicus Munius, Coimbricenſis, (*b*) Georgius Henricus, Uliſ-
,, ſiponenſis, Medici, & Philoſophi nobiliſſimi; Manuel Lindus, aſtrorum cognitione
,, florentiſſimus.

,, Et ne ego, *ſubjungit Ille*, in idem cum Philippo vitium incidiſſe videar, fateor
,, Salmanticæ cum agerem ,, (ubi ſcilicet Amatus in Medicinæ ſtudio operam poſue-
,, rat) ,, ab Aldereto, Medico clariſſimo, & Præceptore meo doctiſſimo, id curandi
,, genus accepiſſe, ſicut alia permulta, quæ mehercule ut magna, ita apud me maxi-
,, mo in pretio & ſunt, & habentur. ,, Quod Amatus ut honeſte faſſus eſt, ſic cela-
re, ut inventi gloriam ſibi tribueret, fruſtra tentaviſſet, cum veriſimile non fuiſſet juniorem Medicum, qui ſcilicet anno 1535 vel 1536 ad vigeſimum quartum, quintumve ætatis annum nondum pervenerat, quippe natus anno 1511, novam methodum medendi morbo cæco, difficili, recidivo, excogitaviſſe de ſuo, & excogitatam ſatis periclitatum eſſe experiendo, ut illi auſus fuiſſet confidere.

CHRISTOPHORUS a VEGA. (*c*) Compluti, hodie *Alcala de Henarez*, natus anno 1510, in academia patria Medicinæ Doctor & Profeſſor publicus & celeber, fuit Medicus cubicularius Caroli, Hiſpaniarum Principis, filii Regis Philippi II. Deceſſit (*d*) anno 1556. 1552.

De curatione Carunculorum. Salmaticæ, 1552.

THEODORICUS de HERY, Pariſinus, (*e*) Chirurgus Barbi-tonſor, ſtuduit Chirurgiæ Lutetiæ in urbe patria, ubi gloriatur ſe (*f*) Proffeſſores audiiſſe Jacobum Hollerium, & Antonium Saillard, celebres Facultatis Pariſienſis Medicos. Tunc enim Chirurgi Barbi-tonſores ex ſui ſtatuti legibus tenebantur per quadrienium Chirurgiæ ſtudio ſedulam operam dare in facultatis Scholis, priuſquam poſſent magiſterium in arte adipiſci.

Inde (*g*) caſtra ſecutus in Italiam ſe contulit anno 1537, ubi regnante Franciſco I. diu

(*a*) Adhibebat Amatus, ut in contextu curationis laudatæ narrat, ad explorandos obices, qui in Urethra latebant, primum *Apii thyrſum ſive cauliculum*, deinde *ceream candelam*, demum ſi ea non poſſent commode intrudi, *catheterem ſeu argenteam fiſtulam*, quæ ſingula oleo amygdalino ex arte intingebat.

(*b*) An ille idem ſit atque Georgius Henriquez, Luſitanus, cujus exſtat Liber *De Cibo & Potu*, Matriti excuſus, ideo ambigo, quod Liber iſte, utpote editus anno 1615, ab Auctore alio recentiore ſcriptus videatur, niſi forte fuerit alia ejuſdem Libri editio antiquior.

(*c*) Nicol. Anton. *Biblioth. Hiſpan Tom. I Pag.* 193.

(*d*) Jacobus Douglaſſius. *Bibliographia Anatomica*.

(*e*) Olim erant Lutetiæ Pariſiorum duo Chirurgorum Sodalitia, quorum alterum in Eccleſia Sancti Coſmæ, & *Chirurgorum* ſimpliciter, alterum in Eccleſia Sancti Sepulcri conventicula habebat, & *Chirurgorum Barbi-Tonſorum* dicebatur. Hæc ambo Sodalitia anno 1656 ex pacto & convento, ſed ſalvi utrinſque juribus & ſtatutis, in unum corpus coaluere, quod appellatur *la Communauté des Maitres Chirurgiens Barbiers de Saint Come*.

(*f*) Methode curatoire de la Maladie venerienne, *Pag.* 129.

(*g*) Ibidem, *Pagg.* 141. & 185.

diu & ancipiti belli fortuna a Gallis & Hiſpanis dimicatum fuit. Romam tunc temporis digreſſus eſt, ut ipſe (*a*) teſtificatur, cum mentionem facit de Noſocomio Sancti Jacobi Incurabilium, ad quod egrotantium Lue venerea infectorum confluxus maximus olim fuit, ut (*b*) & nunc. Sed an curandis ſyphiliticis ibidem miniſtraverit, jure dubitatur, cum ea de re ipſe taceat.

Quo tempore in patriam reverſus fuerit, ignoratur, ſed liquet ex Libro, quem ſcripſit de Lue venerea & de quo mox, jam diu ante annum 1552 in curandis morbis venereis ſedulam & utilem operam Lutetiæ illum collocaviſſe.

Sunt (*c*) qui aiant illum, cum in Eccleſia Sancti Dionyſii ad pedes Statuæ Caroli VIII. provolutus oranti ſimilis eſſet, a Monachorum quodam monitum ſe non adſtare ad Divi ſtatuam, reſpondiſſe id a ſe non neſciri, ſed velle gratum animum teſtari erga Regem illum, a quo lues venerea in Gallias primum invecta fuerat, unde haud pœnitenda fortunæ acceſſio ſibi fuiſset; ſed hæc temere jactantur, & ut videtur, auctore nullo ſatis certo. Siquidem eadem fabula de alio quodam Chirurgo, nomine *Magiſtro Johanne*, jam ante (*e*) narrata fuerat, nec tamen, ut opinor, meliore fide: qua de re vide (*e*) *Menagiana* a D. de la Monnoye aucta.

Fabulas narrant, quicunque aſſerunt Theodoricum de Hery in Italiam, ac preſertim Romam profectum eſſe, 1°. Eo conſilio, ut methodum illitionum mercurialium addiſceret, quod falſum: 2° Romæ Syphiliticis hydrargyroſi curandis aliquandiu miniſtraviſſe, donec artem callere ſibi viſus ſit, quod commentitium: 3°. In patriam reverſum artem eamdem ſucceſſibus ſuis celebrem & vulgarem feciſse, cum ante in Galliis ignoraretur, quod a veritate alieniſſimum, quippe certo certius conſtat hydrargyroſim in Galliis longe ante Theodorici de Hery tempora legitima & vulgo adminiſtratam fuiſse. Sed de his vide *Mes quatre Letres à M. Delaire, Docteur en Medecine de la Faculté de Montpellier.*

Theodoricus edidit Lutetiæ anno 1552 Librum de Lue venerea gallice ſcriptum, cui titulum ſequentem fecit.

> *La Methode curatoire de la Maladie Vénérienne, vulgairement appellée* Groſse Vairolle, *& de la diverſité de ſes ſymptomes. Compoſée par* Thierri de Hery, *Lieutenant général du premier Barbier-Chirurgien du Roi.* A Paris, *Par Matthieu David.* 1552. in 8°.

in quo non ſine ingenii laude pleraque collegit, quæcunque ab Italis Medicis de hoc argumento vel prudenter dicta vel ſapienter inventa erant hac ætate; unde factum eſt ut Ambroſius Paræus Theodorico ferme ſuppar, & in chirurgicis nemini ſecundus, non modo Auctoris illius doctrinam & methodum ſequi, ſed Tractatum fere totum exſcribere non dubitaverit, quod ipſe ingenue agnoſcit in *Prefatione Libro XIX. ſuorum Operum præfixa.*

Theodoricus de Hery præmiſſis in ſuo Tractatu non paucis de morbi origine, natura, diagnoſi, & prognoſi, in quibus cum ceteris Scriptoribus conſentit, ad curationem progreditur, quam ait triplici methodo obtineri poſse; uſu ſcilicet 1°. Decoctorum Guaiaci; 2°. Unguentorum vel Emplaſtrorum mercurialium: 3°. Suffimentorum cum Mercurio. Uſum vero unguentorum ſolum eſse, qui certus, tutus, efficax ſit, paſſim affirmat, ſed præſertim *Pagg.* 73. *&* 90.

Præter hæc, quæ cum ceteris fere omnibus ſuæ ætatis Auctoribus communia habet, nonnulla memini in hoc Opuſculo legi, quæ obelo notanda videntur, vel quia temere dicta, vel quia aperte falſa, vel quia compilata non ſine plagio.

I. Poſse (*f*) luem veneream declinari, etiam cum proxime inſtat, imo vero cum virus in ſanguinem jam irrepſit, ope aquæ cujuſdam ex ſcobe Guajaci, aliiſque multis materiebus diſtillatæ balneo Mariæ, *quam Philoſoficam* vocat; ſed cujus uſum plane inefficacem eſse certum eſt.

II. Salivationem (*g*) aliquando æque copioſam cieri uſu decocti Guaiaci ac uſu Mercurii, quod tamen perrarum fuiſse opinor, ſi verum unquam fuerit.

III. Inun-

(*a*) Ibidem. *Pag.* 120.
(*b*) Vercelonus in *Præfat. præfixa Tractatui* De pudendorum morbis.
(*c*) Beroaldus de Verville, *Moyen de parvenir* Pagg. 578. 579.
Baile. *Dictionnaire Critique, au mot* Pericles.
Devaux, *Index funereus Chirurgorum Pariſienſium.*
(*d*) Contes d'Eutrapel, *par Noel du Fail*, Chap. 28.
(*e*) Tom. 4. *Pag.* 317.
(*f*) Pag. 68. 69. (*g*) Pag. 139.

III. Inunctiones (*a*) ægrotis debilioribus adhibendas non eſſe continuas & quotidianas, ſed diſcretas & intermiſſas, uno, duobus, tribuſve diebus intercalaribus.

IV. Ptyaliſmum (*b*) inunctionibus mercurialibus non adeſſe perpetuo, ſed aliquando deficere: Deficere vero ſine damno, ſi inunctiones rite fuerint adminiſtratæ; morbumque perinde curari Diaphoreſi, Diureſi, aut Alvi fluxu ſponte oborto, vel arte proritato, quæ jam ſupra monuimus, *Pag. 164.* ſicut & ea quæ præcedenti articulo dicta ſunt, ante Theodorici tempora a pluribus Medicis animadverſa fuiſse.

V. Mercurium a nonnullis ſua ætate etiamnum infamatum fuiſſe, ſed temere, ut contigit non ſemel optima & tutiſſima remedia damnata fuiſſe: In cujus rei teſtimonium (*c*) exemplum affert Rhabarbari, cathartici quidem benigni, & Auctoris ætate ab annis circiter viginti uſu receptiſſimi, ſed quod paulo ante vulgo ſuſpectum erat, nec a pleriſque Medicis ægrotanti ulli exhibebatur, niſi jam deplorato, quaſi Rhabarbaro uti nunquam licitum fuiſſet, niſi in evidenti mortis periculo; quæ ſi non falſa ſunt, at certe creditu difficilia, quandoquidem compertum eſt Rhabarbarum in ſcriptis Medicorum, qui in Europa diu ante Theodoricum vixerunt, ceu tutiſſimum medicamen celebrari.

VI. Mercurium (*d*) illitionibus cuti admotum intra corpus non admitti, neque cum ſanguine, ceteriſve humoribus commiſceri, ſed virtute plane immateriali, & veluti ſola irradiatione operari, quo commento reor nihil abſurdius dictum fuiſſe.

VII. Neque (*e*) adeo poſſe ullo modo Mercurium, poſt adhibitas illitiones, in majores guttas coaleſcere, in abſceſſus, ulceris aut oſſis carioſi cavo; contra quam oculati teſtes plurimi referunt, imo contra quam jam pridem omnibus perſuaſum eſt.

VIII. Conducere (*f*) aliquando, imo vero interdum neceſſarium eſſe, ut ægrotantes bis in die inungantur, mane & ſero; quod tamen ſemper periculoſum, & ut plurimum noxium eſt.

IX. Damnandum (*g*) illi videri eorum uſum, qui exhibito identidem cathartico conantur ab ore noxam avertere, Mercurii efficacia alioquin inferendam; quod tamen in arte palmarium eſſe certum eſt.

Ceterum Auctor ille, vano ſtudio doctrinæ ſuæ oſtentandæ, de qua ſublimius ſenſiſſe videtur, inanes, falſas, nugatorias tot ratiocinationes accumulat, ac tautologias de re eadem ita repetit, ut apud æquos rerum æſtimatores, de eorum pretio, quę recte tranſcripta ſunt, non parum inde decedat.

Dicitur Theodoricus (*h*) obiiſſe valde ſenex anno 1599, ſed falſo, cum ex Præfatione a Paræo præmiſſa Libro XIX. ſuorum Operum, *Edition.* 4. certum ſit illum fato functum fuiſſe longe ante annum 1583.

Theodoricus de Hery ab Hollerio *Theodoricus Thyerrius* ex errore appellatur, *Singular. Obſervat.* 33, ubi dicitur Pictoni cuidam permagnum Ganglion, quod in inguine ſuccreverat, dexterrime & feliciſſime exſtirpaviſſe præſente ipſo Hollerio.

Augerius Ferrerius, Toloſanus, natus anno 1513, Doctoratus gradum (*i*) aſſecutus eſt in academia Monſpeſſulana anno 1539. Deinde innotuit populari ſuo Johanni Bertrando, primario Senatus Pariſienſis Præſidi anno 1550, Sigillorum Cuſtodi anno 1551, S.R.E. Cardinali anno 1557, cujus patrocinio Medicus ordinarius Catharinæ Mediceæ, Galliarum Reginæ, creatus eſt, & quem ſequutus eſt in Italiam proficiſcentem anno 1559, ut intereſſet futuri Summi Pontificis electioni, qui fuit Pius IV. 1553. 1554.

Obiit Ferrerius Toloſæ in patria anno 1588, ætatis ſuæ 75. Fuit intimus Julio Cæſari Scaligero, qui Aginni, non longe a Toloſa, Medicinam faciebat, a quo dicitur, *Exercitat. 161. in Cardanum*, „ accuratiſſimis, lectiſſimiſque ſuis de Morbo Gallico commentariis non ſolum præterita judicia compleviſſe omnia, ſed animos quoque præſentes „ expleviſſe omnes, ſpemque aliis in futurum ſcribendi ademiſſe omnem „

Hæc autem Ferrerii Commentaria a Scaligero tam impenſe laudata prodiderant anno 1553. cum Inſcriptione ſequente.

(*a*) Pag. 154. (*b*) Pag. 157.
(*c*) Pag. 140. (*d*) Pagg. 115. 16.
(*e*) Ibidem.
(*f*) Pag. 153.
(*g*) Pag. 161.
(*h*) In *Indice Funereo Chirurgorum Pariſienſium*.
(*i*) Ex *Actis* Facultatis Medicæ Monſpeſſulanæ.
(*K*) Thuanus, in *Hiſtoriis temporis*, Lib. 89.

De Pudendagra, gravi lue Hiſpanica, Libri II. Toloſæ, *apud Jacobum Colomlers*, 1553 *in* 12.

Horumce librorum Priore, *Capitibus* XXVI, *de Pudendagræ natura*, *cauſis*, *ſignis*, ac potiſſimum variis curationis methodis; Poſteriore, *Capitibus* XVII, de *localibus pudendagræ ſymptomatis*, & remediis ad ſingula efficacibus agitur. Totius autem Tractatus ſummarium ad ſequentia recidit.

I. Præparato prius ægrotantium corpore diæta, humorum alteratione, venæ ſectione, purgatione &c. (*a*) „ receptos eſſe illius ætate octo modos medendi lui venereæ, I. Un„ guentis & linimentis; II. Ceratis & Emplaſtris; III. Loturis; IV. Suffitibus, qui „ quatuor modi fere omnes argentum vivum actu aut potentia recipiunt; V. Sudorificis „ decoctis, præſertim decocto ligni Indici, cujus loco ſucceſſerunt Juniperus, China, „ Sparta-parilla, Apios, infinitaque alia; VI. Liquoribus deſtillatis; VII. Purgantibus „ medicamentis, & quod vulgo dici ſolet, ſanguinem mundantibus; VIII. Remediis, „ quæ ex prædictis omnibus compoſita ſunt. „

II. In genere Unguentum componendum eſſe (*b*) „ ex mollientibus, diſcutientibus, „ rarefacientibus, detergentibus, ſiccantibus, & argento vivo „ . . . . . . Opus eſſe ut „ in robuſtis tertia aut quarta unguenti pars ſit argentum vivum; in delicatioribus vix „ ſexta aut ſeptima; in infantibus vix octava. „

III. Ferrerium (*c*) „ adhibuiſſe aliquando inunctiones ſine argento vivo, in hujus lo„ cum cortices radicis Cucumeris agreſtis, & Hellebori utriuſque, Euphorbium & ſimi„ lia ſubſtituendo: ad penetrandum vero Petroleum, Aquam vitæ, Oleum de terebinthi„ na, Oleum de lateribus, aliaſque calidorum medicamentorum deſtillationes, quas ha„ bebat in promptu; nec intelligere potuiſſe qua in re præſtaret argentum vivum, cujus „ contactu ſæviſſima ſymptomata relinquuntur, ut plus interdum immineat a remedio, „ quam a morbo. „ Nullus ſane dubito, quin uſu unguentorum iſtiuſmodi puſtulæ, ſi quæ cutem fœdant, extergi & exſiccari potuerint; at vero virus, quo ſanguis imbutus erat, ea ratione exterminari potuiſſe nego, & in hoc Ferrerii judicium deſidero.

IV. Fateri tamen Ferrerium (*d*) „ ſe negare non poſſe mirabilem eſſe argenti vivi „ efficaciam, ut qui nonnullos viderit hoc morbo laborantes ſola plantarum pedum & vo„ larum manuum inunctione, intacto reliquo corpore, copioſe deſudaſſe, pituitam e ce„ rebro dejeciſſe (hoc eſt, *ptyaliſmum paſſos eſſe*) & tandem ſanos evaſiſſe.

V. Eſse præter argentum vivum (*e*) „ alias ſecuriores & minus moleſtas curandi „ formas, quæ ſi aliquando propter morbi, ſymptomatumque vehementiam parum effi„ caces videantur, *Ferrerium* non repugnare quin tunc ad Mercurium confugias: Nam „ certum eſt quoſdam hoc uno remedio curari, ceteris ne quidem ad levia ſymptomata „ conferentibus . . . . . . Sed reprimendam multorum temeritatem & laſciviam, qui in „ omni ætate, in omni ſexu, in omni temperatura & aeris qualitate, illo nec bene ſub„ acto, nec correcto, inconſiderantiſſime utuntur.

VI. Emplaſtra mercurialia (*f*) renovanda eſſe tertio quoque die, decem dies curatio„ ni concedendo: Ceſſandum tunc, cum poſt multam ſputi eductionem gingivæ putre„ ſcere & ulcerari incipient. „ Narrat autem Ferrerius „ ſe vidiſſe multos, qui tecto „ hujuſcemodi emplaſtris corpore, toto curationis tempore interdiu per urbem inceden„ do, motu ſudores procurarunt induti veſtibus pelliceis ſuperinducto arctiſſimo cingu„ lo, atque in hunc modum curati fuerunt.

VII. (*g*) Fieri loturas ex ſiccantibus, rarefacientibus, diſcutientibus, & Mercurio „ ſublimato, quibus in loco calido ablui & perfricari ſolent omnes corporis partes, ex„ ceptis capite, pectore, ſtomacho & ſub alis: idque diebus decem, ſemel, bis, ter in „ die pro ægrotantis viribus & ceteris circumſtantiis, quo tempore e cubiculo exire non „ permittitur. Putreſcere hic etiam gingivas & exulcerari, ſicut in præcedentibus, quod „ curationis finem indicat.

VIII. Suffitum Cinnabaris acerbiſſimum eſſe remedium, quo prudentes & docti plerique „ Medici ad totum corpus uti nunquam auſi ſunt: ad certas autem partes, ut crura & „ brachia, cum vel ſphaceli adſunt, vel feræ gummoſitates, vel dolores, vel ulcera ma„ le morigerata, præſtantiſſimum arbitrati ſunt.

IX. A

(*a*) Lib. I. Cap. 10.
(*b*) Cap. 11.
(*c*) Cap. 10.
(*d*) Ibid. (*e*) Ibid.
(*f*) Ibid. (*g*) Cap. 13.

IX. A Ferrerio (*a*) accurate deſcribi modos eligendi, decoquendi, adminiſtrandi remedia Idrotica, ut Guaiacum ſeu lignum Indicum, Chinam, Spartam ſeu Sarſam-pariliam Radices Apii, Juniperum, radices Perſonatiæ, Gentianæ, Aſari, Tormentillæ, Cannarum noſtratium &c. ſed ita tamen deſcribi ut nihil proferatur, quod novum ſit.

X. Ab eodem (*b*) proponi *ſexto loco* aquas ſtillatitias aliquot, ſeu ut aiebant, *Philoſophicas*, quæ ex remediis ſudorificis modo memoratis ex arte *deſtillabantur prunarum ardore, cinerum & arenæ circumpoſitione vehementiore reddito*. Doſis illarum aquarum erat ad ℥ iij. vel iv. bis in die, per triginta dies, *non neglectis decimo quoque die purgationibus*.

XI. (*c*) Laudari a Ferrerio purgantia varia ex galenica pharmacia interne ſumenda, ac inter cetera proponi pillulas mercuriales ex Mercurio præcipitato rubro, ſed addi illas *crudeliter purgare, & niſi caveris, interimere*: Præferendum videri „ purum hydrargy-„ rum cum ſale, aceto & ſalvia extinctum, tanquam minus noxium, ... quod „ remedium in veteri pudendagra, in feris gummoſitatibus & ſordidis ulceribus & ele-„ phantico fere habitu, nonnullis mirabiliter profuiſſe memorat.

XII. (*d*) Ægrotantes quoſdam eſſe, quod Ferrerius cenſet modis illis omnibus alternatim vel ſucceſſive tractandos eſſe, inunctionibus, decoctis ſudorificis, ceratis, ſuffitibus, aquis deſtillatis &c. quoties morbus contumacior remedia ſtatim adhibita ſuperare videtur.

XIII. *Secundo* Tractatus *Libro* Ferrerium paucis expendere præcipua inveteratæ pudendagræ ſymptomata. „ Ulcera faucium; Dolores articulorum: Gummoſitates, tubera, „ nodos, ſcirrhos; Alopeciam; Unguium caſus; Gingivarum putrefactionem; Dentium „ corruptionem; Puſtulas & maculas tum faciei, tum reliqui corporis; Pedum & ma-„ nuum ulceratas rimas cum pruritu; Porriginem & fœtorem corporis; Renum, veſicæ „ & meatuum urinalium ulcera; virgæ Puſtulas; & Abſceſſus inguinum; „ ac methodos afferre, quibus ſingulis mederi liceat quam efficaciſſime, ſed quæ paſſim obviæ ſunt.

Tractatus ille Ferrerii proſtat integer in Collectione Luiſinina, ſed deeſt ejuſdem (*e*) Diſſertatiuncula, quæ Toloſæ quoque prodiit anno 1554 cum hanc Inſcriptione.

De radice China Liber, quo probatur diverſam eſſe ab Apio. Toloſæ, *apud Johannem Colomerium*, 1554. *in* 8°.

Hæc autem Diatriba, quæ vix decem paginas implet, capita tria complectitur, unum, quo *probatur Chinam & Apion diverſas res eſſe*; alterum, quo proponitur *China præparatio ac uſus ex vulgari Hiſpanorum & Italorum præſcripto*; Tertium, *de vera præparatione & uſu legitimo τȣ̃ Α'πίȣ*.

In I. Narrat Ferrerius „ paulo ſuperioribus annis, cum lignum illud indicum, quod „ & *Sanctum* & *Guaiacum* appellant, in exſtirpanda lue Hiſpanica & delenda arthritide „ inefficacius aut minus ſalutare videretur, introducta fuiſſe a mercatoribus per novi or-„ bis traſmarina vagantibus nova tria medicamina, longe (*ſi credere dignum eſt*) cete-„ ris, quæ Medici in hunc uſque diem tentaverunt, præſtantiora, nempe Chinam, Sar-„ zam-pariliam, & Apion.

„ Chinam primum locum obtinuiſſe, primaque præparationis ſuæ documenta meruiſſe, „ non ſine catalogo multarum ſuarum laudum ab evidentibus experimentis petitarum, „ quas tamen Veſalius edito de hac libello enervare viſus eſt.

„ Succeſſiſſe ſarmentoſam illam Sarzam-pariliam, quæ & Sparta-parilia, ad omnia „ ad quæ & lignum indicum & China, conferentem: imo etiam, ſi Empiricis & doctiſ-„ ſimo Cardano fidem adhibemus, prævalentem.

„ Hanc, ſive ob raritatem, ſive ob negligentes, diſtractoſve nobilium ſuarum opera-„ tionum aſſertores, celebrem eſſe non potuiſſe, deſiiſſeque inter expeditæ venundationis „ merces habere locum.

„ Tunc mercatores commentos eſſe τȣ̃ Α'πίȣ uſum quod remedium novum & ex novo „ orbe petitum conſtanter aſſerebant, cum domeſticum ſit & in multis Galliæ locis abun-„ dans.

Jam Auctoris ætate „ multo auro venum dari cœpiſſe, ac famoſam evaſiſſe hanc τȣ̃ „ Α'πίȣ radicem, cum mercatorum aſtutia & Medicorum neglectu China utrumque nomen „ invaſit Chinæ & Apii.

 „ Acci-

(*a*) Cap. 14. (*b*) Capp. 15. .... 20.
(*c*) Cap. 21.
(*d*) Cap. 22.
(*e*) Hæc Diſſertatio proſtat fere tota in *Capite IV. Caſtigationum Practicæ Medicinæ* Ferrerii.

„ Accidiſſe vero in ea nominum confuſione, ut China, obliterato jam aut neglecto, & „ pauciſſimis hodie cognito proprio ſuo nomine, *Apios* paſſim appelletur ; . . . . multiſque Doctoribus Medicis . . . perſuaſum ſit Chinam & Apion eamdem rem eſſe. „

Quem errorem Ferrerius paucis, ſed validis argumentis impugnat. 1°. „ Chinam magnis, rudibuſque ac inæqualibus fruſtis lignoſam ſimul ac fungoſam contemplantibus „ apparere, foris ſubrubram, intus ſubalbam, guſtu ſubacidam, odore fere nullo, Acoro officinarum haud diſſimilem, ſi molem demas ac duritatem, adferri ad nos aridam, „ teredine ac carie eroſam: Contra vero Ἀπίου radicem eſſe Aſphodelo ſimilem, ad Pyri „ (unde nomen habet) effigiem accedentem, rotundiorem tamen, intus candidam, liquore plenam, foris vero nigreſcente cortice tectam.

2°. „ Chinam neque ſupra, neque infra purgare, imo ſiccare: Contra Apion totam, „ aut ejus ſuccum ſupra & infra purgare; ſuperiorem radicis partem vomitione bilem „ pituitamque extrahere, inferiorem per alvum ducere, ut a Veteribus notatum eſt.

3°. Chinam radicem eſſe novam, Antiquis ignotam, ex novo terrarum orbe in Europam nuper devectam: Contra vero radicem τοῦ Ἀπίου domeſticam eſſe, in variis Galliarum & Europæ tractibus ſponte germinare, a Veteribus deſcriptam fuiſſe.

Et ſane conſtat, 1°. ut ceteros nunc omittam, de radice τοῦ Ἀπίου mentionem feciſſe Theophraſtum, *Hiſtor. Plant. lib. 9. cap.* 10; Dioſcoridem, *lib. 4. cap.* 177; Plinium, *lib. 26. cap.* 8; & Oribaſium, *Medicinal. Collection. Lib. II. in voce* Ἄπιον: 2°. Radicem illam aliter atque aliter olim dictam fuiſſe, nempe, Ἄπιον, latine *Pyrum*, quod figura Pyro ſimilis eſſet; Ἰσχάδα, latine *Caricam*, quod Caricam ſeu ficum aridam referret; Χαμαιβάλανον, latine *glandem terreſtrem*, quod eſſet glandis inſtar & in terra lateret condita: 3°. Nunc ab hodiernis Botanographis vulgo dici radicem *Tithymali tuberoſa & pyriformi radice C. B. in Pinac.*

Ceterum prudens ſuperſedeo adminiſtratione cum radicis Chinæ, de qua in *II. Capite*, quia abunde nota eſt, tum radicis τοῦ Ἀπίου, de qua in *III.* quæſtio eſt, quia ab adminiſtratione Chinæ vix differt.

Hercules Bonacossus, Italus (*a*) Ferrarienſis, Medicinæ Doctor.

De humorum exſuperantium ſignis ac Serapiis, medicamentiſque purgatoriis opportunis Liber. Acceſſerunt *quoque ejuſdem varia auxilia experimento comprobata ad varias ægritudines proffligandas; De compoſitione Theriacæ cum ejus ſubſtitutis nuper Bononiæ inventis*; De modo præparandi aquam ligni ſancti; *De curatione Catarrhi ſive Deſtillationis*. Bononiæ, 1553. in 4°.

Jacobus Bonacoſſus, (*b*) Italus Ferrarienſis, Pauli III. ſummi Pontificis Medicus, mortuus anno 1553, ætatis ſuæ 69, & Hercules Bonacoſſus noſter cognomines, populares & æquales fuere, neſcio an cognati?

Victor Trincavellius, Venetiis natus anno 1496, Dialecticæ & Medicinæ operam dedit Patavii, ſed præſertim Bononiæ, ubi ſeptem annos commoratus eſt. Poſtea adeptus Patavii Doctoris Medici inſignia, Philoſophiam Venetiis profiteri cœpit, donec Murianum ſe contulit, in qua Inſula, patriæ proxima, medicinam aliquandiu exercuit cum laude. Verum inde Venetias accitus eſt & in Collegium Medicorum receptus, ubi conſilio & opere ita ſe probavit, ut brevi poſt tempore magnos inter urbis Medicos nomen habuerit. (*c*) Anno 1551, cum jam natus eſſet annos 55, " (*d*) arduam provinciam ſuſcipere coactus eſt Patavinæ Lectionis in ſupremo loco Practicæ, " quæ ab eo tempore, quo Johannes Baptiſta Montanus deceſſerat, " vacua erat præ hominum doctorum „ penuria, propterea quod ibi Cathedræ Medicinæ Profeſſor idoneus maxime deſiderare„ tur; quo quidem munere functus eſt digniſſime ad annum tertium ſupra decimum; „ vel rectius ad annum ſeptimum ſupra decimum.

Eo tempore, " ſenio jam confectus, juſſu Principis, (*Ducis Venetorum*) & Senatorum decreto miſſus eſt in Forum Julii, ut opem ferret Baroni Andreæ Pegel, Cæſareo Commiſſario

(*a*) Pellegrinus Antonius Orlandi, *Notizie degli Scrittori Bologneſi*.
(*b*) Proſper Mandoſius, *De Archiatris Pontificis*.
(*c*) Comnenus Papadopoli, *Hiſtor. Gymnaſ. Patavin. Tom. I. Pag.* 320. & Mercklinus, in *Lindenio renovato*, merito narrant Profeſſorium munus Trincavellio delatum fuiſſe anno 1551, neque credendum eſt Laurentio Marucinio in *Vita Trincavellii*, cum ait hunc Medicum Profeſſoris munus non prius adiiſſe, quam ætatis anno 59, qui in annum 1555. caderet: Siquidem Trincavellius ipſe in *Conſiliorum ſuorum* 82, die 13. Decembris anni 1551 ſcripto, ſeipſum dicit *in Patavino Gymnaſio Medicinæ Publicum Profeſſorem*.
(*d*) Laurentius Marucinus, in Vita Victoris Trincavellii.

„ miſſario in Carnia, qui Utini gravi hæmoptyſi detinebatur, de quo parum aut nihil „ ſperabant Medici, (*a*) quo in negotio ut Reipublicæ ſatiſaceret, magnis itineribus „ adventum acceleravit, unde ægro ad priſtinam valetudinem feliciter reſtituto, „ factum eſt, ut febre ipſe corriperetur; quamobrem diem ultimum prævidens Venetias regreſſus eſt, ubi anno 1568, non 1564, ut legitur (*b*) apud Tomaſinum, ætatis ſuæ (*c*) 72 vel (*d*) 73, religioſiſſime obiit.

Comnenus Papadopoli, in *ſua Gymnaſii Patavini Hiſtoria*, Librum *de Morbo Gallico* Victori Trincavellio attribuit, quem editum fuiſse ait, & in confirmationem adducit Dominici Caſtelli auctoritatem, in *Oratione funebri Victoris Trincavellii*, ubi tamen de libro illo ne verbum quidem. Teſtatur ſane Laurentius Marucinus, in *Vita Victoris Trincavellii*, ſcriptum ab illo eſſe Tractatum *De Morbo Gallico*, ſed ſimul expreſſe fatetur nondum in lucem exiiſſe anno 1586. An Liber ille ab eo tempore publici juris factus fuerit, ut refert Comnenus Papadopoli, an ſecus, viderint quibus vacat. Certe ipſe neque Librum illum uſurpavi unquam, neque inter libros editos ab ullo Bibliographorum recenſeri memini, nec a Petro Caſtellano, qui vitam Trincavellii ſcriptis mandavit. Sed nihilominus, quid de methodo curatoria morbi venerei Trincavellius ſenſerit, facile compertum habeo; exſtant enim (*e*) nonnulla illius Conſilia medica *de lue Gallica*, ex quibus ſequentia poſſunt colligi.

„ I. (*f*) Primam originem & fundamentum morbi venerei eſſe humidam & calidam „ intemperiem, præſertim jecinori impreſſam, per contagium ab aliis partibus ad jecur „ ſerpens.

„ II. Inchoandam eſſe curationem ab univerſi corporis expurgatione, „ ab uſu remediorum alterantium & a venæ ſectione.

„ III. Reddito corpore inani a vitioſis excrementis, manum admovendam illis me„ dicamentis, quæ longa experientia jam deprehendit eſſe efficacia in delenda maligna „ hac lue, & mutanda illa intemperatura, quæ fomes eſt & fundamentum iſtius „ mali affectus.

„ IV. Quatuor in primis eſſe iſtius generis, Inunctionem illam, quæ ex hydrar„ gyro vel argento (ut aiunt) vivo *conficitur*; Decoctum ligni indici, quod *Guaiacum* „ vocant; Decoctum radicis, quam *Sarſam*, vel *Spartam periliam*, vel *petiliam* appellant; „ & Decoctum radicis Chinæ.

V. (*g*) Præ ceteris eligenda Decocta Guaiaci, vel Sarſæ-periliæ, quorum „ alterum „ alicui videtur magis eſſe accommodatum, alterum vero alteri, ita ut aliqui viſi ſint, „ qui altero, alii vero altero uſi melius ſe habuerint.

VI. Non probari (*h*) Trincavellio „ eorum ſententiam, qui paſſim & in omnibus „ diuturnis affectibus, ad Guaiaci decoctum tanquam ad ſacram anchoram confugiunt. „ Ipſe enim non ex eo tot miracula vidit, quot multi profitentur ſe vidiſſe, præter„ quam ubi Morbi Gallici appellati ſit aliqua ſuſpicio.

„ VII. (*i*) Thermarum aquas lui venereæ vel Gallicæ vel nihil vel parum prodeſſe; „ imo *a Trincavellio* obſervatum fuiſſe, quod illis qui hoc morbo detinebantur, potius „ obeſſe quam prodeſſe ſolent.

VIII. (*k*) Decoctum Spartæ ſive Salſæ-periliæ a Trincavellio plurimum laudari, non modo ad morbum venereum, ſed etiam ad alios affectus, ut „ quo minus calefaciat, „ quam decoctum Guaiaci, & vim majorem habeat attenuandi & digerendi, atque mo„ deſte deſiccandi. Præterea, *addit Ille*, ſi duros & quaſi tophoſos tumores in interno„ diis articulorum concretos digerere & quaſi atterere poteſt, ut poſſe quotidie videmus, „ non video cur non poſſit etiam diſſolvere & atterere tophos, ſi qui in renibus concre„ verint; cumque in multis cieat urinam, poterit ea ratione facere ad eorum, arenula„ rumque excretionem, citra tamen calefactionem aliquam renum, quæ alioquin timen„ da ſit.

(*a*) Dominicus Caſtellus, in *Oratione Funebri* Victoris Trincavellii.
(*b*) In Elogiis. (*c*) Laurentius Marucinus, *ubi ſupra*.
(*d*) Dominicus Caſtellus, *ubi ſupra*.
(*e*) In Editione Lugdunenſi Operum Trincavellii, *Apud Junctas*, anno 1586. *in fol. Tom.* 2.
(*f*) Ex Conſilio 28. Pro laborante gallica lue, anno 1553.
(*g*) Ibidem.
(*h*) Conſil. 2. ſine die aut anno; Et Conſil. 21. anno 1553.
(*i*) Conſil. 63. anno 1561.
(*k*) Conſil. 50.

„ IX. (*a*) Trincavellium ſæpiſſime vidiſſe, quod aliqui, ſemel atque iterum epoto „ aliquo ex decoctis Guaiaci vel Sarſæ-parillæ, non potuere curari, & id quia vel cor- „ pus non fuerat prius exquiſite purgatum, vel non admodum opportuno tempore bibe- „ rint, vel non diligentem rationem in victu ſervaverint, vel ſtatim ab aſſumptis his cœ- „ perint, antequam viſcera & a præcedenti labe & ab uſu medicamentorum laxata & „ labefactata firmarentur & roborarentur, ſibi nimis in victu indulgere & variis errori- „ bus non parcere, unde iterum congeſtis excrementis non potuit abſolvi curatio.

X. Refert (*b*) *alibi* Trincavellius „ ſe noviſſe, dum Patavii junior artium ſtudiis na- „ varet operam, quod uxor cujuſdam Juriſconſulti, qui Morbo Gallico affligebatur, „ cum ipſa nunquam ſignum aliquod contractæ illius labis haberet, ſed ſemper omnino
1554. „ integra fuiſſet, fœtum tamen edidit cruſtoſis ulceribus undique ſcatentem.
1551. Johannes Rodericus Amatus de Caſtello albo in Luſitania, vulgo Amatus Lusi-
1552. tanus, natus (*c*) anno 1511 in oppido Luſitaniæ, quod (*d*) *Caſtel-brianco* appellatur
1553. in Provincia Beirenſi, Medicinæ ſtudio operam dedit (*e*) ſub Aldereto Profeſſore publico
1556. in Academia Salmanticenſi, ubi (*f*) fuit Andreæ Lacunæ Segovienſis condiſcipulus, &
1557. eodem tempore Chirurgiam in noſocomiis ejuſdem urbis exercuit. Inde per Galliam, Bel-
1558. gium & inferiorem Germaniam (*g*) peregrinatus, in Italiam abiit, ſubſtititque (*h*) ali-
1561. quandiu tum Venetiis, tum præſertim (*i*) Ferrariæ, ubi medicinam docuit, & *anno* 1457.
duodecim corpora humana diſſecare fecit. Hinc Anconam ſe contulit (*k*) ante annum 1549, ubi Medicinam fecit, nec ſine laude, ad annum uſque 1555, & unde (*l*) Romam aliquoties accitus fuit, ut *Julio III, Pontifici maximo, ægrotanti opem ferret*.

Quamvis Amatus videatur in Centuriis ſuis Judæos non ſemel deridendos propinare, maxime vero cum ait (*m*) „ illos ut in variis aliis, ſic in liberorum procreandorum de- „ ſiderio ſuperſtitioſiſſimos eſſe, credentes utique eorum (*ſuas*) animas poſt obitum ſal- „ vas fieri non poſſe, niſi maſculos dimiſerint, qui ad Deum Optimum Maximum pre- „ ces fundant, ut parentum animas in Cœlum evehere dignetur, " ipſe tamen origine Judæus fuit & Judaicorum rituum clandeſtinus ſectator, ex quo factum ut ad Inquiſitorum Tribunal delatus fuerit. Sane queritur Ille, in Epiſtola dedicatoria Centuriæ V præpoſita, & ad Joſephum Naſſinium, Hebræum, ſcripta Theſſalonica, anno Mundi, ut ille ait, 5320, hoc eſt, (*n*) anno Chriſti 1560, *ſe damna plurima Anconæ paſſum fuiſſe ſub Paulo IV*, id eſt anno 1555., *omniumque rerum ſuarum jacturam feciſſe*; additque *ne a Pontificis commiſſariis opprimeretur*, *Piſaurum primum*, *inde Raguſium ſe ſubduxiſſe*: unde demum Theſſalonicam, totius Macedoniæ Metropolim, (*o*) confugit anno 1559, ubi celebris erat Judæorum Synagoga, cui palam adhæſit. Quo anno mortem obierit, nondum compertum habeo.

Nomina *Johannes* & *Rodericus* ipſo Baptiſmi tempore huic Medico proculdubio collata fuerunt: *Amatus* autem verum & gentilitium nomen illi fuiſſe videtur, vel eo quod ipſe, dum de fratre ſuo meminit, (*p*) vocet illum *Joſephum Amatum*. Priora illa nomina præpoſuit Ipſe ſuis *Exegematis in priores duos Dioſcoridis de medica materia Libros*, quos Antvverpiæ edendos curavit anno 1536, in 4. Sed jam (*q*) ab anno 1550, ac proinde longe ante ejuratam, ſaltem publice, Religionem Chriſtianam maluit vocari *Amatus Luſitanus*, forte quod Judaicæ ſuperſtitioni clam addictus nomina in Baptiſmo accepta jam tum faſtidiret.

Præter

(*a*) Conſil. 54. (*b*) De ratione curandi partic. hum. corpor. affectus, *Lib*. II. *Cap*. 17.

(*c*) Ad calcem *Curat*. 100. *Centur*. 4. ait ſe annos 42 natum eſſe anno 1553. unde fit natum eſſe anno 1511.

(*d*) Centur. III. *Curat*. 13. in Scholiis.

(*e*) Centur. I. *Curat*. 8. *Et* Centur. IV. *Curat*. 19. in Scholiis.

(*f*) Centur. I. *Curat*. 3. in Scholiis.

(*g*) Centur. II *Curat*. 34. in Scholiis.

(*h*) Centur. II. *Curat*. 31.

(*i*) Centur. I. *Curat*. 52. in Scholiis.

(*k*) Centur. I. *Curat*. 100.

(*l*) In Epiſtol. Nuncupatoria *Curat*. *III*. præfixa.
Et Centur. IV. *Curat*. 19.

(*m*) Centur. II. *Curat*. 18.

(*n*) Amatus ipſe alii Epiſtolæ Dedicatoriæ ad Guedeliam Yahiam, Hebræum, præfixæ *Centuriæ* VII, appoſuit *annum a Mundo creato* 5321, *ſecundum vero Computum Romanum* 1561; unde conficitur annum mundi 5320, cadere in annum Chriſti 1560.

(*o*) Centur. V. *Curat*. 100.

(*p*) Centur. IV. *Curat*. 49.

(*q*) Centur. II. *Curat*. 20.

Præter ſua in Dioſcoridem Commentaria, ſcripſit Amatus *Curationum Medicinalium Centurias VII, varia multiplicique rerum cognitione refertas*, quorum ſingulæ diverſis temporibus & conſcriptæ & editæ fuerunt.

Sic *Prima*, quæ *Coſmo II. Medici, Thuſcorum Principi*, nuncupatur, ſcripta fuit Anconæ anno 1549, & Florentiæ edita anno 1551 *in* 8. apud Torrentium.

Secunda, *Hippolyto Eſtenſi, Ferrariæ Cardinali*, dedicata, ſcripta fuit Romæ anno 1551, & Venetiis edita anno 1552 *in* 12, apud Valgriſium.

Tertiam & *Quartam* ſcriptas Anconæ annis 1552 & 1553, & dicatas *Alphonſo Alencaſtrenſi, ſupremo apud Luſitanos Commendatario*, in Italia ſeorſum excuſas fuiſſe reor, at certo ſcio Baſileæ cum duabus prioribus editas fuiſſe anno 1556, apud Frobenium *in fol.*

Quinta Piſauri & Raguſii, annis 1556 & 1557; *Sexta* Raguſii anno 1558 ſcripta fuit. Ambæ dedicatæ *Joſepho Naſinio, Hebræo*, Epiſtola nuncupatoria Theſſalonicæ data, cui apponitur *annus a Creatione Mundi* 5320, hoc eſt, annus a Chriſto nato 1560.

Septima Theſſalonicæ ſcripta dedicatur *Guedalla Yahia*, Judæo, Turcæne incertum, & Epiſtola nuncupatoria data dicitur *anno a Mundo creato* 5321, *ſecundum Computum Romanum* 1561.

Tres has ultimas Centurias non prius vulgatas fuiſſe puto, quam anno 1566 Venetiis apud Vincentium Valgriſium. Abhinc ſeptem illæ Centuriæ una collectæ pluries, variis in locis & diverſa forma editæ fuerunt. Deſtinaverat Amatus, ut ait *Centur. VII. Curat.* 41. „ ſe ex racemationibus Dioſcoridis octavam, nonam & decimam Centuriam „ completurum, ut magno Radiſecæ Senenſi ſatisfaceret, " hoc eſt, Petro Andreæ Matthiolo, quocum illi contentio erat de variis Dioſcoridis locis, quem uterque commentatus fuerat, ſed fidem non implevit.

Placuit Aloyſio Luiſino Collectioni ſuæ Scriptorum *de morbis venereis* inſerere, *in Volumine I*, tres ſequentes Diatribas, ſeu ut ibi appellantur, tres Epiſtolas, *de Morbo Gallico*, ex duabus prioribus Amati Centuriis depromptas.

Prima eſt *Centuria I. Curatio* 54, in qua narrat Amatus, virum ætatis 38 annorum, qui morbo Gallico laborabat, & multis Lichenibus, " id eſt, impetiginibus, ... „ inunctum fuiſſe quinquies, ſemel ſcilicet in die, jejuno ſtomacho „ unguento mercuriali, cujus formulam profert, " optime ſudaſſe ac multam & ſordidam per os pituitam emiſiſſe, quam omnes qui hac utuntur curatione, emittere ſolent, . . . & ſanum factum eſſe.

Altera ejuſdem *Centuriæ* 49 numeratur, in qua ſcribit idem „ quemdam, qui Morbo Gallico infectus fuerat, ſed qui multis adhibitis remediis . . . . . . ſanus evaſerat, „ poſt annos decem uxorem duxiſſe, quæ quos pueros in quinque annos optima temperatura præditos peperit, ſeptimo vero anno alterum peperit maſculum, ſed gallica „ ſcabie infectum : . . . . . Matrem hucuſque optime ſemper ſe habuiſſe, ſed cum puerum illum geſtabat utero, prope nares . . . . ulcuſcula paſſam eſſe, & poſt partum . . . . . . ubera grumis quibuſdam illi infecta fuiſſe : „ Puerum vero nutricem, cui commiſſus fuit, intra paucos dies infeciſſe, quæ deinde non modo maritum, ſed duos alios pueros quibus lac dederat, ſimili labe contaminavit, a quibus morbum matres traxerunt, ita ut hac contagione novem intra menſem infecti fuerint. Addit autem Amatus „ puerum illum intra menſem poſt ortum ſuum obiiſſe, & illius patrem, . . . „ cum febri corriperetur, intra ſex dies vitam cum morte commutaviſſe : Matrem pueri „ evaſiſſe, cui per quinquaginta dies Guaiaci decoctum exhibitum fuit : Sed nutricem „ & ejus maritum, veluti vicinas & pueros, per unguenti inunctionem ex aromatibus „ & mercurio confecti ſanos factos eſſe.

Denique *Tertia* eſt *Centuriæ II Curatio* 31, " in qua agitur de methodo & vera regula propinandi decocti radicis Cynarum, pro Julio III, Pontifice maximo, ad Illuſtriſſimum ac juxta humaniſſimum Dominum Vincentium de Nobilibus, Julii III ex „ ſorore Jacoba de Monte Nepotem digniſſimum, & Anconæ æquiſſimum Præſidem. „ In illa multa profert Amatus de præſtantia, uſu, adminiſtratione decocti radicis Sinarum ſeu Chinæ, de qua ait *ſe libellum propediem editurum, ubi ad amuſſim hæc diffuſius differentur, & latius deſcribentur*, ſed fidem datam non liberavit, quod ſciam. Carpit obiter Veſalium, " quem Cæſaris doctum Medicum, & Anatomicum inſignem *vocat*, & „ qui hujus radicis dotes libello ſuo, quem *de radice Cynarum* inſcripſit, tractavit, *ſed*

„ quas tamen omnes non videtur feliciter proſecutus: *imo ut ait* (*a*) *alibi*, in cujus libro nihil præter titulum, quod ad radicem Sinarum agat, reperitur.

Hæc tantum Luiſinus habet ex Amato, ex quo potuiſſet plura tranſcribere nec minori jure, veluti ex Centuria I. *Curationes* 50, 75, 90: Ex Centuria II. *Curationes* 60, 95: Ex Centuria III, Curationes 4, 37: Ex Centuria IV. *Curationes* 15, 19, 55, 69: Ex Centuria V. *Curationes* 10, 22, 25, 48, 49, 56, 72: Demum ex Centuria VI. *Curationes* 22, 42, 48, 85: in quibus ſingulis quæſtio eſt de morbis venereis. Verum nec lubet, nec vacat de his ſigillatim diſſerere; ſatis erit paucis monuiſſe doctrinam Amati eo recidere.

I. Contra morbos venereos facere decocta ex ligno Guaiaci, & radice Sarſæ-parillæ, quam *radicem rubi viticoſi* non ſemel vocat, modo ex artis legibus adminiſtrentur.

II. Guaiaco poſſe ſubſtitui Buxum noſtratem, quam eamdem eſſe (*b*) contendit (*ſed perperam*) quod Guaiacum *ex Inſulis noviter repertis advectum*.

III. Sarſæ-parillæ defectum pariter ſuppleri poſſe radice Smilacis aſperæ, ut quæ natura & virtute congener ſit.

IV. Ceteris tamen decoctis omnibus valere efficacius (*c*) Decoctum radicis Sinarum, quod Amatus multum prædicat, quod omnium frequentiſſime adhibet, cui plurimum tribuit.

V. Radicem illam (*d*) „ ſimilem in totum radici Cannarum a Luſitanis, qui ad In„ diam & regnum Sinarum & ultra navigant, in Luſitaniam afferri cœpiſſe ſuperiori„ bus annis; „ (quod ab Amato ſcribebatur anno 1549) Hac incolas regni Sinarum, ubi potiſſimum naſcitur, " & unde nomen traxit, ad multas ægritudines uti, præcipue „ ad Morbum Gallicum: Illam primum in Luſitaniam Vincentium Gilium a Triſtanis, „ rerum maritimarum maximum exploratorem, & apud Indos frequentem negotiatorem „ adduxiſſe: Ex qua cum maximum quæſtum faceret, mercatores non ſolum occidenta„ les, ſed orientales eam in univerſam Europam poſtea traxiſſe: Quam tamen Turcæ & „ orientales afferunt mercatores, occidentalium radici anteferendam eſſe, cum magis gra„ vitet, & præſtantior viribus ſit, quo factum eſt ut orientalis hæc triplo carius, „ quam quæ per navigationes occidentales affertur, publice in tabernis pharmacopoliis „ vendantur.

VI. Si ea decocta fruſtra fuerint, ad inunctiones mercuriales confugiendum eſſe, quorum uſum non damnat quidem, ſed ſatis frigide approbat.

VII. „ Ut (*e*) oris fœditas & ulcera effugiantur, cum ſemel compertum eſt humores „ eſſe in motu, catapotia propinanda, maxime poſt ſecundam vel tertiam inunctionem. „ Nam eo tempore humores rebelles & qui vix medicamentis purgatoriis obediunt, com„ moti & ad expulſionem acti, a catapotiis propinatis humores peccantes reſpicientibus „ facillime foras per inferiora truduntur purganturve, quo fit ut ſuperiores partes im„ munes & liberæ maneant, nec ita infici ſoleant, ut per conſuetas, ſimileſque inunctio„ nes contingit, cum ægri, ſic ore infecti, ulcera in eo patiuntur & multa & varia, „ ad multos dies exſpuunt, non loquuntur, vix liquida deglutire poſſunt, dentes tre„ mulos habent, qui poſtea nigerrimi evadunt, unde oris ſive halitus fœtor certus pul„ lulat: Quæ omnia vel eorum magna pars catapotiis vel pharmaco prævifivo, oppor„ tuno tempore exhibito, intercipiuntur, „ ut affirmat Amatus ſe experientia ſæpe compertum habere.

Præ ceteris notione maxime digna videntur, quæ docet Amatus *de methodo exſtirpandi excreſcentes in collo veſicæ caruncula*s, de qua quæſtio eſt *Centuriæ IV. Curatione* 19, tum in Curationis textu, tum in addito ſcholio; ſed de qua vide quæ *ſupra* dicta ſunt ad *annum* 1551, ubi de Andrea Lacuna; methodus enim eadem eſt. „ Ipſe ſane non diſſi„ mulat Lacunam magni in arte medica nominis, libellum abhinc triennio (1551) Ro„ mæ edidiſſe, in quo divinas pene laudes huic exſtirpandæ carunculæ invento tribuit, „ & illius Auctorem Philippum, hominem ſibi notiſſimum, facit, „ de quo ſupra ad *annum* eumdem 1551. At vero ſimul monet „ nonnulla in eadem curatione perpendenda „ & temperanda, & illud fugitivum inventum ad ſe quaſi poſtliminio reverſum ſibi ad„ ſcribendum videri.

„ 1°. Hoc

(*a*) Centur. I. *Curat.* 90. (*b*) Centur. II. *Curat.* 95.

(*c*) Centur. II. *Curat.* 31. Centur. IV. *Curat.* 44. Et Epiſtol. *Ambroſ. Nicandri Toletani* ad Ant. Barberinum, *Centur.* IV. præfixa.

(*d*) Centur. I. *Curat.* 90.

(*e*) Centur. V. *Curat.* 22.

„ 1°. Hoc *ait* primum perpendendum & temperandum in hac caruncularum curatione
„ eſſe, quod exſtirpatis ac exeſis, ut Medico videtur, carunculis ſpatio ſex vel octo die-
„ rum, illico nullo intermedio tempore, ad injectionem collyrii abſterſorii pervenit,
„ quod *Amatus* non probat, cum inopportunum opus, ut experientia ſe compertum ha-
„ bere affirmat, maxime obſit: & ratio eſt, *inquit Ille*, quia caruncularum ramenta non-
„ nulla commota, ſed non ex toto exeſa ab emplaſtro, ad plures dies quam ſex vel octo
„ (etiam libere & expedite urina fluente) excernuntur: Imo craſſioris puris quædam
„ pars ad plures quoque dies defluit, quorum exitus per collyrii & humidorum inje-
„ ctionem impeditur: Imo ea ad veſicæ fundum retrocedunt, unde ſymptomata graviora
„ oriri ſolent, & mala multa . . . . Igitur ſanum conſilium fore putat, ſi cum corroſæ
„ carunculæ intra ſex vel ſeptem dies ſunt, ... alios ſex dies ſolius ſiccæ candelæ
„ immiſſione tranſegerimus, neque ita furibunde ad liquidorum injectionem properaveri-
„ mus, cum eorum infuſione quoquomodo caruncularum & craſſioris puris reliquiæ re-
„ tineantur, quas facillime urina extergendi & ſiccandi vires habens, tempore hoc ſigna-
„ to, ex toto excernet, & poſtea injecta ſecurius & melius munus ſuum conficient: „
Quæ vero conſentanea eſſe videntur.

2°. Damnat ſmegma ſequens, quod Lacuna „ ex Philippo per ſiphonem injiciendum eſſe
„ ſuadebat, ad cicatricem ulceribus inducendam.

℞. *Aquar. plantagin. & roſaceæ*, ana ℥ jv.
Seri lactis caprilli, ℥ ij.
Ceruſſæ, ℥ vj.
Aluminis rochæ, marmoris candidiſſimi, ſpodii, & criſtalli, ana ʒ j ß.
Caphuræ, ℈ j

Arida terantur accuratiſſime, cribroque excuſſa tenuiſſime, humidis diligenter miſceantur.

„ Quod medicamentum admodum periculoſum eſſe Amatus retur, ut quod ex lapidum
„ pulvere conſtat, quod cum etiam veſicæ cavitatem ingreditur, difficulter remittitur,
„ imo ſæva eo ſymptomata oriri ſolent, ut ipſe ſæpe experientia notavit, præcipue in
„ quodam mercatore, qui, injecto ab alio quodam Lacunæ medicamento, ... in
„ omnimodam urinæ ſuppreſſionem incidit, ex qua intra tres dies mortuus eſt: „ Circa
quod videntur ratio & veritas cum Amato facere.

3°. Denique methodi illius inventorem Amatus affirmatiſſime aſſeverat Philippum hunc eumdem, a quo Lacuna ſe eam acceptam habuiſſe confitetur, a ſe ipſo didiciſſe Uliſſipone circiter anno 1535, in cujus rei fidem teſtes adducit locupletiſſimos: At vero ultro ſimul & ingenue profitetur ſe *id curandi genus accepiſſe* ab Aldereto, Profeſſore Medico Salmanticenſi, ſub quo in Medicina ſtudium poſuerat. Sed de his vide *ſupra* ad annum 1551, ubi de illo *Philippo*.

JOHANNES LANGIUS, Lembergius, natus (*a*) Leobergæ Sileſiorum anno 1485, Medicinæ ſtuduit primum Bononiæ, ac deinde Piſis in Hetruria ubi Doctoralem Lauream adeptus eſt anno 1522. Inde Heidelbergæ medicinam fecit, fuitque ſucceſſive Archiatrus quinque Electorum Palatinorum, inter quos Fridericum II. triginta ſeptem (*b*) plus annis comitatus, Hiſpaniam, Italiam, Galliam & maximam Europæ partem peragravit. Interiit Heidelbergæ anno 1565, ætatis anno 80.

Medicinalium Epiſtolarum Miſcellanea, varia ac rara cum eruditione, tum rerum ſcitu digniſſimarum explicatione referta. Baſileæ, 1554. in 4.

Occurrunt in hoc Opere Epiſtolæ tres, quæ ad argumentum, quod tractamus, faciunt.

Prima eſt XLII. Libri I, ubi *de cauſa Doloris & Apoſtematione oſſium in Morbo Gallico*, in qua docet Auctor 1°. Morbum Gallicum olim graſſatum fuiſſe cum omnibus iiſdem puſtulis, apoſtematibus & ulceribus, & ab Hippocrate *Lib. 3. Epidem.* deſcriptum; qua de re vide ſupra *Lib. I. Cap.* 3. 2°. Morbum nunc *recruduiſſe anno poſt Deiparæ Virginis partum* 1490 (1494) *ex tempeſtate aeris, nimium pluvia, & morbiferis infortunatorum ſiderum, erraticorum præcipue, configurationibus*. 3°. Suo tempore *ulcera rariora & pauciores puſtulas conſpici*, quam initio; *ſed doloribus ægrotos magis affligi*. 4°. Oſſa, *quantumvis ſolida, quaſi phlegmo-*

(*a*) Merklinus, *in Lindenio renovato*.
(*b*) Langius, *Epiſt. I. Lib. II.*

phlegmone & apoſtemate quoque corripi; quod Auctor exemplis & auctoritatibus confirmat, & quod veriſſimum eſſe nemini non notum eſt.

Altera eſt XLIII. ejuſdem Libri, ubi *de Hydrargyri virulentia*, qua ait *dentes vacillare, oſſa putreſcere, ſtrumas naſci, cerebrum & hepar & nervos debilitari, apoplexiam aut paralyſim quoque ſolo ejus vapore excitari*; unde Mercurii uſum damnat ceu nocuum, ſed temere, cum experientia compertum ſit morboſas illas affectiones legitima mercurii adminiſtratione nequaquam induci, ſed ſanari potius.

Tertia eſt XIV. Libri III, ubi *de Veterum ſtomacacia & ſcelotyrbe*, & *Morbi Gallici tuberibus*, in qua Auctor agit breviſſime de tuberibus ex Morbo Gallico oſſium ſubſtantiæ ſub perioſtio impactis, nec ullum proponit remedium.

Hæc ultima Langii Epiſtola inſerta eſt ab Aloyſio Luiſino Collectioni Venetæ anni 1566.

1554. PETRUS (*a*) HASCHARDUS, vel HASSARDUS, (*b*) Inſulanus, vel Armenterius, Flander, ſe Medicum-Chirugum dicit in titulo ſequentis Tractatus.

Morbi Gallici compendioſa Curatio, Auctore Petro Haſcardo, *Inſulano*, *Medico-Chirurgo*. Lovanii, apud *Johannem Vvaen Scotum*, 1554. in 8.

In Tractatu illo, qui breviſſimus eſt, electio, præparatio, adminiſtratio ligni indici explicantur *Capitibus XI*, nec ullum aliud præſidium proponitur adverſus luem veneream. (*c*) „ In hoc Opuſculo, *inquit*, ſive Epitome nihil de curatione hujus morbi Hydrar„ ro ſeu Argento vivo ſcripſimus, utpote quod ſit valde periculoſum, niſi debite præpa„ ratum ſit; Præparationem vero, cum ſit valde laborioſa ac ſumptuoſa, paucos arbitror „ velle ſuſcipere; & quod dare hujuſmodi præparationem ab Epitome, quam tractamus, „ valde alienum ſit, conſulto omiſimus, alias forſan ſcripturi: Non negamus enim ipſum „ argentum vivum ingentem ac occultam vim habere adverſus hanc peſtem, ſed nunc tu„ tioribus dumtaxat inhærebimus. „

„ Dicit *Auctor*, *Cap.* 1. hunc morbum prius in Italia ortum maligno Aſtrorum aſpe„ ctu, quæ aerem corruperunt, & ob id contagioſum ac epidemialem in principio ſui „ adventus fuiſſe; . . . . a multis *Neapolitanum* vocatum, quod prius in illis par„ tibus ſeſe manifeſtaverit; a plurimis *Gallicum* eſſe nuncupatum, quoniam eo tempore „ apparuit ac irrepſit, quo Carolus, Galliæ Rex, in Neapoli belligerabatur, circa an„ num a Chriſto nato 1493 (1494); a quibuſdam *Hiſpanicum* vocatum fuiſſe hac ratio„ ne motis, quod (ut teſtatur Huttenus) hic morbus vulgaris adeo ſit in Hiſpaniola „ Inſula, ut apud nos puerorum Variolæ & exanthemata. „

Statuit Capite 2. „ duplicem præcipue eſſe hujus morbi originem, contagium nempe, „ & generationem: Contagia multiplicia eſſe, ſed præcipua quæ per cubitus fiunt: Alia „ autem, ut ſunt dormire in iiſdem linteaminibus, vel induere veſtes infectorum, non „ eſſe uſque adeo periculoſa, & ſolum corpora rara & ab externo omnia facile obnoxia „ inficere: Per generationem vero ex parentibus infectis generari liberos, cacochymicos, „ doloribus plenos, & curatu admodum difficiles. „

„ Non incommodum judicat, *Capite III*, ſuo libello inſerere ſigna, quibus poteſt hæc „ lues in principio ab aliis diſcerni, quoniam plurimi atque adeo vulgares Chirurgi ho„ die magno detrimento omnium (præcipue juvenum) omnia fere accidentia ad hunc „ morbum referunt, miſere hominibus imponentes, ut ab ipſius (ut opinor) plus pecu„ niæ emungant. „

Monet, *Capite V*, *ut conſulatur* „ Medicus ſolers ac prudens circa cognitionem cauſa„ rum morborum & corporis temperaturarum, quandoquidem multo exercitio & dili„ genti inquiſitione uniuſcujuſque rei temperatura, naturæ facultas & effectus cogno„ ſcendus eſt . . . . . . *Quocirca* quantum intereſt inter cæcum aliena trepide & cunctan„ ter veſtigia ſequentem, & inter oculatum ſecure & expedite incedentem, tantum intereſt „ inter rationalem, & imperitum ſeu empiricum Medicum . . . . . Quibus patet, *addit ille*, quam parum fidendum ſit indoctis & vulgaribus Chirurgis, qui magis hanc rem „ tractant, quam Medici ipſi. „

„ *Tradit*, *Capite VI*, verum modum coquendi ac præparandi decocti ligni Guaiaci, „ qui in hoc totus vertitur, ut decoctio fiat *balneo maris*.

Aſſerit, *Capite XI*. „ in miſcendis variis medicaminibus, „ quæ cum Guaiaco decoqui „ debent

(*a*) In *Collectione Veneta* Aloyſii Luiſini, & in fronte *Tractatus ſequentis*.
(*b*) In *Lindenio renovato* Merckliui; Et apud Valer. Andream, *in Bibliothec. Belg.*
(*c*) In Præfatione *Tractatus*.

„ debent pro accidentium diverſitate, „ opus eſſe judicio docti & experti Medici, qui „ omnia certa cum ratione & doctrina limitet. „

Demum, *concludit in calce Libri*, „ ſe nolentem talentum Domini in terra abſcondere, „ voluiſſe *Lectores* hujus methodi, quam jam a pluribus annis non ſine ſuo honore & „ commodo exercuit, participes facere. *Dixerat* idem alibi, *Capite V* „ ſe potius veritati „ ac ſuis quotidianis experientiis, quam opinionibus adhærere „

Liber ille Haſcardi ab Aloyſio Luiſino Collectioni ſuæ Venetæ inſertus eſt, ſed ut Collectori mos fuit, reciſa præfatione, & truncatis variis locis.

Ceterum hic ille Petrus Haſcardus Aſtrologiæ maxime addictus fuit, ut liquet ex ſequente hiſtoria. Ediderat anno 1551. Antvverpiæ, Franciſcus Rapardus, Brugenſis Medicus, Opus, cui titulum fecerat, *Magnum & perpetuum Almanach, a conſuetis nugis liberum, eoque vere Medicum, de Phlebotomia, de Balneis, de Purgationibus, certiora principia continens, ut merito dici poſſit vulgarium prognoſticôn Medicorum, Empiricorum & Medicaſtrorum flagellum.* In hunc calamum ſtrinxit Haſchardus, ejuſque *errores & nugas*, ut ipſe ait, convellere conatus eſt in Libro, quem inſcripſit *Clypeum Aſtrologicum*, & Lovanii publici juris fecit anno 1552. *in* 8. Contendit in illo Tractatu, præter alia non pauca, ab obſervatione ſiderum dependere *tempus phlebotomandi, purgandi, & balneandi*, laudatque „ Brugenſium Magiſtratum, quod ſanciverit, ut omnes Barbi-tonſores ſeſe ſe„ cundum * Petri Bruchezii, viri doctiſſimi, Almanach regerent, „ quæ tamen non de tempore barbam radendi, ut (*a*) Gerardo Johanni Voſſio viſum eſt, ſed de tempore laudata remedia adminiſtrandi intelligenda ſunt. Hoc autem edictum riſerat Rapardus, neque ſane injuria: At Haſchardus recte ab illis factum ait „ ſiquidem id optimi Magi„ ſtratus eſſe, curare ut in republica omnia ſincere, recte, docte, ac minime temere re„ gantur ac componantur, „ atque addit, *Utinam id & in aliis omnibus Civitatibus obſervaretur*.

NICOLAUS MACCHELLUS, Mutinenſis. 1555.

Nicolai Macchelli Tractatus de Morbo Gallico, ſcriptus in gratia juniorum Medicorum almi Collegii Mutinenſis. Venetiis apud *Andream Arrivabenum*, MDLV. in 8°.

Auctor ille exiſtimat morbum novum non eſſe, ſed ab Antiquis cognitum fuiſſe; quod ut probet, ſingula expendit ſymptomata, ut hæc a Veteribus obſervata fuiſſe demonſtret. Sed futiliſſima eſt ea argumentandi ratio, cum non agatur de ſymptomatis ſeorſum ſumptis, ſed de morbo, cui ea ſymptomatum ſindrome eſſentialis ſit, quam certum eſt nunquam viſum fuiſſe ante annum 1494.

Ad curationem vero nulla adhibet remedia quæ efficacia ſint, præter decoctum ligni Indici, cujus præparationem & adminiſtrationem ſatis perfunctorie explicat.

MICHAEL JOHANNES PASCHALIS, Valentinus, (*b*) Caſtellonenſis, hoc eſt, ex oppido regni Valentini, quod *Caſtellon de la Plana* appellatur, Doctor Medicinæ, quam a Johanne Falcone, Monſpeſſulanæ, & Ludovico Collado, Valentinæ Hiſpanorum Academiæ Profeſſoribus didicit, ſcripſit Tractatum Medicum, cum hac epigraphe. 1555

Praxis Medica, ſive Methodus medendi. Valentiæ, anno 1555. in 8°.

Tractatus ille in duos Libros dividitur, quorum in priore Capitibus LXI. *De variis morbis localibus* totius corporis, & in poſteriore Capitibus X. *De febribus* agitur. Caput II. Libri prioris, quod de Morbo Gallico, exſtat in Collectionis Luiſininæ Tomo ſecundo, ſine ulla annotatione, qua indicetur ex grandiore opere deſumptum fuiſſe, ex quo factum eſt, ut Bibliographi putaverint ſpecialem Tractatum *de Morbo Gallico* a Paſchali conſcriptum fuiſſe.

In illo Capite Paſchalis paucis diſſerit de Morbo Gallico, primo quidem de illius natura, & mox de remediis, quæ ad illius curationem maxime faciunt.

Itaque I. Ait „ Morbum Gallicum, quem & *Hiſpanum & Neapolitanum* nominant; „ noſtro malo hiſce temporibus affectum notiſſimum, Antiquioribus ne per ſomnium „ quidem notum fuiſſe.

II. Ad morbi curationem, præmiſſis diæta legitima, venæ ſectione, uſu purgantium & alteran-

* Petrus ille Bruhezius, Medicus fuit Eleonoræ Auſtriacæ, Caroli V. ſororis, & Viduæ Franciſci I. Galliarum Regis, quæ poſt obitum mariti degebat in Belgio. Vide ſupra *pag.* 692. ad annum 1540. ubi *de Antonio Gallo*.

(*a*) *De Philoſophia*, Cap. 8. §. 10.

(*b*) Nicolaus Antonio, in *Biblioth. Hiſpana*.

alterantium, commendat 1°. Syrupum ex decocto Guaiaci, cujus formulam exhibet; 2°. Aquam ſive decoctum Guaiaci; 3°. Aquam ſive decoctum Smilacis aſperæ, ſive Sarſæ-parillæ; 4°. Aquam ſive decoctum radicis Chynæ; 5°. Vinum ſanctum, ſive vinum cum decocto Guaiaci commixtum.

III. Quod „ ſi morbus fuerit antiquus & curatu difficilis, fortioremque poſcat curationem, *cenſet* potentioribus opus eſſe, inter quæ a multis expertum eſſe *ait*, & a ſe „ laudatum medicamentum ex Mercurio, brachiis & aliis partibus externis admotum ordine conſueto; . . . . . . *neque putat* facultatem ipſius argenti vivi eſſe tunc pertimeſcendam, cum olim ſæpe morbis multis levioribus admoveretur, ut ſcabiei.

IV. Hinc ordine proponit unguenta & ſuffumigia multa mercurialia, imo etiam præparata quædam, ut Præcipitatum ipſum rubrum, ſive Pulverem Johannis de Vigo, ſed quem ideo tantum proponit ut damnet. „ Nonnulli, *inquit*, in curatione hujus morbi „ antiquiſſimi & fortiſſimi, præter jam dicta, utuntur pilulis, addendo grana aliquot „ pulveris Johannis de Vigo. Ego non auderem, *pergit Ille*, uti illo pulvere, ne in parva quidem quantitate & correcto, quia eſt corrodens medicamentum.

1555. Rodericus Diaz de Isla, Medicus Hiſpalenſis, (*a*) *natus Baeca, quæ urbs eſt Andaluſiæ*, ſcripſit hiſpanice.

Tratado contra las Bubas Hiſpali, *apud Dominic. Roberti*, in 4°.

Tractatus ille, cum ſcriptus ſit ad Johannem III, Luſitaniæ Regem, qui fato functus eſt anno 1557. 11. menſis Junii, paulo ante ſcribi debuit, adeoque circiter anno 1555.

Adduximus *ſupra pagg.* 75. 76. quæ ab illo Auctore narrantur de novitate & prima origine luis venereæ, prout a Georgio Hieronymo Velſchio ex idiomate hiſpanico latine reddita ſunt. En jam cetera, quæ a Velſchio *ibidem* referuntur, in quibus quæſtio eſt de diverſis luis venereæ appellationibus: „ Vocarunt igitur (*Galli*), *inquit Diacius*, Malum „ *Neapolitanum*: Itali autem & Neapolitani, quibus nulla ejus hucuſque notitia, *Gallicum* nominabant. Deinceps vero, prout acciderat, quiſque pro lubitu aliud nomen „ imponebat inde deſumptum, unde originem ſubnaſci putaret. Caſtellani, *Boas*; in Luſitania autem, Malum *Caſtellanum*; in India Luſitanica Morbum *Luſitanicum*; in Inſula Hiſpaniola vero olim hodieque, ut nos *Boas*, *dolores*, *apoſtemata*, & *ulcera* dicimus, ita illi lingua ſua *Guaynaras*, *Hipas*, *Taybas*, & *Ycas*. Ego *morbum Serpentinum „ Inſulæ Hiſpaniolæ* vocavi, ne longius exerrarem, ex qua univerſum in orbem propagatus. . . . . Cauſam cur id fecerim, præcipuam habui, quod aptiſſime natura & „ turpido illius ſerpenti comparetur; ut enim ſerpens, animal deforme, timidum & horribile; ita & hic affectus gravis, apoſtemata & corruptionem carni inducens, ipſaque „ oſſa & cartilagines putrefaciens, nervoſque contrahens & quaſi decurtans: Tum vero „ etiam, quia in Inſula illa ab antiquiſſimis temporibus endemius eſt; quo tamen non „ obſtante, quis quod volet nomen imponere poterit, ut omnes orbis nationes hactenus „ fecere.

Inter alia vero, quibus hunc morbum curatum commemorat, pleriſque jam notiſſima, hoc etiam ſingulare, pauciſque cognitum, *Cap.* 10. adducit, „ aquam nempe ſive decoctum radicis ficus indicæ amariſſimum, & febrem potatione exitans, ſed ephemeram „ tantum & duodecim horarum.

1555. 1564. Gabriel Falloppius, Mutinenſis, in Medicinæ ſtudio uſus eſt præceptoribus (*b*) Antonio Maria Braſſavolo & (*c*) Johanne Baptiſta Montano; „ (*d*) totam fere „ Europam dicitur peragraſſe, ut abdita cognoſceret arcana Naturæ: . . . . A peregrinationibus reduci locus datus eſt „ inter Profeſſores Gymnaſii Piſani, ubi Anatomiam aliquandiu docuit. „ Hinc a Senatu Veneto evocatus Patavium, anatomicam artem, non „ minor deceſſore Veſalio, ſucceſſoribus major, explicavit cum plauſu. „ Imo ibidem „ poſt Franciſcum Bonafidem plantas demonſtravit ab anno 1551. ad obitum uſque.

De anno natali & emortuali Falloppii, atque adeo de manſione ejus in vita controverſantur Hiſtorici. (*e*) Camillus Ghilinus, (*f*) Jacobus Philippus Tomaſinus, & (*g*) Nicolaus Comnenus

(*a*) Georgius Hieronymus Velſchius, in Notatione *ad Obſervationem* IV. Marcelli Cumani, *Pag. m.* 32.

(*b*) Sic atteſtatur Falloppius ipſe, *De Morbo Gallico*, Cap. 47.

(*c*) Nicolaus Comnenus Papadopoli, *Hiſtor. Gymnaſ. Patavin.* Tom. 2. pag. 325.

(*d*) Ibidem.

(*e*) Teatro di Leterati.

(*f*) Elogiorum *Lib. I. pag.* 41.

(*g*) Ubi *ſupra*.

Comnenus Papadopoli volunt Falloppium natum anno 1490. obiiſse anno 1563, cum annum vitæ ageret 73, quam opinionem non modo laudatorum Scriptorum auctoritas, ſed ipſa quoque varia & multiplicia miniſteria confirmare videntur, quibus Falloppius functus fuit; diuturna itinera, quibus Europam fere totam peragravit; munuſque profeſſorium, quod in Piſana Academia aliquandiu ſuſtinuit, priuſquam votis Veneti Senatus annueret & Patavium concederet; quæ omnia vix geſta credas breviori quam 73. annorum ſpatio.

At contra vero affirmant (*a*) Jacobus Auguſtus Thuanus, & (*b*) Petrus Caſtellanus Falloppium vitam auſpicatum anno 1523 morte præmatura occubuiſſe anno 1562, annos tantum 39 natum, cui opinioni, ne quid diſſimulem, quanquam minus probabili, tres ſuffragantur auctoritates maximi ponderis.

Petitur *Prima* ex *Oratione Johannis Zarii Zamoſcii, Poloni*, quæ dicitur Patavii habita in funere Gabrielis Falloppii. Auctor ille, (*c*) Vir nobilis, & filius Stanislai Zamoſcii, Caſtellani Chelmenſis, literarum humaniorum ſtudio tunc vacabat Patavii annos natus circiter viginti, ubi erat arcta cum Carolo Sigonio familiaritate conjunctus, a quo videtur illi opera accommodata in ſcribenda oratione ea funebri. Sed hoc ex conjectura; certum vero eſt quocunque ſcripta fuerit, in ea ſcribi Falloppium e vivis exceſſiſſe anno 1562, (*d*) IV. Idus Octobres, natum annos tantum 40, unde colligitur in lucem ingreſſum fuiſſe anno 1522 aut 1523.

Sumitur *Altera* ex *Capite XXVII. Tractatus de Tumoribus*, (*e*) qui Falloppio attribuitur, in quo ſic ille loquens inducitur: „ Agebam ego tempore peſtis anni 1528 annum „ quintum aut ſextum, (*f*) quando ſcilicet incepit: „ quæ natum illum probant anno „ 1522, aut etiam anno 1523.

Tertia repetitur ex Præfatione, quam Carolus Sigonius præmiſit Libris ſuis *de Emendatione*, in qua narrat „ ſe & Falloppium ab ineunte pueritia ſub iiſdem magiſtris eru„ ditos, atque in iiſdem ſtudiis ita verſatos fuiſſe, ut aliter alterius induſtria incitaretur. „ Probat autem Ludovicus Antonius Muratorius, in *vita Caroli Sigonii*, quam præfixit Collectioni omnium illius Operum a Philippo Argelato Mediolani editæ annis 1732 & 1733, Sigonium natum fuiſſe anno 1523 vel 1524, unde conficitur natalem quoque Falloppii annum in annos 1522 vel 1523 indicere.

Sic ergo in Falloppio aqua mihi hæret, neque enim meum eſt tantas lites componere, quas tamen componi ab iis pervelim, quibus integrum eſt.

Falloppius nihil ipſe edidit præter *Obſervationes* ſuas *anatomicas*, quæ Venetiis prodierunt anno 1562. in 8. Cetera omnia illius Opera poſthuma ſunt & ab ejus diſcipulis edita, prout unuſquiſque ex ore magiſtri, non dictantis, ſed docentis, potuerat excerpere, atque ingenio ſuo diſponere, ſuiſque verbis reddere. Inde eſt quod & ſtylus parum terſus ſit, argumenta rerum minus enucleata, ac multa inſerta, quæ vix Falloppio digna ſunt, qua de re videre eſt ut Andreas Marcolinus, Faneſtris, hoc eſt, ut opinor, ex urbe Faneſtria in Romandiola, injuriam magiſtro ſuo his facinoribus illatam acerbe expoſtulet, in Præfatione quam præpoſuit Tractatui Palloppii *de Thermalibus aquis*, a ſe edito *in* 4°. Venetiis anno 1564.

Inter poſthuma illa Falloppii Opera, ſi non prima, at certe præcipua, locum habet

Tractatus de Morbo Gallico, Petri Angeli Agathi, Maceratis, opera atque diligentia editus. *Patavii*, apud *Lucam Bertellum*, in 4°. 1564.

Hoc Opus eximium eſt, non ſtylo quidem, ſed re, in quo Falloppius, *Capitibus CII*, quidquid ætate ſua de Morbo Gallico notum erat, accuratiſſime explicat.

I. De

(*a*) Hiſtoriarum ſui temporis *Lib.* 34.

(*b*) In Vitis Illuſtrium Medicorum.

(*c*) Johannes ille Zarius Zamoſcius ad maximos Patriæ ſuæ honores aſcendit, ac ſupremus Regni Polonici Cancellarius conſtitutus fuit. *Vid.* Nicolaum Comnenum Papadopoli, *Hiſtor. Gymnaſ. Patavini.* Tom. 2. pag 325.

(*d*) Caſtellanus, qui de anno conſentit, a Zamoſcio diſſentit de die; ait enim Falloppium in vivis eſſe deſiiſſe VII. Idus Octobres.

(*e*) Hoc opus poſthumum quodam Diſccipulorum Falloppii editum fuit, ut ab ore loquentis & explicantis excerpi digerique potuerat.

(*f*) *Vid.* etiam Tractat. *de Bubone Peſtilenti Cap. IX.* Et *Epiſtola* Donati Bertelli Typographi *ad Johannem Jacobum Fuggerum*, ſcriptam anno 1563, & præfixam ſuæ Editioni Tractatuum Falloppii *de Ulceribus* & *Tumoribus*, in qua ait Falloppium *diem ſuum ante diem obiiſſe*, quod minime dici potuit de ſene annorum 73.

I. De natura, origine, novitate, cauſis, ſymptomatis hujus ægritudinis diſſerit; ac cum ceteris ſtatuit Morbum novum eſſe: Ab Hiſpanis ex India occidentali delatum; Plane diverſum (*a*) a Lepra Arabum, a (*b*) Sahafato Avicennæ, ab (*c*) Albotim ejuſdem ſive Terminthо Græcorum, demum (*d*) a Variolis & Pſora.

II. Methodos curatorias Morbi Gallici in *Regias* ſive Methodicas, & *non Regias* ſive Empiricas diſtinguit.

Prima Regiarum ea eſt, quæ obtinetur diæta, alterantibus, purgantibus, exercitatione; & quam credit incipienti morbo ſufficere.

In *altera* uſus eſt ligni Guaiaci, cujus eligendi, decoquendi, adminiſtrandi methodum multis explicat. Hanc viam dicit (*e*) *regiam, certam, & tutam, qua Gallicus ſanatur, & hac conſulit ut omnes utantur in ſuis ægrotis*.

In *Tertia* adhibetur decoctum radicis Chinæ, cujus hiſtoriam & præparationem docet, & cujus uſum Gallis, Germanis & Flandris familiarem eſſe dicet; at vero ſimul monet in curando Morbo Gallico parum efficacem eſſe. *Expertus ſum*, (*f*) inquit, *ter & quater, & nunquam aliquid potui aſſequi*. Et alibi: *Ego*, (*g*) inquit, *uſus ſum iſto medicamento in infirmitatibus viſcerum, in cancris exulceratis, & in lippitudinibus felici ſatis ſucceſſu, ſed non in Morbo Gallico*.

Quarta ſupereſt (*h*) *via Regia, quæ fit per ſalſam-parillam*, cujus electionem & præparationem proponit. Cenſet autem ſalſam-parillam eamdem eſſe quam ſmilacem aſperam, aitque (*i*) *ſe ad hoc medicamentum confugere, cum in Gallico adſunt ulcera, tanquam ad certiſſimum & tutiſſimum auxilium, & ſi non facit prima diæta, facere ſaltem ſecundam vel tertiam*.

III. Inter methodos, quæ non ſunt Regiæ, prima eſt methodus ſuffumigiorum, quam Auctor deſcribit; fatetur tamen (*k*) *ſæpe ac ſæpius graviſſima ſuccedere incommoda, nec ita tuto procedere illam curationem. Quare*, inquit, *ſemper probavi, ut talem (quantum fieri poteſt) fugiamus, aliquibus enim peſſima & lethalis eſt*.

Via altera, quæ non Regia eſt, ea eſt quæ utitur inunctionibus mercurialibus, (*l*) „ quarum, *inquit*, ita viget auctoritas, ut iis tota Gallia utatur. Tamen, *addit Ille*, „ non probo uſum earum; ſuperant quidem morbum, ſed ſi habemus regias rationes cu- „ randi, quæ ut plurimum & certius ſanant, ſine corporis incommodo; & ſi non ſa- „ nant, leniunt ſine noxa, non proritant affectum, cur utemur hydrargyro, ex quo non „ ita certa, non ita tuta ſuccedit ſanitas? . . . . . *iis tamen*, *ſubdit Idem*, utor aliquan- „ do, quando non potui via regia aſſequi intentum. Ego vidi adoleſcentem laborantem „ Gallico, in quo omnia regia infeliciter experta ſunt; Empiricus hydrargyro curavit,

IV. *Sciatis (m) autem*, inquit Falloppius, *quod non ſolum Empirici ſanant inunctione iſta, ſed exhibito argento vivo per os, non quale eſt, ſed præcipitato; & ſunt Chimiſtæ, qui profitentur inveniſſe ſecreta, & facere præcipitatum præſtantiſſimum pro Morbo Gallico*. Deinde proponit ille proceſſum conficiendi præcipitatum Mercurium rubrum, quem exhiberi ait ad pondus 7 granorum; ad ſummum 10, ſed raro. At hujus uſum damnat: *Incommoda*, inquit, *ſubſequi ſolent non pauca ex aſſumptione talium; ſolvitur enim alvus copioſe, vomitus movetur violentiſſimus, dyſenteria inducitur, rumpitur in pectore vena. Medicina hæc pro aſinis & ruſticis ſervetur, atque a thalamo viventium hominum excludatur*.

V. Falloppius poſtea ſingula expendit ſymptomata morbi ex ordine, ac remedia topica proponit, quæ ſingulis medeantur.

Porro notandum eſt hunc Falloppii Tractatum a Falloppio publice explicatum fuiſſe anno 1555, ut ex locis nonnullis liquet, & poſt Auctoris mortem editum fuiſſe Patavii in 4 anno 1564. opera Petri Angeli Agathi, Matheratis, qui de ſuo addidit non modo Scholia marginalia, ſed etiam textui inſeruit annotationes varias uncinis diſtinctas, quibus ſane lucem aliquam Falloppio profert ille in nonnullis locis, ſed quibus etiam acriter eumdem identidem redarguit. Sic *v. g.* cum dixiſſet Falloppius, *Cap.* 23. *Hiſpanos induxiſſe tyrannidem in Italiam, Gallicum, & barbæ longæ uſum*, Agathus ita reponit in *adnotatione margini adjecta: Imo Rex Philippus, atque pater Carolus veram conati ſunt inducere Monarchiam*. O lepida ſane animadverſio!

Abſtine-

(*a*) Cap. 3. (*b*) Cap. 4.
(*c*) Cap. 5. (*d*) Cap. 6.
(*e*) Cap. 59. (*f*) Cap. 60.
(*g*) Cap. 61. (*h*) Cap. 63.
(*i*) Ibidem.
(*k*) Cap. 69.
(*l*) Cap. 67.
(*m*) Cap. 79.

Abſtinere non poſſum, quamquam id ab inſtituto alienum videatur, quin referam modum, quo narrat ipſe Falloppius a ſe agi cum *hominibus anatomiſandis*. *Princeps* (Magnus Hetruriæ Dux) *jubet Piſis*, (*a*) inquit Ille, *ut nobis* (Profeſſori Anatomiæ) *dent hominem, quem noſtro modo interficimus & illum anatomiſamus* . . . . . Igitur cuidam in hunc finem dato *exhibui*, pergit Ille, *drachmas duas Opii, & adveniens paroxyſmus* (*nam hic patiebatur quartanam*) *prohibuit Opii actionem. Hic gloriabundus rogavit, ut bis adhuc exhiberemus, quod ſi non moreretur, ut procuraremus pro ejus ſalute apud Principem. Rurſus illi exhibuimus extra paroxyſmum drachmas duas Opii & mortuus eſt*. Fateor equidem atrociorem fuiſſe immanitatem Herophili & Eraſiſtrati, (*b*) *qui nocentes homines a regibus ex carcere acceptos, vivos incidebant*. Attamen nihilo ferme minus ſtupet animus, quoties cogito barbaram illam crudelitatem Falloppii, Medici chriſtiani, Medici ſeculo decimo ſexto nati, qui carnificis partes aperte ſuſtinere non exhorruerit.

JOHANNES FERNELIUS, Ambianus, dicitur natus anno 1486 Claromontii Bellovacorum, quod a Lutetia viginti dumtaxat leucis diſtat, ſed *Ambianum* in Operibus idcirco ſe prædicaſſe, quod patrem ex Ambiano oriundum habuerit. Scriptis & praxi celeberrimus fuit: Ab Henrico II. in Archiatrum electus munus illud glorioſe ſuſtinuit. Sed, ut vere dicam, multa circa Fernelium jactantur dubia, 1°. *De patria*; utrum *Ambiani*, ut ipſe videtur indicare, cum ſe Ambianum vocet, & ut legitur in illius Epitaphio in Eccleſia ſancti Jacobi in macello; utrum *Mondiderii* in Ambianenſi Diœceſi, ut Auctor eſt Mezeray, *Hiſtoire de France, Tom. II. Pag.* 1129; utrum *Claromontii* natus ſit, in pago Bellovacenſis Diœceſis, ut Guillelmus Plantius affirmatiſſime aſſeverat, *in vita Fernelii*, & opinio apud pleroſque prævalet.

2°. *De anno, menſe & die emortuali*; utrum *anno* 1557, poſt expugnatum ab Henrico II. Caletum, ut habet Plantius, *ibid.* utrum *anno* 1558, die 26. Aprilis, ut in Epitaphio Fernelii & in Actis Facultatis Pariſienſis legitur, quod cum opinione Plantii aperte pugnat; utrum demum anno 1558, die 27 Martii, ut voluit Thuanus, *Hiſtor. Lib. XXI.* cujus opinio ab opinione Plantii ſpecie quidem differt, ſed cum eadem re congruit, quippe conſtat Caletum occupatum fuiſſe menſe Januario anni 1557, hoc eſt, anni 1558, ut nunc computi ratio eſt. Hoc autem anno 1558 Feſtum Paſchatis, a quo tunc numerabatur anni principium, incidebat in diem 10 Aprilis; (Vid. du Cange, in *Gloſſario* ad vocem *Annus*) atque adeo menſis Martius totus ad annum 1557 pertinebat. Fidem tamen potiorem a pleriſque haberi video Epitaphio, ideo quod annus ibi adſcriptus idem ſit, qui notatur in verſibus ſequentibus Chronoſtichis, quos poſt obitum Fernelii fecit quidam Medicinæ ſtudioſus, nomine F. Thorius Bellio, & quibus certum eſt annum illius emortualem deſignari literis numeralibus.

ConJVge FerneLIVS rapta perCVLsVs, Vt aVLæ,
Vt LVCIs satVr, Vt noMInIS InterIIt.

3°. Demum *De ætate*; utrum *annos* tantum 52, ut legitur in Epitaphio & in Actis Facultatis Pariſienſis, & ut a Thuano narratur, ubi *ſupra*; utrum vero annos 72 vixerit, ut Plantius ſcriptum reliquit *in vita Fernelii*, cujus opinio potior eſſe videtur eis de cauſis, quas apud Petrum Bayle videre eſt diſerte enucleatas, *Dictionnaire Critique*, au *mot* Fernel, *Note H.*

Sanmarthanus in *Elogiis* laudat impenſe Fernelium, " cujus admirabili genio [id ,, contigiſſe *ait*, quod a multis ſeculis nulli quamlibet erudito contigiſſe meminit, ut ,, ipſo vivo atque vidente Opera, quæ de univerſa Medicina ſcripſerat, in Scholis publi- ,, ce legerentur. ,, Sed hæc neque magis vera, neque minus adulatoria eſſe videntur, quam quæ narrat (*c*) Lucas Oſiander de Leonbardo Fuchſio, Medico Rhæto, de quo *ſupra* ad *annum* 1542, ,, illum *ſcilicet* tanta fuiſſe auctoritate in Gallia & Italia, ut ad ,, nominis ejus mentionem Medicinæ ſtudioſi in exteris illis Univerſitatibus honoris cau- ,, ſa capita aperirent.

Fernelius principio mathematicis diſciplinis multum temporis tribuit, quod abunde teſtantur Tractatus Aſtronomici ab illo editi, ut *Monaloſpherium*, quod Pariſiis anno 1526, & *Coſmotheoria*, quæ ibidem excuſa fuit anno 1528; nec id ipſe Plantius diffitetur in *Fernelii vita*. Sed tandem re maturius perpenſa, mutatoque conſilio, ad Medicinam ſe diligentius applicavit, Licentiati gradum in Facultate Pariſienſi conſecutus eſt cum honore anno

(*a*) Lib. de Tumoribus, *Cap.* 14.
(*b*) Celſus in *Præfatione*.
(*c*) Epitom. Hiſtor. Eccleſiaſt. *Centur. XVI. Lib.* 3. *Cap.* 62.

anno 1530, & brevi tum in Theoretica, tum in Practica Medicina maximos progreſſus fecit, ut aperte demonſtrant Opera medica eximia & ſeros viſura nepotes, quæ edidit vel ſcripta reliquit.

Inter hæc tria ſunt, quæ ad noſtrum inſtitutum potiſſimum faciunt.

I. *De abditis rerum cauſis Libri duo*, qui Pariſiis excuſi ſunt *apud Chriſtianum Vvechelum*, in fol. MDXLVIII.

Agitur ibi *Lib. II. Cap. 13. de Morbis contagioſis*, & proinde *de Lue venerea*; ideoque Caput illud *Collectioni Luiſinina inſertum fuit*.

II. *Pathologia Libri VII*, qui Pariſiis prodiere apud *Andream Vvechelum*, in fol. anno MDLIV,

ubi agitur etiam *de Lue venerea, Capite ultimo Libri VII*, quod ideo quoque eidem Collectioni inſertum eſt.

III. *De Luis venerea curatione perfectiſſima Liber*, poſt Fernelii mortem vulgatus, quem ab Auctore abſolutum aiebat & a ſe proxime edendum eſſe pollicebatur Guillelmus Plantius, in *Præfatione* præfixa Operibus ceteris Fernelii, Lutetiæ editis anno 1567; quem a Johanne Lamy, Medico Pariſienſi, editum fuiſſe ſcripſit Johannes Georgius Schenckius, in *Bibliotheca medica*, ſed de qua editione mihi nondum conſtat; quem certo compertum habeo Antuerpiæ apud Chriſtophorum Plantinum, excuſum fuiſſe anno 1579, in 8°. cura & ſtudio Victoris Giſelini, D. M. Poſthumo illo Fernelii Tractatu, qui in Capita XV. diſtribuitur, quæcunque ad luem veneream ſpectant ſatis enucleate tractantur, ſaltem enucleatius quam in ceteris ejus Operibus; nec illum proinde a Collectione Luiſinina ulla alia ratione abeſſe puto, quam quod tardius publici juris factus fuerit.

Fernelius docet affirmate 1°. Luem veneream morbum eſſe novum: Ab India devectum: (*a*) Quo *nemo labefactatur inquinati aeris inſpiratione, nec alimentorum impuritate aut vitio*: Qui proinde *in contagioſis haberi tantum debet*.

2°. (*b*) *Hydrargyrum luis non eſſe antidotum, ſed Empiricorum inventum, quod tanquam fucum malo adhibent, neque a Viris bonis & Reipublica ſtudioſis tam fallacem, incertam, atque adeo crudelem curationem unquam tentari debere*.

3°. Decoctum ligni Guaiaci utiliorem eſſe & efficaciorem medicinam, ideoque illius præparandi & exhibendi methodum (*c*) accurate deſcribit; quibus ut fidem faciat, adducit (*d*) exemplum *Domini de Meſieres, Prioris Sancti Dionyſii a Carcere*, qui 40. *annos natus lue correptus venerea duodecies duobus annis* incaſſum inunctus fuit, *unde ſiccum adeo & exangue corpus evaſit, ut in eo nihil præter aridam cutim & oſſa ſupereſſet, cum tophis ſuper oſſa brachiorum, crurum, tibiarum & capitis, diriſque cruciatibus, qui impediebant quominus integro biennio ſomnum inire poterit*. Quem tamen ipſe methodo, quam deſcribit, ſed potiſſimum uſu Guaiaci & ope æſtuarii, poſt exactos menſes aliquot priſtinæ valetudini tandem reſtituit.

4°. Demum, quod judicium in tanto Viro vix probem, *perfectiſſimum curationis modum eum eſſe*, qui fiat (*e*) opiata ex remediis vulnerariis compoſita, cujus formulam profert, & quam *Antidotum Alexipharmacam* vocat; vel (*e*) aqua, quam *Mirificam* dicit, & quæ ex remediis ejuſdem generis diſtillando prolicitur, in cujus rei confirmationem *quos refert a ſe reſtitutos, quorum imitatione* ait *ceteros curari poſſe*.

Ceterum conſtat Fernelium Librum *de Luis venerea curatione perfectiſſima, anno* 1557. compoſuiſse, cum mentionem faciat *Capite* 7. tum *Pictoris cujuſdam Andegavenſis*, qui cinabrio caſu deguſtato anno 1557, tum *Fabri cujuſdam aurarii, qui ſolius hydrargyri vapore anno* 1556. *graviſſima ſenſerunt incommoda*.

1556. Petrus Rostinius, Italus, Doctor Medicus.

Trattato del Mal Franceſe, nel quale ſi diſcorre di dugento e trenta quattro ſorti di eſſo male, e in quanti modi ſi può prendere, cauſare, e guarire: Ed evidentemente ſi moſtra chi ha il gallico Male e chi no, con ſegni certiſſimi e pronoſtici. Per Pietro Roſtinio, Dottor Fiſico, raccolto & tradotto da quanti hanno ſcritto circa il Mal Franceſe, e maſſime dal Braſsavola, e di più molte coſe vi ſono di nuovo aggiunte, *In Venezia per Lodovico Avanzi, alla Libreria dall' Albero* MDLVI. in 8°.

Fatetur

(*a*) De abditis rerum cauſis, *Lib.* 2. *Cap.* 14.
(*b*) Lib. de Luis veneteæ curatione, *Cap.* 15.
(*c*) Cap. 10, 11, 12, & 13.
(*d*) Ibid. *Cap.* 15.
(*e*) Ibid. *Cap.* 15.

Fatetur Auctor ille Diſſertationem ſuam ex antiquioribus Medicis, qui de morbis venereis ſcripſerunt, potiſſimum vero ex Antonio Muſa Braſſavolo excerptam eſſe: Sed verius dixiſſet, ſi ingenue faſſus fuiſſet Diſſertationem ſuam ipſummet eſſe Antonii Muſæ Braſſavoli Tractatum *de Morbo Gallico*, italice verſum, cum reſponſis a Braſſavolo datis *quæſtionibus* Alexandri Fontanæ, Mutinenſis, & Tractatu *de radicis Chinæ uſu*.

PETRUS DE BAYRO, Taurinenſis, natus circiter anno 1468, Proto-Medici nomen 1757.
& dignitatem adeptus, in patrio Gymnaſio Medicinam plures annos docuit, Archiatrus fuit, ut (*a*) ipſe teſtatur, Caroli II, ſeu Caroli Johannis Amedei, Sabaudiæ Ducis, 1561.
qui fato functus eſt anno 1496, & Caroli III, qui eodem principatu potitus eſt ab anno 1504 ab annum 1553. Obiit Taurini nonagenarius, anno 1558.

„ (*b*) *Quæcunque ad actum curativum ſunt neceſſaria, facile acquiſibilia, digniſsimis auctoribus excerpta, vel ſibi tunc ſeni exiſtenti experta & approbata, redegerat* Ille *ſub brevi compendio, quod ob ejus utilitatem*, Veni mecum *appellare conſtituerat*. „ Quod Opus, defuncto Petro de Bayro, editum fuit a Theodoro Zuinggero, Baſileenſi Medico, cum Inſcriptione ſequenti.

Petri Bayri, Taurinenſis Medici, De medendis humani corporis malis Enchiridion, vulgo Veni mecum *dictum, cum adjuncto ejuſdem Tractatu de Peſte*. Lugduni, 1561. in 12.

Ex *Libro XVIII. Enchiridii* excerptum eſt Caput VII. *De Doloribus muſculorum ex morbo Gallico*, quod inſertum eſt ab Aloyſio Luiſino Collectioni ſuæ Auctorum *de Morbo Gallico*.

In illo Capite, quod perbreve eſt, proponit Auctor ad ſedandos dolores iſtiuſmodi, 1°. *Unguentum* quoddam *mercuriale*, cujus formulam refert: 2°. *Decoctum ligni Guaiaci cum vino vel aqua ſecundum neceſſitatem*: 3°. *Pillulas*, *quibus utuntur Moderni contra morbum Gallicum, quæ in aliquibus . . . . mirabilem fecerunt operationem*. Harum autem formulam ſequentem affert, quæ eadem eſt ac formula pillularum Barbaroſſæ.

℞. *Argenti vivi* ℥ xxv.
Rhabarbari electi ʒ x.
Diagridii ʒ iij.
Moſchi, & *Ambræ* ana ʒ j.
Farinæ frumenti ʒ ij.
Cum ſucco limonum f. Maſſa pillularum, *ex qua formentur pillulæ quantitatis ciceris, & detur una pro vice omni die per horam ante cœnam*.

„ Hæc recepta, *pergit Bayrus*, fuit ex Turchia apportata, & qui primus inter Chriſtianos his uſus eſt pillulis, cecidit repente mortuus ſuper pontem Avenionis, dum ibidem profugi eſſemus propter prælia, anno 1537; „ nempe cum Franciſcus I, Gallorum Rex, exacto Carolo III, quocum bellum erat, Sabaudiam & Pedemontium occupabat.

Abſtinere non poſſum, quin ea referam, quæ Bayrus narrat alibi de muliere quadam Peſte infecta, quamquam illa ab inſtituto aliena ſint, ut inde pateat quanto candore Obſervationes ſuas ille proponat. „ Dum eſſem juvenis, *inquit*, (*c*) fui vocatus pro quadam nobili muliere, Taurini peſte invaleſcente, & reperi eam in lecto ſedentem & ſe pectinantem, faciem capillis coopertam habentem. Tetigi pulſum parvum, tardum & rarum, & cœpi dubitare. Ipſa autem faciem diſcooperiente, vidi ſuper latus menti parvam petiam cum unguento, ſuaſi ut amoveret, & vidi carbunculum nigrum abſque cutis elevatione, perinde ac ſi encauſto cutis eſſet intincta. Quæ videns, pulſum etiam conſiderando, cognovi eſſe veram peſtem & retraxi me ad feneſtram ſimulans defatigationem, & fricavi digitos, cum quibus eam tetigeram, cum ocymo viridi ſuper feneſtram exiſtente. Ipſa vero dixit, *Nihil mali ſentio, niſi quamdam defectionem*. Ego reſpondens dixi ei, *Sum expectatus in via, brevi revertar*. Diſcedens dixi filio me interroganti, *Mater tua finiſſima peſte laborat, cave ne tu, nec aliquis ex familia tua aliquid de rebus, quas circa ſe habet, tangatis: Morietur enim hodie*. Illo die ordinatis ſuis rebus quod ad animam & reliqua, ante ſolis occaſum defecit. Filius autem & ejus uxor cum omni familia monitionem meam non obſervantes ſecuti ſunt eam. Poſt modicum vero temporis, invaleſcente Peſte, Civitatem deſeruimus, in qua ex eadem peſte ſuper quinque millia hominum perierunt.

(*a*) Enchirid. *Lib.* 2. *Cap.* 29.
(*b*) In Enchiridii Proœmio.
(*c*) Enchirid. *Lib.* 20. *Cap.* 10.

Ceterum ambigo an hæc referenda ſint ad peſtem illam Taurinenſem ; quæ ineunte ſe culo XVI. graſſata eſt, & de qua Bayrus Librum ſcripſit Taurini editum anno 1507.

1557. JOHANNES SYLVIUS, Inſulenſis ſeu Inſulanus in Flandria, Medicinam primum Valentinianis factitavit, poſtea eamdem Duaci profeſſus eſt *in novella Academia*: Obiit anno 1576, ipſis Nonis Aprilis. Habuerat anno 1557. Lovanii declamationem *De Morbo Gallico*, quæ edita fuit eodem anno Antuerpiæ apud Plantinum, ad calcem Tractatus *De curatione morbi articularis*, in 8°.

Ea declamatio exſtat in Tomo II. Collectionis Venetæ anni 1567, ſed neſcio quem ad finem, cum in ea nec novum, nec utile quidquam ſit.

1557. JULIUS CÆSAR SCALIGER, ſi (*a*) ipſi vel Joſepho Juſto illius filio credamus, e familia Scaligerorum, Veronæ Principum, progenitus, natus eſt anno 1584. in Caſtro Ripa ad Caput Benaci, (*b*) Sacroſanctæ Scaligerorum Aganippes; patrem habuit Benedictum, (*c*) qui ſummæ rei militari ſub Rege Hungariæ Matthia Corvino, gentili ſuo, decem & ſeptem annos præfuerat; (*d*) qui juſtis præliis duodequadraginta interfuerat; qui plus centum excurſionibus pro Friderico Auſtriano Imperatore, atque fortiſſimo Matthia adverſus Illyrios aut Turcas præfectus fuerat; matrem vero Veronicam, filiam Paridis, cognomento *Magni*, Comitis Lodronii; pueritiam (*e*) egit Lodronii apud maternum avum, ſed (*f*) vix attingerat ætatis annum duodecimum, cum Maximiliano Cæſari a patre Benedicto oblatus, in numero illuſtrium puerorum aulicorum habitus eſt, & per totos decem & ſeptem aut amplius annos in domeſticis Cæſaris fuit. Interim per varias regiones peregrinatus eſt, (*g*) Carniam, (*h*) Croatiam, Iſtriam, Dalmatiam, (*i*) Illyriam, Græciam, Macedoniam, Thraciam, (*k*) Epirum, (*l*) Noricum, (*m*) Siciliam &c. Nec minus impigre caſtra ſecutus eſt, (*n*) quinque juſtis præliis interfuit, (*o*) duabus adfuit obſidionibus, in quarum altera etiam imperium habuit, (*p*) multis patuit vulneribus, quorum cicatricibus corpus inſigne fuit, (*q*) pugnavit ſub Ludovico XII, Francorum Rege, ad Laudem Pompeiam (*anno* 1509,) interfuit in clade Ravennenſi (*anno* 1512.) qua Copiæ Pontificiæ, Aragonenſes & Venetæ, fœdere, ut aiebant, ſancto in Gallos ſociatæ, cæſæ & fugatæ ſunt, in quo prælio ſe ſtrenue geſſit & pro mortuo a ſuis elatus eſt, & in quo cecidere Benedictus ejus pater, fraterque Titus, quem (*r*) *Virum fortiſſimum & multis præliis clariſſimum* dicit.

Literas in pueritia guſtaverat, ut quem (*s*) Johannes Jucundus, Veronenſis, nobili genere prognatus, in Mathematicis nulli ſecundus, in Optice atque Architectura omnium facile princeps, & Hieronymus Dominius, e Norico, fortiſſimus Vir, primis literis græcis imbuerant Maximiliani Cæſaris juſſu, a quo illi præceptores dati erant; ſed cum egenus poſt Ravennenſe prælium conſtituiſſet habitum Franciſcanum ſumere, Bononiam venit, cœpit Scoto, hoc eſt, philoſophiæ Scoticæ, operam dare. At vero, cum non multo poſt tepuiſſet ille monachiſmi æſtus, diſceſſit Bononia anno 1518, & venit Auguſtam Taurinorum anno 1519, ubi ſeptem annos ſolidos deſedit. Ibi inter labores militares & facinora bellica, caſu & derepente Medicus evaſit uſu Medici Taurinenſis neſcio cujus, & Pharmacopolæ, rei herbariæ peritiſſimorum; Demum anno 1526. ſe comitem adjunxit cuidam

(*a*) Quæcunque adducto quodam Julii Cæſaris Scaligeri loco non comprobantur, ſcias excerpta eſſe illius Vita a filio ſcripta.

(*b*) *Exercitat.* in Cardanum, 50.

(*c*) Poetices *Lib.* 3. *Cap.* 110.

(*d*) In *Oratione funebri* Audecti Cæſaris filii.

(*e*) *Exercitat.* in Cardanum, 104. 124. 259.

(*f*) *Exercitat.* in Cardanum, 250. N. 2.

(*g*) Comment. II. περὶ ζώων, *De Xiphia Piſce.* Ibidem, *De Teſtudine marina.* Exercitat. 47. *De Eteſiis.*

(*h*) Comment. IV. περί ζώων.

(*i*) Poetic. *Lib.* 1. *Cap.* 9. Exercitat. 222. Comment. IV. περί ζώων.

(*k*) Exercitat. 167.

(*l*) Comment. II. περὶ ζώων, *De Aquila.*

(*m*) Exercitat. 211.

(*n*) In Epiſtola ad Arnoldum Ferronum.

(*o*) Exercitat. 274.

(*p*) Excercitat. 266. N. 1.

(*q*) Exercitat. 263.

(*r*) Poetic. *Lib.* 2. *Cap.* 20.

(*s*) Poetic. Lib. 3. Exercitat. 226. 329.

(*t*) Confutat. Fabulæ Burdonum, *Pag. m.* 307.

cuidam ex Roverorum gente ((*a*) *Marco Antonio della Rovere*) Aginnenſi Epiſcopo, in Aquitaniam proficiſcenti, domicilium Aginni poſuit, uxorem duxit, liberos ſuſtulit, artem medicam exercuit, famam ſcriptis ſibi comparavit, ac tandem obiit anno 1558, ætatis ſuæ 75.

Contra vero, ſi fides adhibeatur Lilio Giraldo, Auguſtino Nipho, Melchiori Guillandino, Antonio Riccobono, Gaſpari Scioppio, ac nuperrime Nicolao Comneno Papadopoli, qui Hiſtoriam Gymnaſii Patavini literis mandavit, JULIUS CÆSAR BURDO vel BURDONUS Veronæ natus eſt anno 1484, patre Benedicto Burdone, ludi magiſtro & deinde Geographo, matre vero Veronica, filia Paridis Burdonis, ſartoris Tarviſini: Literis operam dedit Patavii, Cœlii Richerii, Rhodigini, diſcipulus, inter Franciſcanos nomen profeſſus eſt aliquandiu, ſed abjecto deinde cucullo per diverſa loca vagatus eſt. Videtur per id tempus Philoſophiæ ſtudio diligenter incubuiſſe, cum ipſe (*a*) inter præceptores ſuos numeret Buccaferream, Petrum Pomponatium, Zimarram, Tiberium, Niphum. Medicinæ ſtuduerat Ferrariæ, ut qui Nicolaum Leonicenum *præceptorem ſuum* (*b*) ipſe vocet, ſed Patavii Doctoris gradum aſſecutus eſt in eadem facultate anno 1515, Abiit deinde in Pedemontium anno 1518. venitque Auguſtam Taurinorum anno 1519, unde in Aquitaniam profectus eſt (*c*) anno 1524, non tamen in comitatu Marci Antonii della Rovere, Epiſcopi Aginnenſis, ut contendit Joſephus Juſtus Scaliger, ſiquidem (*d*) conſtat hunc Epiſcopum Aginni cum pompa prius exceptum fuiſſe, ſcilicet anno 1521, ſed ab eodem forte accitus aut invitatus. Abhinc lares, ſine quibus vixerat, Aginni poſuit, civitatem francicam petiit, & a Rege Franciſco I. (*e*) Diploma impetravit anno 1528, ſed in poſtulatione ſua, quæ Diplomati inſerta eſt, ſe *Julium Cæſarem de la Scala de Bordons, Doctorem Medicum*, ipſe vocat, nec de illuſtri & nobili ſua proſapia, aut de bellicis ſuis facinoribus, verbum ullum addit; Medicinam clinicam & periodeuticam exercuit, uxorem duxit virginem juvenculam jam ſenex anno 1529, ex qua liberos utriuſque ſexus quindecim habuit, & ſeptem ſuperſtites reliquit, quorum notiſſimus Joſephus Juſtus Scaliger, ſcriptis ſuis inclaruit, ac tandem naturæ conceſſit anno 1559. natus anno 75.

Non noſtrum eſt tantas lites componere. Sed aperte fatebor me de Scaligerorum principatu addubitare, nec injuria: reor enim mecum pariter addubitaturos eſſe, ſi tamen addubitent, quoſcunque non pigebit (*f*) libros ex utraque parte de hoc argumento ſcriptos excutere, convitiorum plauſtra devorare, quæ ultro citroque elegantiſſime data ſunt & accepta, ac demum rationum momenta, ſi qua utrimque prolata ſint, candide expendere. Potuit forte Joſephus Juſtus Scaliger bona fide, quia aliena, patris commenta defendere: At vero Julius Cæſar Scaliger, ſi ea commentus eſt, non potuit comminiſci niſi fide ſua, atque adeo peſſima; quocirca ſi falſa dixit, merito numerandus venit inter (*g*) inſignes fabularum artifices.

Sed quo non mortalia pectora, quæ impenſius tument, cogunt ventoſa vanitas & inſana cupiditas gloriæ! Non ſane hoc mirabile eſt potuiſſe ea extra patriam ab illo viro confingi, quem conſtat, quandiu vixit, ſuperbum ſe præbuiſſe, arctis etiam in rebus, cum Medicinam Aginni factitaret fructu perexiguo; quem conſtat non puduiſſe annos natum ſeptuaginta quinque, quo tempore impotens ille gloriæ æſtus debuiſſet deferveſcere, ad Augerium Ferrerium de ſe ſcribere in Epiſtola, quam Joſephus Scaliger publici juris

(*a*) In Epiſtola ſcripta anno 1557, & editioni ſuarum Exercitationum præfixa.

(*b*) Exercitat. 141. N. 7.

(*c*) Vide diploma Franciſci I. *de Civitate Scaligero conceſſa*.

(*d*) In Galliæ Chriſtianæ *Tom. II.* ſecundæ Editionis anni 1720.

(*e*) Vide Bayle, *Dictionnaire Critique*, in verbo *Verone*.

(*f*) Joſephi Scaligeri Epiſtola *De vetuſtate & ſplendore gentis Scaligeræ*, & *Julii Cæſari Scaligeri Vita*. Lugduni Batavorum, 1594. *in* 4.

Gaſparis Scioppii *Scaliger Hypobolimæus*, *hoc eſt*, *Elenchus Epiſtolæ Joſephi Burdonis Pſeudo-Scaligeri*, *De vetuſtate & ſplendore gentis Scaligeræ*. Moguntiæ, 1607. in 4.

Cornelii Denii, Burgenſis (*hoc eſt*, Rudolphi Matman, Lucernenſis, Societatis Jeſu,) *Tres Capellæ*, *ſive Admonitio ad Joſephum Juſtum Burdonem*, *Julii Cæſaris Burdonis filium*, *Benedicti Burdonis nepotem*, *prius Scaligerum*, *nunc Sacrilegum*. Ingolſtadii, 1608. *in* 4.

Confutatio Stultiſſimæ Burdonum Fabulæ, Auctore J. R. ſcilicet Jano Rutgerſio, (hoc eſt, *Joſepho Scaligero*). Lugduni Batavorum, 1608. *in* 12.

Omitto Satiras alias multas, ex utraque partes ſcriptas de eodem argumento, ſed ſpurciſſimas.

(*g*) Quod ſi fateamur Julium Cæſarem Scaligerum inſignem fuiſſe fabularum artificem, fatendum quoque ſimul artificem fuiſſe parum callidum, quippe qui tot vero abſona, ſecum male cohærentia, cum veritate hiſtorica pugnantia, de ſe, aviſque ſuis, Operibus quibuſcunque paſſim infulciverit.

ſecit ad calcem vitæ patris ſui, ſi *ſimul & Maſſiniſſa & Xenophon componantur*, *utriuſque idea vix ſe unum exprimi*. Sed hæc ἐν παρόδῳ; nunc ad rem.

Julius ille Cæſar, ſive Scaliger, ſive Burdonus, in Hieronymi Cardani Librum *de Subtilitate* ſcripſit Exercitationes acerbas & amarulentas, quæ *Lutetiæ apud Michaelem Vaſcoſanum* prodierunt *anno* 1557, & (*a*) *in quibus contradictionis ſtudium* tam palam *ubique ſe prodit*, *ut Sophiſta quam Philoſopho Opus dignius eſſe videatur*. Hic inter alia, *Exercitatione CLXI*, contendit a Cardano dici *ſe octo de Morbi Gallici natura libros* ediidiſse. Idem autem a Cardano dictum eſſe affirmare non auſim, cum nihil tale legerim in Cardani Libris *de Subtilitate*; ſed tamen ſuſpicio eſt dictum fuiſſe, quoniam pro comperto habeo a Cardano laudari (*b*) alibi Libros ſuos *de Morbo Gallico*. At vero Libri illi, ſi revera ſcripti fuerint, in lucem nunquam venere; neque enim exſtant alia Cardani Opera, quæ ad luem veneream ſpectent, præter Diſſertationem perbrevem *de Radice Cyna*, *ſeu de Decoctis*, & Conſilia aliquot Medica pro ægrotantibus lue venerea infectis, de quibus ſupra *annum* 1547.

Inde tamen Ille occaſionem arripuit de ſe glorioſe loquendi. „ Octo, *inquit*, brevicu„ lis capitulis, qui rem abſolverit univerſam, nobis notus eſt, „ nempe *ipſemet* . . . . . „ Ille, qui ita habuit conſtitutum, plane conſuluit ſtudioſis . . . . . *Primo*, Quid ſit? „ An fuerit olim? An deſiturus ſit? His duobus adjunxit cauſas. *Tertio*, Signa ſubdi„ dit. Aliis ſequentibus methodum curandi. Igitur educentia pharmaca in *quarto* lo„ co. In *quinto* Unguenta. *Sexto* Suffitiones. *Septimo* Decoctum Guaiaci, poſtquam ejus „ oſtendit faciem, temperaturam explicavit, an idem cum Ebeno, an idem cum ligno „ ſancto? Electio, ab ætate, partibus, partium partibus. Ego enim ſola medulla (hoc „ eſt, *parte ligni media*, *qua nigrior & durior eſt*) utor ad potionem, albumine ad alia. „ Oleum ex eo, quo pauci ſciunt modo, parare inſtitui. *Octavum* Caput continet Chinæ „ & Spartæ-parillæ utilitates, modoſque decoctionum „

Sic Ille. Sed Liber hic in quo ſe jactat, ſi forte unquam conſcriptus fuerit, at certe nunquam in lucem prodiit.

1558. Petrus Laurus, Italus, vertit italice Librum Aloyſii Loberæ, Abulani, *De las quatro enfermedades Corteſanas*, & excudendum curavit Venetiis, cum iſcriptione ſequenti.

> *Libro delle quattro infermità coregiane*, *che ſono Catarro*: *Gotta Artetica*, *Sciatica*: *Mal di Pietre e de' Reni*: *Dolore di Fianchi e Mal Franceſe*, *e d'altre coſe utiliſſime*, *compoſto per l'Eccellentiſſimo Dottore Luigi Lobera di Avila*, *Medico di ſua Maeſtà*. *Con un Trattato di Eſperienze certiſſime e provate*. *Tradotto di Spagnolo in Italiano per M. Pietro Lauro*. In Venezia, appreſſo *Gio: Battiſta e Marchiò Seſſa*, *fratelli*, MDLVIII. in 8°.

Tractatus ille *de Experimentis variis*, qui in fronte Libri indicatur, ab eodem Ludovico Lobera ſcriptus fuit, & in illo multa, variaque remedia proponuntur adverſus luem veneream.

1558. Laurentius Hielius, (*c*) natus Veſaliæ in ducatu Cliveníi, Doctoris gradum aſſecutus eſt in Jenenſi Academia anno 1558, ibidem Profeſſorum Medicorum ordini adſcriptus anno 1559. Peſte correptus fato functus eſt anno 1566.

Cum Doctor renunciatus eſt, habuit

> *Diſſertationem Inauguralem* De Morbo Gallico,

hoc eſt, Theſes ſeu Poſitiones de hoc argumento ſubjecit publico examini pro ſummis in arte medica privilegiis conſequendis.

1558. Franciscus Frizimelica vel Frigimelica, Patavinus, natus anno 1491, fuit in Academia Patavina Medicinæ Theoreticæ Profeſſor publicus anno (*d*) 1533, ad annum uſque 1550. (*e*) *Pervagata ejus fama Julius III. Pontifex Maximus Romam eum vocavit ad Medici Pontificii munus obeundum*, *cui muneri optime ſatisfecit*. Mortuo Julio anno 1555, *Patavium regreſſus eſt*, ubi deceſſit anno 1559, ætatis 68. Narrat Hieronymus Capivaccius (*f*) *Excellentiſſimum Friſimelicam*, *qui ſolam aquam potabat*, *dolori colico*

(*a*) G. Joannes Voſſius, *De origine & progreſſu Idololatriæ*, Lib. 2. Cap. 8.
(*b*) De Methodo medendi, *Cap.* 37. Et de Venenis, *Lib.* 3. *Cap.* 13.
(*c*) Zeumer, *De Vitis Profeſſor. Jenenſium*.
(*d*) Tomaſinus, in *Gymnaſio Patavino*.
(*e*) Mandoſius, in *Vitis Archiatr. Pontificiorum*.
(*f*) Practic. Medic. Lib. 3. Cap. 13. *De dolore Inteſtinorum*.

Colico obnoxium & aliquando graviſſime afflictum ano excreviſſe calculum ad magnitudinem ovi gallinacei, quem Capivaccius in inteſtinis genitum fuiſſe exiſtimat. Sed ex Aloyſio Bellocato in *Conſultationibus ſuis* addendum eſt Friſimelicam poſt excretum calculum convaluiſſe. Memoratur eadem hiſtoria (a) ab Alexandro Maſſaria, quaſi ex ore ipſius Friſimelicæ accepta, quem *ſuum præceptorem, Medicorum ſui temporis ſua ſententia principem, & omni veriſſima laude cumulatum* eſſe ait; Et a Victore Trincavellio, Profeſſore Patavino, *De ratione curandi particulares humani corporis affectus, Lib. X. Cap. VI.*

Scripſit Frigimelica *Tractatum de Morbo Gallico, & lucubratiunculam adverſus defluvium pilorum*, ubi adhibitis prius Phlebotomia & uſu purgantium atque alterantium, proponit 1°. Suffumigia, quæ tamen ipſe damnat *tanquam periculoſa*: 2°. Inunctiones mercuriales, quas nec ipſe multum probat: 3°. Decoctum ligni Indici, hoc eſt Guaiaci. De ceteris vero ſilet.

HIERONYMUS MONTUUS, Allobrox, Mirebelli Dominus, Sebaſtiani, de quo ſu- 1558.
pra *ad annum* 1537, filius, (b) *ab illo Regum maximo Franciſco I delectus fuit* anno 1542, *quo & Catharina Medicea*, (Henrici, II, tunc Galliarum Delphini uxoris) *& mox naſcituri infantis* (Franciſci, Ducis Britanniæ, ac deinde Galliarum Regis, nomine ſecundi) *futuros morbos declinaret, curaretque jam præſentes*. Tunc ergo in familiam Sereniſſimi Delphini Henrici adſcitus fuit, ac poſtea locum habuit inter ordinarios Regis illius Medicos, unde eſt quod paſſim ſe *Regis Conſiliarium & Medicum ordinarium*, vel *regiæ valetudinis aſſertorem* ipſe vocet; & quod in Epiſtola nuncupatoria ad *Franciſcum II, Galliarum, Scotiæque Regem* ſcripta anno 1560, & Tomo I *Anaſceves morborum* præfixa, glorietur (c) „ ſe illius avo (*Franciſco, I.*) parentique (*Henrico II.*) Regum maximis & in„ victis triginta annis inſerviviſſe, qui eum cohoneſtare ſic dignati ſunt, ut ſtatim ab „ ortu illius felici valetudinis ejus curam ipſi ſoli commiſerint, ſicque factus ſit „ Conſiliarius Regis, primariuſque Medicus, etiamſi omnium ſit minimus: „ Quæ abunde probant a Carolo du Freſne, Domino du Cange, in *Gloſſario mediæ & infimæ Latinitatis* Hieronymum Montuum inter primarios Archiatros recte recenſitum eſſe, in verbo *Archiatros*,

Montuo adſcribitur a Bibliographis pleriſque (d) Liber *De Morbo Gallico, Lugduni editus anno* 1558. *in* 4°. *apud Tornæſium & Gazeium*, qui mihi nondum venit in manus, niſi forte idem ſit ac ſequens; ſed quid Auctor ille de luis venereæ ætiologia & therapeia ſenſerit, abunde notum habui ex ipſo Libello, cui ſequentem inſcriptionem fecit.

> *Chirurgica Auxilia ad aliquot affectus, qui repentinam exigunt curationem; Morbi item venerei, ac eorum, qui huic vicini ſunt, curationes.* Lugduni, *apud Johann. Tornæſium & Guillelmum Gazeium*, in 4°. 1558.

ibi enim diſſerit *Capite* 29. *De Lue Indica ſive venerea*, paucis quidem, ſed quæ curatorias methodos ſua ætate uſu receptas complectantur. Scilicet propoſitis remediis præparatoriis Therapeiam quadruplicem indicat, nempe I. Uſum decoctorum hagioxyli ſive ligni Guaiaci; radicum Sinarum ſive radicum Chinæ, vel ſi ea deficiant, Cannarum noſtratium, Calami aromatici, Radicis Perſonatiæ &c. Quod ad Spartam-parillam, radicem hanc a ſe floccifieri fatetur,

II. Uſum *pillularum Regis Barbariæ* (Barbaroſſæ), quarum formulam proponit a formula Petri de Bayro plane diverſam, præſertim ingredientium pondere. Juxta Montuum *Illæ pilulæ recipiunt*

Argenti vivi ℥iij. *gr.* vij.
Scammoneæ, & Moſchi *ana* ℈j. vel *gr.* xxij.
Rhabarbari ʒj *gr.* xv.
Farinæ tritici *gr.* vij. *Cum ſucco limonum* f. *Maſſa*.

Iſtis uſus eſt, pergit Ille, *Illuſtris Dominus Pomponius Trivultius, Lugdunenſis Gubernator citra noxam. Has tamen non probo*, ſubjungit Montuus, *reſpuoque catapotia butyrica, quibus admiſcent ſublimatum argentum* (vivum), *venenum nocentiſſimum*.

III. Uſum Enchriſtorum ſive unguentorum ex hydrargyro, quæ illi *mira videntur; nam*, inquit, *totus morbus ad os repercutitur, & qui deplorati fere ſunt, ſanantur, modo is qui*

K 3

(a) Practic. Medic. Lib. 3. Cap. 18.
(b) Vid. Epiſtol. II. nuncupatoriam Hyeronymi Montui ad Franciſcum Delphinum *Opuſculis juvenilibus* præfixam.
(c) Pag. 19.
(d) Ab Iſraele Spachio; Johanne Georgio Schenckio; Johanne Vanderlinden: Georgio Abrahamo MerckIino.

qui medetur, hujuſmodi remedium parare faciat ad temperaturam & ætatem ægrotantis & morbi magnitudinem.

IV. Uſum emplaſtrorum vel ſuffimentorum mercurialium, ſi tolerari non poſſint illitiones.

V. Demum topica nonnulla præſcribit remedia, 1°. *Ad oris ulcera.* 2°. *Ad artuum dolores, duritieſque.* 3°. *Ad ulcera cava & putrida.* 4°. *Ad ſcabiem feram in palma manus.* 5°. *Ad veſtigia puſtularum delenda.* 6°. *Ad ulcuſcula pudendorum*; ac tandem. 7°. *Ad præcautionem*, ad quam conferre putat inter cetera, ſi *mox* poſt coitum *penis immittatur in diſciſſam & adhuc calentem Columbam, quæ venena omnia rapit, ſive a proprietate, ſive a carnis nuper mactatæ caliditate virus trahatur & hebeſcat.*

1559. FRANCISCUS RENNER, (*a*) *Chirurgus Noribergenſis.*

(*b*) *Hand-buchlein die Frantzoſen, und alle daher ruhrende ſeuchen zu curiren.* Nurnberg, 1559. in 4°.

Ideſt, *Manuale ad curandum morbum Gallicum, omneſque inde provenientes morbos.* Noribergæ, 1559. in 4°.

Liber ille indicatur proculdubio a Johanne Georgio Schenckio in *Bibliotheca Iatrica*, ubi quæ de *Franciſco Renner* dicenda erant, remittuntur ad *Teutonicum indicem.*

Tractatus Franciſci Renner in manus meas nondum incidit: Sed doctrinam Auctoris vix probare poſſum, ſi Johannes Crato vera ſcripſit in (*c*) Epiſtola ad Joachimum Camerarium, Phyſicum Noribergenſem, data anno 1561, in qua refert „ a Franciſco Renner „ in libello ſuo germanico proponi ad nodos & tumores venereos in articulis aquas mer„ curiales vulgo *die gelben waſſer*, hoc eſt, *aquas flavas* dictas, & ſic præparatas: Fit „ infuſio radicum Pyrethri & aromatum in aqua vitæ; adduntur metalla quædam, Alu„ men &c. item Cantharides & Mercurius (ut conjicio *Sublimatus.*) Hoc ſolent, *pergit* „ *Ille*, inungere articulos male affectos, & exit poſt apertas veſicas materia craſſa, & „ utiliter datur decoctum Guaiaci poſtea; ante inunctionem iſtam faciunt fomentationes: „ nec ſine cauſa, cum id lotionis genus cum aqua vere phagedænica ad inflammandam, erodendam, exulcerandam cutim ſit efficax, quanquam diſſipandis & diſcutiendis *nodis & tumoribus venereis articulorum* plane impar eſſe videatur.

1560. REINERUS SOLENANDER, Budericæ natus anno 1521. ſecundum (*d*) nonnullos, ſecundum alios circa annum 1525, Lovanii literis humanioribus incubuit, (*e*) „ ſed „ in Italiam profectus primum Bononiæ & Piſis, tum Romæ & Neapoli ſeptennium in„ tegrum & amplius conſumpſit, & Philoſophiæ perinde ut Medicinæ operam navavit. „ Deinde annis aliquot in celebribus Galliarum Academiis, inter celeberrimos viros, ſtu„ dia ſua proſecutus eſt.

„ In Germaniam regreſſus a Guillelmo Cliviæ Duce accitus fuit, & Principi illi a „ cura corporis fideliter fuit.

Referunt Simlerus, in *Bibliotheca contracta Geſneri*; Iſrael Spachius, in *Nomenclatore Scriptorum medicorum*; Paſchalis Gallus, *in Biblioth. medica*; & Johannes Georgius Schenckius, *in Bibliotheca iatrica* Solenandrum ſcripſiſſe *De Morbo Gallico*, ſive *Lue venerea*: At vero dubitant iidem, utrum Liber ille editus fuerit. Liquet autem nunquam editum fuiſſe, cum a ceteris recentioribus Bibliographis non recenſeatur, nec ab ullo Scriptorum ætate poſteriorum laudetur unquam.

1560. PETRUS, natione Gallus Chirurgus ſive Empiricus, Victoris Trincavellii temporibus, ac proinde circiter anno 1560, Venetiis florebat quaſi exſtirpandæ carunculæ peritiſſimus, quæ poſt gonorrhœas venereas in meatu urinario ſupereſſe credebatur, & qua putabant ſtranguriam illam habitualem, quæ gonorrhœis non raro ſuccedit, perpetuo induci. De hoc egregia ſunt Victoris Trincavellii & Alexandri Maſſariæ teſtimonia.

„ Reperitur, (*f*) *inquit Trincavellius*, quidam Empiricus natione Gallus Venetiis, „ qui candelis cereis meatum urinarium aperit ſine multa moleſtia vel noxa, atque per „ eas

(*a*) Martinus Lipenius, in *Biblioth. Medic. reali.*

(*b*) Lipenius, *ibidem*: Et Vvolfgangus Mauritius Endterus, in *Catalogo Librorum*, dejecto ad calcem *Indicis Decur. I. & II. Ephemer. Germanic.*

(*c*) Quæ eſt in Collectione Epiſtolarum Medicinalium; a Laurentio Scholzio edita Francofurti, *in fol.* anno 1598.

(*d*) MercKlinus, in *Lindenio renovato.*

(*e*) Melchior Adamus, in *Vitis Germanorum Medicorum.*

(*f*) De ratione curandi particul. humani corporis affectus, *Lib.* 10. Cap. 9.

„ eas candelas intromittit quoddam medicamentum confectum ad formam mollis cujuſdam „ unguenti, quo conſumit excreſcentes has carnes, & in multis res illi feliciter ſuc„ ceſſit.

Diſertius multo (*a*) Alexander Maſſarias, qui ſcribebat circa annum 1590. „ Si uri„ na ſupprimatur propter callum ſive carunculam in collo veſicæ, quod ſæpiſſime con„ tingit, indicatio ſeſe nobis offert manifeſtiſſima auferendi & conſumendi hujuſmodi „ impedimentum; quod quidem fit adhibitis quibuſdam medicamentis quæ erodendi fa„ cultate prædita ſunt: & inter alios proxime ſuperiori tempore fuit Gallus quidam „ Chirurgus, Petrus, hac in re admodum celebris, & in præſentia eſt illius filius Ca„ rolus, qui hujuſmodi carnes additas feliciter curare conſueverunt. Namque illi habent „ parvas quaſdam candelas, quæ extrema parte oblinitæ uno vel altero medicamento, fa„ cile deinceps & ſine ullo dolore vel labore in canalem urinarium imponuntur, qua „ ratione medicamenta primum erodentia, deinde conſolidantia & ad cicatricem deducen„ tia adhærent ipſi carunculæ & ulceri, adeo ut ſpatio plurimum dierum curatio per„ ducatur ad finem & perficiatur, nam revera plerique omnes ſanantur. Qualia autem „ ſint hujuſmodi medicamenta nemo novit: Sed, ut dicebam, ſunt duorum generum, „ nonnulla, quæ primis pluribus diebus adhibentur, ſine ulla dubitatione erodentia, for„ te ſquama æris, æs uſtum, præcipitatum, & alia id genus, quæ commodo aliquo „ liquore permiſcentur & temperantur; nonnulla quæ demum ſublata caruncula cicatri„ cem poſſunt inducere, quæ omnibus manifeſta ſunt.

Quod Trincavellium & Maſſariam olim latuit, id ſibi notum & perſpectum eſſe nuper glorlatur Franciſcus Roncallus, Medicus Brixienſis, qui (*b*) affirmat Petrum illum in exſtirpandis carunculis urethræ præcipitato rubro olim uſum eſſe. „ Et ne quis forſan, „ *inquit*, pro figmento & mero ingenii luſu habeat, quæ modo de Petro Gallo aſſerui, „ ſciat me in quodam manuſcripto Avi mei Medicinam Chirurgicam Bergomi profitentis „ reperiſſe formulam medicaminis a Sereniſſimo Duce Parmæ habitam, & proteſtatione „ donantis inſignitam ſe illam recepiſſe a Petro Gallo, olim Venetiis incola, cujus ſe„ quens eſt deſcriptio.

℞. *Unguenti Ceruſſæ Camphorati* ℥ j.
Unguenti de Tuthia Joannis de Vigo ſine ſuccis ℥ ij.
Præcipitati rubri ſubtiliſſime pulverati q. ſ. *ad maſſam rubeo colore tingendam.*

Pinget nunc referre compoſitionem unguenti de Tuthia Johannis de Vigo. Videtur ſatis eſſe indicaſſe proſtare illam gemino in loco in Vigonis Operibus, ſed nonnihil diverſam, nempe *Copioſæ Libro VIII*, qui inſcribitur *Antidotarium*, & *Compendioſæ Libro V*, qui inſcribitur *de additione multorum auxiliorum*. In genere haud ita multum abludit a compoſitione *Unguenti de Tuthia Nicolai* Pharmacopœæ Auguſtanæ, vel Unguenti Diapompholygos, quod nullibi non occurrit, ſed de quo vide Petri Caſtelli *Antidotarium Romanum*, *Pag.* 330.

Anonymus, Medicus Nemauſenſis. Ad calcem *Obſervationum medicarum* Lazari Ri- 1560.
verii, Profeſſoris Medici Monſpeſſulani, in Editione altera, quæ prodiit Lugduni *in* 4°. *anno* 1659. ſtudio & opera Simeonis Jacoz, Doctoris Medici, exſtant *Obſervationes triginta ſeptem infrequentium, curatuve difficilium morborum, cum curationibus eorundem*, in veteri quadam Bibliotheca ſine Auctoris nomine repertæ, quarum exemplar Editor ait (c) *cum ſcriptis Riverianis inventum fuiſſe.*

ſenIonſtat Auctorem harumce Obſervationum, qualiſcunque fuerit, 1°. Medicum Nemauſem fuiſſe, cum de ægrotis Nemauſenſibus potiſſimum loquatur: 2°. Non ſolum Nemauſi Medicinam factitaſſe, ſed etiam (*d*) Ugerni ſeu Bollicadri, (*e*) Avenione, (*f*) Taraſcone, & (*g*) Inſulæ in Comitatu Venaſcino: 3°. Floruiſſe ab anno 1543, ad quem Obſervatio XVI. pertinet, ad annum uſque 1580, in quem cadit Obſervatio X. 4°. Vixiſſe amicum cum *Johanne* Schyronio, *Guillelmo* Rondeletio, *Franciſco* Feyneo, *Honorato* Caſtellano, Profeſſoribus Medicis Monſpeſſulanæ Facultatis, qui per id tempus fama valebant maxime, & de quibus mentionem ſepius facit.

(*a*) De affectibus renum & veſicæ, *Tractat.* 2.
(*b*) In Exercitatione Medico-Chirurgica agente novam methodum exſtirpandi carunculas & curandi fiſtulas Urethræ, quæ *Brixiæ prodiit anno* 1700. Pag. 85.
(*c*) In Præfatione.
(*d*) Obſervat. XIX. XX. XXIV. XXXII. XXXVI.
(*e*) Obſervat. X. XVI. (*f*) Obſervat. V. VIII.
(*g*) Obſervat. XXVII.

Ille autem Medicus primus fuit omnium quos novi, qui ad Stranguriam gonorrhœæ pediſſequam & inductam ab Urethræ coarctatione, ſeu ut olim vulgo credebatur, *a Virga carunculis*, præſcripſerit uſum frequentem virgularum plumbearum craſſitudinis diverſæ & gradariæ, quæ in Urethram immiſſæ extuberantes carunculas reprimerent, ſeu potius urethræ ductum ampliarent. Sed præſtat ipſummet audire, *Obſervat. XXII*, cui annus quidem non adſcribitur, ſed quam ex conjectura ad annum 1560. referendam puto, qui inter extremos annos variis ejuſdem Obſervationibus affixos medius eſt.

,, Quidam Monachus familiæ Divi Auguſtini, Ambroſius nomine, caruncula in collo
,, veſicæ oborta inter meiendum vehementer torquebatur, & ad eam abſumendam multo-
,, rum opem imploraverat, nam jam a quinquennio morbus ſuas radices egerat. Cum
,, vero in dies acerbiores dolores experiretur, licet pulvere Sabinæ per ceream candelam
,, intruſo, aliiſque hinc inde peritis uteretur, forte occurrit mihi obviam, præ dolore
,, veluti mentis impos. *Non poſſum*, inquit, *diu loco conſiſtere, nec mihi temperare, quin*
,, *e ſublimi me præcipitem dem, tanto acri dolore crucior*. Ego miſeratione commotus ver-
,, bis lenibus animum effrænem quam potui placide mulcere volui, meque de ſua ſalute
,, bene ſperaturum nunciavi, dummodo recta vivendi norma ſervata meis juſſis obtemperaret,
,, quod certe, aliquandiu ſedato dolore, ſe præſtituturum mihi pollicitus eſt. Conſului
,, igitur ut perpetuo virgulam plumbeam in urinario meatu teneret, ſic agendo ut quam
,, fieri poſſet ſenſim & placide per collum veſicæ, licet anguſtum, in veſicam intromit-
,, teretur, periculo primum facto a gracili & tenui virgula, deinde gradatim ad craſſio-
,, rem veniendo, donec liber eſſet ejus in veſicam ingreſſus, atque hoc in auxilio diu
,, perſiſteret. Is itaque, cum nocte, dieque plumbeum radiolum, ut juſſeram, in urina-
,, ria fiſtula teneret, mihi tantam utilitatem intra quindecim dies ſe percepiſſe retulit, ut
,, libere jam & indolenter lotium redderet, iterque urinæ adeo fuiſſe pervium, ut nullis
,, amplius ad meiendum medicamentis egeret.

1560. Guillelmus Rondeletius, Monſpeſſulanus, natus eſt anno 1507. In Facultate Medica Monſpeſſulana Doctor anno 1537, Profeſſor Regius anno 1545, Cancellarius fuit anno 1556: Obiit anno 1566, ætatis ſuæ 59, in *Regali monte*, quo nomine non (*a*) *Montreal*, ut a (*b*) multis narrari video; ſed *Realmont* in Diœceſi Albigenſi intelligi debet, qua de re vide Petrum Borellum, *Antiquitez de Caſtres, Liv. 2. Chap. 21*, ſed de eo plura in Hiſtoria Scholæ Medicæ Monſpeſſulanæ mox edenda.

De Morbo Italico Liber unus.

Proſtat ille Liber in Collectione Veneta, ſed Editori placuit Luem veneream non *Italicum*, ut ab ipſo Rondeletio dicta fuit, ſed *Gallicum Morbum* mutato nomine appellare.

Ad curationem luis venereæ Rondeletius laudat inunctiones varias mercuriales; decocta varia ligni ſancti ſeu Guaiaci, Chinæ, Sarſæ-parillæ; ſyrupum Sancti Ambroſii ex decocto milio; pillulas Barbaroſſæ; imo ipſa quoque ſuffumigia ex cinnabrio. Sponte tamen confitetur (*c*) *argentum vivum eſſe antidotum & maxime accommodatum remedium ad Morbum Italicum, quia quocunque modo adminiſtretur, morbum curat.*

Porro notandum eſt a Rondeletio purgationem laudari in ipſa linimentorum adminiſtratione. ,, (*d*) Iſtis omnibus, *inquit*, utile erit, ſi non fluat alvus, ſyrupum laxati-
,, vum præſcribere, vel Apozema (*purgans*) quo initio uſi ſumus. Hæc enim evacuatio
,, impedit effumationem ad os, a qua ulcera oris & dentium ſordes proveniunt; ab ef-
,, fumatione & ſorde ulcus; ab ulcere pituitæ fluxus. Raro autem ejuſmodi effumatio
,, ſine ulcere accidit; quare ad hæc vel majora vitanda, utile erit purgare.

1560. Antonius Chalmeteus, (*e*) Vergeſacus apud Anicienſes, Chirurgus fuit ſuo tempore celeber, quem *Guillelmus Rondeletius* (*f*) *unice amavit*.

Cum bonam, (*g*) ut ipſe refert, *primæ ætatis partem in humaniorum literarum ſtudiis conſumpſiſſet*, Medicinæ ac præſertim Chirurgiæ operam dedit *primum Monſpeſſuli ſub Doctoribus eruditiſſimis D. Gullielmo Rondeletio & D. Antonio Saporta, accerrimi judicii, viriſque humaniſſimis, ... quibus præceptoribus eſt humaniſſime uſus:* Deinde *Lutetiæ ſub peritiſſimo D. Jacobo Sylvio, aliiſque in arte medica maxime verſatis.*

Con-

(*a*) Antoine Teiſſier, *Additions aux Eloges des Hommes illuſtres de M. de Thou.*
(*b*) Ibidem.
(*c*) In fine Libri.
(*d*) Cap. de Unguentis.
(*e*) Bibliotheca Schenckiana, *in voce* Antonius Chalmeteus.
(*f*) Joubertus, *in Vita Rondeletii.*
(*g*) In Præfatione Enchiridii.

Conſcripſit Chirurgiæ compendium, in quo componendo ait *ſe nihil eorum prætermiſiſſe, quæ Monſpeſſuli . . . didicerat; nihil eorum, quæ Lutetiæ . . . hauſerat, Librumque hunc Adamo Fontano, Doctori Medico, in omni diſciplinarum genere verſatiſſimo, tradidit, cujus opera majori ſermonis puritate donatus eſt.*

Prodiit Tractatus ille cum inſcriptione ſequenti

> *Enchiridion Chirurgicum, externorum morborum remedia tum univerſalia, tum particularia breviſſime complectens. Quibus Morbi Venerei curandi methodus probatiſſima acceſſit.* Apud *Andream Vuechelum*, Pariſiis, anno 1560. *in* 8°.

Ea diatriba *De Curatione Morbi Venerei*, quæ Enchiridio adjuncta Capita 10. continet, proſtat in Collectione Veneta. Ibi paucis Auctor docet luem veneream curari poſſe, 1°. Therapeia methodica, quæ obtinetur purgantibus & alterantibus. 2°. Uſu ligni Indici, cui ſi curando morbo non ſufficiat, inunctiones aliquot addit ſub finem. 3°. Decocto radicis Chinæ. 4°. Inunctionibus vel ceratis mercurialibus, quæ laudat tanquam præſtantiſſima remedia. (*a*) „ Affirmare auſim, *inquit*, eos qui tantopere Mercurii uſum improbant, aut nunquam, aut non ut decet, illius periculum feciſſe. Sed, ut ſit, ego tamen confirmo illius uſum me nunquam feſelliſſe, qui quamplurimos ab hac deteſtanda lue etiam inveterata Dei beneficio liberaverim. „ Demum propoſita curatione per pillulas mercuriales & per ſuffumigia, quam ultimam curandi rationem parum probat, properat ad curationem morborum ſive ſymptomatum venereorum localium.

DOMINICUS LEO vel (*b*) LEONUS, Lunenſis de Zuccano. *Luna* urbs fuit antiqua Hetruriæ ad fluvium Macram, non longe ab hodierna *Sarzana*, unde finitimus tractus *Lunenſis* appellatur. *Zuccanum* (*c*) autem pagus eſt in illo tractu ſitus, ex quo Dominicus Leo oriundus erat, unde factum ut ſe ipſe dicat *Lunenſem de Zuccano*. 1562.

Medicinam (*d*) diu docuit Leo in Gymnaſio Bononienſi inter primarios illius Accademiæ Profeſſores, meritiſque tandem obtinuit, ut ipſe cum familia ſua in ordinem nobilium civium admitteretur Decreto Senatus Bononienſis, anni 1580.

Scripſit Leo

> *Methodum curandi febres, tumoreſque præter naturam, e Græcorum placitis deprompṭam & in Medicinæ candidatorum gratiam editam Bononiæ, ex officina Johannis Rubei, anno* 1562, in 4°.

& Johanni Baptiſtæ Campegio, Majoricenſi Epiſcopo *inſcriptam*.

Probat ibi in *Methodo curandi tumores*, Caput ultimum, quod numeratur XLVIII, in quo *de Morbo Gallico* nominatim agitur, & quod Collectioni Luiſininæ inſertum eſt.

In illo docet Auctor I. „ Morbum hunc novum eſſe, & nonniſi per concubitus contagione propagari.

II. Geminam narrari „ hiſtoriam de illius origine ; eſſe ſcilicet, qui dicant novum „ non ſimpliciter eſſe, ſed ex inſula quadam Antiquis incognita, ubi frequentiſſimus eſt, „ in hanc, quam nos incolimus, habitabilis terræ portionem per Hiſpanos, qui illuc „ navigarunt, importatum.

„ III. Alios eſſe, qui dicant hunc morbum cœpiſſe in Valentia, Hiſpaniæ civitate, a „ nobili quodam ſcorto, cujus noctem Elephantioſus quidam ex equeſtri ordine miles „ quinquaginta aureis emit, & cum ad mulieris concubitum frequens juventus accur- „ reret, intra paucos dies plurimos infectos fuiſſe, e quorum numero nonnulli Carolum „ ſecuti in Italiam morbum detulere: „ Quæ videtur Leoni *antiquior ſententia & majoribus fulta teſtimoniis*, ſed quæ fabula eſt eadem, quam a Johanne Manardo narrari ſupra vidimus, *Pagg.* 69. & 632.

„ IV. Curationem, quæ ei paſſim ab imperitis, præſertim per argentum vivum & minium adhibetur, ab eo morbo acceptam eſſe, quem recentiores Chirurgi *malam Scabiem*, ſeu *malum mortuum* appellant, alium tamen longe ab hoc malo.

„ V. Experientia & ratione comprobatum eſſe, quod nihil deterius eſt morbo Gallico „ affectis, quam adhibere ſive interius, ſive exterius ſub forma unguenti vel ſuffumigii „ ipſum argentum vivum: Ex tali enim applicatione homines ſecundum membra prin- „ cipalia ſemper patiuntur.

VI. Sed præmiſſa præparatione methodica, " utendum eſſe decocto ligni Guaiaci, „ cujus præparationem & adminiſtrationem explicat.

Plera-

(*a*) Cap. 5.
(*b*) Sic appellatur in fronte *Libri de Febribus*.
(*c*) Ars Medendi Dominici Leoni, *Lib.* 2. *Sect.* 1. *Cap.* 9.
(*d*) Conradus Geſnerus in *Bibliotheca*. Michele Giuſtiniani, *Gli Scrittori Liguri deſcritti*.

Pleraque, quæ a Dominico Leone referuntur de morbo Gallico, ex Johannis Manardi Epiſtola II. Libri VII. totidem verbis tranſcripta ſunt.

1563. BERNARDINUS TOMITANUS, (*a*) Patavinus, Philoſophus, Medicus, Orator, Poeta, multum laudatus a Ghilino, Tomaſino, Scardeonio. In Gymnaſio patrio Philoſophiæ & Medicinæ ſtudio operam dedit, & anno 1531, ætatis ſuæ 25, lauream medicam conſecutus eſt. (*b*) Deinde anno 1538 cooptatus in ordinem Profeſſorum Logicam docuit annos 25 ſummo cum omnium applauſu, ad annum uſque 1593, quo ſublimiorem Philoſophiæ ſedem ambivit, & repulſam paſſus, quantumvis honorificam, graviter indoluit, & profeſſorio muneri valedixit, ut ſe totum curandis ægris, colendæque pietati manciparet. Deceſſit Patavii anno 1576, fere ſeptuagenarius, peſtilentia ſublatus.

Conſtat Tomitanum in cauſam vocatum eſſe anno 1555 coram judicibus Inquiſitionis Venetæ, alienæ a fide Catholica opinionis ideo accuſatum, quod Commentarium Eraſmi Roterodami in Evangelium Matthæi anno circiter 1545 italice vertiſſet rogatu amici cujuſdam, ac ſuppreſſo Auctoris nomine, quaſi ſuum edi paſſus eſſet; ſed Tomitanus de crimine ſe facile & plene purgavit Oratione italica, pereleganti, ad Judices dicta, quæ Patavii excuſa fuit anno ſequenti 1556, *in* 8°.

Notandum eſſe arbitror in hac Oratione quædam de vita ſua a Tomitano proferri, quæ cum Chronologia a Tomaſino & a Comneno Papadopoli propoſita vix convenire poſſunt ullomodo, niſi forte menda irrepſerint in laudatam Orationem circa notas numericas, a qua ſuſpicione parum abſum.

Poſtquam Tomitanus per annos 25 Dialecticem profeſſus fuiſſet, ut ipſe (*c*) teſtatur, ſcripſit Libros duos *De Morbo Gallico*, qui primum typis excuſi fuere in Collectione Luiſinina. In priore *Capitibus XXIX* diſſeritur de origine, natura, & cauſis Morbi Gallici, non medice quidem, ſed vere dialectice; quærendo ſcilicet, (*d*) *An Morbus Gallicus ſit, necne? An gallica infectio morbus proprie dici debeat? Sub quo genere morbi contineatur gallica infectio? Quales ſint hujus differentiæ?*

Mirari ſubit ab Auctore ſerio probandum ſuſcipi, *Cap. VI.*, revera *exſtare Morbum Gallicum, nec eſſe medicorum illuſionem*. Nempe Auctoris ævo dicebant nonnulli „ Gallicum „ Morbum eſſe diverſas affectiones, quibus ætate illa corpora corripiebantur, forte ob „ depravatam vivendi normam, & rationem tempeſtatis . . . . . nihilque accidere affectis „ hoc genere mali, quod apud Veteres non fuerit & cognitum & auxiliis interdum cu„ ratum . . . . . Addebant terribile atque horrendum hoc Gallici morbi nomen fuiſſe non „ tam imperitia medicorum, quam aſtu & calliditate repertum, quoniam cum ægritudi„ nem veterum aut illis ignoratam curare neſciebant, ſtatim gallici afferebant argumen„ ta, dicentes *ægrotum ipſum Alpes tranſegiſſe, cum Rege Gallorum confœderatum eſſe, mi„ litiam Tranſalpinam exercere*, atque aliis nugis ſexcentis a ſe excogitatis, ſatis eorum „ dignitati & judicio conſultum eſſe exiſtimabant, ſi propriam ignorantiam aliorum cul„ pa, tanquam velo, operirent, aut in aliorum crimen transferrent, quod illi medicæ „ artis auxiliis conſequi minime poterant. „ Sed putida illa vitilitigia valide confutat Tomitanus, multiſque probat tum rationibus, tum obſervationibus, 1°. Morbum Gallicum novum eſſe, tametſi pleraque illius ſymptomata ab Antiquis ſeparatim cognita fuerint: 2°. Impuro concubitu concipi, qui contagionis modus a nullo Veterum memoratus ſit, ac demum concludit eos, qui tam abſurde ſentiunt, *cogendos eſſe, ut cum meretrice impura agentes, tandem ſerio ſapiant, & a ſua ignorantia aliquando deſiſtant*.

In poſteriore vero, poſt propoſitam diætam & ægrotantium præparationem, agitur de curatione Morbi Gallici, quam Tomitanus in univerſum quadruplicem eſſe ſtatuit, (*e*) nempe *Exercitatione corporis, Suffumigio, Unctione, aut his quæ per os ingeruntur*.

1°. Ait (*f*) *multos ſanitati fuiſſe reſtitutos ſola exercitatione perpetuis motibus comparata*.

2°. Curationem per ſuffumigia mercurialia (*g*), *utcumque ſe habeat, paſſim damnari, uti incertam primum, deinde & gravem periculoſamque*.

3°. Inunctionem mercurialem (*h*) *damnari poſſe per eaſdem rationes, quibus ſuffitus improbantur. Accedit*, inquit, *quod nemo viſus eſt exacte ſanatus hoc genere auxilii, aut ſaltem diuturno tempore*, cum morbus recrudeſcat.

4°. Ea,

(*a*) Comnenus Papadopoli, *Hiſtor. Gymnaſii Patav.* Tom. I. Pag. 325.
(*b*) Jacob. Philipp. Tomaſinus, in *Gymnaſ. Patavino*.
(*c*) In Proœmio *Tractatus De Morbo Gallico*.
(*d*) Capp. 6. 7. 10. & 11.
(*e*) Cap 10. (*f*) Cap. 11.
(*g*) Cap. 12. (*h*) Cap. 13.

4°. Ea, quæ per os ingeruntur triplicis eſſe, generis, (*a*) alia *certa & opportuna* ; *ut Palus Guaiaci & Salſa-parilla*; alia *incerta*, *nec periculo vacantia*, *ut præcipitatum vulgo appellatum*; alia *media*, *uti hauſtus decocti*, *quod ex ligno Hetechen* (*ſi modo id haberi poſſit*) *conficitur*, *aut radice China*, *aut olivaſtro & junipero*, *& alio domeſtico ligno ad hunc uſum adhibito*.

Denique præter univerſalem curationem morbi Gallici profert *Cap. ultimo* curationes particulares, quæ ſingulis morbis venereis localibus adhibeantur.

Laudat paſſim Fracaſtorii tum *Poema de Syphilide*, tum *Librum III. de Contagione & Morbis contagioſis*.

LEONARDUS BOTALLUS, ex Aſta, Civitate Galliæ Ciſalpinæ ſive Pedemontii oriundus, ſtudiis incubuit (*b*) *Papiæ*, *Mediolani*, *Patavii & Venetiis*, ac in Medicina addiſcenda operam poſuit potiſſimum (*c*) *in celeberrima Academia Patavina*, *& in Ticinenſi*, *in qua laurea donatus fuit*: Profeſſoreſque audiit *Tomitanum*, *Friſimelicam*, *Trincavellium*, *Fracanzanum*, *Falloppium*, ut ceteros ſilentio omittam. (*d*) ,, Non, ut pleri- ,, que ſolent, ubi primum a ſcutica hypodidaſcali receſſit, ad Medicinam ſtatim alieno ,, periculo faciendam prorupit, ſed poſt innumeras ægrotantium curationes, ſumma di- ,, ligentia, ratione & felicitate inſtitutas, *ut ipſe ait*, tandem in Regis Chriſtianiſſimi ,, (*Caroli IX.*) Reginæ Matris, (*Catharinæ Medicea*,) &c. (*Franciſci Valeſii*,) Ducis An- ,, dium, Regis Fratris, aulam venit. (*e*) Cum hoc poſtremo occaſionem habuit, non ,, in Gallia ſolum ſed & in Anglia, (quo tranſvectus eſt Dux, matrimonii cum Eliſa- ,, betha Regina contrahendi gratia,) ipſoque Belgio, (cujus imperium, tanquam Bra- ,, bantiæ Dux & Flandriæ Comes ſuſceperat) Medicinam exercendi. Venæ-ſectionis frequentioris ſummus laudator, ac egregius Promotor fuit, cujus uſum ſe apud Pariſienſes induxiſſe (*f*) gloriatur.

Scripſit de lue venerea Tractatum, qui Lutetiæ Pariſiorum excuſus eſt cum inſcriptione ſequente.

Luis venereæ curandæ ratio. Pariſiis, *apud Johannem Foucherium* 1563. in 12.

Hujus Tractatus ſunt Capita XXXI, quibus Auctor ſatis dilucide & erudite diſſerit de propoſito argumento. Haud opus eſſe videtur ea annotare, quæ Botallus in Montanum dicit de natura & ſubjecto luis venereæ: Ea enim pertinent ad Galenicam Pathologiam, quæ jam pridem obſolevit. Obſervaſſe ſufficiet ab Auctore

I. Produci exemplum viri cujuſdam, qui ſola poculi communione cum ſyphilitico morbo eodem infectus fuerat. (*g*) ,, Superſtes eſt, *inquit*, amicus & admodum familiaris ,, quidam meus, vir ſane integer ac probus, hac miſeria olim male mulctatus, qui perpetuo ſupremo aſſeveravit dejurio, atque in preſens confirmat, reputare ſecum minime poſſe, unde eam hauſerit, niſi ex poculis cujuſdam ſibi neceſſarii, qui tunc acriter ,, hac lue divexabatur.

II. Statui morbi præludia ſtatim apparere in ea parte, per quam virus penetraverit: (*h*) ,, In labiis vel papillis, *inquit*, ſi ſuctu; ſi ſcortatione, in glande, vel præputio, ,, vel cole; ſcorto, ad ora matricis: Cinædus hæc eadem patitur, & criſtas inſuper vel ,, etiam verrucas.

III. Affirmari, in ægrotante illo, qui poculo infectus fuerat, (*i*) ,, nullam corporis ,, partem, duobus primis menſibus vel paulo minus, quidquam eſſe perpeſſam, excepta ,, labii inferioris ora, quæ a demiſſo infecto cratere paulo poſt pruritu quodam levi, ,, mox ulcere, cœpit effloreſcere.

IV. Præmiſſis variis variorum ulcerum, ceterarumque affectionum localium curationibus, (*k*) proponi univerſalem morbi curationem, ad quam Auctor ait eximie facere 1°. Illitiones mercuriales, 2°. Suffitus ex mercurio, 3°. Decocta ſudorifica. Cenſet ille poſſe adhiberi pro unctione qualibet in pueris unciam unam, in adultis ſeſquiunciam, in viris uncias duas vel tres unguenti ſui, quod quartam vel quintam mercurii partem recipit: Illitiones ſemel ſingulis diebus, vel alternis tantum in imbecillioribus adminiſtrandas eſſe, & ,, euſque iterandas, quo gingivæ tumeſcere occipiunt, vel alvus flue- ,, re, vel ulcera cicatrice manifeſta obduci, vel dolores funditus ſolvi.

V. Con-

(*a*) Cap. 14. (*b*) De curat. per ſanguinis miſſionem, *Cap.* 7. (*c*) Ibid. *Cap.* 37.
(*d*) In *Praloquio ad Lectorem* a Johanne Van Horne ſuæ editioni præfixo.
(*e*) De Curat. per ſanguinis miſſionem, *Capp.* 3. & 6.
(*f*) De lue venerea, *Cap.* 4.
(*g*) Ibidem. (*h*) Ibidem.
(*i*) Cap. 17. (*k*) Ibidem.

V. Conſuli, ut (*a*) „ Pauperes, Mendici, vel ſervi, quibus neque otium, neque ar„gentum ſuppetit, ſed quos laboribus victum quæritare cogit egeſtas, alternis *illitio*„*num* diebus, vel ſingulo quovis die pillulam unam devorent vel ex fumo terræ, vel „Cocciis, ponderis ℈ j vel ʒ ß, ut homores impetuoſe ad fauces non irrepant, *quo more* ille affirmat *ſe plures & piſtores, & coquos, mendicos & ſervos morbo liberaviſſe*.

VI. Probari, ut illitionum (*b*) „ loco Cerata mercurialia membris affigantur, ſed *no*„*tari ſimul* ſequi ad hoc eadem ſymptomata, quæ ſequi ſolent ad illitiones; quare, *ad*„*dit Ille*, cum opportunum videbitur, removere non differas: Ceterum hæc remedia mer„curialia *externe admota*, *illitionum vel Ceratorum forma* curare mirifice humana corpora „hac lue infecta, ſi arte ſint adminiſtrata.

VII. Afferri ab illo (*c*) exemplum infantis nondum bimi, a nutrice fœda infecti, qui adhibitis levioribus illitionibus mercurialibus, & oborto inde modico ptyaliſmo, perfectiſſime ſanatus fuit.

VIII. (*d*) „ Connumerari inter præcipua remedia, quæ ad hunc affectum conferre „poſſunt, poſt illitiones, ſpleniave, (*cerata*) Suffitus cinnabarim recipientes, qui præ„ferendi ſunt, ubi ulcera maligna aliquam corporis partem populantur, nares præcipue „vel guttur.

IX (*e*) Hydrargyri vires in curanda lue venerea magnifice extolli, & multis probari contra Montanum „ hydrargyrum venenum non eſſe, neque corporibus humanis nocuum, „niſi perperam fuerit admotum.

X. Referri (*f*) quod ſani, ſi hydrargyro illinantur, *eadem patiantur quæ ægri*, ut Bocallus ait ſe „ plerumque obſervaviſſe in famulis vel tonſoribus, qui ægros perfrica„bant, & qui hujus effectus ignari ſe mox eumdem morbum contraxiſſe metuebant, „cum ſimilibus ſymptomatis premerentur, ac quos illeverant, patientes.

XI. Egregie demonſtrari Hydrargyrum, ad curandam luem veneream tuto adhiberi poſſe, (*g*) *etſi hydrargyri forma lateat, dummodo effectus notus ſit*. „ Quis, *inquit*, medica„mentorum purgantium formas exquiſite, vel forte quomodocumque novit, quatenus „ipſa purgantia ſunt; propinat tamen hæc prudens quicumque Medicus felici ſucceſſu, „experientiæ, non rationi fidens . . . . . Ceſſantne ferreas virgulas magnete intingere, „qui ſolares globulos vel planiſphæria ad horas numerandas vel orbis plagas diſtinguen„das, conſtruunt, quamvis illis ignotum ſit qua cauſa boream verſus magnes faciem „vertat.

XII. Laudem ſuam (*h*) non detrahi decoctis ſudorificis, præſertim *ex ligno Indico ſive Guaiaco*, quod *ſudores egregie excitat*, & *ex Sarſa-pariglia* „ quam non minore (imo for„te etiam majore) laude dignam eſſe *arbitratur*, quam lignum indum, præcipue in „corporibus, quæ adeo frigida non ſunt.

XIII. Animadverti vero, (*i*) „ Chinam, quam aliqui ad ſidera uſque efferre conan„tur, nihil miri præſtare, neque notabilius agere iis, quæ mitius urinas vel ſudores „movent: Quare crebro Medicos & patientes huic fidentes nimium vana ſpe fruſtratos „æs & tempus ſine utilitate conterere.

XIV. Tandem notari opus eſſe, ut (*k*) „ non modo in decoctorum, ſed etiam in alio„rum præſidiorum uſu aſſiſtens Medicus præſit, qui ſingula pro ratione componat, diſponatque.

1564. JOHANNES HESSUS, Norimbergenſis.

Epiſtola ad Petrum Andream Matthiolum, qua proponuntur quæſtiones aliquot ſimplicium medicamentorum, nempe Cardamomi, Gelſomini, Succini, Salſæ-parillæ, *Glycyrrhizæ*, *Hyoſcyami albi*, *Aluminis*, *Haloſanti*, *Lapidis Morochti & aliorum quorumdam*.

1564. Exſtat *Lib. III.* Epiſtolarum Matthioli, *Pag.* 323. In Editione Lugdunenſi, anni 1564. in 8.

ANTONIUS FRACANCIANUS, Vicentinus, *Vir præclara eruditione ac ſingulari judicio* dicitur ab Alexandro Maſſaria, *Diſput. De Purgatione in principio morborum*, qui eo præceptore ſe uſum eſſe gloriatur. „ Nondum (*l*) ætate major, receptis Philoſophiæ „ ac Me-

(*a*) Cap. 17. (*b*) Cap. 20.
(*c*) Cap. 24. (*d*) Cap. 25.
(*e*) Ibidem (*f*) Ibidem.
(*g*) Cap. 29. (*h*) Ibidem.
(*i*) Ibidem.
(*k*) Nicolaus Comnenus Papadopoli, in Hiſtor. Gymnaſii Patavini. *Tom. I. Lib. 3. Sect. 2. Cap. 14. Artic. 68.*
(*l*) Camillus Cochius, in *Præfat. ſuæ editioni præfixa*.

„ ac Medicæ artis inſignibus, Logicam Patavii profeſſus eſt ab exhedra tertia anno 1529; „ decennio autem poſt traductus ad primam extraordinariæ Medicinæ Theoricæ, inter præ- „ clariſſimos Profeſſores enituit ad annum uſque 1546, quo datus Collega Paulo Craſſo, „ Patavino, pari dignitatis honore ex altera Practicæ Medicinæ ſede frequentiſſimos au- „ ditores inſtituit tanta doctrinæ fama, ut eum Bononienſe Gymnaſium optaverit, obla- „ toque ampliſſimo ſtipendio ad primas exhedras ſuas evocaverit, attraxeritque anno 1555, „ quem deinde poſt annos novem ad ſe revocavit Gymnaſium Patavinum, ac primæ ſedi, „ non ſane Practicæ, quam Trincavellus tunc obtinebat, nec ſucceſſorem Trincavelli, „ ut non felix Chronologus Tomaſinus conſtituit, *Gymnaſ. Patavin. Lib. III. Cap.* 10. „ *pag.* 298. ſed Theoricæ Baſſiani Landi ſucceſſorem præfecit anno 1564. Vix triennio ſu- „ pervixit, obiitque Patavii anno 1567.

Fracancianus (*a*) „ tractationem de Gallico Morbo Patavii publice edocuerat anno „ 1544, ... & poſtmodum ibidem quoque bis vel ter idem fecit; anno vero 1563 in „ florentiſſima Bononienſi Academia rogatu ſcholarium, quibus ſemper ſatisfacere ſummo- „ pere exoptabat, non ægre tulit denuo eumdem laborem ſubire, eademque profiteri.

Evenit inde, ut quidam hoc Opus, quod in Scholis ab ore dictantis conſcripſerat, edendum curaverit Patavii anno eodem, cum hac inſcriptione.

> *Antonii Fracanciani*, *Doctoris tempeſtate noſtra celeberrimi*, De Morbo Gallico *Fragmenta quædam elegantiſſima ex Lectionibus anni* 1463. *Bononiæ*. Patavii, apud *Chriſtophorum Gryphium*, MDLXIII. in 4.

ac in Capita XXIV. partitus fuerit.

Videtur Cochius indicare furtivum hunc Editorem eundem eſſe, à quo Opus Falloppii *de Morbo Gallico* eodem tempore editum fuit, nempe Petrum Angelum Agathum, Mathe- ratem. Verum quiſcunque fuerit, placuit illi Librum Fracanciani *Fragmenta* vocare, non quod ullæ adeſſent lacunæ, aut quod ulla deſideraretur Operis pars, ſed ſi fides (*b*) Cochio, quod „ cum non poſſet, ut qui nugis nutritus, breves, demonſtrativoſque „ intelligere ſermones, (quibus & in publicis prælectionibus & ubique uti ſolebat Fra- „ cancianus) . . . . neque cognoſcens hunc Librum ita exacte & perfecte eſſentiam Mor- „ bi Gallici, differentias, cauſſas, ſigna & curationem tradere, ut nihil deſiderari poſ- „ ſit, rei fractæ partem appellaverit.

Inter ceteros Fracanciani *Scholares* fuit & Camillus Cochius, Viterbienſis, qui Tra- ctatum eumdem conſcripſerat, atque adeo „ cum partum hunc ipſe ſuſcepiſſet, non po- „ tuit non moleſtiſſime ferre eumdem vidiſſe tam ſæve omni ex parte laceratum & peſſi- „ me affectum. Quapropter ut ſtudioſis rem gratam faceret, curavit non edendum, ſed „ e tenebris eruendum Librum hunc, “ quem Bononiæ vulgavit cum hac inſcriptione.

> *Antonii Fracanciani*, *Vicentini*, *Viri hoc ſeculo clariſſimi*, *rei medicæ in ſummo ce- leberrimæ Bononienſis Accademiæ loco Interpretis*, de Morbo Gallico *Liber*, *nunc recens a mendis*, *quibus in prima editione circumfluebat*, *ac a tenebris in lucem revocatus a Camillo Cochio*, *Viterbienſi*. Bononiæ, *Peregrinus Bonardus excude- bat*, *Menſ. Maii*. MDLXIV. in 4°.

Gloriatur vel in ipſo titulo Cochius Librum Fracanciani emendatiorem a ſe edi, quod in Præfatione diſertius affirmat. „ Licet Auctor proprius, *inquit*, non ad editionem „ hæc docuerit, cum tamen vulgata jam antea fuerint, non ægre feret, opinor, me „ quæ adeo erant undique deturpata & fœdata, purgaſſe & a mendis vindicaſſe. „ Nihilominus tamen, ſi Bononienſis Cochii Editio cum Patavina Anonymi Editione con- feratur, vix ulla inter utramque diſparitas intereſſe videtur, quæ ſit ullius momenti; vel ſi qua interſit, in Editionem Cochii tota militat, in qua Fracanciani Liber non in Capita, ut in altera, diſtinguitur, ſed una ſerie continetur, quod legentibus minus commodum eſt.

Sed jam ſatis de Editionibus & Editoribus Libri a Fracanciano conſcripti. Reſtat ut moneamus poſſe ſequentia ex illo colligi,

I. Auctorem (*c*) „ nihil utilius, nihilque ſuis temporibus accommodatius fore co- „ gitaviſſe, quam agere de Morbo Gallico, cum paſſim hodie vagetur & ſummopere „ ſæviat, ... & licet multi de hac re ſcripſerint, quoniam tamen a ſe ſunt

„ obſervata

(*a*) Ubi ſupra.
(*b*) Cap. 1.
(*c*) Ibidem.

„ obſervata quædam de modo curandi, quæ utilia fore arbitratur, agere & ipſum ut
„ hæc aperiat.

II. (*a*) „ Morbum Gallicum ſemper per contagium acquiri apud nos: . . . . . Conta-
„ gium tripliciter effici vel ob contactum, vel per fomitem, vel in diſtans: . . . .
„ Nunquam fuiſſe Morbum Gallicum ad diſtans productum; ſed fere ſemper per conta-
„ ctum, ... rariſſime per fomitem. Vidi ego, *inquit Auctor*, ſemel tantum hoc mo-
„ do contractum a puella ſeptem annorum, quæ pelliceam veſtem cujuſdam infectæ mu-
„ lieris induerat; „ de quo juſta tamen eſt dubitandi cauſa.

III. (*b*) „ Hiſpanorum hiſtorias teſtari Morbum hunc per contagium ab Occidentali-
„ bus Indiis fuiſſe ad nos delatum.

IV. (*c*) Ex lotio certiſſimum ſignum luis venereæ deduci poſſe, nempe „ ſi lotia ſint
„ flava & lucida, contentaque habeant veluti ſabuloſa vel arenoſa, vel etiam fruſtuloſa
„ & inſtar ſcopuli cujuſdam ſciſſi diſrupta & inæqualia; „ quod & a nemine alio in-
dicatum fuit & falſum eſt.

V. (*c*) *Fuiſſe viros doctiſſimos hujus opinionis* Morbum Gallicum *abſolute curari non poſ-
ſe; ſed* Auctorem *aliter ſentire & vidiſſe nonnullos perfectiſſime ſanatos*.

VI. Morbum Gallicum curari diverſis modis, (*e*) 1°. *Per evacuationem, qua fit & vena ſectione, & expurgantibus pharmacis*; & per alterationem: 2°. *Per continuata exercitia & vehementiora*: 3°. Per ſuffumigia, quæ inefficacia eſſe monet ſi ſine argento vivo adhibeantur, vehementiora vero, ſi cum argento vivo aut cinnabari, unde concludit *hoc auxilii genus periculoſum eſſe . . . . . quo tutius eſt non uti, quamvis aliquando profuerit*:
4°. „ Per inunctiones hydrargyrum recipientes, quæ quidem licet quandoque ſanare vi-
„ deantur, *inquit Ille*, tamen tanquam nimis violentum & periculoſum jam non erat am-
„ plius in uſu, ſed nunc (*anno* 1563) ſecundus agitur annus, Morbo Gallico rebelli &
„ contumaci maxime facto, quod multi ſint coacti & quidem doctiſſimi Viri iterum ad
„ prædictas inunctiones devenire: 5°. Per cerata ex hydrargyro confecta „ . . . . . de quibus idem ait *dicendum eſſe, quod ſupra de inunctionibus & ſuffumigiis dixit*: 6°. (*f*) *Per decoctum Chinæ*, quod Medici *propinarunt Carolo V, Imperatori ſemper Auguſto, cujus auctoritate magnam gloriam deinde conſecutum eſt*; . . . . *Sed quo nullum* Auctor *vidit, neque audivit ſanatum*: 7°. (*g*) *Per Salſam-parillam . . . . . Sed licet ex uſu radicis hujus aliqui dicantur eſſe ſanati, nullum tamen* Auctori *contigit vidiſſe perfecte ſanatum*: 8°. (*h*) *Per decoctum ligni Hetechen, quod defertur ex Africa*: 9°. (*i*) *Per decoctum Guaiaci, quod eſt praſtantiſſimum auxilium ad hunc Morbum Gallicum ſanandum*.

VII. Poſt has methodos ſingulatim explicatas, Auctor, in reliquis XIII. Capitibus, profert remedia, quæ ſingulis luis venereæ ſymptomatis medeantur, nempe Cariei balani, Verrucis, Gonorrhœæ, Buboni, Puſtulis, Ulceribus, oſſium Cariei, Tophis, Rhagadibus, Pilorum defluvio, caſui dentium, & dolori.

Hoc Opus Fracanciani Luiſinus Collectioni ſuæ anni 1566 inſeruit, at editionem Camilli Cochii ſecutus eſt, cum nulla ſit Capitum diſtinctio, ſed continua ſermonis ſeries, quod Lectori plane incommodum eſt.

ALEXANDER TRAJANUS PETRONIUS, Citta Caſtellanus, hoc eſt, ex oppido, quod dicitur *Cività* vel *Città Caſtellana* aut *di Caſtello*, ſub Metropoli Romana, Medicinam cum laude fecit Romæ, & cum Divo Ignatio Loyola uſu & amicitia conjunctiſſimus fuit, ut in hujus Sancti vita a Johanne Petro Maffeio memoratur, *Lib.* 3. *Capp.* 7. & 14. Demum (*k*) Medicus fuit Gregorii XIII, ſummi Pontificis, qui electus anno 1572. mortem obiit anno 1585.

Scripſit (*l*) anno 1565 Tractatum de Morbo Gallico, Libros VII complexum, & Tomo ſecundo Collectionis Luiſininæ inſertum, ſed quem antea editum non fuiſſe puto.

In *Primo* Operis ſui *Libro*, cujus ſunt Capita XX, Auctor affirmatiſſime aſſeverat
1°. „ Morbum (*m*) Gallicum, anno a Chriſto nato 1493, quo tempore . . . . Caro-
„ lus VIII, Gallorum Rex, Alpes ſuperabat Neapolim petiturus, in Italiam primum
„ irrepſiſſe, militibus ſcilicet quibuſdam, qui ab India occidua nuper inventa cum Rege
„ Neapolim veniebant, hac lue infectis ob uſum venereum cum ejus locis mulieribus.

2°. Sic

(*a*) Cap. 2. (*b*) Ibidem. (*c*) Cap. 4.
(*d*) Cap. 6. (*e*) Ibidem.
(*f*) Cap. 8. (*g*) Cap. 9.
(*h*) Cap. 10. (*i*) Cap. 11.
(k) Petrus Caſtellus in *Antidotario Romano*, ubi *de Electuario Alexandrino*.
(*l*) Ipſe ſic refert, *Lib.* 6. *Cap.* 1. (*m*) Cap. 1.

2°. Sic (*a*) „ triceſimo quinto anno „ antequam ipſe ſcriberet, atque (*b*) adeo anno 1530, " exanthemata & rubra & alterius coloris, & plana & elevata, ſine febribus & „ cum febribus tum acutis, tum non acutis, frequenter obſervata fuiſſe, cum antea nun„ quam ferme viſa eſſent; „ unde licet colligere quo tempore Petechiæ & febres Petechiales in Italia primum apparuerint.

3°. Multus eſt ut probet (*c*) „ Morbi Gallici, ſicut & Elephantiaſis, Morbillorum & „ Variolarum, cauſam eſſe alimentum, quod in matris utero, non ſine quadam putredi„ ne, humanus fœtus neceſſario trahit; „ quæ Auctoris opinio mirum eſt quam longe a veritate abſit.

In *ſecundo Libro*, in quo Capita XXVII. numerantur, Auctor ſtatuit 1°. „ Morbum „ (*d*) ab initio graviter ſæviiſſe, ſed tractu temporis mitigatum eſſe, & victui, aeri „ & loco, qui in Europa ſunt, parere paulatim aſſuefactum; . . . maxime quia ab uno „ in alterum ſæpius facta tranſmutatione lues debilitata eſt, & ex fera mitis evaſit, „ quemadmodum vinum potens, quod ex ſacca iterum atque iterum . . . . percolatum, „ viribus infirmum redditur.

„ 2°. Morbum (*e*) hunc ſua etiam ætate interdum eſſe acerbiorem, ubi evenit ut ex „ Hiſpaniis novis nup. migrarit, ... quemadmodum Hiſpanis aliquibus accidit, „ quando morbus hic ex India occidua invectus hos primum inficere ſolet, ideoque mi„ rum non ſit, ſi in his etiam hac ætate aliquando ſævus velut ab initio reperiatur.

„ 3°. Sua (*f*) ætate, qua Morbus Gallicus univerſam fere Europam, ſed Italiam præ„ ſertim exercet, peſtis ſeminarium in Morbum Gallicum exhauriri atque conſumi, ut „ hoc morbo perſeverante, nihil fere huic peſti gignendæ relinquatur, quaſi omne ejus „ vitium in illum transferatur, contra quam ante hujus novi morbi adventum eveniſſe „ cognovimus, & poſt ejus diſceſſum . . . . futurum eſſe ſuſpicamur.

4°. Morbum Gallicum „ (*g*) nunc ſponte naturæ, hoc eſt, ſine ulla contagionis ſu„ ſpicione, quæ propinqua ſit aut manifeſta, quemadmodum morbilli, variolæve, aut „ Elephantiaſis; nunc ex contagione palam gigni: „ Quæ miror credi potuiſſe ab Auctore, qui ſcriberet anno 1565.

5°. Morbus, (*h*) „ ſi quemadmodum ſua ætate, continue magis miteſcere perſeveret, „ futurum eſſe, ut vel omnino ex noſtris oris exulet, vel in morbum aliquem Europæ „ cognatum ſenſim & ſimiliter evaneſcat.

6°. Demum Auctor recenſet (*i*) ſigna Diagnoſtica & Prognoſtica morbi, qualia ætate ſua nota erant.

In *Tertio* agitur Capitibus IX de præparatione ægrotantium ad remedia efficaciora; qualis obtinebatur venæ-ſectione, purgantibus, & alterantibus multigenis, quæ methodicam Antiquorum curationem conſtituebant.

In *Quarto* quæſtio eſt Capitibus XVI de curatione luis venereæ per Guaiacum, atque adeo de electione, præparatione & adminiſtratione ligni indici ſive Guaiaci, quæ ſingula Auctor fuſe explicat.

In *Quinto* Capitibus X. *Sarſæ-parillæ atque radicis Chinarum decocta examinantur per eaſdem rationes, quibus ad Guaiaci* Auctor *proxime uſus eſt.*

In *Sexto* Capitibus XXIX differitur de methodo ſanandi luem veneream uſu mercurialium; Ibi legere eſt

1°. Mercurialia (*k*) „ curare Morbum Gallicum, non minus quam ſingula prædicta, „ ſed ſæpe cum tanta fœditate, tantoque cum periculo, ut ægri dum curantur, malint „ ſeſe non incepiſſe, quam curatos eſſe.

2°. Interim Mercurii (*l*) „ adminiſtrandi occaſionem tunc eſſe, cum morbus contra „ naturæ ſuæ impetum ad interna fertur, & carnes juxta ac oſſa depaſcit, omneque „ aliud curationis genus effugit, neque decocto Guaiaci ligni, neque Sarſæ-parillæ, „ neque Chinæ radici obedit. Satius eſt enim tandem id anceps auxilium experiri, „ quam nullum.

„ 3°. (*a*)

(*a*) Ibidem.
(*b*) Vide Fracaſtorium, *De Morbis Contagioſis Lib. 2, Cap. 6*, ubi narrat Petechias non prius in Italia viſas fuiſſe, quam annis 1505 & 1528.
(*c*) Cap. 5. & ſequentibus.
(*d*) Cap. 7. (*e*) Cap. 8.
(*f*) Cap. 16. (*g*) Cap. 22.
(*h*) Cap. 27. (*i*) Cap. 1.
(*k*) Cap. 22. *& ſeqq.* (*l*) Cap. 7.

,, 3°. (*a*) In regione frigida, quia in hac Morbus Gallicus ad interna frequentius
,, quam ad externa migrat, frequentiorem eſſe illius occaſionem . . . . . *Ideoque* unguen-
,, tum experiri magis conducere in Germania, quam in Hiſpaniis; magis conducere in
,, Galliis, quam in Italia; magis in Gallia Ciſalpina, quam in magna Græcia.

4°. Inunctionem (*b*) ex unguento mercuriali ceteris omnibus adhibendi mercurii modis præferendam eſſe, unde fit ut Auctor multas unguentorum formulas proponat, ac methodicam illorum adminiſtrationem multis explicet.

5°. Suffimenta ex Mercurio eodem modo conferre ac unguenta, ſed (*c*) nunquam adhi-
,, benda eſſe, niſi morbus inveteraverit, niſi nulla ſpes ab aliis auxiliis offeratur, &
,, fere deſperata ſalus ſit, & ubi propter aſſiduos labores æger vivat, an pereat, nihil
,, æſtimat. In hoc enim diſcrimine ſatius eſſe ea ipſa experiri, quam nihil; alioqui nul-
,, lo pacto experiunda, & ſi enim aliquando ſanitatem reſtituant, ita non raro mortem
,, vel ſubito vel novo aliquo inducto morbo tandem accerſere.

6°. Præter memorata auxilia, (*d*) ,, alia quædam adhiberi, ut 1°. candelam ex minio
,, & cera confectam, cujus accenſæ vapor ægro inſpiratur, vel ulceribus externis admo-
,, vetur. 2°. Cerata aliqua ex argento vivo præparata, quæ artubus admoventur; 3°.
,, Panniculi linei aqua ſublimati infuſi, brachiis & tibiis applicati; 4°. Pillulas ſive ca-
,, tapotia ex præcipitato, quæ deglutiri ſolent. ,, Sed monet Auctor *hac a ſe non ideo referri, quod alicui adminiſtrari debere putet, ſed ne omiſiſſe videatur.*

Denique in *Septimo* Capitibus XX Auctor ſingula morbi Gallici ſymptomata, ſive morbos omnes venereos locales ſigillatim proſequitur, propoſita particulari ſingulorum therapeia.

Auctor ille certe eruditus eſt, ſed in ſcribendo nimius & ita verboſus, nauſeam identidem moveat.

1566. PROSPER BORGARUCIUS, Urbinas, Philoſophus & Medicus magni nominis, poſt varias (*e*) peregrinationes in Angliam, Scotiam, Galliam, Bataviam, & Germaniam, (*f*) docebat Patavii Anatomiam & Chirurgiam anno 1564. (*g*) Abiit in Aulam Regis Galliarum Henrici II. anno 1567, & veriſimile eſt eum tunc obtinuiſſe titulum *Medici Regii*, quem ſibi ipſe abhinc tribuit. In hoc itinere reperiit Lutetiæ *magnam Veſalii Chirurgiam* manuſcriptam, quam recognovit, correxit & edendam curavit Venetiis anno 1569.

Scripſit Borgarucius anno 1566, cum Patavii commoraretur, *Methodum de Morbo Gallico ad Illuſtriſſimum & Collendiſſimum D. D. Franciſcum Mariam de Marchionibus Montis, Abbatem Sanctæ Crucis*, quem ſic alloquitur in Epiſtola: ,, Jam vero nihil opus eſt a me
,, diffuſius commentari quanta dignitas, quantuſque ſit ſplendor, non dicam illuſtriſſi-
,, mi, ſed plane Regii ſtemmatis tui; cum illud nihil aliud foret, quam ſolem, quod
,, aiunt, facibus velle illuſtrare. Quis enim hac tempeſtate ignorat heroicam Marchionum
,, Montis familiam ex Regia Borbonum ſtirpe ortam, originemque habuiſſe. ,, Nempe (*h*) *ferunt hujus familiæ Hiſtorici* Marchiones illos Montis *ab antiquiore regioque Borbonio ſanguine originem duxiſſe, & ab Uguccione Borbonio Collis Marchione anno Chriſti* 917. *claro deſcendiſſe*. Sed hæc (*i*) *gerræ germanæ, atque ædepol* λῆροι λῆρων; quaſi vero, ut ceteris jam parcam, ſanguis Borbonius regius fuiſſet anno 917.

Diſſertatio Borgarucii, quæ Capitibus abſolvitur quatuordecim, nec inelegans nec inſulſa videtur. In principio differit *Capitibus IX* de origine, natura, cauſis & ſymptomatis Morbi Gallici, quem novum & ab India occidentali traductum eſſe, atque contagione ſola propagari exiſtimat,

Negat ibi *Cap. V.* ,, Hepar illud eſſe, in quo hujus morbi ſeminaria conſervantur &
,, infiguntur, quemadmodum ſuperius aliqui falſo opinati ſunt . . . . Siquidem ſi cali-
,, dam, ſiccamque temperiem obduceret Hepar in Morbo Gallico, exareſceret perinde at-
,, que membra, quæ tabeſcunt ,, ... Sed meminit Borgarucius ,, ſe nunquam hujuſmodi

(*a*) Ibidem. (*b*) Cap. 4. & ſeqq.
(*c*) Cap. 20. (*d*) Cap. 22.
(*e*) Ex Epiſtola *Borgarucii ad Jacob. Anton. Cortuſum*, præfixa Borgarucii Libro qui inſcribitur *Fabbrica degli Speziali*;
Tractat. Borgarucii, *De Peſte Pag.* 32.
(*f*) Tomaſinus, in *Gymnaſio Patavino*.
(*g*) Vide Præfationem *Editioni Chirurgiæ Veſalaniæ* præfixam.
(*h*) Ciaconius, *Hiſtor. Summor. Pontific.* in Sixto V. in Vita Franciſci Mariæ a Monte, *Tom.* IV. *Pag. m.* 193.
(*i*) Plautus in *Pœnulo*, *Act.* I. *Scen.* I.

„ modi exareſcentiæ veſtigia in hepate perſpexiſſe, licet multa corpora publice Patavii, „ Lutetiæ, & in quamplurimis Civitatibus, diligentia qua potuerit, ſecaverit, quæ in- „ dubitata omnium fide hac adverſa lue uſque ad ultimam diem laboraſſe cognovit.

Demum ad curationem progreditur, ad quam præter Diætam adhibet 1°. (*a*) *Varia medicinæ inſtrumenta, videlicet Evacuationes, Phlebotomiam, Pharmaca, Syrupos, Lotiones, Balnea &c.* 2°. Inunctiones (*b*) mercuriales, ſed quæ diſcretis vicibus paulatim admoveantur. 3°. (*c*) Decoctum ligni Guaiaci debita methodo adminiſtratum.

Circa inunctiones mercuriales diſerte aſſerit (*d*) „ nihil obſtare cur inunctionibus ex „ hydrargyro minime uti debeamus in Morbo Gallico, tum præcipue cum reliqua me- „ dicamentorum auxilia prodeſſe non poſſunt; ſed tamen hæc ulterius ab aliis omnibus „ Auctoribus non perſpecta conſideranda venire, quod ſi immodice lue Gallica laboran- „ tes inungantur, præter maxima quæ ſuccedunt accidentia, ita teſtes & reliquæ omnes „ partes, per quas ſagax natura ſemen humanum adminiſtrat, ſubluduntur, ut ulterius „ non generent amplius, ut ego, *inquit*, innumeros pene novi & homines & mulieres, „ qui poſt indebitas unctiones filios unquam habuerunt. „ Quam tamen Obſervationem ab uno tantum Borgarucio relatam novi, & falſam eſſe certus ſcio.

Circa decoctum vero ligni Guaiaci, putat (*e*) „ ceteris omnibus Morbi Gallici cura- „ tivis intentionibus expeditiorem eſſe atque ſecuriorem & minus periculoſam illam, quæ „ potu decocti ligni Guaiaci efficitur, „ cujus præparationem & adminiſtrationem ſatis accurate deſcribit.

Mentionem nullam facit neque Sarſæ-parillæ, neque radicis Chinæ, quas tamen conſtat in uſu fuiſſe tempore quo ſcribebat. Ceterum reperio (*f*) apud Borgarucium, qui ſcripſit anno 1566, eadem *de Nebulonibus ſe Medicos mentientibus & in aſinum ſtrigoſum raptis, ut ex urbe cum ſcommatis educantur*, quæ totidem verbis legere eſt in Epiſtola Johannis Liebautii, Pariſienſis Medici, ad Marcum Mironem Henrici II. Archiatrum data anno 1582, & præfixa Commentariis Jacobi Hollerii in Aphoriſmos Hippocratis. Ab utroque nempe Jacobus Sylvius, Ambianus, Doctor Medicus Facultatis Monſpeſſulanæ & in regio Franciæ Collegio Profeſſor Medicus celeber, expilatus fuit, ſed ſuppreſſo Sylvii nomine. Hæc enim eadem, quæ ab utroque narrantur *de Nebulonibus ſe Medicos mentientibus*, proſtant verbis totidem in Præfatione Silvii, præmiſſa *Methodo ſex Librorum Galeni in differentiis & cauſis morborum & ſymptomatum*, quæ Lutetiæ prodiit anno 1539, in *fol.* Sed a Silvio, ſicut a Liebautio, qui Galli erant, narrantur ea *de Montepeſſulano, clariſſima & antiquiſſima Medicinæ Academia*, cum a Borgarucio, qui Italus erat, dicantur in genere *de quibuſdam optimis Civitatibus*.

COLLECTIO SEXTA, ſive VENETA SECUNDA. Aloyſius Luiſinus, Medicus 1566.
Utinenſis, in unum corpus coegit Auctores quotquot ad ſuam uſque ætatem *de Morbis Ve-* 1567.
nereis ſcripſiſſe noverat, ac edendos curavit Venetiis apud Jordanum Zilettum. Ea Collectio in duos Tomos *in folio* diviſa eſt, quorum prior, qui Opera complectitur ante impreſſa, Nicolao Maſſæ inſcriptus eſt, & anno 1566: Poſterior vero, quo Opera illa continentur, quorum pleraque ante edita non fuerant, Bernardino Tomitano dicatus eſt, & anno 1567. prodiit. In *illo* multi leguntur Tractatus optimi, quos nempe Auctores ipſi luce dignos eſſe judicaverant: In *hoc* vero non paucæ occurrunt jejunæ & inficetæ Diatribæ, quas Auctores damnaverant ad interitum. Porro ut Lectores poſſint uno intuitu diſtinguere Tractatus ſpeciales, qui de Morbo Gallico ſcripti ſunt, a Diatribis brevioribus, quæ ab Opere quodam majore deciſæ ſunt, viſum fuit Scripta prioris generis aſteriſco *, poſterioris hac nota † deſignare, & ſingulis annum primæ editionis apponere, quoties de illo compertum eſt.

Proſtant in priore Tomo Auctores ſequentes, ſed promiſcue confuſi, nec ordine ullo digeſti ſive Chronologico, ſive Alphabetico,

A

Johannes	Almenar, *Hiſpanus*. * 1512.
	Amatus, *Luſitanus*. † 1554.
Sebaſtianus	Aquilanus, * 1498.

B

Petrus	de Bayro, *Taurinenſis*. † 1557.

(*a*) Cap. 12. (*b*) Cap. 13.
(*c*) Cap. 14. (*d*) Cap. 13.
(*e*) Cap. 14. (*f*) Cap. 2.

Johannes	Benedictus, *Germanus*. * 1510.
Antonius	Benivenius, *Florentinus*. † 1502.
Antonius Muſa	Braſſavolus, *Ferrarienſis*. † 1551.
	C
Hieronymus	Cardanus, *Mediolanenſis*. † 1548.
Jacobus	Cataneus de Lacu Marcino, *Genuenſis*. * 1505.
	F
Conſalvus	Fernandez de Oviedo, *Matritenſis*. † 1535.
Johannes	Fernelius, *Ambianus*. † † 1548. 1554.
Alphonſus	Ferrus, *Neapolitanus*. * 1537.
Hieronymus	Fracaſtorius, *Veronenſis*. * † 1530. 1546.
Leonardus	Fuchſius, *Rhætus*. † 1542.
	G
Antonius	Gallus, *Pariſinus*. * 1540.
Coradinus	Gilinus. * 1497.
	H
Vvendelinus	Hock, *de Brackenau*. * 1502.
Ulrichus de	Hutten, *Eques Germanus*. * 1519.
	L
Nicolaus	Leonicenus, *Vicentinus*. * 1497.
Aloyſius	Lobera, *Abulanus*. † 1544.
	M
Nicolaus	Macchellus, *Mutinenſis*. * 1555.
Johannes	Manardus, *Ferrarienſis*. † 1528. 1529. 1540.
Nicolaus	Maſſa, *Venetus*. * 1532.
Petr. Andreas	Matthiolus, *Senenſis*. * 1535.
Petrus	Maynardus, *Veronenſis*. 1518.
Johann. Baptiſta	Montanus, *Veronenſis*. * 1550.
Natalis	Monteſaurus, *Veronenſis*. * 1498.
	P
Johannes	Paſchalis, *Sueſſanus*. * 1534.
Laurentius	Phriſius, *Germanus*. * 1532.
Nicolaus	Poll, *Germanus*. * 1517.
	S
Antonius	Scanarolus, *Mutinenſis*. * 1498.
Leonardus	Schmaus, *Salisburgenſis*. * 1518.
	T
Gaſpar	Torrella, *Valentinus apud Hiſpanos*. 1497. 1500.
	V
Georgius	Vella, *Brixienſis*. * 1508.
Andreas	Veſalius, *Brixienſis*. * 1546.
Benedictus	Victorius, *Faventinus*. * 1551.
Johannes de	Vigo, *Genuenſis*. † 1514.
Proſtant vero in altero	Tomo, ſed neque meliore ordine diſtributi.
	B
Proſper	Borgarucius, *Urbinas*. * Nondus editus.
Leonardus	Botallus, *Aſtenſis*. * 1563.
Marinus	Brocardus, *Venetus*. * Nondum editus, ſed ſcriptus anno 1516.
	C
Antonius	Chalmeteus, *Vergeſacus apud Anicienſes*. † 1560.
	F
Gabriel	Falloppius, *Mutinenſis*. * 1555. 1564.
Augerius	Ferrerius, *Toloſas*. * 1553.
Dionyſius	Fontanonus, *Monſpeſſulanus*. † 1550.
Antonius	Francancianus, *Vicentinus*. * 1564.
Franciſcus	Frizimelica, *Patavinus*. † 1558.

H.

Petrus	Haſchardus, *Inſulanus*. * 1554.

L.

Joannes	Langius, *Lembergius*. † 1554.
Dominicus	Leonus, *Lunenſis*. † 1562.

M.

Bartholomæus	Maggius, *Bononienſis*. † 1550.
Bartholomæus	Montagnana, *Patavinus*. * Scriptus anno 1499. aut 1500, ſed nondum editus.

P.

Mich. Johannes	Paſcalis, *Valentinus Caſtellonenſis*. † 1555.
Alex. Trajanus	Petronius, *Citta-Caſtellanus*. * Nondum editus.

R.

Benedictus	Rinius, *Venetus*. * Nondum editus.
Guillelmus	Rondeletius, *Monſpeſſulanus*. * Non liquet.

S.

Joſephus	Struthius, *Polonus Poſnanienſis*. † 1540.
Johannes	Sylvius, *Inſulanus*. * 1557.

T.

Bernardinus	Tomitanus, *Patavinus*. * Non ante editus.
Petrus	Trapolinus, *Patavinus*. * Scriptus anno 1506. ſed nondum editus.

Huic autem Collectioni acceptum referendum eſt, quod temporis diuturnitate non interciderint Opuſcula variorum Auctorum, qui de lue venerea primi ſcripſerunt; qui morbi naſcentis origini æquales vixerunt; & ex quibus licet certo cognoſcere, quid olim de morbi origine Medici ſenſerint, quæ fuerit varia diverſarum methodorum curatoriarum ſucceſſio, quid etiamnum de prima morbi cauſa, & tutiſſima therapeia ſentiendum ſit. Sic non novi alibi jam exſtare, quam in Collectione illa, Editiones ullas Tractatuum *de Morbo Gallico* Bartholomæi Montagnanæ, Jacobi Catanei, Georgii Vellæ, Marini Brocardi, Benedicti Rinii, & Bartholomæi Maggii.

Multa tamen in ea Collectione concinnanda peccavit Editor: Quod Auctorum Opera pleraque una orationis ſerie ediderit, nec in Capita aut articulos diſtribuerit perſpicuitatis cauſa: Quod loca quæ ex antiquioribus Auctoribus adducuntur, charactere diverſo diſtingui non curaverit: Quod Operi præcraſſo Indices nullos adjecerit, quibus per obſcuras tot ambages Lectoribus via monſtraretur. Sed hæc non tam Collectoris vitia ſunt, quam ævi quo ille vixit, & quo ars typographica elegantias iſtiuſmodi nondum noverat.

At vero non deſunt peccata alia, Collectoris propria, & quæ vix ulla excuſatione defendi poſſunt.

I. Quod Auctores non paucos omiſerit, qui de morbis venereis egregie ſcripſerant, non modo ante ætatem ſuam, ſed etiam quod pejus eſt, primis morbis temporibus. Omiſſos quidem facile condono Germanos, ut Joſephum Grunpeckium, Johannem Vvidman, Conradum Schelling, Bartholomæum Sileber, Remaclum Fuchſium &c. Gallos, ut Jacobum a Bethencourt, Sebaſtianum Montuum, Hieronymum Montuum &c. Hiſpanos, ut Franciſcum de Villalobos, Franciſcum Delgado &c. quippe qui poterant Collectori Italo minus noti eſſe. At nequaquam poſſum concoquere prætermiſſos Italos non paucos, ut Angelum Bologninum, Johannem Antonium Roverellum, Thomam Rangonum, Michaelem Angelum Blondum, Benedictum Victorium &c.

II. Quod in diſponendis variis variorum Auctorum Libris ordinem chronologicum non tenuerit, ſed ſingulos congeſſerit ita promiſcue, ut inter primos ſeſe offerant Nicolaus Maſſa, Hieronymus Fracaſtorius, Johannes Paſchalis, Johannes Benedictus, quorum nullus vix ante annum 1534. ſcripſit; contra vero Coradinus Gilinus decimum quartum, Gaſpar Torrella vigeſimum tertium, Georgius Vella nonum, Johannes Almenas decimum quintum locum tantum occupent, quorum tamen duo priores anno 1497, tertius anno 1508, ultimus demum anno 1512. in lucem prodierunt.

III. Quod taceat de ætate, patria, ſcriptis, geſtiſve Auctorum, quorum collegit Opera, neque in conquirenda illorum Hiſtoria curam adhibuerit ullam, quod tamen ab illo jure exigi potuit, utpote pleriſque fere æquali, quod a nobis nunc requiri non poteſt, cum plerorumque memoria temporis diuturnitate ſenſim evanuerit. Hac autem Luiſini indigentia factum eſt, ut jam vix quidquam habeatur comperti de Coradino Gilino

 no

no, Antonio Scanarolo, Jacobo Cataneo, Georgio Vella, Johanne Almenare, Nicolao Poll &c.

IV. Quod plerumque reſecuerit Præfationes & Epiſtolas nuncupatorias Operum fronti affixas, unde licuiſset interdum nonnulla expiſcari, quæ ad Auctorum, Librorumve notitiam juvarent. Haud nego in eodem genere ab Editoribus aliis multis interdum peccatum eſſe, at vero ſimul quoque ſcio Editores illos Doctorum ſermonibus jure ideo vapulaviſſe, qua de re vide Crenium, *Animadverſ. philologicar. & hiſtoricar. Part. I. Cap. 1.* & Petrum Bayle, *Dictionn. Critique*, in verbo *Alexander ab Alexandro*, *Annotat. F.* & *additione marginali h.*

V. Quod primas ſingulorum Operum editiones nunquam commemoraverit, ex quo factum eſt ut cum pleræque interciderint, jam nulla ratione conſtare poſſit, quo anno in lucem primam venerint Tractatus nonnulli de Morbo Gallico, neque adeo quo loco recenſendi ſint Auctores, a quibus conſcripti fuere: Quod præcipue dictum volumus de Bartholomæo Montagnana, Jacobo Cataneo, Petro Trapolino, Johanne Almenar, Johanne Benedicto, Nicolao Poll &c.

VI. Demum, quod Opera plurima varie mutilaverit reciſis pro arbitrio locis quæ minus arridebant, aut quæ ab argumento aliena eſſe putabat; ut jam de pleriſque monere viſum fuit, ubi de ſingulis mentio incidit.

1567. ALOYSIUS LUISINUS, Utinenſis, Medicinam cum laude fecit Venetiis, ſcripſitque Opera nonnulla, quæ lucem videre, quorum præcipua ſunt, *De compeſcendis animi affectibus per moralem Philoſophiam & medendi artem.* Baſileæ, 1562. in 8°. *Tractatuſque de confeſſione ægrotantium a die decubitus*, Venetiis, in 8°. 1563. Sed nullo majus nomen ſibi fecit, quam Collectione Auctorum variorum, qui ante ætatem ſuam de Morbis venereis ſcripſerant, quæ Collectio Venetiis apud Jordanum Zilettum prodiit in *fol.* annis 1566. & 1567, quæ vulgo *Collectio Luiſinina*, ſive Veneta ſecunda dicitur, & de qua modo fuſe.

1567. PETRUS ARIAS DE BENAVIDEZ, Taurenſis, hoc eſt, e Tauro, urbe Hiſpaniæ in regno Legionis ad Durium fluvium, hodie *Toro*, Doctor Medicus, artem medicam & chirurgicam exercuit, potiſſimum inter Indos Americanos.

*Secretos de Chirurgia: eſpecial de las enfermedades de Morbo Gallico, y Lamparones, y * mirrarchia, y la manera como ſe curan los Indios de llagas y heridas, con otres ſecretos haſta agora no eſcritos.* Ad Carolum Hiſpaniarum Principem Valladolid, 1567. *in* 8°.

Ideſt, *Arcana Chirurgica, ſpeciatim de Morbo Gallico, & Strumis, & Melancholia hypochondriaca, & de modo quo ſuas curant Indi plagas & ſua vulnera, cum arcanis aliis nondum ſcriptis.* Ad Carolum Hiſpaniarum Principem Pinciæ, 1567. in 8°.

Carolus ille, Hiſpaniarum Princeps, cui Petrus Arias Librum inſcripſit, fuit ipſiſſimus Philippi II. filius tunc unicus, qui ſequente anno 1568. juſſu patris capite damnatus, miſerrimam ac violentam mortem obiit in carcere.

Porro notari velim *Petrum Ariam de Benavidez* appellari, in Catalogo Bibliothecæ Lugduno-Batavæ, *Pedrariam de Benavidez*, ſed hoc leve nominis diſcrimen lectorem morari non poteſt, cum ceteroqui Liber ſit idem, ac ſatis manifeſtum ſit ex *Petro-Aria* coalitione Hiſpanis non infrequente *Pedrariam* confictum fuiſse.

1568. GEORGIUS DORDONUS, Placentinus, Medicus.

De Morbi Gallici curatione Tractatus quatuor. Papiæ, apud Hieronymum Barthołum, 1568. in 8°.

Teſtatur Dordonus in hoc Opere, *Tractatu I. Cap. VI. ſe lauream coronam ſumpſiſſe Placentiæ annos 23. natum, & tunc legere incepiſſe in Gymnaſio Ticinenſi ſub Franciſco, Rege Francorum*: unde liquet hæc ad annum 1522. ineuntem ad minus referenda eſſe, cum Franciſcus I. Ducatu Mediolanenſi, cui Ticinum ſubeſt, cedere coactus fuerit anno 1522, menſe Julio. Certe conſtat ex *Capite VII. Tractatus ejuſdem*, Dordonum jam habitaſſe Papiæ ſive Ticini, cum *Rex Franciſcus Gallorum captus fuit a militibus Cæſaris in anno* 1525.

Scripſit ille Ticini, (*a*) dum *Chirurgiam publice profiteretur*, Librum de quo agitur, in

* Teſtatur Nicolaus Maſſa, *Epiſtol. Lib. 7. Epiſtol. 3. Mirachiam* apud Medicos Arabes ſignificare *Melancholiam Hypochondriacam*, quod nomen deductum eſt ab arabica voce *Mirach*, quæ *Abdomen* vel *Hypochondria* valet. Quæ eadem legere eſt apud Amatum Luſitanum, *Centur. IV. Curat.* 54.

(*a*) In Proœmio.

in quatuor Partes ſeu Tractatus diviſum, in quorum Primo *dat modum curandi morbum hunc per purgationes & evacuationes*: Secundo, *Per unctiones; tangendo empiricorum errores*: Tertio, *Per ſuffimenta ſeu ſuffitus*: Quarto & ultimo, *Per ligni Indici decoctum, necnon & per radicem Chinam ſeu Cynam, & Salſam-pariliam*.

In *Tractatu primo* ſunt Capita VII, quorum *ſex prioribus* Morbi venerei ætiologia; *Capite ſeptimo*, quod ultimum eſt, curatio ejuſdem methodica proponitur, quæ ad præparandos, alterandos, evacuandos humores noxios olim adhibebatur, & quæ plurimam parum utilium remediorum farraginem admittebat.

Ibi ſequentia leguntur, quæ notatione digna viſa ſunt.

1°. A Dordono (*a*) ,, dici venereum morbum ſemper viguiſſe apud Indos, Mauroſ-
,, que, (hos enim cum Indis Auctor confundit errore maximo) ,, ex quorum regioni-
,, bus vehitur lignum Indicum . . . ., Cum ergo morbus iſte a Mauris originem contra-
,, xerit, ob loci diſtantiam, regioniſque ignotionem nobis non facile cognitum fuiſſe,
,, adeo ut non mirandum ſit, ſi ab antiquioribus Medicis nulla facta ſit ipſius mentio,
,, niſi poſtquam per Mauros ad partes Hiſpaniæ ſeu Granatæ, poſtque Neapolim per
,, Hiſpanos delatus eſt, inde vero per Gallos cum Carolus, Francorum Rex, regnum
,, Neapolitanum adivit, per univerſum orbem expanſus eſt.

2°. Dordoni tempore (*b*) ,, Chirurgiam redactam eſſe ad Empiricos & Barbi-tonſores,
,, qui tantum æruginí ſtudebant, & vix Medicorum-Chirurgorum Librorum tegmina in-
,, ſpiciebant, & *Domini Magiſtri* appellari volebant, credentes experientiolis ſuis omnes
,, ægros curare. ,,

3°. (*c*) ,, Cum provenit morbus ex dormitione aut longa converſatione, aut ex veſti-
,, mentorum tum viri, tum mulieris, infectorum uſu, abſque tamen coitus commixtio-
,, ne, tales affici abſque genitalium, fauciumque corruptione, ... ut in probis vi-
,, ris, & mulieribus honeſtiſſimis ſua ætate vidit . . . . . . Cum vero ex coitu aliquis
,, affectus fuerit, tunc prius genitalia affici.

4°. (*d*) ,, In excellentiſſimo Gymnaſio Papiæ mulierem quamdam anatomiſatam fuiſſe,
,, quæ paſſa fuerat per multos annos ulcera ex Morbo Gallico ſuper brachiis, capiteque;
,, cumque eam diſſectam inſpiceret, ſe vidiſſe oſsa brachii ſiniſtri corrupta uſque ad
,, medullam, deinde vidiſſe calvariam corruptam uſque ad ultimam tabulam, in utero
,, etiam vidiſſe ulcus non parvum, in profundo abſconditum, oſtracoſum, & tamen vi-
,, debatur ſana.

5°. ,, (*e*) In hoc morbo *Gallico* laudari viperarum carnes, abſciſſis capitibus & cau-
,, dis, ipſis adhuc viventibus, ... ſed ſe non vidiſſe multos ex hac mala lue affe-
,, ctos ex uſu carnium viperarum curatos eſſe.

6°. Se felici (*f*) cum ſucceſſu ſæpius uſum fuiſſe catharticis mochlicis, ut ,, granis
,, ſive ſeminibus cataputiæ minoris *N°*. 12. cum Hieræ Antiochi ℥ j, & Sacchari roſei
,, ℨ ij commixtis & contuſis in mortario; radice hellebori tum nigri, tum albi; Anti-
,, monio ſive Stibio præparato vel emetico, quale proponitur a Matthiolo, *Lib. V, Capi-*
,, *te* de Stibio.

In *Secundo Tractatu* variis variorum linimentorum mercurialium formulis, methodoque hydrargyroſeos, quæ ſuo ævo uſu recepta erat, explicatis *Capite unico*, addit Dordonus.

1°. Ægrum (*g*) ,, veſperi . . . . per quatuor aut quinques dies, quouſque oris
,, ægritudo invaluerit, plus minuſve ſecundum pharmaci aut morbi qualitatem, ad ignem
,, inungendum eſſe, bene fricando juncturas, ut linimentum aut medicamentum illud pe-
,, netret in membra.

2°. Ad inunctiones (*h*) ,, conſiderandos eſſe aſpectus lunares, quia Luna maxime do-
,, minatur, ... præcipue in Morbo Gallico; . . . ideoque ſe conſulere, ut unctio
,, & ſuffitus ſive ſuffumigium fiat in decremento Lunæ; & rationem eſſe, quia ipſa Lu-
,, na amittit vires, quas acquiſivit per ejus (*ſuum*) augmentum a Sole.

3°. Ex inunctionibus (*i*) ,, non ſemper accidere oris exulcerationem, cum materia
,, contenta in juncturis . . . . . dirigitur ad alias regiones, quam ad fauces, cum re-
,, ſolvitur, aut cum expurgatur per ſeceſſum aut per alias vias occultas.

(*a*) Tract. I. Cap. I. (*b*) Cap. 2. (*c*) Cap. 3.
(*d*) Cap. 6. (*e*) Cap. 7. (*f*) Ibidem.
(*g*) Cap. I. (*h*) Ibidem.
(*i*) Tract. II. Cap. I.

4°. Si vero placuerit (*a*) „ aliqua ex cauſa oris exulcerationem evitare, „ præter „ alia multa parum utilia quæ proponit, „ cum materia aſcendet ad ſuperiora, tunc „ propinandum eſſe pharmacum forte, evacuativum, ut materia quæ deberet ad fauces „ aſcendere, tranſmittatur & ducatur ad inferna; quod a ſe obſervatum fuiſſe *ait* in mul„ tis viris, mulieribuſque, qui pati non poterant oris & faucium exulcerationem.

5°. (*b*) „ Errare Empiricos, qui cum vident oris exulcerationes fieri, audent dicere „ ægris, niſi ex Gallica lue morbus talis (etſi non ſit ex morbo Gallico) eſſet, oris „ exulceratio non accederet. *Sed illos* neſcire . . . . . talia linimenta . . . . . non ſolum „ ægris ex morbo Gallico ulcuſcula in ore accidere facere, ſed etiam ſanis, *circa quod* „ *teſtatur Auctor* ſibi multoties in componendo talia medicamenta accidiſſe tantam humi„ ditatem ab ore refudaſſe, quod ſibi cum ſummo faſtidio erat.

In *Tertio Tractatu*, qui Capita IV. complectitur, Auctor exponit primum tum ſuffumigiorum *materiam*, tum modum ſuffumigia adhibendi, ac pluribus in locis indicat methodum curandæ luis inunctionibus & ſuffumigiis *a peritis Medicis non multum probari*. Addit deinde quo modo per unctiones vel ſuffitus obtineri poſſit *curatio ulcerum malignorum, nodoſitatum, & ulcerum in genitalibus, quæ ab Italis* Caroli *vocantur*.

In *Tractatu Quarto* tres Partes diſtinguendæ ſunt; *Prima*, cujus ſunt Capita octo, in qua Dordonus multis tradit electionem, præparationem, adminiſtrationem ligni Indici ſive Guaiaci *cum aqua decocti*, quo (*c*) „ nullum ſalutarius medicamentum in his tem„ poribus inventum eſse ait, unde fit, ut Viri quidem doctiſſimi, qui hujus ligni Indici „ ſentiunt naturam, unctiones ſuffituſque poſtponant.

Secunda, quæ conſtat Capitibus quinque, ubi Auctor explicat *curationem morbi Gallici per decoctum ligni Indici cum vino*, quam methodum impenſe laudat: Ait enim (*d*) „ neo„ tericos quoſdam, cum viderent decoctum ligni Indici cum aqua nonnullos ægros non „ perfecte curare, aliquibus etiam nihil profuiſſe, ... divina velut inſpiratione . . . . „ cogitaviſse neceſsarium fore cum ipſo ligno vinum commiſceri, quod ejus virtutes „ corroboret, dirigat, penetrareque faciat ad partes patientes.

Tertia, quæ Capita duo tantum complectitur, ubi 1°. *De methodo curandi morbum Gallicum per radicem Chinam*, ſive Cinam, quam *divinam* vocat, & quam cenſet „ (*e*) alia „ medicamenta adeo præcellere, ut poſſint reliqua poſtponi & negligi auxilia: 2°. *De methodo curandi eumdem morbum per radicem* Salſam-parillam *dictam*, cujus (*f*) non ita „ pridem non erat apud Italos niſi pauca notitia, ſed quæ jam nota eſt per maximum „ periculum, quod de ea fecerunt, & in dies faciunt, & quod ab Auctore factum eſt.

Ceterum hic Auctor, ſi vera referat, curandæ lui venereæ vocavit non ſine ſucceſſu. Ne quid tamen diſſimulem, ſcrupulum videtur injicere, quod non paucos ægrotantium, a ſe ſanatos fuiſſe narret ope remediorum, quæ virtute ſatis efficaci non pollere videntur. Non miror equidem (*g*) „ per inunctiones mercuriales multos curatos fuiſſe, ac „ inter alios quemdam de Iximbaldis, dictum de Arena, qui laborabat ex hoc malo mor„ bo per decem annos, cum dolore capitis gravativo & cum doloribus juncturarum in„ tenſiſſimis. Non miror etiam (*h*) per Decoctum Guaiaci multos curatos eſſe, ac præ„ cipue duas mulieres prægnantes, quarum altera erat quinquemeſtris ex Placentia, alte„ ra erat ſeptimeſtris ex Diœceſi Laudenſi. „ Sed non poſſum quin mirer (*i*) „ per pil„ lulas Cochias inter alios curatum fuiſſe quemdam famulum in Hoſpitali Papiæ, qui „ patiebatur magnum dolorem in brachio dextro ex morbo Gallico: Et (*k*) per grana „ Cataputiæ minoris multos curatos fuiſſe ex hoc morbo affectos.

Hic Auctor dicitur per errorem *Dardanus* ab Iſraele Spachio, in *Nomenclatore Scriptor. medicorum*; Paſchali Gallo, in *Biblioth. Medica*; & Zacuto Luſitano, in *Hiſtor. Medicor. Princip. Hiſtor.* 73. *Obſervat.* 52.

Henricus Brucæus vel Broucæus, (*l*) natus Aloſti, in urbe Flandriæ anno

(*a*) Ibidem. (*b*) Cap. 1.
(*c*) Cap. 2.
(*d*) In Procemio.
(*e*) Cap. 1.
(*f*) Cap. 2.
(*g*) Tractat. 1. Cap. 6.
(*h*) Tractat. 3. Cap. 6.
(*i*) Tractat. 1. Cap. 7.
(*k*) Ibidem.
(*l*) Valer. Andreas, in *Bibliotheca Belgica*. Georg. Abraham. Mercklinus, in *Lindenario renovato*.

anno 1531, Bononiæ Doctoratus gradum conſequutus eſt, Lutetiæ Adriano Turnebo & Petro Ramo familiariter uſus fuit, quandiu illic commoratus eſt. In patriam reverſus a Principe Megapolitano evocatus eſt in Academiam Roſtochienſem, & in ea per annos 25. Mathemata docuit & Medicinam cum laude fecit. Obiit anno 1593. ætatis ſuæ 62.

CAROLUS BATTUS.

Propoſitiones de Morbo Gallico, de quibus, Doctore Henrico Broucæo *Præſide, reſpondebit pro gradu Licentiæ* Carolus Battus. *Diſputabitur autem die . . . . . Septembris in auditorio majori.* 1569. Roſtochii, *in officina Jacobi Lucii.* in 8°.

Diſſertationem hanc inauguralem, quæ Roſtochii propugnata fuit anno 1569, & quæ Propoſitiones quinquaginta complectitur, ipſe non vidit, ſed vidit Vir eruditus Thomas Stack, cujus oculis magis fido quam meis, atque inde ſequentes excerpſit Propoſitiones, quaſi potiſſimas.

„ I Morbum Gallicum noſtro Orbi ignotum, ab omni tamen hominum memoria Indos & Chynarum regiones infeſtaſſe conſtat.

„ II. Hunc primum Europæ invectum anno 1494. & in obſidione Neapolitana innotuiſſe Hiſtoriæ tradunt.

„ XX Contrahitur autem maxime veneris uſu cum hac lue infectis, ſed non ſolum.

„ XXI. Nam & nutrices in infantes, & infantes in nutrices derivant, illæ lacte quo alunt infantem, hi ore ſugentes mammas, illas inficiunt.

„ XXII. Concubitu quoque, & ejuſdem aeris, necnon lecti uſu in nonnullos translatus eſt.

Ad curationem laudat Auctor diligentem victus rationem, Decocta ligni ſancti ſive Guaiaci, radicis Chinæ & Salſæ-parillæ, ac deinde ſic pergit.

„ XLVI Quod ſi dolores omnino non tollantur uſu ligni ſancti, tum licebit ad unguenta & emplaſtra devenire, quæ vim deſiccandi diſcutiendique habent. Toto enim corpore ſæpius purgato tum medicamentis, tum ligni decocto, non eſt verendum, ne ad partes affectas materia trahatur, ſed ſperandum illam diſcuſſum iri quæ partibus impacta eſt; ob ſui tenacitatem non potuit plene diſcuti.

„ XLVII. Cum autem varia ſint, tum vero præcipuum locum obtinet in hoc affectu Hydrargiron (*ſic*) tum ad exſiccandum, tum ad reſolvendum, ut ex effectibus conſtat. Suſcipitur autem axungia inſulſa, quo cum natura ſua fluxile ſit, conſervetur, poſſuntque alia, ubi diſcutere intendimus, admiſceri.

„ XLVIII. Hujus quoque maximus uſus in ulceribus in hoc affectu obortis, & in aliis quoque malignis, quod vi exſiccante putredinem tollere animadvertatur, fruſtraque ſæpenumero aliis adhibitis tentamus, iſto neglecto, illorum curationem.

„ XLIX. Sunt qui utiliter ſuffumigia adhibent ex cinabrio artificiali, maxime ubi morbus adeo invaluit, ut cetera medicamenta adhibita parum proſint: Tunc enim excitatis ſudoribus toto corpore, ſuffumigatoque ægrotante Cinabrii ſuffitu in ſumma deſperatione, præter omnium exſpectationem morbo Gallico laborantes reſtitui cernuntur.

„ L Ex his perſpicuum eſt Hydrargiron, Cinabriumque artificiale habere facultatem exſiccandi calefaciendique, ut mirum ſit nonnullos vim illi narcoticam tribuiſſe, cum evidentes ipſius effectus plane repugnent. Utamur igitur recentiorum inventis, & in innumeris facta de Hydrargiro experimenta minime rejicienda judicemus, niſi velimus nos ipſis ſenſibus & ipſi evidentiæ opponere.

HENRICUS GOLDLIUS, Tigurinus, Doctor Medicus, ſcripſit germanica lingua. 1570.

* *Regimen Peſtilentiæ; Itemque medicamentum approbatum in Pleuritide, quæ Peſtis „ quaſi ſpecies quædam eſt: Tum præterea formam medicamenti edidit, quæ Paralyſi „ apprime confert, ac inſuper pretioſæ aquæ deſcriptionem contra ingentes capitis dolo„ res, vertiginem, maniam ac apoplexiam:* Quin etiam modum, quo morbus Galli„ cus curari poteſt citra Unctiones, Suffumigia, aut lotiones ullas; gummata na„ ſci prohibentem ſi morbus recens, nec prius a quoquam unctionibus aut ſuffu„ migiis, aliiſque modis vexatus fuerit. *Omnia hæc uno libello continentur;* in 4°. „ *ſine notatione loci & temporis excuſa.*

Hactenus Joſias Simlerus in *Geſnero contracto*; quæ ita accurata ſunt, ut non ex conjectura, vel ex indicatione dicta, ſed ex ipſa inſcriptione libri oculis ſubjecti tranſcripta videantur; adeoque fidem faciant librum illum in lucem revera prodiiſſe; tanto quidem magis, quod hæc eadem reperire ſit apud Iſraelem Spachium in *Nomenclatore*, ſed in partes varie diſtracta, quemadmodum huic Auctori ſolemne eſt circa ſcripta quæ ad diverſa

argumenta ſpectant; & quod eadem a Johanne Georgio Schenkio indicentur in *Bibliotheca Medica*, ſed quaſi *exhibenda peculiari Elencho Lingua Germanica*. Haud equidem neſcius ſum Gallum, Lindenium, Mercklinum, Mangetum, illius libri, imo vero ipſius Goldlii nuſquam meminiſſe, ſed hæc parum moror, cum Liber ille germanice ſcriptus fuerit, ac pro comperto habeam ſcripta germanica a laudatis Bibliographis plerumque omitti, ut ſupra monuimus, ubi de Gualthero Hermanno Ryff.

Goldlii ætatem, annumque editi illius libri ignoro, ſed conſtat eum ante annum 1574 ſcripſiſſe, cum a Simlero laudetur in *Bibliotheca Geſneri* in epitomen redacta & novorum librorum acceſſione locupletata, quæ prodiit hoc anno.

1570. „ Johannes de Fogueda, Medicæ artis & Philoſophiæ Doctor, Johanni „ Tellio Gironio, Comiti Ureniæ, dedicavit olim Libellum,

„ *De Puſtulis, qua Saaphati nominantur.* „

Ut ait Nicolaus Antonio in *Bibliotheca Hiſpana*: Nullus autem dubito quin Libellus ille ſcriptus fuerit de lue venerea, tum quod morbus ille, ut ab Hiſpanis *las Bubas*, ſic ab Auctore *Puſtula* nominetur, quæ utræque voces idem ſonant; tum quod ubi primum Europæ innotuit, Medicorum non pauci cenſuerint eumdem illum eſſe ac *Saaphati* ſive *Aſaphati* Arabum, atque ideo cum eo nomine nonnulli appellaverint, qua de re vide ſupra *ad annum* 1520, ubi de *Johanne le Maire*.

Nunc vero, cum Nicolaus Antonio neque Civitatem, ubi Liber ille excuſus, neque annum, quo editus fuit, ſignificaverit, quippe qui de utroque illo capite videatur ipſe nihil comperti habuiſſe, ego quoque hæreo quo in loco Auctor ille collocandus ſit. Spes quidem fuerat aliqua poſſe tempus editi illius libri colligi ex ætate *Johannis* illius *Tellii Gironii, Comitis Urenia*, cui Liber dicitur inſcriptus fuiſſe, ſed hanc penitus excluſam intellexi, ubi primum comperi ex Genealogia familiæ Telleziæ Gironiæ, in ſtirpe illa ex qua orti ſunt Comites Ureniæ, *d'Urena*, tres Johannes occurrere diverſis temporibus, qui ſinguli Ureniæ Comites fuerunt, *Primum*, qui extremum diem obiit anno 1528: *Alterum*, primi filium, qui fato functus eſt anno 1558: *Tertium* ſecundi nepotem, natum anno 1554, quorum unicuique poteſt Liber Johannis de Fogueda pari jure inſcriptus videri. Quocirca in ea obſcuritate & dubitatione placuit Auctorem illum ex arbitrio referre ad annum 1570, donec dies vel doctiorum monita certiora doceant.

1570. Antonius Saporta, Monſpeſſulanus, patrem habuit Ludovicum Saportam, Doctorem Medicum Monſpeſſulanum. Ipſe in Academia patria profeſſorio munere fungi cœpit anno 1530, ac demum Cancellarius electus eſt anno 1566, poſt obitum Guillelmi Rondeletii. Denatus eſt anno 1573. Sed de illo fuſius in *Hiſtoria Facultatis Medica Monſpeſſulana*.

De Tumoribus præter naturam Libri quinque, editi ſtudio Henrici Gras, Doctoris Medici Monſpelienſis & Practici Lugdunenſis. Lugduni. 1624. in 12.

Conſtat hunc Tractatum ab Auctore ſcriptum fuiſſe poſt annum 1566, cum Rondeletii, ceu jam defuncti, mentio ibidem fiat *Lib. 3. Cap. 49. Guillelmus Rondeletius*, inquit Saporta, *Collega olim meus* &c. Sed tamen ante annum 1573, quo certum eſt Auctorem fato functum eſſe. Videtur ergo circiter ad annum 1570. referendus.

Proſtant in illo Tractatu quædam *de Bubone venereo, & de Bubonis venerei Curatione, Capp.* 18. *&* 19. *Lib.* 1. Sed *Libro* 3. fuſius agitur de Lue venerea, ſeu, ut Auctor ait, *de Morbo Parthenopæo ſive Hiſpanica Lue*.

Itaque *Cap.* 49. Morbus definitur *contagioſus affectus ex vitioſi hominis aut mulieris contactu contractus, primum hepar, deinde reliquas corporis partes multifariam labefactans*.

Cap. 50. afferuntur morbi cauſæ, quales ab omnibus admitti ſolent, nempe uſus rei venereæ, oſcula, lactatio, ſuctio; quibus ille addit *inſpiratum aerem a peſſima illa qualitate conſpurcatum*. Ibidem falſe irridet eos qui *carnoſum panniculum in univerſo corpore diffuſum, illudque tegentem conſtituunt, a quo pernicioſa hujus labis ſcaturiginem emanare ſomniant*.

Deinde ſignis luis venereæ propoſitis ſequente Capite, Curationem explicat *Cap.* 52, aſſeritque poſt *decentem uſum rerum non naturalium*, debitamque *noxii humoris concoctionem*, ... *ſudores movendos eſſe linimentis, emplaſtris, ceratis, ſuffitibus* mercurialibus, *aut inſtituta victus ratione ex Guaiacini Ligni decocto, Sarſa-parilia vel China*.

Præfert uſum Mercurii uſui Guaiaci, ſtatuitque eos *cæcutire & hallucinari, qui hunc peſſimum morbum ſine hydrargyro depellere ſcribunt* . . . . . cum *experientia omnium rerum magiſtra*

magiſtra compertum ſit hunc morbum ſine hydrargyri ſodalitio curari non poſſe, quamvis ex illius mala adminiſtratione multa corpori incommoda ſuboriantur.

Si qui vero *moroſi unguentorum aut ſuffitus uſum reſpuunt, ... tunc inſtituendam eſſe ſuadet eam victus rationem, quæ ex lignorum decocto paratur; quæ quamvis in longius tempus curationem protrahat, a tam nefanda pernitie (ſi recens ſit) nihilominus pleroſque liberare quotidiana experientia docet.*

LUDOVICUS ISLA, Medicus Luſitanus. 1572.

Tractatus de Morbo Gallico.

Laudatur a Zacuto Luſitano, *De Med. princip. Hiſtor. quæſt.* 37, & a Nicolao Antonio, *in Bibliotheca Hiſpana.*

ANONYMUS Anglus. In Catalogo Librorum Manuſcriptorum Angliæ, *Part. alter. pag.* 355. *col.* 1. recenſetur inter Libros Bibliothecæ Sloanianæ Liber manuſcriptus anglicus, cui apponitur hæc nota arithmetica 8937, & hæc inſcribitur Epigraphe.

The manner of heling the venerious diſeaſe, vulgerlye caled the French Pockes, *Vvith his cauſes and ſimtomes.* (ſic)

Hoc eſt, *Modus curandi venereum Morbum, vulgo appellatum* Gallicam Variolam, *una cum illius cauſis & ſymptomatibus.*

Scribit autem Thomas STACK, Doctor Medicus, qui multum laboris & operæ benigniſſime poſuit efflagitatu meo in excutienda & evolvenda locupletiſſima Bibliotheca Sloaniana, ut libros perquireret Aphrodiſiacos, codicem illum imperfectum eſſe, ſeu ut aiunt, fragmentum, quod paginis ſeptem *in* 4°. contineatur: Nec tempus, nec auctorem ulla ratione in illo deſignari, ſed ex literarum forma poſſe colligi regnante in Anglia Elizabetha, & forte anno circiter 1570 ſcriptum fuiſſe: Scriptum videri a Chirurgo quodam, certe ab homine ignaro, & orthographiæ ſermonis patrii minime callente: Demum in paucis paginis, quæ ſuperſunt, hæc legi, ſcilicet „ Varios varie ſentire de prima origine „ luis venereæ: communem tamen opinionem eſſe morbum Neapoli primum innotuiſſe an- „ no 1493: & inductum fuiſſe uſu rei venereæ: Leproſi cujuſdam Valentiniani in Hiſpa- „ nia cum Scorto mercede centum nummorum conducto: „ quam fabulam a Johanne Manardo primum narratam fuiſſe ſupra vidimus *Pag.* 632., & quam deinceps a recentioribus nonnullis Scriptoribus acceptam eſſe, videbimus infra.

NICOLAUS DE CORMEILLES, Doctor Medicus Facultatis Pariſienſis. 1572.

JACOBUS JOUVENCEL, Granopolitanus.

Quæſtio Medica quodlibet aria diſputatione agitanda in Scholis Medicis die Jovis X. Januarii, M. Nicolao de Cormeilles moderatore.

„ Hiſpanica lues morborum cumulus, annon?

Concluditur affirmative: *Ergo Hiſpanica lues morborum cumulus.*

Proponebat Lutetiæ M. Jacobus Jouvencel, Granopolitanus. A. MDLXXII.

Reſpondens ille Gratianopolitanus erat in Delphinatu, ſed illi viſum eſt Ortelium ſequi, qui legebat *Granopolim* apud Apollinarem Sidonium, *Epiſtol. XIV. Lib. III.* quo in loco Sirmundus & Savaro *Gratianopolim* rectius legerunt.

ALBERTUS BELFORTIS, Rhæticus, Doctor Medicus, pollicebatur *Librum de abolenda Morbi Gallici nomenclatura, affectuſque (juxta Galeni cenſuram) explicatione & curatione; addita quoque recentiorum ad hoc propoſitum Empirice*, ut aiunt Simlerus & Gallus. Quin imo videtur Schenckius innuere datam ab Auctore fidem liberatam fuiſſe, ac librum illum in vulgus prodiſſe, qua de re nititur teſtimonio Tiraquelli, quem laudat. Sed hæc merito ſuſpecta ſunt, cum Liber ille a recentioribus Bibliographis, Spachio, Lindenio, Mercklino & Mangeto non recenſeatur, cum a nullo juniore Scriptore laudetur, cum in librariorum aut bibliothecarum catalogis nullibi proſtet. 1573.

Ceterum, qualecunque de libro judicium feratur, conſtat Albertum Belfortem vixiſſe ante annum 1574, cum laudetur in *Geſneri Bibliotheca* a Simlero contracta, quæ primum prodiit hoc anno.

JOHANNES PLANERIUS, Quintianus Brixienſis, hoc eſt, natus Quintiani, hodie *Quinzano* quod oppidum prope Olium amnem ſitum in Gallia Ciſalpina diſtat ab urbe Brixia viginti millibus paſſuum. Natalem habuit non annum 1480, ut legitur apud Mercklinum, ſed annum 1509, ut colligitur ex iis quæ Planerius ipſe affert in *Deſcriptione patria*, pag. 9. *Medicinæ* (a) *ſtudio incubuit in Patavino Gymnaſio ſub* 1574.

(a) In brevi Patriæ Deſcriptione. *Pag.* 9.

ſub *Franciſco Frizimelica*, (a) *Benedicto* Victorio *Faventino*, *Johanne Baptiſta Montano*, *Medicis excellentiſſimis*, *atque Hieronymo Accorambono*, *Eugubio*, quem alibi (b) *ſuum præceptorem* dicit. *Doctoratus coronam* aſſecutus *Medicinam aliquandiu fecit* Quintiani, *Brixiæ*, *& præſertim Venetiis*, unde in Germaniam accitus poſt annum 1543. (c) *in Hungaria apud Principes aliquot annos medicam artem ſincere candideque exercuit*, ac, ſi fides habenda ſit (d) Hiſtoriæ Gymnaſii Patavini, Ferdinando I. Imperatori & Maximiliano II. ejuſdem filio innotuit. Sed tandem cum (e) *ob cœli inclementiam in adverſam valetudinem cecidiſſet*, ut ipſe narrat; ſive ut Auctor Hiſtoriæ Gymnaſii Patavini refert, cum (f) Germanorum Medicorum invidia cœpiſſet illum variis artibus & calumniis aggredi, " *ſatius eſſe du-*
" *xit Italiam*, *patriamque repetere* anno 1557, ubi (g) adverſitatibus oppreſſum, non opes,
" non divitias, non popularem auram, non quod utile, ſed honeſtum & laudabile ſecutum,
" Medicinæ praxim", ſe rejeciſſe, & in ſacrarum literarum ſtudio conquieviſſe gloriatur. Hallucinatur (h) Merckinus, dum ait illum mortem obiiſſe anno 1570, ſiquidem in vivis erat non modo anno 1577, quo in cœlis viſus eſt Cometes ille, de quo ſcripſit *ad Johannem Matthæum Averoldum Juriconſultum*, ſed etiam anno 1584, quo in lucem prodiere Venetiis ejuſdem *Opuſcula*; nec ſecundum Auctorem Hiſtoriæ Gymnaſii Patavini prius deceſſit, quam anno 1600, ætatis ſuæ 91.

Dubitationum ac Solutionum in III. Galeni De diebus criticis *Liber unus*, *in quo cum Veterum*, *tum Recentium de criſium cauſis opiniones examinantur*. Venetiis, anno 1574. in 4°. Ad calcem hujuſce Tractatus proſtant *Conſilia & Collegia aliquot ad varios morbos*.

In primo Conſiliorum quæſtio eſt de *quodam nobili Viro laborante hemicrania*, *Polypo in nare dextra & ventoſitate ac rugitu in ventre inferiori*, *Viennæ* Auſtriæ ſeu potius Vindobonæ, qui jam ante unum annum *aſſumpſerat decoctum ligni Indici* cum vino, *credens ſe lue Gallica eſſe infectum*, *attamen ex illo decocto non fuerat penitus abſolutus ab iſtis ſymptomatibus*.

Cenſet autem Planerius ægrotum illum, *non omnino immunem eſſe a lue Gallica*, *quam contraxiſſe poterat jam ante aliquot annos*, *etſi in membris genitalibus nullæ apparuerint vel puſtulæ*, *vel bubones*. *Illud enim virus*, pergit Ille, *ex coitu quandoque contrahitur*, *nulla tamen apparente in genitalibus vel corroſione vel exulceratione*. Circa quæ videtur Auctor ille in gemino errore verſari, tum quod temere crediderit ægrum venerea lue affici, in quo ne ullum quidem hujus morbi univocum indicium obſervabatur, quod ſuſpicioni locum faceret; tum quod adverſante atque repugnante experientia falſe putaverit morbum poſſe venere unquam contrahi & virus in ſanguinem transfundi, ſine prævia ulla in genitalibus labe.

Ad curationem præſcribit ille 1°. Alterantia, quæ intemperiem corrigant, ut *ſyrupum de Lupulis*, *Endivia*, *Bugloſſa*, ſed præſertim *ſyrupum de Pomis*; *quo ſolo*, pergit Planerius, *dicebat Hieronymus Eugubius* (Accorambonus) *præceptor meus*, *dum praxim medicam Patavii in primo loco profiteretur*, *ſe multos curaſſe a morbo Gallico*.

2°. Purgantia ſeu *evacuantia*, *univerſalia* ut *Diacatholicum*, *Electuarium lenitivum*, *Agaricum præparatum*, *Rheubarbarum* in infuſo.

3°. *Evacuantia particularia*, ut *Pillulas hieræ cum agarico Meſuæ*, *& de Rheubarbaro*.

4°. *Exhibitionem decocti ligni Indici per 30 plus minus dies*, *in aqua & non in vino*, *quoniam decoctum illud ex vino propter vini & ligni caliditatem & propter etiam decoctionem acquirit maximam caliditatem*.

Omitto cetera, quæ ad exſtirpandum naris dextræ polypum proponit, ut cauterium in brachio dextro; *præcipitatum mercurium*, *aquas cauſticas*, *ſuccum utriuſque Dracunculi in nares injecta*; Stillicidium *balneorum ſulphureorum*, *qualia ſunt in Italia Patavina*; modo *excipiatur cadens in vertice gutta*, *in coronali ſcilicet commiſſura*.

II. In Secundo *Collegiorum*, quod Planerius *fecit Viennæ cum Doctoribus regiis*, agitur de *quodam Aulico*, qui *aluerat & educaverat Scortum per aliquot menſes*, *& poſt multos*

amatorios

(a) Epiſtolarum 32.
(b) In Opuſculo De Lacte, Et in primo Conſiliorum, *Pag.* 23.
(c) In Deſcriptione Patriæ, *Pag.* 9.
(d) *Tom.* 2. *Pag.* 262.
(e) In Epiſtola ad Fratres Fuggeros *Deſcriptioni Patriæ* præfixa.
(f) Ubi *ſupra*.
(g) In Deſcriptione Patriæ, *Pag.* 9.
(h) In Lindenio renovato.

amatorios & meretricies congreſſus ſecuta fuerat corroſio in pudendis; poſtea etiam ſecuti fuerant bubones in inguinibus, in ea parte in qua apparuerat illa corroſio; ſecuti etiam fuerant dolores vehementes capitis cum dolore ſciatico.

Aſſumpſerat æger ille ex ſua ſententia purgantia varia mochlica, theriacam, & decoctum ligni indici, unde febrem contraxerat, qua curata Planerius ait delirum illum remanſiſſe, non ſine gravi capitis dolore ſuperſtite.

Cenſet autem Planerius ægrotum illum 1°. *Morbo Gallico omnino infectum eſſe*, nec immerito, ſiquidem aderant haud æquivoca luis venereæ ſigna tum anamneſtica, tum demonſtrativa.

2°. *Non indigere amplius alia evacuatione, ſed potius reſtauratione*, ideoque *nutriendum eſſe cum bono & pingui contuſo, & cum ovis recentibus & ſorbilibus.*

3°. *Vinum* ægrotanti *exhibendum eſſe, ſed cum aqua lymphatum, quoniam ipſe non poteſt abſtinere ſe a vino.*

4°. Demum *facta per cibum & potum corporis reſtauratione, accedendum eſſe iterum ad exhibitionem decocti ligni Indici.*

Liquet ex priore quidem exemplo Diagnoſim, ex utroque vero Therapeiam luis venereæ circa annum 1550 Vindobonenſibus Medicis, ſaltem planerio tunc medicinam ibidem facienti, ſatis compertam non fuiſſe.

SULPITIUS RIGAULT, Doctor Medicus Facultatis Pariſienſis. 1574.

JOHANNES RIOLANUS, Ambianus.

Quaſtio Medica quodlibetaria diſputatione agitanda in Scholis medicis, die Jovis 14. *Januarii* 1574, D. Sulpitio Rigault, *D. M. moderatore prudentiſſimo.*

„ Eſtne aliquid divinum in peſtilenti & venerea lue?

Affirmative concluditur: *Ergo in peſtilenti & venerea lue ineſt aliquid divinum.*

Proponebat Johannes Riolanus, Ambianus. 1574.

Porro præcipua remedia adverſus luem veneream, quæ in illa theſi indicantur, ſunt *Guaiaci, Cyna, Salſa-parilla decoctum, & illitus ex Mercurio.*

Johannes ille Riolanus, qui reſpondentis vices obibat, & qui Pater fuit Johannis alius Riolani, celebris Anatomici, Profeſſoris Anatomiæ in Collegio Franciæ Regio, & Mariæ Mediceæ, Reginæ Franciæ, Archiatri per decem annos, donec illa exceſſit e Galliis, fato functus eſt die 18. Octobris anni 1606.

De Sulpitio Rigault, Theſeos illius moderatore, nihil comperti habeo, ſed opinor patrem fuiſſe celebris philologi & polyhiſtoris Nicolai Rigault ſive Rigaltii.

ANDREAS ALCAÇAR ſive ALCAZAR, Guadalaxarenſis in nova Caſtilia, Medicus ac Chirurgus, & in Academia Salmanticenſi primus Chirurgiæ Profeſſor, edidit Salmanticæ anno 1575. ſequentem Tractatum. 1575.

Andrea Alcazaris, Medici ac Chirurgi Guadalaxarenſis, in ampliſſima Salmanticenſi Academia Chirurga facultatis primi Profeſſoris, Chirurgia Libri ſex, in quibus multa Antiquorum & Recentiorum ſubobſcura loca hactenus non declarata interpretantur. Salmanticæ, in ædibus Dominici à Portonaris, S. C. M. Typographi. MDLXXV. *in* fol.

Hujus Operis Libro Primo agitur *De Vulneribus capitis*; Secundo, *De Vulneribus nervorum, aliiſque ipſorum affectibus*; Tertio, *De Vulneribus thoracis*; Quarto, *De Vulneribus ventris inferioris*; Quinto, *De Pudendagra vel Mentagra vel Lichenis*, *vulgo* Morbo Gallico; Sexto demum, *De valetudine tuenda tempore peſtis.*

Liber quintus, qui *De Morbo Gallico* inſcribitur, Capita 28. complectitur, ſed brevia & quæ in ſumma paginis 50. comprehenduntur.

Horum *Primo* affirmat morbum hunc antiquum eſſe in Orbe olim cognito, ac teſtes profert 1°. Plinium, *Cap.* 1. *Lib.* 26. *Hiſtoria Naturalis*, ubi de Mentagra, quæ in Italiam olim adventavit *Tiberii Claudii Cæſaris principatu*. 2°. Hugonem Senenſem, Conſilio 70. ubi *de juvene quodam viginti annos nato, qui oſtreacoſas teſtaceaſque puſtulas totum corpus ambientes patiebatur, cum intenſis doloribus noctu magis moleſtantibus, diuque lenteſcentibus.* 3°. Avicennam, (a) *Capite II. Canonis*, ubi legitur, *Thus illitum cum aceto conferre dolori, qui nominatur compoſitus, ex quo proveniunt in corpore ſicuti verruca, cum quadam re qua eſt ſicut ambulatio formica.* 4°. Demum ipſum Hippocratem, *Aphor. Sect.* 3. *Aphor.* 20. ubi *de Lichenibus*. At inde liquet non quidem luem veneream olim notam fuiſſe,

(a) Locus ille ex Avicenna mendoſe adducitur.

ſe, ſed luem illam ab Auctore cum Herpetibus ac Lichenibus, aliiſque affectibus olim notis, perperam confundi.

Secundo vero contendit novam morbi illius in Europa, ut ipſe credit, recrudeſcentis invaſionem deducendam eſſe non a navigationibus in Inſulas Indiæ occidentalis inſtitutis a Chriſtophoro Columbo ante annum 1493, ſed ab uſu humanarum carnium, quæ militibus clam exhibitæ fuerunt circa annum 1456, *cum Johannes filius Renati Andegavenſium Ducis bellaret cum Alphonſo Neapolis Rege*; ac in teſtimonium affert hiſtoriam ſeu potius fabulam a Leonardo Fioravanti ſcriptam, de qua vide ſupra *Lib. I. Capite IX.*

Deinde *Cap.* 5. quatuor diſtinguit morbi ſpecies, Primam, *cum ipſi ægrotanti puſtulæ in pudendo vel ſede, vel excoriatio in gutture apparere cœperint, vel itidem puſtulæ in fronte & capite pullulare*: Alteram, *cum adeſt articulorum dolor, quem interdum tubercula comitantur, interdum vero alopecia*: Tertiam, *cum non ſolum puſtulis atque articulorum doloribus, ſed etiam ulceribus corpus afficitur, ſkirroſiſve tuberculis, modo dolorificis, modo dolore expertibus*: Quartam demum, *cum corpus non ſolum ulceribus, aliiſque affectionibus dictis affligitur, ſed etiam oſſium corroſione & carie atque febricula corpus extenuante.*

I. Credit *Cap.* 7. primam ſpeciem curari poſſe diæta, levi decocto ligni ſancti, exercitio, uſu ſyrupi Sancti Ambroſii ex milio decocto in aqua pluviali, addito vino ſub decoctionis finem; topiciſque nonnullis medicamentis ad puſtulas exſtirpandas.

II. Ad ſecundæ ſpeciei curationem proponit *Capp.* 9. & 10. 1°. Decoctum legitimum Guaiaci ſive ligni ſancti, cujus defectum ſupplere poſſunt Sarça-parilla, vel radix Chinæ. 2°. Topica varia cauſtica, in primis *pulverem Johannis de Vigo* ſive præcipitatum rubrum, quem ait Leonardo de Bertapallia notum fuiſſe.

III. Ad curationem tertiæ ſpeciei fatetur *Cap.* 11. & *ſeqq.* adhibendas eſſe inunctiones mercuriales, cum topicis aliis medicamentis. Multa itaque præfatus de natura, temperatura & uſu Mercurii, tandem illitionis methodum explicat *Cap.* 19. Nempe 1°. Jubet partes ante illitionem foveri calide decocto aromatico *florum roriſmarini, chamameli, melliloti, foliorumque lauri, ſtœchados, lavendulæ* &c. 2°. Unguentum adhiberi *duos aut tres menſes ante confectum, ut ipſius argenti vivi malitia aliquatenus corrigatur.* 3°. Vetat eo inungi *ventriculum, emunctoria, ſpinalem medullam, atque articulos.* 4°. Cenſet ab illitione abſtinendum eſſe, ſi quod ſymptoma accidat, ut animi *deliquium, vel alvi profluvium, ſed facta aliqua interpolatione, & natura confortata, ad linitionem redeundum eſſe.* 5°. Damnat quaſi *infeſtiſſimum quorumdam Medicorum* uſum, *qui diebus illitionis jam fluxis catharticum ſolutivum ægrotis extemplo exhibebant; hinc enim*, inquit Ille, *materies morbi, quæ oris exſpuitione præſertim evacuatur, pharmaco exhibito ad interiora retrahitur.* 6°. Dicit *præſtare a linitionis initio ad finem uſque exſpuitionis, calamum vel annulum auri vel argenti ipſum ægrotum inter dentes retinere, ... ut exhalationes argenti vivi aliquatenus venenoſæ inter os minime retineantur, ſed foras evadant.*

IV. Ait demum *Cap.* 23. ad curandam quartam morbi ſpeciem opus eſſe, poſt univerſaliora remedia, Mercurii *unctionibus, ſuffitibus & vomitoriis*; Unctionibus quidem *fortioribus, quæ plus argenti vivi contineant*; Suffitibus, qui *cinnabarim, præcipitatumque* Mercurium recipiant; Vomitoriis *cum cataputia minore ad* ʒ j. & *pulvere Johannis de Vigo ſeu præcipitato rubro ad doſim gr.* iv; vel cum *Stibii ſeu antimonii optime præparati gr.* iv. *quod devoratum vomitionem & alvum ciendo miro modo prodeſſe* dicit; *ſed quo præſidio nonniſi in robuſtis habitudinibus, vel atrabilioſa pituitoſave temperatura utendum eſſe* cenſet.

Tandem poſtrema Operis Capita *Antidotarium* continent, *in quo*, ut ait Auctor, *varia medicamenta admodum huic morbo utilia atque experta inſcribuntur.*

1575. GUILLELMUS LUSSON, Doctor Medicus Facultatis Pariſienſis.
FRANCISCUS MOMBEL, Pedemontanus.

Bibliothec. Sloaniana.

Quæſtio Medica quodlibetaria agitanda in Scholis medicis die Jovis 23. Novembris; D. Guillelmo Luſſon, moderatore prudentiſſimo. Eſtne Peſti bolus armena remedium, lui venereæ Hydrargyrum?

Concluditur affirmative: *Eſt ergo Peſti bolus armena remedium, lui venereæ hydrargyrum.*

Defendebat Lutetiæ Franciſcus Mombel, Pedemontanus. 1575.

1575. AMBROSIUS PAREUS, Lavallenſis Cenomanus natus anno 1510. Chirurgiæ operam dedit Lutetiæ, artiſque tyrocinia poſuit in Noſocomio Pariſienſi. Inde ab anno 1536. caſtra

caſtra ſequutus Chirurgiam rara felicitate & dexteritate mira exercuit. Nomen profeſſus eſt inter Chirurgos Barbitonſores Pariſienſes, de quibus vide quæ ſupra dicta ſunt, *Pag.* 726. ſed ad Chirurgos ſancti Coſmæ dicitur tranſiiſſe anno 1552. Chirurgus fuit Regum Galliarum, Henrici II. Caroli IX. & Henrici III.

Refertur a Mezerai, *Abbrégé Chronologique, ad ann.* 1560. Pareum veniſſe apud aliquos in ſuſpicionem veneni inſtillati in aurem Franciſci II, quæ fiſtuloſo ulcere male habebat, unde de medio ſublatus ille fuerit. Sed liquet ſuſpicionem & falſam & temerariam fuiſſe, quandoquidem Pareus Primarii Chirurgi munere functus eſt apud Carolum IX. & Henricum III. Franciſci II. fratres germanos.

Exſtant Parei Opera gallice primum edita *in fol.* Pariſiis anno 1575; latine deinde a Jacobo Guillelmeau reddita & ibidem typis mandata anno 1582. Quarta editione gallica, quæ prodiit anno 1585. Lutetiæ apud Gabrielem Buon, Libri continentur viginti octo, quorum decimus nonus, in quo agitur *de Lue Venerea*, complectitur Capita 40.

Ibi primum expoſita morbi natura & ætiologia Capitibus quinque, novem ſequentibus curationes generales ſingulatim explicat; *Primam*, quæ Guaiaci decocto; *Alteram*, quæ inunctionibus mercurialibus; *Tertiam*, quæ ceratis & emplaſtris; *Ultimam* demum, quæ ſuffumigiis obtinetur. Inde proponit ſequentibus Capitibus curationes particulares gonorrhœarum virulentarum; hyperſarcoſium ſive caruncularum, quæ in urethra excreſcunt; bubonum venereorum, exoſtoſium, herpetum, ſurditatis &c. quæ a latente ſeminio venereo induci ſolent.

Cetera non moror, quoniam vulgata; ſed omiſſum nolo jubere Pareum, *Cap.* 27. exſtirpandis carunculis adhiberi vel plumbeas virgulas limæ inſtar adeo aſperas, ut illarum ope carunculæ deradi; vel cannulas argenteas eo artificio fabrefactas, ut illarum ope carunculæ exſecari poſſint, qua utraque methodo affirmat curationes egregias a ſe perfectas fuiſſe. Sed ut exemplis vix credo, ſic neutram methodum approbo. Neque enim puto fiſtulam nerveam & exquiſiti ſenſus, qualis eſt urinaria, poſſe unquam iterato erodi, fodicari, diſcerpi ſine gravi & difficili membranæ ſuccingentis, vicinarumque partium inflammatione, quæ ſymptomatum Iliada advocatura eſt.

Videtur ergo multo conſultius ille dicere, ſaltem ex legibus curatoriæ methodi, quæ ætate ſua in honore erat, cum auctor eſt *ibidem*, ut exſtirpandæ carunculæ erodantur cathæreticis, iiſdem ſcilicet quæ a Lacuna proponi ſupra vidimus ad *annum* 1551, quæ neſcit ille a Lacuna propoſita fuiſſe, ſed quorum gloriam Chirurgis Monſpeſſulanis videtur tribuere.

Ceterum ultro fatetur ipſe Pareus, in Præfatione huic Libro præfixa, ſe non modo ſequutum eſſe methodum curatoriam luis venereæ jam ante propoſitam a Theodorico de Hery, Chirurgo Pariſienſi, cuius doctrinam laudat, & de quo ſupra ad *annum* 1552, ſed reciſis tantum tautologiis & ineptis ratiocinationibus, integrum fere illius Tractatum a ſe deſcriptum eſse, ut a quo, ſi ab ullo unquam alio, morborum venereorum ætiologia & therapeia accuratiſſime expoſitæ fuiſſent.

Porro quamquam Pareus Librum integrum a Theodorico de Hery mutatus fuerit, inde tamen nulla cauſa eſt cur plagii accuſetur, cum factum ipſe ultro confiteatur. Utinam æque promptum foret illum culpa liberare, quod ſibi vindicaverit alienos labores, Libros edendo quaſi ſuos (*a*) *in quibus condendis juniorum Pariſienſium Medicorum induſtriam emendicabat & pretio redimebat*, ut Pareo ipſi, dum viveret; (*b*) exprobratum fuiſſe novimus, & ut abhinc a (*c*) Riolano, Guidone Patino, & (*d*) Van Horne memorari vulgatum eſt.

Falſus eſt Johannes Devaux, qui (*e*) ſcripſit Pareum deceſſiſſe die 25. Aprilis, anni 1592, cum tamen conſtet ex Actis Eccleſiæ Sancti Andreæ ab Arcubus, ubi ſepultus fuit, Pareum extremum diem obiiſse die Decembris anni 1590, ac proinde ætatis anno 80.

VVILLELMUS CLOVVES, *Londonienſis* ſive Londinenſis, natus anno 1544, Chirurgus regius apud Anglos, ſcripſit anglice anno 1575, & omnium Anglorum, quos noverim, primum Tractatum de lue venerea, quem primum edidit cum hac Inſcriptione. 1575.

A nevv

(*a*) Riolanus, *Anthropogr.* pag. 31.
(*b*) *Diſcours des Harquebuſades en forme d'Epitre, pour repondre a une certaine Apologie publiée par Ambroiſe Paré.*
(*c*) Ubi ſupra.
(*d*) In Microtechne.
(*e*) In Indice funereo Chirurgorum Pariſienſium.

A nevv and approved Treatiſe concerning the cure of the French Pockes *by the Unctions. Vvhereunto is alſo adjoyned a right learned Vvorck touching the outvvard affectes of the body, vvritten by the learned Phyſition and Chirurgion Fernelius. Vvith a compoſition of a moſte precious Vvater for the preſervation of mans body for invvard and autvvarde diſeaſes, Deviſed, Practiſed and Publiſhed by Vvilliam Clovves, Chirurgion of London.* London. printed 1575. in 8.

Hoc eſt.

Novus & approbatus Tractatus de Curatione Luis Gallicæ *ope Inunctionum: Cui etiam adjungitur Opus doctiſſimum (a) de affectionibus externis corporis, ſcriptum ab erudito Phyſico & Chirurgo Fernelio: Proponitur ſimul (b) Compoſitio aquæ valde pretioſa ad avertendos ab humano corpore internos, externoſque morbos, excogitata, experta, & divulgata a Vvillelmo Clovves, Chirurgo Londinenſi.*

Prodiit iterum Liber idem anno 1585, ſed inſcriptione in ſequentem mutata.

A briefe and neceſſarie Treatiſe touching the cure of the diſeaſe caled Morbus Gallicus, *or* Lues venerea, *by unctions and other approved vvaies of curing: nevvlie corrected and augmented by Vvilliam Clovves of London, Maiſter in Chirurgerie.* London, *printed for Thomas Cadman,* 1585, in 4.

Hoc eſt.

Brevis & neceſſarius Tractatus de Curatione Morbi, qui vocatur Morbus Gallicus, *ſive* Luis venerea, *ope inunctionum & aliarum probatarum medendi methodorum, nuper emendatus & auctus a Vvillelmo Clovves, Londinenſi, Magiſtro Chirurgo.*

Liber idem auctior & emendatior Londini tertium excuſus fuit anno 1596, quam editionem ſæpius iteratam fuiſſe liquet ex titulo ſequentis editionis, quæ Londini emiſſa eſt anno *1637*, & quæ *Tertia* dicitur, ſi numeretur ab editione illa anni *1596*, nam ſecus quinta foret.

A briefe and neceſſary Treatiſe touching the cure of the Diſeaſe novv uſually called Lues venerea, *by unctions and other approved vvayes of curing, nevvly corrected and augmented in the year of our Lord* 1596, *By Vvilliam Clovves one of her Majeſties Chirurgions. The Third Edition.* London, *printed by M. Davvſon*, *1637*, in 4°.

Hoc eſt.

Brevis & neceſſarius Tractatus de Curatione Morbi, qui nuper vulgo appellatur Lues Venerea, *ope inunctionum & aliarum probatarum medendi methodorum, recens emendatus & auctus anno Domini noſtri* 1596, a Vvillelmo Clovves, e Chirurgis regiis, Tertia Editio.

Tractatus ille in hac tertia editione abſolvitur *Capitibus XIII*, in quibus Auctor diſſerit de origine, contagione, ſignisque luis venereæ, ſed paucis; multo fuſius vero de curatione, quam ait obtineri poſſe via quadruplici, 1°. Suffumigiis: 2°. Unctionibus mercurialibus: 3°. Decoctis ſudorificis: 4°. Præparatis mercurialibus interne exhibitis, inter quæ laudat Turpethum minerale, & Mercurium quemdam, quem *diaphoreticum* dicit, & cujus proceſſum ipſe refert; ſed in quo videtur ille merito culpandus, quod certiori & efficaciori illitionum mercurialium, minus certam & minus efficacem præparatorum mercurialium methodum anteponat.

Porro notatu dignum videtur, vel ideo quod rarum & inſolens, hunc Chirurgum ægrotantibus auctorem eſſe, imo vero inculcare in ſingulis fere Tractatus Capitibus, ut peritos Medicos de Morbis venereis conſulant, ſi quis nodus inciderit difficilior, quam modeſtiam in pleriſque Chirurgis nunc merito requiras.

GEORGIUS BAKER, Chirurgus Anglus, ſcripſit anglice perbrevem Diſſertationem de Hydrargyro, quæ octo paginis conſtat, cujus titulus eſt.

The nature & propreties of quick ſilver, hoc eſt, *Natura & proprietates Argenti vivi.*

& quæ proſtat in omnibus editionibus Tractatus *de Morbo Gallico* a Vvillelmo Clovves ſcripti, de quo modo.

1576. STEPHANUS MANIALDUS, Burdigalenſis, Doctor Medicus, gallicum fecit Tracta-

(a) Nempe Liber VII. Pathologiæ Fernelii, qui inſcribitur *de externis corporis affectibus*.
(b) Hæc circulatorias artes nimium ſapiunt, & idcirco in ſequentibus ſuppreſſa fuiſſe videntur.

Tractatum Rondeletii *de Morbo Gallico*, ac Burdigalæ edidit apud Simonem Millangium, anno 1576. in 8°.

LAURENTIUS JOUBERTUS, Valentinus apud Delphinates, natus die 16. Decembris annis 1529, ut ipſe teſtatur *Liv.* 4. *des Erreurs populaires*, *Chap.* 8. & non 1539, ut per errorem dicitur (*a*) a Petro Caſtellano, inter Philiatros nomen dedit in Monſpeſſulana Academia anno 1550, & Guillelmum Rondeletium Magiſtrum habuit. Ad Doctoris gradum evectus eſt anno 1558, docendi munus ibidem adiit circa annum 1559, & Cancellarius poſt obitum Antonii Saportæ electus eſt anno 1574. Obiit anno 1582, ætatis 53. Lumbariis, non quidem Convenarum, ut (*b*) vulgo dicitur, quæ *Lombez*, ſed Albigenſium, quæ *Lombers* appellantur, qua de re vide Petrum Borellum, *Antiquitez de la Ville de Caſtres*, *Liv.* 2. *Chap.* 21. De eo multa in Hiſtoria Facultatis Medicæ Monſpeſſulanæ.

Circiter anno 1577. (*c*) *In Scholia Monſpelienſi publice dictavit magno cum Medicinæ ſtudioſorum applauſu* Tractatum *de Variola magna ſive Craſſa Gallis dicta*, qui anno 1581. a Marco de la Croix, Seguſiano, Doctore Medico Monſpelienſi & Jouberti diſcipulo tranſmiſſus eſt ad Stephanum Michaelem, Typographum Lugdunenſem, & ab illo Typographo inſertus *Pag.* 223. *Tom. II.* Operum Jouberti, que edidit in *fol.* anno 1582.

Hoc Opus imperfectum eſt, deeſtque Liber ſecundus *de curatione Variolæ magnæ*. Liber qui ſupereſt, *Capita ſex* complectitur, quibus de nomine, cauſis, contagione & ſignis luis venereæ tam vulgaria ac ſtylo tam vulgari exponuntur, ut Liber ille Jouberti nomine parum dignus eſſe videatur.

I. Aſſerit, *Cap.* 3. *luem hanc ex India primum ad nos veniſſe*, *Luſitanis*, *qui illuc patrum noſtrorum memoria primi navigarunt*, *communicatam*. Sed fallitur, dum Luſitanis acceptum refert, quod ad Hiſpanos vere pertinet.

II. Gravius *ibidem* hallucinatur, dum putat luem veneream ſobolem eſſe *Variolæ parvæ* (variolarum) *quæ apud Indos in cœlo fervidiore ſævior ſit noſtra vulgari*; unde *cum Luſitani forte ab Indicis mulieribus eo morbo nuper defunctis vel mox ægrotaturis non abſtinuiſſent*, *graviſsimum inde malum iſtud reportarunt*. Contra enim liquet certiſſimis teſtimoniis ab Europæis variolas in Indiam utramque invectas fuiſſe, ubi prius ignorabantur.

III. Rectius videtur ſentire, dum *ibidem* præſagit *Variolam hanc magnam ſeu groſſam* (*ut loquuntur Galli*) *ab Indis acceptam*, *finem aliquando habituram eſſe*, *Deo volente*, *etſi contradicat Fernelius*, *quum per varia corpora tranſitu facto exoticus affectus jam multo mitior evaſerit*, *ut tandem inclinans & conſeneſcens ſimplicis ſcabiei* (*quæ ſimiliter eſt contagioſa*) *ſpeciem ſit adepturus*; quæ eadem totidem fere verbis jam ante dixerat *De Erroribus popularibus Lib.* 2. *cap.* 12.

JULIANUS PALMARIUS, Conſtantienſis Normannus, diſcipulus Johannis Fernelii, quocum ſe decennium familiariſſime vixiſſe (*d*) teſtatur, Doctor Medicus Facultatis tum Cadomenſis, tum Pariſienſis. Obiit (*e*) Cadomi anno 1588, natus annos 68. 1578.

Scripſit *ad ampliſſimum Senatum Pariſienſem Libros ſeptem de Morbis contagioſis*, non ſine ingenii & doctrinæ laude, quorum Primo & Secundo *de Lue venerea*; Tertio, *de Hydrargyro*; Quarto, *de Elephantiaſi*; Quinto, *de Hydrophobia*; Sexto, Septimoque, *de Febre peſtilenti*; & qui primum editi ſunt Lutetiæ apud Dionyſium du Val, anno 1578. in 4.

In duobus illis Libris, quibus agitur de lue venerea, multa exſtant egregia de natura, cauſa, origine morbi; methodiſque curatoriis, 1°. Uſu Guaiaci, Salſæ parillæ, Chinæ; 2°. Suffumigiis; 3°. Inunctionibus, & 4°. Præparatis mercurialibus, quæ ipſe vel invitus cogitur laudare. Nam ceteroqui Fernelii Præceptoris ſui veſtigiis inſiſtens in eo fere totus eſt, ut elevet Mercurii & mercurialium utilitatem, quorum uſum *crudelem* (*f*), *periculoſum*, *ac nihilominus incoſtantem & prorſus incertum* eſſe ait, cum e contra curatio luis venereæ, quæ per Guaiacum & Alexipharmacum fit, (*g*) *certiſſima*, *tutiſſima ac facillima ſit*. Alexipharmacum autem ſive Amuletum vocat Opiatam quamdam; quam ipſe concinnabat ex famoſa utraque Fernelii Opiata, *majore* nempe & *minore*, quarum ope Fernelius ab hydrargyri uſu alieniſſimus olim auſus eſt præfactam luis venereæ curatio-

(*a*) In Viris Illuſtr. Medicorum.
(*b*) Teiſſier, *Eloges des Hommes Scavans*.
(*c*) In Epiſtola nuncupatoria Marci de la Croix.
(*d*) In Præfat. præfixa libris *de lue venerea*.
(*e*) Huet, *Origines de la Ville de Caen*, *Chap.* 24.
(*f*) Lib. 2. *De leue venerea* Cap. 4. (*g*) Ibidem.

curationem polliceri ſine Mercurio, ſed quarum inefficacia jam pridem ita explorata fuit; ut dudum a nemine adhibeantur.

Videtur quidem paulo rectius ſentire de Mercurii uſu *Lib. de Hydrargyro*, *Capp.* 7. *& ultimo*, ubi proponit *novam ac ſecuram luis venereæ per hydrargyrum & alexipharmacum curationem*. At vero ſuæ opinionis nimium retinens hoc ipſum Caput concludit aſſerendo *curationem, quæ per Guaiacum & amuletum fit, breviorem, tutiorem ac faciliorem exiſtere; quæ vero per argentum vivum, longiorem, periculoſiorem & difficiliorem; ideoque conſultius ſemper eſſe, ſi per ægri facultates licuerit, illo potius quam hoc modo curari.*

In hoc tamen Palmarium laude dignum cenſemus, quod ingenue & vere proponat, quæcunque ad luis venereæ curationem efficaciſſima credit. Sane ipſe ſancte omnibus pollicetur in Præfatione *nullum a ſe remedium adſcribi ac commendari, cujus ipſe ante annos viginti in ægris multis periculum non fecerit; nihilque ſe polliceri, quod re & eventis non comprobetur, ſi quis deſcripta remedia laborantium corporum naturis prudenter accommodet.*

Id adnotatione dignum videtur, nempe juxta Palmarium, I. Inunctiones mercuriales (*a*) „ duobus tribuſve diluculis repetendas eſſe, deinde quatriduum ſaltem ab inunctione ſuperſedendum, ne ea quotidie mane repetita, maxima humorum fuſio ac partium colliquatio ſequatur, quæ ſputationem aut alvi tormina non facile cohibenda, forte etiam repentinam mortem accerſat.

„ II. In ipſo vero tridui vel quatridui intervallo convenire alternis diluculis ſimplici decocto Guaiaci ſudores ciere; alternis alio decocto purgatorio alvum ducere, ut quidquid hydrargyroſis reſolverit, vel in ſudores digeratur, vel in alvum id depulſum expurgetur.

„ III. Qui facile in ſputationem prolapſuri putantur, per biduum tantum inungendos eſſe; dein facto quatridui intervallo ad unctionem remitti debere, ne continuata unctione in moleſtiſſimam illam ſputationem præcipites ruant.

„ IV. Itaque eo modo inunctionem, ſudorum profuſionem, & purgationem per alvum viciſſim iteratas continuandas eſſe, dum morbus radicitus abactus ſit.

1578. THOMAS JORDANUS, a Clauſoburgo in Tranſylvania, (*b*) „ plurimas Galliæ & Italiæ accademias adiit; Lutetiæ, Goupylum & Duretum audivit; in Montepeſſulano, Rondeletii primum, poſtea etiam Jouberti domeſtica uſus eſt familiaritate; Patavii, Trincavellum illum magnum, Bellocatum, atque Capivaccium præceptores habuit; Bononiæ, præter Francancianum, etiam Cardanum admirandum; Piſis, Vidum Vidium; Romæ, Bartholomæum Euſtachium docentes audivit; ægris autem inviſendis Hippolyto Salviano & Alexandro Petronio aſſeclam ſe præbuit. „ Poſt tot exantlatos labores in Moraviam regreſſus, Provinciæ Archiater conſtitutus fuit.

Brunnæ, quæ primaria eſt inter urbes Moraviæ & ubi Jordanus domicilium habebat, (*c*) „ lues miſeranda coorta eſt anno 1577, quæ licet paucos jugulaverit, ... inſolita tamen facie, horrendis ſymptomatis, intra duorum, triumve menſium ſpatium, ad octoginta oppidanorum corripuit, & ſuburbanorum ſupra centum: Tria ſunt juxta urbis Brunnæ pomœria publica balnea, in quæ ſordium corporis extergendarum, & cute ſcalpello conciſa ſanguinis per cucurbitulas extrahendi gratia certis diebus Cives confluere ſolebant . . . . . (*d*) Ab uno horumce balneorum virus omne promanavit. Nam brunnæ ipſo die, Luciæ feſto (*nempe die* 13. *Decembris*) anni 1577, quicunque hypocauſtum ſive Laconicum ingreſſi ſunt, & cutem ſcalpello adacto, appoſitiſque cucurbitis perforarunt, omnes illico correpti putantur. Per aliquot dies pigri, ad ſolita munia inertes, triſtes conſpiciebantur: Deinde pleraque veſtigia cucurbitularum inflammata, ſuppurata, exulcerata ſunt, ac in nonnullis univerſum corpus porrigine, ſcabie, puſtulis, callis conſperſum fuit.

Abſceſſibus illis, puſtuliſque non ſine labore ſummo deterſis & cicatrice obductis novum ſucceſſit ſymptoma, nempe dolor pungitivus atrox, quo totius corporis membra jugiter convellebantur, nocte potiſſimum.

Sic ergo morbus ille cum lue venerea communia multa habuit, „ dolores capitis, ſcapularum, artuum; tergoris totius ulcera fœda, puſtulas, callos, gummata: ſed alopecia, ſeminis profluvium, bubones venerei, carioſa præputii ulcuſcula, quibus ſolis proditur lues indica, hic minime conſpecta fuere. „ Fatetur tamen Jordanus ipſe, in appen.

(*a*) Lib. De *hidrargyro*. Cap. 7.
(*b*) Jordanus ipſe, in *Epiſtola nuncupatoria Libri ſui*.
(*c*) Jordanus, *Pag.* 17. *& ſeqq.* Tractatus. *Edit* 2.
(*d*) Vide ſimiles hiſtorias infra ad annum 1628. ubi *de Gregorio Horſtio*.

appendice, quæ proſtat in altera Libri ſui editione anni 1583. mulierem quamdam „ balneum ingreſſam paulo-poſt puſtulis cutem univerſam, præſertim locos muliebres defœdatos animadvertiſſe, „ hujuſque mulieris maritum ſibi „ oſtendiſſe puſtulam amplam, „ fœdam, ad radicem colis, circa πεῖναιον ſeu ῥαφὴν, lineam medium ſcrotum interſecantem, quo loci ſcrotum (honos ſit caſtis auribus) in actu venereo cunnum attigerat, „ *quamquam ille* toto reliquo corpore expers eſſet omnis inquinamenti, „ unde liquet utrique conjungi genitalia ulceribus carioſis, vulgo *chancres*, eroſa & exulcerata fuiſſe.

Remedia vulgaria incaſſum adhibita fuere omnia, neque morbus ullis ſuperatus eſt, niſi ſuffumigiis ex cinabrio; Turpetho minerali, aut decocto ligni Guaiacini.

Hoc novum morbi genus accurate deſcripſit Thomas Jordanus in Diatriba, quam Julio Alexandrino, Medico Tridentino, inſcripſit, & quam publici juris fecit anno 1577 in 8°. Francofurti apud Andream Vvechelum, ſub hoc titulo.

Brunno-Gallicus, ſeu luis nova in Moravia exorta deſcriptio.

& quæ iterum ibidem prodiit anno 1583. cum auctario.

In illa contendit Jordanus hoc malum Brunnæ exortum cum lue venerea in multis conſenſiſſe, unde illi viſum fuit Morbum illum appellare voce hybrida ſive compoſita *Brunno-Gallicum*; ab eadem tamen revera diverſum fuiſſe; ſed e ſubjecto putri ſine cauſa alia prævia vi balnei emerſiſſe.

Rectius videtur ſentire Crato à Crafftheim, Medicus Cæſareus, qui in Epiſtola ad Jordanum ſcripta anno 1580. contagium ſcalpello balneatoris infecto communicatum fuiſſe concludit ex eo „ quod non alii, quam ii, quibus per cucurbitulas ſanguis eſt detra„ ctus, infecti ſunt, & quod malum in eo loco, ubi cutis vulnerata & cucurbita affi„ xa fuerat, cœpit: „ Affertque in opinionis confirmationem exemplum venatorum Hiſpanorum, „ qui ſagittas ſucco Napelli ſeu Ellebori albi inficiunt, & feras, maxime au„ tem cervos, vel levi vulnere attactos derepente interimunt.

Sed hæc Lectorum judicio facile permitto, dummodo mecum fateantur Brunnenſem morbum, undecunque irrepſerit, de quo non ſatis liquet, vel luem veneream ipſiſſimam fuiſſe, vel a lue venerea parum abluſiſſe, quod videtur colligi non modo ex natura ſymptomatum, ſed quod urgentius eſt, ex virtute remediorum quibus malum ceſſit, & quæ eadem adverſus luem veneream ſpecialiter valent: qua de cauſa viſum eſt Librum Thomæ Jordani inter cetera Opera de lue venerea ſcripta ordine recenſere. Sed de his fuſius *infra ad annum* 1628, ubi de Gregorio Horſtio.

VICTOR GISELINUS, (*a*) *Sandfurtæ natus, qui pagus Oſtendæ proximus*, *anno* 1543, non vero 1549, ut aiunt (*b*) Mercklinus, & (*c*) Mangetus. Lovanii & Pariſiis Medicinæ ſtuduit, ac (*d*) *Dolæ apud Sequanos Doctores titulum cepit*; *Juſto Lipſio amicum publice laudante*. *Bergis ſancti Vvinoci annos plures vixit & Medicinam factitavit*. *Obiit anno* 1591, non vero 1580, ut a Mercklino & Mangeto dicitur. 1579.

Epiſtola de Hydrargyri uſu ad Martinum Everartum, (*e*) *Brugenſem Medicum & Mathematicum*.

Exſtat illa Epiſtola cum Libro Johannis Fernelii *De lue venerea* a Giſelino primum edito *Antverpiæ* apud Chriſtophorum Plantinum, 1579. in 8°.

PETRUS PAULUS PEREDA, Valentinus Setabenſis, hoc eſt, ex Civitate quæ nunc *Xativa* appellatur in regno Valentiæ, Medicinæ Doctor & Profeſſor apud Valentinos, Scholia ſcripſit in ſingula Capita *Praxeos medicæ*, ſive *methodi medendi* Michaelis Johannis Paſchalis, de quo *ſupra ad annum* 1555, quæ cum illa Praxi typis excuſa ſunt Barcinone in 8°. anno 1579. 1579.

In Scholiis ad *Caput I.* quod inſcribitur *de Morbo Gallico*, 1°. Conſentit Pereda cum Paſchali de novitate luis venereæ, & cum illo aſſeverat affirmatiſſime hunc morbum „ antiquis Medicis ignotum, noſtris temporibus Dei beneficio, ut effrænem hominum libi„ dinem reprimeret, apparuiſſe.

2°. Caſtigat Franciſcum Valleſium, quod „ hunc morbum Veteribus cognitum fuiſſe „ (*f*) confirmaverit ex Hippocrate, quem *credit 3. Epidem. Sect. 3. Senten. 4.* morbos re„ cenſuiſſe, quos in Morbo Gallico in dies experimur, ulcera ſordida, capitis & menti „ glabritiem ſine febre & cum exulceratione pudendorum & faucium, oſſa etiam ex„ ciſa

(*a*) Valerius Andreas, *in Bibliotheca Belgica*. (*b*) In Lindenio renovato.
(*c*) In Bibliotheca Medica.
(*d*) Valerius Andreas, ubi *ſupra*.
(*e*) Idem, *Ibid.*
(*f*) In Comment. 1. in Lib. 4. Epidemiorum.

„ ciſa & nudata: *Atque* mirandum eſſe de tanto Viro hactenus non animadvertiſſe in
„ morbo tam populari rem aliquam novam Veteribus incognitam, quam poterat ex con-
„ tagione, cauſis & curatione colligere.

3°. Laudat remedia ex Guaiaco, radice Chinæ, Sarſa-parilla, &c. a Paſchali propoſita, ſed „ ſi morbus fuerit antiquus & curatu difficilis, *cenſet* deveniendum eſſe ad unctio-
„ nes ex Mercurio ſeu argento vivo præparato.

4°. Deſcribit „ unguentum, quod expertiſſimum eſſe affirmat ad defluvium pilorum, &
„ quo, ſi utaris, prohibebis ne pili decidant & excifi renaſcentur: Hoc autem eſt un-
„ guentum ex Mercurio paratum, quo humeri articulos, vertebras colli, & retro aures
„ inungere debes, quoad in ore jam incipiant ulcera apparere.

5°. Damnat uſum internum pulveris rubei Johannis de Vigo, ſive præcipitati rubri, etiam methodo Matthioli correcti cum aqua plantaginis vel ſolani, „ quia, *inquit Ille*,
„ exſiccat partes principales, & dyſenteriam ſæpiſſime inducit.

6°. Proponit ſed non approbat uſum ſuffitionum *ex cinnabrio*, *vulgo* vemillon; fatetur enim ſe „ eo medicamento ob vehementiam non uti, *additque*, ſi in uſum adhibeatur, ca-
„ vendum eſſe ne inſpiretur vapor, quia eſt infeſtiſſimus thoraci & nervis.

1579. GUALTHERUS, BRUELE, alias BRANT, ut ſe vocat ipſe in præfatione Libro ſequenti prefixa, in qua ſe *Doctorem Medicinæ, Matheſeoſque ſtudioſum* profitetur.

Scripſit

Praxim Medicam, Theoricam & Empiricam familiariſſimam, in qua pulcherrima, dilucidiſſimaque ratione Morborum internorum cognitio, eorumdemque curatio traditur. Antverpiæ, *ex officina Chriſtophori Plantini*, MDLXXIX. *in fol.*

Agitur in hoc Opere de cunctis fere corporis affectionibus, ſed de ſingulis breviſſime & paginis tantum quatuor; quarum *prima* de Morbi Theoria; *ſecunda & tertia*, de Therapeia in tabulam redacta; *quarta* demum de *Theoricis & Empiricis medicamentis nobilibus*, quæ Gualtherius Bruele in ſingulis morbis *a ſe experta eſſe* affirmat.

Hac eadem methodo de lue venerea ſuo loco diſſeritur: Scilicet 1°. *Pag.* 177. exponitur *Methodus pro cognitione luis venereæ inſerviens*, ſed in qua nihil proponitur, quod vulgatum non ſit: 2°. *Pagg.* 178. & 179. exhibetur Tabula ſive *Methodus pro curatione luis venereæ inſerviens*, quam curationem Gualtherus Bruele „ perfici *ait* victus ratione; præpa-
„ rantibus, vacuantibus, diſſipantibus, expellentibuſque contagionis ſeminaria, labemque
„ mali; denique roborantibus. „ Laudat autem inter diſſipantia & expellentia medica-
„ mina, „ Decocta ſudorifica ex Guaiaco, radicibus Cynæ, Sarſæ-parillæ, Apios;
„ aquam theriacalem; unguentum cum Mercurio; ſuffitus e cinabrio cum multis aliis
„ ſpeciebus aromatum & gummatum: „ 3°. *Pag.* 180. adjiciuntur „ Theorica & Empirica
„ medicamenta nobilia in lue venerea ſæpius cum ſumma ſalute plurimorum ægrotorum
„ a Gualthero Bruele experta.

Mitto multam & inconditam farraginem remediorum, quæ ab Auctore laudantur, ſed quæ ad methodicam curationem pertinent, parum vel nihil pollent. Abunde eſt, ſi paucis annotaverim,

I. Ad curationem „ luis venereæ, quæ non ita pridem hominem invaſerit, *proponi*,
„ præmiſſa prius venæ ſectione & purgatione, balnea humida & ſicca, cum decocto ra-
„ dicum fœniculi, enulæ campanæ, lentium, uvarum paſſarum, ficuum, cujus unciis
„ quatuor adduntur Theriacæ aut Mithridatii ℈ ij.

„ II. Si vero ea ratio mendendi nihil proficiat, „ (ut ſane nunquam profecit) „ ſan-
„ guinis miſſione facta ad decoctum ligni Guaiaci, aut Salſæ-parillæ, aut radicum Cy-
„ næ, Apioſve tranſeundum eſſe, ubi corpus purgatum fuerit.

„ III. Quod ſi propter negotia aut egeſtatem non admittatur uſus decocti, ejus loco
„ inunctiones mercuriales adhiberi poſſe feliciſſimo etiam cum ſucceſſu.

„ IV. Idem malum aliquando ſuffumigiis oppugnari, idque fieri in debilibus, alter-
„ nis diebus vel quarto quoque die.

„ V. Hoc tamen medicamenti genus nunquam admittendum eſſe, niſi prædicta fruſtra
„ fuerint in uſum advocata.

„ VI. In brachiis tamen & cruribus id tutiſſime fieri poſſe, ſi dolores, ulcera, aut
„ gummata Morbi Gallici adſint.

Palam eſt nihil in his tanti fuiſſe, quod Auctori locum potuiſſet impetrare in hoc Scriptorum Aphrodiſiacorum Elencho, maxime cum Medicinæ Corpus ſcripſerit, in quo de lue venerea paucis tantum & obiter diſſerit, nullum vero ſpecialem Tractatum de

Morbis

Morbis venereis ediderit, qui ad propoſitum noſtrum vere attingat. Sed meriti pondus habu re, quæ in præfatione Libro præmiſſa, & ad *Henricum*, *Comitem Huntintonienſem* ſcripta narrat ille de Aurora quadam boreali.

„ Recentem, *inquit*, qui adhuc habent memoriam ignitarum impreſſionum, quæ in
„ æthere Sept mtrionali apparuere anno Domini 1575. circa nonam horam noctis pridie
„ Divi Michaelis, multos eſſe ſcio ubique locorum. Rogat a me muliercula, ubi jam
„ dies aliquot elapſi eſſent, primo ante prædicta vidiſsem lumina, ultimo quidnam de
„ facibus illis cœleſtibus ſentirem. Inquam ego me & magna quidem cum admira-
„ tione vidiſſe prædicta meteora; naturalem autem cauſam me nullam poſſe augurari,
„ quæ rationi ſatis eſset conſona horum luminum Hoc interim addidi hanc, nimirum
„ quam dicam, cauſam non omnino videri alienam a ratione. Poteſt fieri, inquam ego,
„ ut hujuſmodi faces excitatæ fuerint ratione magnæ alicujus tempeſtatis tunc temporis
„ ſub terra exiſtentis; radii equidem ſolares in denſam concretamque nubium molem ſub
„ terra collectam, quaſi in corpus ſolidum incidentes, forte ad ſuperiora tantiſper refle-
„ ctebantur, donec alteri alicui occurrebant corpori ſolido, cumque eodem tempore nu-
„ bium quoque denſiſſima moles ſupra terram verſus Septentrionem diverſis concitaretur
„ motibus, poteſt fieri, inquam, ut radii ſolares in illis nubibus ſupra terram in ea or-
„ bis parte reciperentur, dictiſque excitarint faces, haud aliter atque ſpeculo radii ſo-
„ lares a quovis homine in hoc aut illud objectum traſmitti ſubinde ſolent, quo radii
„ ſolares per ſe tunc temporis nullo modo pervenire poſſunt.

Hactenus ille, qui cauſam phyſicam phænomeni, quod inſtar portenti erat, pro modulo ſuo commentus fuerat, nec ita abſurdam, quin a non nemine hac ætate noſtra renovatam eſſe meminerim, ad idem meteorum explicandum. Sed capti fruſtra conatus: Manebat ea gloria Virum egregie doctum Johann. Jacobum de Mairan, e regia Scientiarum Academia, qui in Libro pereruditо, quem Gallice inſcripſit *Traité phyſique & hiſtorique de l'Aurore Boreale*, omnia quæ ad hoc argumentum pertinent, diligenter perſcrutatus eſt, & occultas illius phænomeni cauſas primus in lucem protulit, quas *Natura* prius *ſacro tegebat involucro*.

Ceterum omiſſum nolo ab Auctore illo, ut qui omnia Hiſtoricorum loca excuſſerit, mentionem diſerte fieri *Pag.* 186 *& ſeqq.* non modo Auroræ illius borealis, de qua quæſtio eſt, quæ anno 1575. *pridie Divi Michaelis*, hoc eſt, die 28. menſis Septembris in Septemtrione viſa eſt, ſed etiam accuratam illius deſcriptionem attuliſſe, quam mutuatus eſt ex Cornelii Gemmæ *Tractatu de prodigioſa ſpecie, naturaque Cometæ &c.* Antverpiæ *apud Chriſtophorum Plantinum* edito anno 1578. in 18.

JOHANNES SCHENCKIUS, a Graffenberg, hoc eſt, ut opinor, ex loco quodam *Graffenberg* dicto, quem a Friburgo Briſgavorum non longe abeſſe puto, natus (*a*) anno 1530, & Doctoratus gradum Tubingæ adeptus anno 1554, medicinam feliciſſime exercuit Friburgi in Briſgavia, ubi mortuus eſt anno 1598. ætatis 68, relicto filio Johanne Georgio Schenckio, *Bibliothecæ Medicæ* Auctore. 1580.

Obſervationum Medicarum & Chirurgicarum, rararum, novarum, admirabilium & monſtruoſarum Libri VII. ab Auctore conſcripti circa annum 1580, & paulo poſt Friburgi Briſgaviæ ab ipſo editi *in* 8°. anno 1594 ad annum 1599, *Tomis VII*; poſt ejus mortem denuo excuſi ſunt Francofurti anno 1600. ſtudio Johannis Georgii Schenckii ejus filii.

In hoc Opere ſive in hac Obſervationum Collectione, Libro VII. *quo agitur de febribus, morbis epidemicis, peſtilentibus & contagioſis*, Schenckius exſcripſit ex variis Auctoribus, quos appoſito nomine laudat, Obſervationes triginta ſex *de Morbo Gallico*, quarum multæ quidem utiles & indubiæ ſunt; nonnullæ vero pejoris notæ, & quæ merito dubiæ, imo falſæ videntur.

JOHANNES VVIERUS, Gravienſis in Ducatu Brabantiæ, natus anno 1515, literis humanioribus ſtuduit in Germania, ubi (*b*) *pervenit in notitia Henrici Cornelii Agrippæ*, (*c*) *quem præceptorem & herum ſuum venerandum* ipſe vocat. 1500.

(*d*) *E Germania egreſſus Lutetiam venit, ubi Medicinæ ſtudio operam dedit*, aliquandiu, ac Aureliæ Doctoris nomen & honores in eadem facultate aſſecutus eſt anno 1534.

M 2 (*a*) De.

(*a*) Mercklinus in *Lindenio renovato*.
(*b*) Melchior Adamus, *De Vitis Germanor. Medicor.*
(*c*) Vvierus, *Lib.* 3. *De præſtigiis Dæmonum*, *Cap.* 22. & 38.
(*d*) Adamus, *ubi ſupra*.

(*a*) *Deinde peregrinatione ſuſcepta, in Africam & in Cretam trajecit unde ad ſuos reverſus a Guillelmo Clivia Duce invitatus eſt* anno 1550, *ut a cura corporis ac valetudinis ſibi eſſet*, quod officium cum triginta & octo quaſi annis fideliter obiiſſet, deceſſit (*b*) anno 1588, non vero 1570, ut aiunt (*c*) Mercklinus & (*d*) Mangetus, ac proinde anno ætatis 73.

(*e*) *Vidit Vvierus* non ſine dolore *multos Chriſtiani vulgi, præſertim vetulas, ob veneficii*, vel magiæ, *ſuſpicionem in carceres compingi, quæſtionibus ſubjici, flammis exuri*; unde anſam arripuit ſcribendi Libros ſuos *de Præſtigiis & de Pſeudo-Monarchia Dæmonum*, quibus probandum aggreditur homines iſtiuſmodi, etiam dum culpam palam confitentur, nullo tamen crimine adſtringi, ſed depravatæ phantaſiæ errore duci, neque adeo illis pœnam ullam irrogandam, ſed potius medicinam adhibendam eſſe. (*e*) Etſi autem *ſuis ſcri-* „ *ptis* operam non luſit, cum ex Magiſtratibus non pauci eo nomine gratias ipſi egerint, „ quippe qui prudentiore, cautioreſque *illis Libris* facti eſſent, non defuerunt tamen „ a quibus peſſime eapropter audiret, quaſi conſcius magorum conſciorum patrocinium ſuſcepiſſet; ſed quam inique, quam temere in ſuſpicionem ideo adductus ſit, jam aperte liquet hac, qua vivimus, ætate, quo cordatus nemo eſt, qui Vvieri ſententiam non amplectatur.

Præter Opera alia non pauca ſcripſit Vvierus germanico idiomate ſequentem Tractatum:

Artzney-buch von etlichen biſanher unbekanntem und unbeſchrieben Kranckheyten. Franckfurtham Mayn, 1580. in 8°.

Id eſt, *Liber Medicus de quibuſdam morbis hactenus incognitis & nondum deſcriptis*. Francofurti ad Mænum, 1580. in 8.

Agitur in illo Libro, I. *De Scorbuto*: II. *De Vahrenis, morbo Vveſtphalorum endemio & permoleſto*: III. *De Morbo Gallico, & Hiſpanica ſerpigine*: IV. *De Pleuritide & Angina peſtilentialibus*: V. *De Tuſſi peſtilente, quæ per totam Europam graſſata eſt anno* 1580: VI. *De Sudore Anglico*: VII. *De Eryſipelate*: VIII. *De Colica iliaca, Nephritide, & Paſſione hyſterica*.

In Tractatu *de Morbo Gallico* docet Auctor I. Morbum hunc, quem vocat *impudicæ & promiſcuæ veneris flagellum*, primum innotuiſſe anno 1494. cum Carolus VIII. Gallorum Rex, Neapoli potitus eſt.

II. Ortum habuiſſe " a ſcorto quodam Valentiano in Tarraconenſi Hiſpania, cujus no- „ ctem Eques Hiſpanus Lepra infectus emit quinquaginta coronatis, unde infecta mere- „ trix ultra quadrigentos, quibus ſe utendam præbuit, pariter contaminavit, a quibus „ lues per totam Europam brevi diſſeminata eſt, „ quam eamdem hiſtoriam a Johanne Manardo narrari vidimus, & quam falſitatis ſupra arguimus, *Lib. I. Cap. IX.*

III. Ad morbi curationem facere 1°. Decoctum ligni Guaiaci; 2°. " (*f*) Arboris cu- „ juſdam viribus excellentis, quæ paucis abhinc annis innotuit ex Florida delata, & „ quam Indi indigenæ *Pavame*, Hiſpani vero, Itali & Germani *Saſſafras* apellant; „ 3°. Sarſæ-parillæ; quorum medicamentorum præparatio, decoctio & exhibitio explicantur.

IV. „ Quod ſi tam altas radices morbus egerit, ut per ſuperius deſcripta medicamenta „ cedere nolit, „ tunc e re fore mercuriales inunctiones adhibere, quarum adminiſtratio deſcribitur.

V. „ Multos eſſe, qui ad profligandum Morbum Gallicum utuntur ſuffumigiis e ci- „ nabrio, quorum uſus eſt omnium præſtantiſſimus & incomparabilis, ſi quando laboratur defluvio capillorum, „ ſed quæ tamen nunquam uſurpanda eſſe cenſet, *niſi in robuſtioribus*.

VI. Nonnullos „ ſolere quoque, præmiſſa purgatione emplaſtra *mercurialia* applicare „ artubus, præcipue iis qui nequeunt domi ſe continere, ſed neceſſe habent aut proficiſci peregre, aut in publicum prodire.

VII. Auctoris tempore „ Mercurium præcipitatum rubrum, (*g*) qui a Paracelſiſtis nomine

(*a*) Ibidem.

(*b*) Thuanus, *ad ann.* 1588.

(*c*) In Lindenio renovato.

(*d*) In Bibliotheca Medica.

(*e*) Melchior Adamus, in *Vita Vvieri*.

(*f*) Hic & in ſequentibus utor interpretatione latina Tractatus Vvieri, quæ Amſtelodami prodiit anno 1660, de qua *infra*.

(*g*) Hallucinatur Vvierus, neque enim Mercurius præcipitatus ruber *Turpethum minerale* dicitur, ſed flavus, ut cuivis notum eſt.

„ nomine *Turpethi mineralis* fuit occultatus, in Morbo Gallico ſæpius præberi pillula-
„ rum forma, uti ante pluſculos annos ſæpiſſime in Italia fieri ſolebat: Sed ſuccedere ad
„ ejus uſum vehementem Diarrhœam, & etiam nonnunquam ſanguinis fluxum ſubſequi,
„ quem excipit inſignis vomitus & ſudor.

VIII. Adhiberi quoque interdum „ validas pillulas *ex Mercurio* paratas, quas Barba-
„ roſſa Turcici Imperatoris Archithalaſſus Regi Galliæ primus tranſmiſit, unde & no-
„ men ſuum *Pillularum Barbaroſſæ* traxerunt. Poſſunt autem ſequenti modo parari.

℞. *Mercurii* ℥ iij.

Tere eumdem ſuper porphyriten cum ſucco limonum aut Arantiorum, donec Mercurius taliter fuerit extinctus, ut amplius internoſci non poſſit. *Deinde adde*

Rhabarbari & Agarici ana ʒ ij

Myrrhæ & Maſtiches ana ʒ j.

Cinnamomi & Caryophyllorum ana ℈ j.

Omnia miſceantur & incorporentur in maſſam pillularem cum Terebinthina Veneta, e cujus ʒ j formentur Pillulæ IX. Capiat principio Pillulas ij, dein ſed pro morbi conditione ʒ ß, tandem ℈ ij habita ſemper patientis ratione.

Proſtant apud pleroſque Auctores Medicos ejuſdem ætatis formulæ aliæ non paucæ pillularum mercurialium Barbaroſſæ, quæ a VVieri formula parum abludunt.

„ IX. Hiſpanos milites in inferiorem Germaniam cum aliis quoque multis & impro-
„ bandis novitatibus ultimo ſuo reditu intuliſſe inauditum & intolerandum malum,
„ quod vocatur *Formica*, eſtque venenatus, malignus & contumax Herpes ſive Serpigo:
„ Sumit autem initium a verendis, progreditur ab iis per univerſum corpus cum dolo-
„ ribus & intolerabili pruritu, unde fit ut ſatis apte poſſit nominari *Formica Gallica*.
„ Præter interna remedia modo propoſita, valde prodeſt extrinſecus aqua plantaginis,
„ cui in mortario adjungatur tantumdem æruginis & ſacchari, donec mordacitatem
„ poſſideat exiguam. Vocatur hæc aqua a nonnullis *Aqua di Cazzo*, hoc eſt, *Aqua*
„ *Mentulæ*.

Specialis ille Tractatus de Morbo Gallico exſtat in appendice Diſſertationis Chirurgicæ *de lue venerea*, a Stephano Blancardo batavice ſcriptæ, quæ prodiit Lipſiæ anno 1699 germanice verſa, cum hac inſcriptione, *Chirurgiſche Abhandlung der ſo genandten Frantzoſen*, hoc eſt, *Diſſertatio Chirurgica de Morbo dicto Gallico*.

Porro Liber ille VVieri *De Morbis incognitis*, qui germanice ſcriptus erat, latine verſus fuit & excuſus cum hac inſcriptione, *Medicarum Obſervationum hactenus incognitarum Libri II*, ad calcem ceterorum VVieri Operum, quæ prodiere Amſtelodami in 4 anno 1660; unde liquet inter Scriptores de lue venerea Johannem VVierum merito recenſeri a (*a*) Melchiore Adamo, (*b*) Iſraele Spachio, & (*c*) Paſchale Gallo; Omitti vero minus recte a Simlero, Lindenio, Mercklino & Mangeto.

JOHANNES CRATO a KRAFFTHEIM, Vratislavienſis Sileſius, (*d*) natus anno 1519, per ſexennium Vvittebergæ ſub Martino Luthero Theologiæ operam dedit, inde ad Medicinæ ſtudium converſus, Doctoris gradum Lipſiæ aſſecutus eſt. Poſtea in Italiam abiit, (*e*) ac in Medicinæ ſtudio tres annos 1547, 48 & 49 operam poſuit Patavii magiſtro Johanne Baptiſta Montano. Redux medicinam aliquandiu fecit cum laude Vratislaviæ & Auguſtæ Vindelicorum, unde Vindobonam Auſtriæ evocatus eſt. Fuit per annos 26 Archiatros trium Imperatorum, Ferdinandi I, Maximiliani II, cui facie ſimilis fuiſſe dicitur, & Rodolphi II. Obiit Vratislaviæ, quo ſeceſſerat, anno 1585, ætatis ſuæ 66 vel 67.

1580.
1594.

Præter Opera alia ſcripſerat brevem de lue venerea Tractatum pagellarum aliquot, qui poſt illius mortem in lucem prodiit cum inſcriptione ſequenti.

Johannis Cratonis a Krafftheim, Archiatri Cæſarei, De Morbo Gallico Commentarius, nunc primum ſtudio & opera Laurentii Scholzii, Medici Vratislavienſis; in lucem editus. Francofurti, 1594. in 8

(*a*) In Vitis Germanorum Medicorum.
(*b*) In Nomenclatore Scriptorum Medicorum, Pagg. 125, 128, 137, 139.
(*c*) In Bibliotheca Medica in *Appendice Scriptorum Germanicorum*.
(*d*) Mercklinus, in *Lindenio renovato*.
Melchior Adamus, in *Vitis Medicorum Germanorum*.
(*e*) Nicolaus Comnenus Papadopoli, in Hiſtor. Gymnaſii Patavini. *Tom. 2. Pagg.* 244.

Ex illo Libro poſſunt ſequentia colligi,

I. *Morbum iſtum*, cujus præcipua ſymptomata recenſet, „ primum ab Indis anno 1492. ortum eſſe.

„ II. Præmiſſa præparatione per alterantia & evacuantia, ſanari uſu ligni Guaiaci, „ cujus adminiſtrationem explicat, additis cautelis ad quas attendendum.

III. Ligni vices ſupplere „ Chinam radicem „ ſimilem Acoro, quæ ex Libya affertur, „ quæ nullum propemodum habet ſaporem, quæ minus calefacit quam lignum, quæ „ movet ſudores & pingues reddit, quæ coquitur ut lignum.

„ IV. Suffumigia cerebro, cordi & pulmonibus nocere; ideo tanquam peſtem fugien- „ da. Tuto autem adhiberi poſſe *ſuffumigia ex aromaticis* cum Albo Animæ, ideſt, lacry- „ ma quæ ex Hiſpania affertur, & quæ fluit ex arbore ſimili ficui foliis & cortice.

„ V. Quoſdam etiam uti pulvere ex Cinnabaris ʒ j. Sulphuris citrini ʒ ij, Benzoini, „ Cinnamomi, Garyophyllorum, Roſarum *ana* ʒ j.

„ VI. Inunctiones eſſe curam deploratorum, quam ſequuntur ſæpe multa incommoda, „ maraſmus, dentium amiſſio, dyſenteria &c.

„ VII. Quemdam Virum clariſſimum Patavii dixiſſe Cratoni Argentum vivum non eſ- „ ſe timendum; Doctores enim damnare Argentum vivum artificiale, non noſtrum natu- „ rale; & magis ſanari homines ab inunctione quam ligno.

„ VIII. Contra Montanum, „ qui Cratonis præceptor fuerat Patavii, „ aſſerere omnes „ Græcos argentum vivum pro veneno habere, neque eſse adhibendum ſive minerale, ſi- „ ve artificiale.

IX. Nihilominus tamen a Cratone proponi unguenti mercurialis formulam; imo referri formulam alteram unguenti ſimilis, quod ait Friſimelicæ familiare fuiſſe.

X. Medicum quemdam, *Eſchenreiter* nomine, ad Cratonem „ ſcripſiſſe ſe multis „ Gallicis incipientibus grana iij. iv. v. vj ex præcipitato (*Mercurio*) cum auro hora „ decubitus alternis diebus dediſſe; ſi non ſucceſſiſſet, poſt octiduum ad eamdem curam „ reverſum eſſe.

Demum in fine Tractatus Crato paucis proponit curationem præcipuorum luis venereæ ſymptomatum, *Cariei Penis*, *Verrucarum ſive Carunculaurm*, *Bubonis inguinum*, *Defluvii capillorum*, *Ulcerum*, *Puſtularum*, *rimarum in volis manuum & pedum*, *Doloris articulorum*, & *Tumorum*; ſed in his nihil eſt quod præter vulgaria ſapiat. Mirari tantum ſubit omiſſam a Cratone gonorrhœam virulentam, quæ erat illius ætate frequens luis prænuncia.

Hæc Diſſertatiuncula Cratonis exſtat N°. CCCLXXXI. inter *Conſilia Medicinalia* a Laurentio Scholzio collecta & edita in *fol.* Francofurti, anno 1598.

1580. FRANCISCUS CAMPUS, Lucenſis, Doctor Medicus.

J. Rhodius, Medicus Danus, ſed qui potiſſimam vitæ partem in Italia, Pataviique tranſegit, in ſua *ad Medicinam Introductione*, quæ proſtat ad calcem *Introductionis* Hermanni Conringii, *Campo* cuidam *Lucenſi* Opera duo attribuit, alterum *De Morbo Gallico*. Quapropter cum omnes Bibliographi uno ore conſentiant Librum *de Morbo Arietis* a Franciſco Campo, Lucenſi, ſcriptum fuiſſe, editumque Lucæ anno 1586. in 8°. poteſt inde colligi Librum quoque alterum *de Morbo Gallico*, de quo Bibliographi ſilent, ſed qui a Rhodio eidem Campo, Lucenſi, adſcribitur, ad eumdem Franciſcum Campum, Lucenſem, pariter pertinere.

Cum neutrum horumce Librorum hactenus viderim, de neutro quidquam compertum habeo. De argumento quidem alterius, qui *de Morbo Gallico* inſcribitur, planum eſt, ſed incertum quid in illo Auctor ſtatuerit de luis venereæ origine, natura, contagione, methodis curatoriis &c. De argumento vero alterius vix liquet, cum non ſatis conſtet, quid Campus intellexerit nomine *Morbi Arietis*. Si quid tamen conjectura poſsum aſſequi ex nominum affinitate, videtur hac appellatione a Campo deſignari *ægritudo illa peſtifera & contagioſa*, quam Gaſpar Torrella, Doctor Medicus & Epiſcopus ſanctæ Juſtæ *ægritudinem Ovinam* nuncupavit, & de qua *Conſilium* ſcripſit *impreſſum Romæ per Johannem Beſicken, Alemannum*, *anno ſalutis M. DV. ſedente Julio II. Pontifice maximo*, *anno II.*

En autem verba ipſiſſima, quibus Torrella morbi illius originem & naturam deſcribit. „ (*a*) Anno ab invictiſſimo ac Catholico Ferdinando, Hiſpaniarum Rege, claſſis magna in

(*a*) Annus non apponitur in Libro Torrellæ, ſeu arbitror ſupplendum eſſe annum 1501. Neque enim videntur ea quæ ibi narrantur, poſſe intelligi de Navigatione illa in Hiſpanias, cui Philippus, Archidux

,, in Flandriam miſſa fuit, ut ejus primogenitam cum Archiduce ejus marito in Hiſpa-
,, niam conduceret: quo tempore ob aquarum corruptionem (ut aiunt) nautis ac pere-
,, grinis peracutus, peſtiferus, contagioſus & inſolitus ſupervenit morbus; & adeo
,, fuit truculentus, ut ex ſolis nautis Biſcaini (*Cantabris*) plures quam duo millia ex
,, dicto morbo defecerint. Ceteri cum maximo labore & periculo in patriam reverſi Vil-
,, las & Civitates infecerunt, ut publica fama eſt, quæ infectio magnam Hiſpaniæ
,, partem uſque ad hæc tempora (*annum* 1505.) maculavit, & maculare ſeu inficere
,, non deſinit, nec ceſſat ſerpendo progredi, & vicinas civitates, caſtra, & villas, ac pro-
,, vincias, regnaque inficere.

,, Hic morbus incipit cum remiſſa febre, mentis alienatione, & ſenſuum internorum
,, conturbatione, ut in pluribus: ſed cum hoc morbo varia accidentia ſuperveniunt; nam
,, aliqui in ſecunda aut tertia die, cum dolore capitis, gravitate & febre interius con-
,, turbante rident, paulo poſt plorant, & ſic in ſeptimo die aut antea extrema patiun-
,, tur. Nonnulli rident & non plorant, pilos a lecto evellendo, linteamina & coopertio-
,, ra colligendo, abſque aliqua interrogatione reſpondendo, & cum remiſſa linguæ aſpe-
,, ritate moriuntur.

,, Alii jacent reſupini cum quadam triſtitia, nolentes interrogatis reſpondere; & ſi
,, aliquando reſpondent, hoc cum anguſtia, anxietate & quaſi dolentes complent; qui
,, ſenſu tactus quaſi erant privati: Et in omnibus ſupradictis tandem continua extremi-
,, tatum tepiditas ac frigiditas apparet, & ſi aliquando dormiunt, talis ſomnus eſt in-
,, quietus & laborioſus, & quando excitantur, clamant.

,, Aliis vero in ſecunda aut tertia die febris valde intendebat cum ſiti intenſa ac oris
,, ſiccitate, cum inquietudine, ira, rixa ac furore, cum corruptis imaginationibus, &
,, nonnunquam manibus oculos invadunt.

,, Reliquis ſomnus gravis & prolixus & profundus cum gravitate capitis ac ſtolidi-
,, tate præcedente ſupervenit. Aliqui oculis apertis & non motis permanent, & hoc eve-
,, nit eis repente. Finaliter ex omnibus ſupradictis non evaſerunt, niſi illi qui copioſe
,, ſudarunt, aut fluxum ſanguinis paſſi fuerunt.

Addit Torrella ,, non abs re Hiſpanos morbum hunc *Modorillam* * vocare, nam *Modo-*
,, *rilla* (*inquit*) derivatur a *Morio*; *Morio* enim, *Moronis*, latine nihil aliud importat,
,, quam *amens*, idest, *ſine mente*. Sed quia ſimilis ægritudo oves & agnos nonnunquam
,, ſolet invadere, idcirco Hiſpani, quando ſimilis ægritudo oves pernecat, dicunt Modo-
,, rillam paſſas fuiſſe; oves enim, ut aiunt, a facili cauſa hoc morbo vexantur ob de-
,, bilitatem, quam in eorum cerebris habent. Iſta de cauſa viſum fuit mihi, *pergit Tor-*
,, *rella*, hunc morbum *Ovinam ægritudinem* nominare, ſicut dicimus *ægritudinem Leoni-*
,, *nam*, *Elephantinam*.

Ceterum, ne quis forte objiciat hoc morbi genus, quod liquet ad febrem malignam & peſtilentem referendum eſſe, in Hiſpania quidem dirum in modum graſſatum fuiſſe, ſed in Italia minime, de qua tamen quæſtio eſt, cum ibi Campus ſcripſerit; advertat, quæſo, Torrellam ipſummet monere ſe ſuam morbi deſcriptionem deſumpſiſſe non modo ,, ex
,, iis quæ potuit intelligere a Magiſtro Johanne Lopis de Ybar, Biſcaino, ſeu Cantabro,
,, Artium & Medicinæ Doctore, & multis fide dignis Hiſpanis, verum etiam a nonnul-
,, lis Italis Ferrarienſibus & Longobardis, qui ad Curiam Romanam venerant; ,, quæ probant ægritudinem illam Ovinam in Italiam jam tum irrepſiſſe. Quocirca nihil obſtare

 videtur

chidux Auſtriæ, cum uxore Johanna ſe commiſit poſt mortem Eliſabeth, Reginæ Caſtiliæ, cujus gener erat, 1. Quia illa navigatio ex unanimi Hiſtoricorum teſtimonio cadit in annum 1506, atque adeo toto anno poſterior fuit Libro *de Ægritudine Ovina*, quem Torrella ait defertis verbis ad calcem, *a ſe abſolutum anno M D V*, *die vero* 13 *Madii* (Maii). 2. Quia ad navigationem illam, quæ ſibi minime grata erat, naves nullas contulit Ferdinandus, Aragoniæ Rex, contra quam Torrella expreſſe teſtatur de alia navigatione de qua loquitur. Haud inani ergo conjecturæ locus Torrellæ narrationem accipiendam eſſe de itinere alio priore, quod Philippus & Johanna in Hiſpanias habuer. anno 1501; quod mari fieri debuerat, & ob quam cauſam naves a Ferdinando in Flandriam miſſæ fuerant; ſed quod terra per Gallias facere maluerunt, impetrata venia a Ludovico XII. Francorum Rege.

* Amatus, Luſitanus, in Scholio *Curationis*, 15. *Centuria II. Modorillam* deſcribit quaſi affectum, qui perfecte medius eſſet inter Phrenitidem & Lethargum. ,, Medius eſt morbus hic, *inquit*, inter Phre-
,, nitim & Lethargum morbum. Nam cum Lethargi morbi materia ſuperat, *ſopor vigilans* mor-
,, bus dicitur Græcis Κατοχή; cum vera Phrenitidis, *vigilans Coma* ſive *vigilans Sopor*, a Græcis
,, vero ἄγρυπνον Κῶμα: At ſi æque utraque materia patientis cerebrum afficiat, nomen novum excogitare
,, decet, cum nullum huc uſque nec a Græcis, nec a Latinis illi impoſitum ſit; & ideo ab Italis *Ma-*
,, *lum de Mazucho* appellatur, ab Hiſpanis vero *Malum de Modora* aut *Moderilla*.

videtur quominus tempore Franciſci Campi, hoc eſt, circa annum 1580, in Lucenſi tractu recruduerit, unde oblata ſit Campo occaſio de illo morbo ſcribendi.

Sed ne quid conjecturis dare videamur; poſſumus in confirmationem adducere (a) Tractatum Medicum de *Febre maligna* italice ſcriptum, & eodem circiter tempore Neapoli editum a Johanne Baptiſta Mella, Doctore Medico, cum hac Inſcriptione.

Il Corteſivo, è vero del Mal di Caſtrone, *è d' ogn' altra infermità, ch' el preſente anno minaccia, col modo di preſervarſi dalle febri maligne, è di viver lunga è ſana vita ſenza Medici e Medicine*. In Neapoli, 1597. in 4°.

ex quo liquet *Malum di Caſtrone* Johannis Baptiſtæ Mellæ, eſſe *Morbum Arietis* Franciſci Campi, & *Ægritudinem Ovinam* Gaſparis Torrellæ, & ab illis Auctoribus variis iſtiuſmodi appellationibus Febrem malignam perinde deſignari.

Non me præterit *Vervecinum Morbum* Italorum a Thuano aliter deſcribi. „ Morbus novus, (b) *inquit*, *Vervecinus* in Italia dictus, qui in Oriente primum, dein Italia & „ Hiſpania lethalis (nam & ex ea Anna Philippi Regis uxor deceſſit, & Gregorius „ XIII. periculoſe ægrotavit) poſtea etiam Septentrionem pervagatus, apud nos (*Gallos*) „ incognita initio remediorum ratione, multos afflixit: *Coquelucam* vulgo vocabant, verbo anno hujus ſæculi (*decimi ſexti*) decimo, feliciter apud nos imperante Ludovico „ XII, uſurpato, quæ famem & peſtilentiam ante biennium toto regno graſſatam ſecuta „ fuerat. Erat id ægritudinis genus non tam mortifera vi timendum, quamquam & ex „ illo multi perierint, quam progreſſu & celeritate, qua proxima quæque loca ſerpente „ contagione complectebatur, admirabile. Primo, inferiorem dorſi ſpinam horrore plerumque occupabat, dein horrori gravedo capitis & languor membra eorum, quos corripuerat, reſolvens ſuccedebat, pectori in primis gravis. Quibus vero intra quartum vel „ quintum diem malum non deceſſiſſet, in febrim degenerans eos interimebat. Id multis „ neglectum in bonum vertit: Lethale fere iis, qui medicamentis purgantibus, aut venæ „ ſectione utebantur.

De his quidem, quæ ille narrat, Thuano facile credo, at vero de illis quæ ipſi memorant in contrarium, Torrellæ & Campo fidem nequaquam abrogo. Sed, ut pugnantia componam, perſuaſum habeo Morbum *Vervecinum* Thuani, ab *Ovino* Torrellæ & *Arietino* Campi morbo re differre, utcumque tempore & nomine conveniant. Unde colligo, quod ut advertatur velim, dignoſcendis morbis tenebras offundi maximas, quoties Medici illos non deſignant certis, propriis, & ut ita dicam, conceptis appellationibus, quæ græco fonte manent, aut uſu medico receptæ ſint, ſed malunt nova, inſolentia, popularia vocabula occupare, quæ brevi interitura, vel ad diverſos ſenſus rapienda ſunt.

1580. ANNIBAL BRIGANTIUS, Marrucinus Teatæenſis, hoc eſt, ex Teatæa, vulgo *Chieti*, quæ caput eſt Aprutii citerioris in regno Neapolitano, Philoſophus & Medicus ætate ſua haud incelebris.

Præter Opera aliquot alia typis excuſa, ſcripſerat italico idiomate Epiſtolas Medicinales, quas manuſcriptas & uno volumine in 4°. comprehenſas penes ſe eſſe teſtatur Nicolaus Toppius, Auctor Bibliothecæ Neapolitanæ. Exſtant ibi autem ſequentes Epiſtolæ,

Del Mal Franzeſe, è ontion di Mercurio.
Dell' iſteſſo, è legno Santo.
Dell' iſteſſo, è della Salza & fumarole.
Delle reliquie del mal Franzeſe.
Del mal Franzeſe & accidenti crudeliſſimi.
Del legno Santo.
Della gonorrhœa ſpuria.

Pollicebatur Toppius ſe procuraturum, ut hæ Brigantii Epiſtolæ in lucem ederentur, ſed fidem non liberavit.

1580. CYRIACUS LUCIUS, de Claf.

De Ligni Cotonei natura, viribus & facultatibus Libellus. Ingolſtadii. 1580. in 4°.

Poſſet forſan quis prima fronte ſuſpicari ab Auctore nomine *Ligni Cotonei* intelligi Lignum Guaiacum vel Lignum Saſſafras, quod videtur in mentem veniſſe olim Johanni Hermanno, Medico Principis Bergenſis. Sed monuit illum (c) Petrus Monavius, Aulæ Cæſareæ

(a) Nicolaus Toppius, in *Bibliotheca Neapolitana*.
(b) Hiſtoriar. *Lib.* 72.
(c) Epiſtol. 230. Collect. *Epiſtolar. Medicinal.* Laurentii Scholzii.

Cæſareæ Medicus, quocum ſuam communicaverat conjecturam, „ Cotoneum lignum, de „ quo agitur in illo Libello, illud ipſum eſſe, quod vulgo ita appellatur, & de cujus „ pomis Diacydoniatum parari conſuevit: *Additque* conſtare hoc non tantum ex deſcri„ ptione manifeſtiſſime, ſed etiam ipſum Auctorem D. Cyriacum Lucium Ingolſtadii ſi„ bi dixiſſe, priuſquam libellus publicaretur. „

De Cyriaco Lucio compertum nihil adhuc habeo, niſi inter Turcas captivum illum fuiſſe, quod ex Bibliotheca Iatrica Johannis Georgii Schenckii colligitur, ex qua ſimul liquet eum captivitate ſua liberatum *per Turciam* peregrinationem ſuſcepiſse non ſine periculo, cujus Hodopœriam a Lucio philiatros expectare Schenckius referebat anno 1609, quo in lucem prodiit illius Bibliotheca.

ALPHONSUS LOPEZ, de Corella vel Coreolanus, hoc eſt, natus Corellæ in oppido Navarræ, medicinam in Academia Complutenſi magna cum laude aliquandiu profeſſus eſt, unde in patriam evocatus Corellæ in regno Navarræ, & Turiaſone, hoc eſt, *Taraçona* in regno Aragoniæ medicinam fecit. 1581.

Scripſit, ut teſtatur Nicolaus Antonio in *Bibliotheca Hiſpana*,

De morbo puſtulato Librum unum, excuſum *Valentiæ*, 1581. in 4°.

quem cum nondum viderim, mihi ſatis non liquet an de lue venerea ſcriptus ſit; ſed ſcriptum eſſe ideo conjectura eſt, quod certum ſit ab Hiſpanis Scriptoribus luem veneream plerumque appellari *Puſtulas* & *Morbum Puſtularum*, quibus vocibus notionem amant exprimere vocis illius *las Bubas*, quæ vulgaris eſt inter eos morbi illius appellatio, ut ſupra dictum eſt ad *annum* 1570, ubi *de Johanne de Fogueda*.

REMBERTUS DODONÆUS, Machlinienſis in Belgio, natus anno 1517, ſtudium poſuit in medicina, cujus addiſcendæ gratia multas Germaniæ, Galliæ & Italiæ Academias adiit. Ab Imperatoribus Maximiliano II. & ejus filio Rudolpho II. in aulam adſcitus, ac curandæ eorum valetudini præpoſitus fuit. Inde ad ſuam Machliniam rediens, Coloniæ aliquandiu ſubſtitit anno 1581, ad demum anno ſequente 1582. in Academiam Lugduno batavam conceſſit luculento ſtipendio a Curatoribus invitatus, ut Medicinæ profeſſionem publicam ſuſciperet. Ibidem vivere deſiit anno 1585, ætatis 68. 1581.

Medicinalium Obſervationum exempla rara. Acceſſerunt *Antonii Benivenii de abditis nonnullis ac mirandis morborum & ſanationum cauſis Liber, cum annotationibus Dodonæi: Medicinalium Obſervationum exempla rara Valeſci Tarantani, & Alexandri Benedicti*: &c. Coloniæ, 1581. in 8°.

Vidimus ſupra *Pag.* 591. ad annum 1502, Antonium Benivenium, *Libro De abditis morborum & ſanationum cauſis*, *Cap.* I. atteſtari diſerte luem veneream „ *novum eſſe morbi genus, quod ab anno* 1496. *non ſolum per Italiam, ſed fere totam Europam irrepſit.*

Fatetur quidem Rembertus Dodonæus in adnotatione huic Capiti affixa luem veneream *ab eo bello, quod Carolus Gallorum rex cum Alfonſo rege ad Neapolim geſſit anno* 1493. & 1494. (verius 1494. & 1495.) *plurimum ſæviiſſe, & tunc primum notam videri*; verum contendit ſimul *nonnulla, quæ ejus ſymptomata habentur, multo ante Medicis cognita extitiſſe*, ac in confirmationem adducit *vitia aliquot, quæ ab immundis ac ſordidis mulieribus jam olim contracta fuiſſe teſtantur Guillelmus Salicetus*, Chirurgiæ ſuæ Cap. 48, *Bernardus Gordonius*, Particulæ 7. Cap. 5, & *Valeſcus Tarentanus*, Lib. 6. Cap. 6. *quorum hic vixit anno* 1418, *Salicetus vero claruit circa annum* 1270, *Bernardus Gordonius medio tempore: Omnes autem ante morbi Gallici nomen Orbi cognitum.*

Mirum profecto quanto cum applauſu loca illa a Dodonæo laudata, ab omnibus poſterioribus Medicis accepta fuerint, quotcunque pro antiquitate luis venereæ pugnaverunt; ſed mirum ſimul quam infirma, quam parum idonea ſint loca eadem ad rem evincendam, ut abunde demonſtraviſse confidimus *Lib.* I. *Cap.* VI. ubi Saliceti, Valeſci & Gordonii verba protulimus & excuſſimus.

PETRUS MONAVIUS, Vratislavienſis, (*a*) natus anno 1551, Medicinæ addiſcendæ gratia in Italiam profectus eſt, ut Germanorum pleriſque ætate illa ſolemne fuit, ac Patavii commoratus eſt (*b*) annos 1576. & 1577, unde ſcribebat anno 1576. Johanni Cratoni, Medico Cæſareo, hoc anno in ſtudio Patavino (*c*) Anatomicum Hieronymum ab Aquapendente, „ cum cordis ſtructuram ſub manibus haberet, ſimpliciter affir„ maſſe ac ſi id controverſum non fuiſſet, e dextro ventriculo in ſiniſtrum ſanguinem per 1582.

ſeptum

(*a*) Melchior Adamus, in *Vitis Medicorum Germanorum*.
(*b*) Vide Epiſtolas 202. .... 208. in Collectione *Epiſtolar. Medicinal.* edita a Laurentio Scholzio.
(*c*) Ibid. Epiſtola 203.

„ ſeptum interpoſitum tranſudare, ac foraminula quædam adhibito ſpecillo oſtendiſſe. „ Addebat autem de ſuo Monavius „ ſe meminiſſe, cum ante biennium (*proinde anno* 1573) „ Pigafetta, Italus, & ipſe olim Falloppii diſcipulus, Heidelbergæ diſſectioni incum„ beret, manifeſte negaſſe illum fieri poſſe, ut per tam denſum Diaphragma aliquid ſan„ guinis deferri ex uno thalamo in alterum poſſet. „ . . . . . . Adjeciſſe vero eumdem „ „ ſe . . . . intereа dum certius aliquid ipſe experiretur, Hiſpano cuidam ſectionis peri„ to, cujus tunc nomen Monavio non occurrebat, aſſentiri malle, a quo illud proditum „ per longiſſimas ambages & circuitus ſanguinem in dextro cordis ventriculo præpara„ tum in ſiniſtrum per pulmones duci, ut quidem conjiciebat Monavius, venæ arteria„ lis ramorum ope & miniſterio.

Quæ narrabantur a Pigafetta de Hiſpano illo ſectionis perito, qui volebat ſanguinem a dextro in ſiniſtrum cordis ventriculum per medios pulmones circuitu duci, hæc intelligit Laurentius Scholzius, harumce Monavii Epiſtolarum editor; de Realdo Columbo, a quo ſane conſtat opinionem huic non abſimilem propoſitam fuiſſe in Libris *de re anatomica*, Venetiis primum editis anno 1559 *in fol.* At vero, quod Scholzii conjecturam convellit, Columbus ille non fuit Hiſpanus, ſed Italus, quippe Cremonenſis. Quocirca videntur ea potius intelligenda eſſe de Michaele Serveto, Villanovano in Aragonia, ac proinde Hiſpano, famoſo illo Anti-trinitariorum Coryphæo, in Theologicis quidem ἑτεροδοξότατῳ, ſed in Medicis vero docto, a quo eadem de circuitu ſanguinis per pulmones diſerte tradita fuerant ante Columbum, ſcilicet in impio illo Libro, quem inſcripſe-
1575. rat *Chriſtianiſmi reſtitutionem*, quem ediderat Viennæ Allobrogum anno 1553, & a quo Columbum ſua mutuatum vel furatum eſſe credit, nec immerito, Jacobus Douglaſſius, Medicus Anglus eruditiſſimus in *Bibliographia Anatomicæ* ſpecimine. Sed hæc Lectorum judicio facile permitto, id unum pro comperto habeo, nempe quæ a Monavio narrantur, inter antiquiſſima de circulatione ſanguinis teſtimonia merito referenda eſſe.

Rediens ab Italia Monavius (*a*) ſupremos in arte medica honores conſecutus eſt Baſileæ Rauracorum anno 1578, ubi affirmatiſſime aſſeverat (*b*) „ ſe non ſemel a fide di„ gnis hominibus audiviſſe, qui publice idem profiteri non erubeſcebant, quotquot Pa„ racelſus ille magnis morbis, remediis ſuis vulcaneis, aut, ut ipſe vocabat, ſpagiricis, „ liberaverit, eos ferme omnes intra annum, aut ſaltem paulo poſt interiiſſe, ut ut ſeſe „ egregie ſanitati reſtitutos exiſtimaverint.

In patriam regreſſus eſt Monavius anno eodem 1578, ubi ea fama brevi inclaruit, ut (*c*) *illi in aulam evocato anno* 1580 *Rodolphi II. Imperatoris valetudo & cura corporis fuerit concredita*; quemadmodum vel ex ipſa Monavii epiſtola ad Johannem Vveidenrum liquet, quæ in Collectione Laurentii Scholzii numeratur CCXXXVI.

Scripſit ille per id tempus (*anno* 1581.) Praga Boiemorum, ubi tunc erat Imperatoris aula, (*d*) ad Hieronymum Capivaccium, Profeſſorem Patavinum, “ ſibi quædam retu„ liſſe omnem noxam, Turpethi mineralis in curando Morbo Gallico inhiberi, ſi mox „ altero die poſt illius exhibitionem leniens aliquod pharmacum, puta Manna, dilutum „ (*infuſum*) Senæ, Caſſia, aut ſimilia propinentur: Ita enim impetum ejus, qui per ſe „ ad ſuperiora vergit, & ſalivationem nuncupatam excitat; qua fauces læduntur, ad „ inferiores & ignobiliores partes quaſi manu duci; „ in quo mirari ſubit quod fateatur Monavius ſe a quodam caſu fortuito accepiſſe de modo vim Turpethi draſticam retundendi, quaſi ſi plane incomperta fuiſſent, quæ in antiquioribus Medicorum libris de lue venerea ſcriptis paſſim obvia erant de modo coercendi nimiam Mercurii efficaciam, qua de re vide quæ *ſupra* dicta ſunt *Lib. II. Capp. VII. & XII.*

„ Poſonio Pannoniorum (ubi ſeſquimenſem integrum conventus duraverat) cum Vien„ nam rediret Monavius (*anno* 1582) paucis poſt diebus in arthritidem, quæ omnes pe„ ne corporis artus pervagata eſt, incidit. Factus eſt enim ex iſchiadico gonagricus, in„ de podagricus, demum chiragricus, quin & colli partes malum hoc infeſtare non „ prætermiſit. Præcipuam morbi cauſam hæmorrhoidum, quæ ſecundum naturam ſingu„ lis ferme menſibus ſibi antea fluere ſolebant, ſuppreſſionem fuiſſe ſtatuit: „ Neque tamen audet inficias ire „ acceſſiſſe ſtimuli loco vinum Ungaricum forte & habituoſum, „ quod ſe liberalius inter Pannones hauſiſſe (ita enim in aulis plerumque & vivitur & „ bibitur).

(*a*) Melchior Adamus, ubi *ſupra*.
(*b*) Epiſtola *ad Andream Dudithium*, *Conſiliar. Cæſareum*, quæ in Collectione Scolzii eſt 194.
(*c*) Melchior Adamus ubi *ſupra*.
(*d*) Epiſt. 212. in Collect. Laurent. Scholzii.

„ bibitur) non diffitetur. „ Cui ut credam tanto facilius inducor, quod ſuſpicio ſit Monavium ad merum proniorem fuiſſe, cum videatur expaviſſe ad conſilium Johannis Vveidneri cetera optimum, qui ut a vino abſtineret auctor illi erat. „ Quod a vino, (*a*) „ *inquit*, abſtinere me jubes, rem duram imperas. An vero ſolius aquæ potu contentum „ præcipis? . . . . Sed non licet nobis aulicis ſæpe ita vivere, ut volumus, quando ad „ aliorum arbitrium nos comparare neceſſe eſt.

Scribebat Monavius anno 1583, (*b*) „ Viennæ Auſtriorum ad Johannem Hermannum, „ Principis Bregenſis Medicum, ſe libellum *de ligno fœniculato ſive Saſſa-fras* aliorum „ potius impulſu, quam ſua ſponte vulgaſſe, quanquam neque illius auctor eſſet, ne„ que etiam translator, ſed dumtaxat depravatæ verſionis in locis quibuſdam corrector. De quo libro nihil certi potui hactenus comperire, adeoque me fugit a quo Auctore & quo idiomate primum ſcriptus fuerit: An latine, an germanice a Monavio translatus ſit. Quid in illo de Saſſa-fras natura, uſu, præſtantia ſtatuatur. Id unum certo ſcio Monavium non ſemel de ligno illo multa prædicare egregia, nempe (*c*) „ lignum Saſſa-fras, „ quod ex Florida ſive nova Francia huc importatur, ... plane odorem & ſaporem „ fœniculi referre: in delicatis naturis multo præſtantius eſſe tum Guaiaco, tam Salſa: „ Ventriculo etiam melius convenire: in Polonia creberrime tunc (1582) uſurpari con„ tra podagram & alios chronicos morbos: „ quæ mirabilia forent, ſi ea vera eſſe experientia oſtenderet. Obiit Monavius in aula Cæſarea anno 1588, ætatis ſuæ 37.

GOTOFREDUS GIANNATUS; nomine tantum mihi notus, ſed Italus, & Empiricus, ut opinor, a Lazaro Riverio dicitur, *Obſervat. medic. Centur. II. Obſerv. XIV. Carolum IX Galliarum Regem curaviſſe anno* 1584, ex *caruncula virgæ* male ſe habentem, ideoque *donatus fuiſſe duobus millibus aureorum*. En autem remedia quibus uſus eſt, quæ in Actis Curiæ Computorum Monſpelienſis deſcripta ſunt, unde Riverius illa tranſcripta habuit. 1584.

„ Primo. „ ℞. *Caſſiæ recenter extractæ* ℥ ß.
„ *Succi liquiritiæ* ʒ j.
„ *Electuarii de ſucco roſarum* ʒ ij.
„ *Aquæ lupuli* ℥ iiij.
„ F. Potio exhibenda mane.

„ Poſtea per decem dies bibat ſequentis Decocti ℥ viij. tepidas.
„ ℞. *Radic. liquiritiæ raſæ*, *Althææ*, *Sebeſten*, *Paſſular.* ana m. j.
„ *Semin. Althææ*, *Malvæ*, *Apii*, *Petroſelini* ana ʒ ß.
„ *Aquæ fontanæ* lib. ij.
„ Bulliant ad medias, de qua ſumat æger ℥ viij. per decem dies, præcedente potione vel bolo ex Caſſia.

Modus primum Unguentum conficiendi.
„ ℞ *Olei roſacei* lib. j.
„ *Ceruſæ Venetæ* ℥ iiij.
„ *Caphuræ* ʒ ß.
„ *Tuthiæ aqua roſarum præparatæ* ℥ ß.
„ *Lithargyrii auri præparati* ʒ iij
„ *Antimonii optime pulverati* ℥ j ß.
„ *Opii*,)
„ *Thuris maſculi*, *ſeu Olibani*,) ana ℈ ij.
„ *Maſtiches*,)
„ *Aloes hepaticæ*.)
„ Miſceantur omnia & in pyxide plumbea ſerventur.

Modus ſecundum Unguentum parandi ad conſolidandum.
„ ℞. *Unguenti roſati Galeni recenter parati*,)
„ *& loti aqua roſarum*,) ana ℥ j
„ *Unguenti albi Rhaſis Camphorati*.)
„ *Pomatæ ſine ſpeciebus paratæ* ℥ ß.
„ Miſceantur ſimul & in pyxidem plumbeam reponantur ad uſum.

In ap-

(*a*) Epiſtola CCXXXVII.
(*b*) Epiſtola CCXXVI.
(*c*) Epiſtola ad *Johann. VVeidnerum* ſcripta anno 1582, quæ in *Collectione Scholzii* numeratur CCXXXVII.

In applicatione unguenti ſic te gere.

„ Recipe candelam tenuiſſimam ex cera alba, tela vetuſtiſſima & tenuiſſima involu-
„ tam. Ut autem appareat locus carnoſitatis, recipe candelam prædicta craſſiorem, oleo
„ amygdalarum illitam, & in virgæ canalem intromittatur. Quod ſi obſtaculum appa-
„ reat, impediens ne candela poſſit ulterius progredi, nota locum in candela, & men-
„ ſura longitudinem candelæ intrantis; deinde involve candelam linteolo, eamque illine
„ in extremitate unguento, & tunc immitte candelam in virgam, quouſque carnoſita-
„ tem attingat.

„ Quod ſi duplex carnoſitas appareat, tunc ita primum unguentum aptandum, ut
„ utramque attingat, continuando per 15, 18. aut 20 dies, juxta mali magnitudinem,
„ & prout carnoſitas videbitur aperiri ac in pus reſolvi. Cum autem videbis urinam li-
„ bere & facile reddi, pauco pure turbatam, tunc opportebit primum unguentum gri-
„ ſeum a candela tollere, ſed illines candelam totam ſecundo unguento, continuando
„ octo aut decem dies, quouſque pus non amplius effluat cum candela, nec ullus dolor
„ inter meiendum percipiatur, quo tempore abſtinendum erit a remediis.

Hucuſque Riverius; cujus narratio, ne quid diſſimulem, cum certa Hiſtoriæ fide aperte pugnat; neque enim Carolus IX, quem conſtat extremum diem obiiſſe die 30. Maii anni 1574, ætatis anno 24, a Gotofredo illo Giannati curari potuit anno 1584. Sed incidit ſuſpicio locum Riverii mendoſum eſſe, & loco 1584 legendum eſſe 1574, quamquam emendationi repugnent omnes Riverii editiones, quotquot hactenus manibus verſavi.

Nodi hujus expediendi gratia, ut archetypa Cameræ Computorum Monſpelienſis Acta adiri poſſent, epiſtola rogaveram primarium hujus Curiæ Præſidem, Franciſcum Xaverium BON, Virum eximium, qui literas colit & quem colunt literati, quem ego ſemper benevolum, ſemper amicum expertus ſum. At vero reſcripſit ille Codicem hunc Actorum, ex quo locus a Riverio adductus deſcribi potuit, juſſu ſuo curioſius perquiſitum, nuſquam repertum fuiſſe, ſive forte lateat alicubi clam ſepoſitus, ſive potius cuſtodum incuria perierit omnino.

Sic ergo cum incertus ſim veri, nihil ſatius eſſe puto, quam modo propoſitæ conjecturæ adhærere. Ut enim minime veriſimile videtur quæ narrat Riverius, ab illo conficta eſſe, aut in Actis Cameræ Computorum Monſpelienſis inſcripta non fuiſſe quæ ait ſe inde tranſcripſiſſe: Sic contra, ſi ſtatuatur Carolum IX, qui in fœminas procacior erat, utpote quem ferunt mortem in ſe ideo feſtinaſſe, quod (a) veneri cum amica vacaverit ægrotus, venerea ſtranguria, quæ gonorrhœæ male curatæ pediſequa eſſe ſolet, laboraſſe, ſive ut vulgaris ea ætate Medicorum opinio fuit, caruncutis Urethræ, ad quas delendas remedia adhibuerit cathæretica, nihil eſt quod ad verum proxime non accedat, maxime cum narrent (b) Hiſtorici ex furtiva venere, quam agitaverat adoleſcens cum puella quadam e matris ſuæ miniſterio, morbo venereo tentatum fuiſſe, ex quo dum vixit, ſe male habuit.

Si quid ergo ea in re admirari ſubeat, id unum eſt eodem circiter tempore in Gallia Empiricum quemdam Italum in curandis urethræ carunculis adeo inclaruiſſe, ut Carolus IX illi de ſe permitteret, & eodem floruiſſe in Italia Empiricum alterum Gallum, qui ſimili carunculartum curatione famam ſibi paravit, qua de re vide ſupra *ad annum* 1553, ubi de Victore Trincavellio. Uſque adeo verum eſt ubique gentium, jure an injuria, vulgus ſic plerumque comparatum eſſe, ut major ſit a longinquo venientibus reverentia.

1586. JOHANNES ZECCHIUS, Bononienſis, natus anno 1533, in Gymnaſio Bononienſi primus Profeſſor Theoricus florebat anno 1596. Medicus intimus fuit (c) tum Sixti V, tum Clementis VIII, ſummorum Pontificum. Patruelem habuit Hieronymum Bovium, Epiſcopum Camerti, qui fuit Legatus ſummi Pontificis ad Poloniarum Regem, ut patet ex *Epiſtola nuncupatoria* Scipionis ex Mercuriis, Romani Medici, ad Stephanum Battorium Poloniarum Regem, præfixa Tomo primo Operum aliquot Johannis Zecchii Bononiæ edito in 4°. anno 1586. Obiit Johannes Zecchius Romæ anno 1601, ætatis ſuæ 68.

Proſtat autem ad calcem Tomi illius primi *Liber Johannis Zecchii De Morbo Gallico*, *a* *Scipione*

(a) Le P. Daniel, *Hiſtoire de France*, ad ann. 1574.
(b) Mezerai, *Abregé Chronologique*, ad ann. 1574.
(c) Mandoſius, *in Vitis Medic. Pontific.*
(d) Mangetus in *Bibliotheca Medica*. Pelegrino Antonio Orlandi, *Notizie degli Scrittori Bologneſi*.

Scipione Mercurio Romano, *Philoſopho & Medico*, *exceptus*, *& in capita diviſus*, *cum additis ejuſdem Mercurii Scholiis*.

In illo Tractatu, qui *Capita* 34. continet, diſſeritur de Morbis venereis in genere & in particulari, circa quos eadem proferuntur quæ in Auctoribus illius ævi paſſim leguntur.

I. Indicat Auctor *Cap.* 1. luem veneream *Scabiem Hiſpanicam* dictam fuiſſe, *quoniam duce Chriſtophoro Columbo ex Indiis Hiſpani* eam *detulerint*. Aſſerit autem *Cap.* 4. *cœpiſſe anno* 1494, *ſub Carolo octavo Francorum Rege Regnum Neapolitanum invadente*, *ſedenteque Alexandro VI Pontifice maximo*.

II. Proponit *Cap.* 6. *& ſeqq.* ſigna diagnoſtica & prognoſtica Morbi Gallici incipientis, confirmati, inveterati; ac deinde ad Luis venereæ therapeiam progreſſus primas defert decoctis ſudorificis Guaiaci, Chinæ, Salſæ-parillæ, quorum præparandorum methodum multis explicat *Cap.* 13. *& ſeqq.*

III. *Quoniam tamen Morbus Gallicus adeo contumax eſt*, *ut dictis medicamentis ſeu decoctis nullo pacto cedat*, fatetur *Cap.* 18. *aliqua ab Empiricis adinventa fuiſſe præſidia*, *quæ tuta admodum licet non ſint*, *correcta tamen & methodo quadam tradita feliciter ſuccedunt*; .... *inter quæ primum locum ſuffitus ſive ſuffumigium obtinet*. Ceterum admittit *ibidem ſuffumigia duorum generum*; *alia ex materia benigna*, quæ thus, aloen, myrrham, cinnamomum, nucem moſchatam, lignum aloes, ſtyracem, ſuccinum &c. at vero Mercurium nullum; *Alia vero ex venenoſa*, *quæ* non modo cinnabarim & præcipitatum Mercurium, ſed etiam auripigmentum ſive Græcorum ſandaracham recipiunt.

IV. Addit *Cap.* 20. *ſupereſſe modo duo efficaciſſima præſidia etiam ex hydrargyrio confecta*; *ſed admodum periculoſa*; ..... *Inunctionem ex argento vivo*, *& uſum præcipitati per os*; .... *Inunctio adminiſtrari debet* juxta illum *tribus diebus continuis*, *& interpoſitis aliis tribus diebus repetatur denuo*, *quouſque novem vicibus inungatur æger* .... *Uſus vero Præcipitati per os aſſumpti a quibuſdam ſummis laudibus extollitur in eradicando Morbo Gallico*. *Sed cum hoc medicamentum ſit valde venenoſum*, *& inter alia incommoda venas thoracis vel pulmonum frequenter diſrumpat*, *nequaquam illud probat*, *imo ab ejus uſu ſummopere diſſuadet quoſcumque*.

Porro de Editore duo notari velim: 1°. Ab illo aſſeri *in Scholio ad Cap.* 4. *Morbum Gallicum ſuo tempore in manifeſta declinatione poſitum eſſe*. 2°. Nomen *Gallicum* ab eo unica *l.* ſcriptum fuiſſe toto Libello, ut ipſe monet in Præfatione; ſed egregiam rationem mirare! Nempe ut inter hoc nomen *Gallicum* & adjectivum *Gallicum* diſcrimen ſtatueretur, *propterea quod*, ut ipſe ait, *lues venerea imperite a Gallis denominationem traxerit*, *nec magis in Gallos ſæviat*, *quam in Hiſpanos & Italos*.

HIERONYMUS MERCURIALIS, Forolivienſis, natus anno 1530. Jam ab anno 1587.
1562 (*a*) *Romæ modicum agebat* Alexandri Farneſii, Cardinalis, qui filius erat Petri Ludovici Farneſii, Ducis Parmenſis, nepoſque Pauli III, ſummi Pontificis, (*b*) *quouſque* 1602.
Senatus Veneti Decreto anno 1567 *munus ei delatum eſt*, *ut in Academia Patavina ſecundum interpretandæ Medicinæ practicæ locum obtineret*, quem Antonii Francanciani obitus vacuum fecerat; ſed ad primam Medicinæ practicæ Cathedram aſcendit anno 1569, mortuo Victore Trincavellio. Hunc Imperator Maximilianus II, ancipiti morbo implicitus, anno 1573, (*c*) ob famæ celebritatem ad ſe accerſivit. Si fides adhibeatur Auctori Orationis funebris Hieronymi Mercurialis, " vix ille curationem aggreſſus eſt, cum præter „ omnium expectationem, ſumma & Imperatoris & Imperatoriæ Curiæ admiratione, „ valetudinem conſequitur Imperator. „ Mirari tamen ſubit Andream Camuſium, Profeſſorem Medicum Piſanum, qui in aula Maximiliani II verſabatur, & qui illius morbum ab anno 1571 ad annum uſque 1576, accurate (*d*) deſcripſit, alte tacere de accerſito Mercuriali, maxime cum ille referat Julium Alexandrinum e Tridento anno 1576 accitum fuiſſe Imperatoris juſſu, imo vero *Vetulam quamdam ex Ulma* venire juſſam, *quod ea crederetur vulgo multa poſſidere ſecreta*, ſed cujus medicamenta Imperatori non parum nocuere.

Mercu-

(*a*) Id refert Mercurialis ipſe in *Epiſtola nuncupatoria ad Maximilianum II*, *præfixa editioni alteri Librorum* de Arte Gymnaſtica.

(*b*) Caſtellanus in *Vitis illuſtrium Medicorum*.

(*c*) Non vero anno 1583, ut referunt Caſtellanus *in Vitis Medicorum*, & Comnenus Papadopoli in *Hiſtoria Gymnaſii Patavini*: Siquidem conſtat omnium Hiſtoricorum teſtimonio Maximilianum II. Imperatorem, die 12 Octobris anni 1576 deceſſiſſe.

(*d*) In Libro, quem inſcripſit *Excuſſionem brevem præcipui morbi*, *nempe Cordis Palpitationis*, *Maximiliani*

Mercurialis anno eodem 1573 ab aula Cæſarea redux publicum Profeſſoris munus in Patavino Gymnaſio repetiit, donec anno 1587 in Bononienſe; & anno 1599 e Bononienſi in Piſanum evocatus eſt majoribus ſtipendiis. Forolivii in patria, in quam ſeceſſerat, obiit calculi dolore victus (*a*) anno 1604. vel (*b*) 1606. vel (*c*) 1607, ætatis proinde ſuæ 74, vel 76, vel 77.

Scripſit Hieronymus Mercurialis Tractatum *de Morbo Gallico*, qui conſtituit Librum IV *Practicæ Medicæ*, quæ illius nomine prodiit *in fol.* Francofurti ad Mœnum anno 1602, ſive *Prælectionum Patavinarum*, quæ Venetiis *in fol.* editæ ſunt apud Juntas anno 1606.

Conſtat Tractatus ille ſex Capitibus, I. *De Definitione & ſubjecto*; II. *De Cauſis*; III. *De differentiis & ſignis*; IV. *De curatione*; V. *De Antidotis*; VI. *De accidentibus Morbi Gallici*.

Huc autem redit ſumma doctrinæ, quæ ab Auctore proponitur.

„ I. Morbum (*d*) novum eſſe noſtro Orbi, neque poſſe jure adnumerari inter genera „ morborum Veteribus cognita. „

II. Contagione (*e*) ſolum, & præſertim uſu Veneris cum infectis propagari: . . . „ Laudem (*f*) eſſe Italorum, ut abundent hoc morbo, quia indulgent veneri, & utun„ tur paſſim mulieribus infectis, ut non mirum ſit eſſe quaſi peculiarem morbum *illa*„ *rum* plagarum. „

„ III. Procul (*g*) dubio futurum eſſe, ut quandoque Peſtis hæc prorſus finiatur: Ad „ hoc exiſtimandum multis conjecturis ſe impelli: Unam eſſe, quia ceteri morbi qui „ tempore majorum apparuerunt novi, omnes ſunt tandem penitus extincti: Alteram, „ quoniam a principio, quo morbus hic cœpit, uſque ad noſtra tempora valde immi„ nutus eſt; unde ſi præterita præſentibus comparemus, exiſtimandum eſt in dies eſſe „ minuendum, ita ut tandem aboleatur. „

IV. Antidota (*h*) Morbi Gallici eſſe Lignum Sanctum ſive Guaiacum, Salſam pariglíam, & Chinam, quorum decoquendorum & exhibendorum methodum multis deſcribit: Silet vero de Saſſafras.

V. Inter (*i*) efficaciſſima morbi remedia recenſenda eſſe linimenta & ſuffumigia mercurialia, quorum componendorum & adminiſtrandorum rationem proponit: De interno vero mercurialium præparatorum uſu ne verbum quidem facit.

„ VI. Quantitatem (*k*) linimenti variam eſſe debere pro varietate hominum; ſed ani„ madvertendum eſſe, ut nunquam utamini una vice linimento, quod contineat plus dua„ bus drachmis argenti vivi, quod ſi non proficiat, poterit augeri argentum: Melius „ tamen eſſe ſemper augere quam detrahere; hanc enim tutiorem eſſe viam. „

„ VII. Numerum (*l*) dierum, quibus utimur *linimento*, ipſum etiam incertum eſſe: „ Alios ungere novem diebus, alios duodecim, alios etiam quindecim; ſed ſemper in„ terpolate. Inungimus, *pergit Ille*, tribus primis diebus, deinde deſiſtimus uno vel altero die, iterum inungimus tribus diebus, deinde deſiſtimus una vel altera die.

1587 ANDREAS LAURENTIUS, Arelatenſis, Doctoralem Lauream adeptus in Acade-
1588 mia Montpelſulana anno 1583, profeſſorium munus ibidem ſuſcepit anno 1587. Cancella-
1613. rius electus eſt anno 1603. Fuit Archiatros Mariæ Mediceæ Reginæ Galliarum anno 1603, & ipſius Henrici IV anno 1606. Mortem obiit anno 1609. Plura de eo in Hiſtoria Scholæ Monſpeſſulanæ.

Laurentius tres Tractatus in celeberrima Monſpelienſium Medicorum Academia Chirurgis, ut ibi mos eſt, Gallice prælegit annis 1587 & 1588, quorum primus erat *de Arthritide*, alter *de Lepra* ſeu *Elephantiaſi*, tertius *de Lue venerea*. Refert Theophilus Gelée ſe eos acceptos habuiſſe a . . . . *Bradifer*, Medico Rothomagenſi, & a *Davide Canu*, Chirur-

miliani II, & qui Florentiæ prodiit anno 1578. Colligitur ex illo Camuſii Libro Maximilianum II „ obnoxium fuiſſe diuturnæ cordis palpitationi, Catarrho frequenti, imminutæ Ventriculi coctioni, „ Podagræ, Nephritidi, frequenti lapillorum excretioni, & fluxui hæmorrhoidali; *ac demum* in reſe„ rato mortui Cadavere obſervatam fuiſſe grandem in pectore quantitatem aquæ. *Addit Johannes VVierus*, De Præſtigiis Dæmonum, *Lib.* 4. *Cap.* 16. *in Corde Maximiliani II.* inventos eſſe tres lapillos „ quantitate piſorum, unum interim majorem altero, colore rubigineo.

(*a*) Thuanus, in *Hiſtoriis ſui temporis ad annum* 1604.

(*b*) Georg. Abrahamus Mercklinus, in *Lindenio renovato*.

(*c*) Nicolaus Comnenus Papadopoli, *Hiſtor. Gymnaſ. Patavin.* Tom. 2. pag. 343.

(*d*) Cap. 1. (*e*) Cap. 2.

(*f*) Ibidem. (*g*) Cap. 5.

(*h*) Cap. 6.

(*i*) Ibidem.

(*k*) Ibidem.

Chirurgo Dieppenſi, primuſque illos publici juris fecit, & mantiſſæ inſtar latinis Laurentii Operibus, quæ Gallice verterat, adjunxit, ac Lutetiæ excudendos curavit anno 1613, in *fol.* cum hac inſcriptione.

Quelques Opuſcules recueillies des leçons de M. André du Laurens, lorſqu' il liſoit publiquement aux Chirurgiens en l'Univerſité de Montpellier, es années 1587. & 1588. *in fol.*

In Tractatu III. *de Lue venerea*, Auctor ille nihil quidquam affert quod ſit notatu dignum. Docet quidem (*a*) luem veneream eſſe morbum novum; Veteribus ignotum; ab elephantiaſi ſive lepra, mentagra Plinii, lichenibus ſeu impetigine Antiquorum, albitim Avicennæ, demum a Græcorum pſora diverſum; ex America in Europam ab Hiſpanis delatum.

Avorum (*b*) ſuorum ætate adeo gravem & furentem fuiſſe luem veneream, ut ſola inſpiratione inficere viſa ſit, ſi præcipue cujuſvis hoc tabo laborantis anhelitus diutius a quoquam trahebatur: Nunc vero luem veneream ſolo non poſſe inferri vapore, ſed liquorem aliquem requiri, qui abſque immediato corporis lue venerea infecti contactu nunquam transfundi poteſt.

Liquorem (*c*) illum, qui vaporem habet minima in quantitate comitem, magnum quidpiam moliri, haud ſecus ac ſcorpionis ictus, & canis rabie perciti morſus.

Curari luem veneream (*d*) therapeia methodica, quæ diæta, pharmacia & chirurgia perficitur, ſed raro perfecte eradicari, niſi antidotis ſpecificis, qualia ſunt decocta ligni Guaiaci, Salſæ-parillæ, radicis Chinæ; inunctiones, & ſuffumigia ex Mercurio.

Ceterum miris laudibus (*e*) extollit Guaiacum, quaſi certiſſimum luis venereæ antidotum. Ait (*f*) vero radices Salſæ-parillæ & Chinæ utilitate ſua non deſtitui, ſed Guaiaco virtute inferiores eſſe.

Cenſet (*g*) Mercurium, licet a multis reprobetur, (unum laudat Fernelium) poſſe tamen, modo prius axungiis temperetur, & corrigatur oleis quæ cerebrum & nervos corroborent, extus adhiberi, ſi opus fuerit, morbuſque ceteris auxiliis repugnaverit, ſed tamen caute.

Denique (*h*) ſtatuit uſum ſuffituum mercurialium ſumme periculoſum eſſe.

GABRIEL BEATUS, (*i*) Bononienſis, Medicinam Practicam & Theoricam diu profeſſus eſt in Academia patria. Obiit Bononiæ anno 1587. 1587.

Scripſerat *Tractatum de Morbo Gallico*, qui manuſcriptus latuit apud Honorium Beatum, illius filium, neque lucem vidit.

GABRIEL MINUTIUS, Dominus de Caſtera, Rhutenorum Prætor. 1587.

Morbi Gallos infeſtantis ſalubris curatio & ſancta Medicina; hoc eſt, malorum quæ inteſtinum, crudeleque Gallorum; bellum inflammant, remedium. Lugduni apud Bartholomæum Honoratum, 1587. in 12.

Satis mirari non queo Librum hunc a (*k*) Schenckio, (*l*) Lindenio, (*m*) Lipenio, (*n*) Mercklino, (*o*) Mangeto &c. inter Libros recenſeri de re medica, imo vero de lue venerea ſcriptos; cum pateat ex ipſa libri inſcriptione argumentum illius Tractatus debere intelligi de bellis inteſtinis, atque civilibus odiis, quibus univerſæ Galliarum Provinciæ ardebant anno 1587, atque Auctor Operis ſui inſtitutum expreſſe declaret in *admonitione ad Lectorem* Libro præfixa.

Ille autem Gabriel Minutius idem eſt ac Gabriel Minutius, Gallice *de Minut*, qui ſcripſit gallico idiomate Librum ſequentem.

De la Beauté Diſcours divers, avec la Paulegraphie ou Deſcription des beautez d'une Dame Tholoſaine, nommée la belle Paule. *Lyon*, 1587. in 8°.

In

(*a*) Capp. 1. & 2.
(*b*) Cap. 5.
(*c*) Ibidem.
(*d*) Cap. 8. 9. & *ſeqq.*
(*e*) Cap. 11.
(*f*) Cap. 13.
(*g*) Cap. 14.
(*h*) Cap. 15.
(*i*) Pellegrino Antonio Orlandi, *Notitie degli Scrittori Bologneſi*, *Pag.* 123.
(*k*) *In* Bibliotheca Iatrica.
(*l*) De Scriptis Medicis.
(*m*) *In* Bibliotheca reali Medica.
(*n*) *In* Lindenio rennvato.
(*o*) *In* Bibliotheca Medica.

in cujus fronte ſe vocat Equitem, Baronem de Caſtera, & Seneſcallum Rhutenenſis Provinciæ, & quem Georgii Minutii, Mediolanenſis, filium eſſe (*a*) compertum habeo, qui a Franciſco I. Francorum Rege, primarius Parlamenti Toloſani Præſes conſtitutus fuit.

FRANCISCUS DIAZ, (*b*) Philoſophiæ Magiſter & Medicinæ Doctor in Academia Complutenſi, Philippi II. Hiſpaniarum Regis Chirurgus, ad Franciſcum Valleſium, Cubicularium ejuſdem Regis Medicum, ſcripſit.

Tratado de todas las Enfermedades de los Rinones, Vexiga, y Carneſidades de la Verga, y orina, En Madrid, 1688.

Carunculas illas, ſive hyperſarcoſes in urethra ſuccreſcentes, de quibus agitur in hoc Opere, ex prægreſſis & male ſanatis gonorrhœis venereis ortum ducere jam pridem compertum eſt, ſed rerum experientia ac inſtituta in cadaveribus autopſia jam nunc docuere carunculas iſtiuſmodi neque unicam, neque frequentiſſimam cauſam eſſe Stranguriæ aut Iſchuriæ illius, quæ repetitis aut inveteratis Gonorrhœis ſolent ſuccedere, qua de re vide ſupra *Pagg.* 309. 310. 311.

1589. LUCAS GHINUS, Bononienſis, Philoſophiæ & Medicinæ Doctor, (*c*) primum in Piſana, mox in Bononienſi Academia Medicinam profeſſus eſt, quo munere in poſteriore Academia functus eſt annos 28. Auditores, diſcipuloſque habuit Ulyſſem Aldrovandum & Aloyſium Anguillaram, viros ſcientia naturalis hiſtoriæ celebres.

Morbi Neapolitani curandi ratio perbrevis. Spiræ Nemetum, *anno* 1589. *in* 8. Extat ad calcem *Practica Theoricæ Empiricæ* Johannis Marquardi, editæ opera Philippi Schopfii, *typis Bernardi Albini*.

Ghinus in hac perbrevi Diſſertatione, *omiſſis quæ de appellatione hujus morbi ejuſque origine ſcribunt Auctores, rem ipſam aggreditur: Et primum Morbi Neapolitani naturam ſeu eſſentiam explicat, deinde cauſſas, poſtea ſigna, denique curationem.*

Multus, imo vero nimius eſt in tradenda morbi curatione methodica, ad quam proponit remediorum farraginem, quæ ſingula, ut nullius prorſus utilitatis, jam pridem obſoleta ſunt. Fatetur ipſe, *ſi his decenter peractis æger nondum ſanitati fuerit reſtitutus, ad fortiora remedia confugiendum eſſe, qualia varia a Medicis ſunt excogitata & experientia comprobata . . . . Novo*, inquit, *& in doloroſo morbo ſmilacis aſperæ decoctum competere experientia conſtat . . . . Similiter & radicis Chinæ decoctum . . . . In morbo vero antiquato, Guaiaci decocto utendum eſſe cenſet, propter majorem ipſius caliditatem, qua calor hepatis jam exolutus indiget, & qua in craſſis humoribus incidendis & abſtergendis opus eſt . . . . At ſi morbus intenſiſſimos dolores copulatos habeat, inungendus erit æger argento vivo: Nam nihil æque ac tam cito*, ait Ille, *dolores mitigat; quibus mitigatis, deinceps aliquo prædictorum auxilio erit curandus æger.*

Circa inunctionum uſum præcipit 1°. Ut æger *inungatur Luna decreſcente, ut ſcilicet minor fiat affluxus humorum ad os;* quaſi vero Lunæ influxus, qui tot aliis rebus præeſſe creditur, ſalivationem quoque regeret . . . . 2°. *Ut quotidie quidem ſemel inungatur, ſi vires conſtent; alioqui* per intervalla; *permittendo ut æger identidem quieſcat, & rurſus inungatur, idque tandiu donec ſymptomata ceſſent . . . . .* 3°. *Ut alvus, ſi non reſpondeat, clyſtere eluatur, aut æger hora dimidia ante cœnam ℥ ij. florum Caſſiæ aſſumat; Ea enim materias acres a faucibus avertit . . . . Talibus inunctionibus curari* credit *non ſolum Gallicum, ſed multos alios morbos difficiles, ſi opportunus earum ſit uſus.*

Demum juxta Ghinum *ſuffitus* mercuriales *longe efficaciores ſunt inunctionibus, ideoque difficillimo & inveterato admodum morbo, talique qui aliis præſidiis non cedit, competunt: Minime tamen, ſi æger ſit bilioſus, aut reſolubilis, aut ex Morbo Gallico tabidus, aut aſthmaticus, aut ſi virtus ſit debilis.*

1590. HIERONYMUS CAPIVACCIUS, *ſeu* CAPO DI VACCA, *ſeu* (*d*) CAPITAURUS, Patavinus, *Medicinam* (*e*) *practicam Patavii docere cœpit anno* 1552: *Anno vero* 1561 *ad Medicinam theoricam extraordinarium ſecundo loco traductus eſt: Anno* 1582 *a Magno Etruriæ Duce Franciſco Mediceo per literas invitatus ad principem in Gymnaſio Piſano locum Medicinæ practicæ interpretandæ maximo propoſito præmio*, annuere recuſavit. *Mortuus eſt anno* 1589. *Ingentes divitias arte ſua conſecutus erat, adeo ut cum magnificentiſſimas ædes exſtruxiſſet, inſana ſubſtructione montes quoque muro circumdederit.*

Habitus

(*a*) Bibliotheque de la Croix du Maine.
(*b*) Nicol. Antonio *Bibliothec. Hiſpana* Tom. I. Pag. 321.
(*c*) Pellegr. Anton. Orlandi, *Notitie degli Scrittori Bologneſi*.
(*d*) Iſrael Spachius, *in Nomenclatore Scriptorum Medicorum*.
(*e*) Petrus Caſtellanus, *in Vitis illuſtrium Medicorum*.

Habitus eſt ſummus artifex Morbi Gallici curandi, ita ut ipſe (*a*) *citra jactantiam dicat, ſe lucratum fuiſſe ultra octodecim millia coronatorum ex hoc morbo.* Creditus (*c*) eſt in curationibus ejuſmodi arcano aliquo uti; Verum hoc ipſe conſtanter inficiatus, Polono cuidam diſcipulo ſuo ut arcanum ipſum ſibi proderet impenſe roganti reſpondit, *Lege methodum meam & habebis mea ſecreta.*

> *Hieronymi Capivaccii Medici clariſſimi & Academiæ Patavinæ Profeſſoris ordinarii, de Lue Venerea Acroaſes, opera Philippi Schopſii editæ Spiræ Nemetum*, typis Bernardi Albini *in* 8°. 1590.

Auctor in illo Tractatu ſigillatim differit de Morbis Venereis, ſed eo ordine & eo rerum delectu, quem in erudito Viro vix probes. Circa Theoriam inutilia multa tractat, ex Peripateticorum commentis: Circa Therapeiam vero remedia quidem multa, ſed parum probata, nec cum recta methodo curatoria ſatis convenientia congerit.

I. Capivaccius parum ſatagit primæ originis Luis Venereæ; „ Neque eſt, *inquit*, ut „ quis ita furioſe perſcrutetur quiſnam primus auctor fuerit illius primæ luis, quia du„ bio procul nova eſt hæc materia. Hæc cauſa quomodocumque fuerit genita, perinde „ eſſet ac ſi quis quæreret quodnam prius genitum eſſet ovum a gallina?

II. Diſtinguit Luem veneream in hæreditariam & adventitiam. Hæreditaria poteſt a patre vel a matre produci. Credit vero adventitiam contrahi *concubitu, lactatione, ſuctione lactis, oſculo & dormitione cum infectis, ſi linteamina ſint ſordida ſudore vel ſanie.*

III. Quadruplicem admittit curatoriam methodum 1°. Uſu decoctorum Guaiaci, Chinæ, Sarſæ-parillæ, Saſſafras, 2°. Inunctionibus mercurialibus. 3°. Suffumigiis. 4°. Ope Antimonii.

IV. Multis quidem deſcribit & modum & tempus exhibendi decocta ſudorifica; ſed in quibus tamen ne lato quidem ungue diſcedit a vulgari methodo. Hanc curatoriam methodum ceteris credit præferendam eſſe, ceu minus periculoſam.

Fatetur tamen *hydrargyrum efficacius eſſe ad debellandum luem veneream;* ideoque *quotieſcunque lues venerea ad ſummum eſt contumax, & corporis conditio ſeu virtus permittit, non improbat ſi quis hydrargyro utatur.* Ceterum auctor eſt, ut inunctio mercurialis *fiat fricando Chirothecis, non nudis manibus, a partibus inferioribus ad ſuperiores, non a ſuperioribus ad inferiores, ut vis unguenti per poros melius ingrediatur,* . . . . & ut non repetatur *ultra ſeptem vices, quia ſi æger non exſpuit in ſeptem vicibus, nulla ſpes.*

VI. Circa uſum ſuffumigiorum aſſerit *tutius eſſe & minus periculoſum uti inunctione, quam ſuffumigio: Nam,* inquit Ille, *ſuffumigium petit partes ſpiritales. Si tamen patiens ſit robuſtus ſecundum thoracem & pulmonem,* credit *licere ad ſuffumigium etiam aſcendere, ea ratione quia ſuffumigium,* ut putat, *efficacius eſt inunctione.*

VII. *Quoad Antimonium,* ait *hoc in ſe habere, ut vehementer ſolvat per vomitum & ſeceſſum; ſed quantum ipſe experientia potuit colligere ac deprehendere, rariſſime luem ſuperare,* ita ut Auctoris *ea ſit ſententia in lue venerea deſiſtendum eſſe ab Antimonio, & in reliquis fidendum.*

Ceterum Tractatus illius ſumma proſtat in Sectione poſteriore *Libri* 5. *Methodi Practicæ Medicinæ* Hieronymi Capivaccii, quæ primum edita eſt a Johanne Hartmanno Beyero, Francofurti, anno 1594.

JOHANNES WITTICHIUS, Vinarienſis, Poliater Arnſtatenſis, ſcripſit germanica lingua 1590.

> *Tractationem de Lapide Bezoar; Armenio Balſamo; de Sileſiaca terra ſigillata, quæ dicitur Axungia Solis*; de ligno Guaiaco, de China, de Sarſa-parilla, de Saſſafras, *de ligno Nephritico &c. Lipſiæ*, 1590. *in* 4°.

Recenſetur Liber ille a Paſchale Gallo in *Appendice Germanica* Bibliothecæ Medicæ, & indicatur ab Iſraele Spachio in *Nomenclatore*. Omittitur vero a Lindenio, Mercklino & Mangeto, ſed jam ſatis nota eſt eorum in referendis libris germanice ſcriptis negligentia.

FELICIANUS BETERA, Brixianus, Patavii Medicinæ ſtudio operam navavit, au- 1591.
divitque Nicolaum Curtium, in gymnaſio Patavino Profeſſorem Theoricorum ordinarium, 1601.
quem (*c*) ipſe *præceptorem ſuum* dicit. In urbem patriam reverſus medicinam inter Conci- 1625.
ves non ſine laude faciebat, cum anno 1577. graviſſima peſtilentia Brixia miſerrime vaſtata eſt.

(*a*) In fine ſectionis II. Lib. 5. *Methodi Pract. Medicin.*
(*b*) Nicolaus Comnenus Papadopoli, in *Hiſtoria Gymnaſii Patavini*, Tom. I.
(*c*) Lib. 1. Cap. 4. Libri, de quo mox.

eſt. Ex morbi violentia periere Sacerdotes & Religioſi complures, Medici quinque, inter quos Nicolaus ille Curtius de quo modo, Chirurgi novem, Virique alii non uno nomine illuſtres quamplurimi, quos ſingulos Auctor nominatim appellat. Ipſe vero Betera (*a*) periculis variis, multiſque opprobriis objectus fuit.

Placuit Auctori, cum periculo deſunctus fuit, non modo triſtia patriæ infortunia,

Quæque ipſe miſerrima vidit,
Et quorum pars magna fuit,

literis conſignare, ſed ut poſteris magis prodeſſet, de Peſte ac peſtilentibus affectibus cumulatiſſime dicere, quod utrumque præſtare conatus eſt in Libro, quem Brixiæ edendum curavit anno 1591, & qui ſic inſcribitur:

> *De cunctis humani corporis affectibus, maligna ſcilicet & deleteria qualitate. De Febribus malignis & peſtilentibus;* De Morbo Gallico, *Veneſico, Malignitate, Feritate, Cacurgia, Veneno, Corruptione, Putredine, Fermentatione: De putrediniſque peſtilentis forma, morbiſque Fulminantibus & vulgaribus pro tertii Libri Aphoriſmorum ordine præſagiendis, deſumpta occaſione ex Peſte Brixiana anni* 1577, *exactiſſima Tractatio, quæ in duodecim Libris reſolvitur, ubi tota fere ars medica ad ſummum cauſarum, ſignorum, curationumque, maximo cum ejuſdem quotidiano fructu, per divinum veluti quoddam ſublimata eſt.* Brixiæ, 1591. *in* fol.

Liber idem occurrit etiam ſic inſcriptus:

> *Noctium Brixianarum de igne peſtilenti,* Gallico, *veneſico, malignitate, feritate, cacurgia, veneno, corruptione, putredine, fermentatione, putredinis peſtilentis forma, morbiſque fulminantibus & vulgaribus, pro tertii Libri Aphoriſmorum ordine præſagiendis, Tomus I, in quo duodecim Libri exiſtunt, ubi tota fere ars medica ad ſummum cauſarum, ſignorum, curationumque, maximo cum ejuſdem quotidiana fructu, per divinum veluti quoddam ſublimata eſt.* Brixiæ apud Polycretum Turlinum, MDCI. *in* fol.

modo non mutata editione inſcriptionem tertio mutatam novi in ſequentem:

> *Tractatus de Peſte, ſeu de igne peſtilenti,* Gallico, *veneſico, & de ejuſdem malignitate, feritate, cacurgia, veneno, corruptione & fermentatione; in quo totius putredinis peſtilentis forma, ſymptomata, curatio & præſagium pro explicatione tertii Libri Aphoriſmorum Hyppocratis* * *dulicede* (ſic) *tractatur. Huic acceſſit Tractatus de morborum malignitate . . . . . Opus Theoricam & Practicam Medicinam profitentibus utile & neceſſarium.* Brixiæ, MDCXXV, ſumptibus Antonii Meglietti, *in* fol.

Quæ ſane arguunt Librum parum vendibilem; neque mirum, cum prægrande illud Opus in Libros duodecim reipſa diſtributum, quibus Auctor de cauſis, ſignis, ſymptomatibus & curatione tum peſtis, tum peſtilentium quorumcunque affectuum verboſiſſime differit, ſcriptum ſit confuſe, obſcure, ſine methodo, ita ut pes, nec caput uni reddatur formæ, & quod non minus interdum offendit, ſermone ineleganti & plerumque inexplicabili, ut vel ipſa libri inſcriptio ſatis indicat.

In hoc Opere loca quædam de lue venerea, quam Betera credidit errore maximo cum lue peſtilenti natura quadamtenus convenire, interſperſa ſunt, (*b*) ut *De Gallica cacoethia, ejuſque definitione*; (*c*) *De forma Gallicæ intemperiei*; (*d*) *De Gallica & venenorum bile, eorumque ac ignium origine*; (*e*) *De flatu peſtilenti Gallico & venenato*: (*f*) *De natura putredinis Gallicæ*; (*g*) *De gradibus contagii Gallici*; (*h*) *De ſignis & ſimptomatibus luis venereæ, de indicationibus, materia auxiliorum & mitiſſima curatione Gallici*: „ nempe de recto uſu ſex rerum non-naturalium, cum exhibitione antidotorum noſtra„ tium; (*i*) *De rigidiore Gallici curatione*, ope Guaiaci, Chinæ, Salſæ-parillæ, imo et„ iam ſuffitu cinnabarino, aut illitu mercuriali &c. Sed hæc omnia vel mera commenta ſunt, quæ repugnant contra veritatem, vel futiles remediorum formulæ ſine delectu ex antiquioribus Auctoribus excerptæ a Medico in curanda lue venerea rudi & inexercitato;

(*a*) Lib. 10. Cap. 26. & Lib. 11. Cap. 1.
* Lege *dilucide*.
(*b*) Lib. 2. Cap. 18.
(*c*) Lib. 3. Cap. 3.
(*d*) Ibidem, Cap. 15.
(*e*) Ibidem, Cap. 17.
(*f*) Ibidem, Cap. 39.
(*g*) Ibidem, Cap. 40.
(*h*) Lib. 10. Cap. 18.
(*i*) Ibidem.

to; quamobrem nemini auctor eſſe velim, ut ex illo Beteræ Opere Theoriam vel Therapeiam luis venereæ petat ullomodo.

JACOBUS MARANT, Illuſtriſſimi (a) Caroli a Lotharingia, S. R. E. Cardinalis & S. R. I. Principis, Conſiliarius & Medicus. 1591.

JACOBUS COUSINOT, Pariſinus, qui (b) Decanus fuit Facultatis ſuæ annis 1624 & 1625, habuitque filium Jacobum alterum Couſinot, Profeſſorem Chirurgiæ in Regio Franciæ Collegio anno 1623, & Comitem Archiatrorum Ludovici XIV. anno 1643.

Quæſtio Medica Cardinalitia diſputatione agitanda in Scholis Medicis, die Jovis 2. Maii, D. Jacobo Marant . . . . . moderatore ſapientiſſimo.

„ Eſtne ſtrumarum, quam bubonum venereorum, difficilior curatio?

Concluditur affirmative: *Ergo eſt ſtrumarum, quam bubonum venereorum, difficilior curatio.*

Proponebat Jacobus Couſinot, Pariſinus, MDXCI.

JOHANNES CALVO, Valentinus Hiſpanus, Medicinæ Doctor & Profeſſor in Academia Valentina. 1592.

Libro de Medicina y Cirurgia, que trata de las llagas en general y en particular: y aſſi meſmo del Morbo Gallico, de la curacion de el, y de cadauno de ſus accidentes. *Compueſto por el* Doctor Johan Calvo, *Medico, y Lector de la miſma Facultad en la inſigne Ciudad de Valencia. Dirigido al Illuſtre Micer Vicente Pablo Pellicer, Avogado fiſcal de la Ciudad y Reyno de Valencia. Impreſſo* in Barcelona, *en la emprenta de Jayme Cendrat.* Anno 1592. in 8°. Bibliothec. Sloaniana.

In duobus prioribus hujus Operis Libris agitur de Vulneribus in genere & in particulari. Tertius, qui inſcribitur *Libro muy util y provechoſo del Morbo Gallico, en el qual ſe enſenya ſu origen, cauſas y curacion: el modo de hazer el vino ſanto, dar las unciones, y corrigir ſus accidentes*; & qui circa Morbos venereos totus verſatur, Capita complectitur XXV, paginaſque implet 142.

Inde poſſunt ſequentia potiſſimum excerpi:

I. Luem veneream (c) differre ab Elephantiaſi Arabum, Lepra Græcorum, Lichenibus, Avicennæ Aſafat vel Tinea: (d) Morbum eſſe vere novum & omnino diverſum a morbis omnibus, quos Hippocrates & Galenus deſcripſerunt, quicquid contrarium opponant Franciſcus Valleſius in *Commentar. ſuper Lib. IV. Epidemiorum*, & Johannes Fragoſus in *Antidotario*, quos ambos ille refellit.

II. (e) Luem veneream in Europam inductam fuiſſe ex Indiis, quas Franciſcus Colon (*Chriſtophorus Columbus*) ſubegit, quæ vera: Sed quæ Auctor addit de Franciſco Colon, qui ab Inſula Sancti Dominici redux, Neapolim profectus eſt, ut Regem Ferdinandum conveniret; de viris fœminiſque Indicis, quos ex Indiis ille deduxerat, adduxitque Neapolim ſecum, ut Regi exhiberentur; demum de morbis venereis, quibus viri illi, illæque fœminæ jam infectæ Neapolitanos brevi infecerunt, pugnant hæc omnia cum veritate hiſtoriæ, qua de re conſuli velim *Cap. XI. Lib. I.* hujus Operis: Sicut etiam cum experientia manifeſte pugnant, quæ idem *ibidem* adjicit, ſcilicet maritum ſanum, ſanamque uxorem, ſi libidini ſe dedant ac veneri vacent immoderatius, luem veneream poſſe ambos inde & concipere & conceptam cum aliis ἀφροδισιασμῷ communicare; *Digo*, inquit Ille, ... *que marido y muger, per ſanos que eſſen ſi ſe dan los dos ſolos mucho a la Venus, vernan a tener Buas, ſin que otri ſe las apegue, ſolo per el demaſiado exercitio de la Venus*: qua de re vide ſupra *Cap. IX. Lib. I.*

III. (f) Ad morbi curationem quatuor requiri, 1°. Ut ægro congrua præſcribatur vitæ ratio: 2°. Ut educatur materia antecedens: 3°. Ut conjuncta deleatur & extermine-tur: 4°. Ut corrigantur & emendentur accidentia.

IV. (g) Plurimum valere Decocta Radicis Chinæ, ligni ſancti & Sarſæ-parillæ, ſed palmam tribuendam eſſe Argento vivo ſive hydrargyro, quod Auctor ait nequaquam deleterium vel venenatum eſſe, dummodo adhibeatur moderate, contra quam olim opinati ſunt Dioſcorides, Plinius, & alii permulti.

V. (h) Ad inunctiones mercuriales adhiberi Unguentum ex formula ſequente præparatum.

 ℞. *Un-*

(a) Carolus ille a Lotharingia, erat filius Caroli III. Ducis Lotharingiæ & Claudiæ a Francia, filiæ Henrici II. Galliarum Regis. Ille vero tunc erat Epiſcopus Metenſis, & eo nomine vocatur S. R. I. Princeps.

(b) Voyez *Le College Royal de France* par Duval.

(c) Cap. 1. (d) Cap. 2. (e) Cap. 3.

(f) Cap. 7. (g) Cap. 11. (h) Cap. 12.

℞. *Unguenti utriuſque Dialthææ* & *Emplaſtri filii Zachariæ* ana ℥ j.
Axungiæ gallinæ & *anatis* ana ʒ iij. (In editione poſthuma legitur ℥ iij)
Unguenti Aragonis ℥ ß.
Axungiæ porcinæ ſine ſale ℥ iiij.
Mercurii extincti in dicta axungia ℥ iij. ß.
Pulveris radici Iridis ʒ ij.
Ceræ parum M. & f. Unguentum.

quæ formula multam remediorum farraginem complectitur, ſed ea ætate receptum erat unguentum mercuriale non alia ratione componere.

VI. (*a*) In infantibus, ſicut in ſenibus & in infirmioribus ægrotis, mercurium illini non poſſe ſupra unciam unam & ſemiſſem, vel quod ſummum eſt, uncias duas, quæ doſis nunc nimio major videri debet: In ceteris, qui ætate & viribus magis valent, doſim majorem adhiberi poſſe, ſed variam pro temperamento, ætate, & inteſione vel inveteratione morbi.

VII. (*b*) Stufas & ſuffumigia improbari, quaſi remedia minus certa, & corpori parum conducibilia: *Las eſtubas*, ait Ille, *no ſon remedio cierto, ni aun para el cuerpo muy provechoſo*. Neque ſane miror ipſum de ſuffitibus male ominari, ſi ſuffumigium ſequens adhibuerit unquam, quod ab ipſo deſcribitur, & quod Auripigmentum admittebat.

℞. *Cinnabaris* ℥ ij.
Auripigmenti ℥ j.
Olibani & Myrrhæ ana ℥ ß.
M. F. ſuffumigium.

VIII. (*c*) Juxta Auctorem curationis ſummam eo recidere, ut ſanguis detrahatur, iteretur purgatio, exhibeatur decoctum ligni ſancti & Sarſæ-parillæ, teneatur diæta congruens; & ſi ea morbum non vincant, ut inungatur æger toto corpore, ſi ita opus eſse videatur, vel parte tantum affecta, ſi morbus ſedem localem habeat, quam occupet.

IX. (*d*) Accidentia, quibus medendum eſt, diſtingui in illa, quæ inunctionibus, & illa, quæ morbo fiunt: Priora duo eſſe, ſcilicet ulcera oris, labiorum & gingivarum; & dentium nigrorem: Poſteriora multo plura, ut Bubones, Puſtulas, Ulcera, Dolores capitis & articulorum, gummata & multa alia, quæ ſingula ordine proſequitur ſequentibus undecim Capitibus.

1593. HIERONYMUS MINETTUS, Aretinus, in Senenſi Academia Profeſſor Anatomicus, (*e*) Diſcipulus Andreæ Cæſalpini.

Quæſtio non minus pulchra, quam utilis, de Sarſæ-parillæ & Ligni ſancti viribus. Senis, in 4°. 1593.

In hoc Opuſculo præmittitur Epiſtola Livonii Rectorii, Profeſſoris Theorici in Academia Senenſi, ad Hieronymum Minettum ſcripta die 3. menſis Januarii anni 1593, paginiſque quatuor comprehenſa, in qua Rectorius contendit *Salſam-pariliam minus calidam & minus acrem eſſe, quam lignum Guaiacum*, quod tum ratione, tum experientia ſatis apte probat.

Sequitur deinde Reſponſoria Minetti Diſſertatiuncula, tertio Nonas Februarii anni 1593. ſcripta, paulo diffuſior, ſed frivola & parum urgens, in qua conatur ille argumenta, quibus Rectorius nititur, futilibus argutiis infirmare.

Diſsertationem illam Minetti confutavit viciſſim Rectorius, ut mox videbimus, ubi proferemus ſimul quid de controverſia ejuſmodi & de controverſiæ cauſa ſentiendum ſit.

1593. LUDOVICUS ROSELLUS, Foroſempronienſis, Medicus & Philoſophus.

De Morbo Gallico Tractatus, ad Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum Principem Virginium Urſinum, Brachiani Ducem. Romæ, 1593. in 8°.

Tractatu illo, qui vere jejunus eſt, Capita XVI. comprehenduntur. Initio quærit Auctor an *Morbus Gallicus novus, contagioſus, venenoſus ſit*, in quibus quæſtionibus affirmantium partes amplectitur. Deinde propoſitis morbi ſignis aggreditur ad curationem morbi, ad quam ait ille facere rectam victus rationem; uſum remediorum alterantium & purgantium;

(*a*) Cap. 12.
(*b*) Cap. 13.
(*c*) Cap. 14.
(*d*) Ididem.
(*e*) Sic Minettus ipſe atteſtatur *Diſſertationis Pag.* 10.

tium; venæ ſectionem; ac in primis decoctum ligni Guaiaci, cujus adminiſtrandi modum multis deſcribit; & decoctum radicis Salſæ-parillæ, cujus uſum quoque laudat. De Mercurio vero, inunctionibus mercurialibus & mercurialibus præparatis alte ſilet.

LIVONIUS RECTORIUS, Senenſis, Medicus primus Theoricus ordinarius in Academia Senenſi. 1594.

Diſputatio apologetica de indole ac qualitate Guaiaci & Salſæ-parillæ, adverſus Hieronymum Minettum, in Senenſi Academia Anatomicum. Bononiæ, 1594. in 4°.

Contendit Rectorius Guaiacum natura & qualitate calidius & acrius eſſe Salſa-parilla, quod egregie probat tum ratione, tum auctoritate. Videtur autem ea controverſia, quæ ex ſe ſatis inanis eſt, ex privata ſimultate nata, quæ Rectorio cum Minetto interceſſerat, quod diverſa nuper ſenſiſſent de methodo medendi neſcio cui Abbati *Julio de Tutis*, qui ex morbo deceſſerat. Sic ſolent pleraque literatorum diſſidia ex animorum affectione ortum frequentius ducere, quam ex veri ſtudio.

PETRUS FORESTUS, Alcmarianus, natus (*a*) anno 1522 Doctoralem Lauream Bononiæ adeptus eſt, ubi *Benedictum* Victorium, *Faventinum*, audiit, quem (*b*) paſſim *præceptorem ſuum* vocat. Pariſiis, * Pythureis, Alcmariæ, Delphis medicinam fecit. Anno 1575 Lugduni Batavorum in Academia primum condita Medicinam profiteri cœpit. Mortuus eſt Alcmariæ anno 1597. ætatis ſuæ 75. 1596. 1606.

Obſervationum & Curationum Medicinalium & Chirurgicarum Libri XXXII, qui ſinguli diverſis annis ſucceſſive excuſi ſunt Lugduni Batavorum *in* 8°. ab anno 1591. ad annum uſque *1606*.

Liber ultimus, excuſus anno *1606*, Obſervationes continet XXVI. de Lue venerea, cum Scholiis pro ea ætate nequaquam inficetis. Obſervationes videntur inſtitutæ ab anno 1548 ad annum 1570. Ad curationem nullo diſcrimine adhibentur inunctiones mercuriales, decocta ligni Guaiaci, Salſæ-parillæ, Radicis Chynæ, quæ eo tempore uſu perinde vigebant.

ANTONIUS QUIQUEBOEUF, Doctor Medicus Facultatis Pariſienſis. 1596.

PETRUS PAULMIER, Conſtantinus Normannus.

Quæſtio Medica quodlibetaria diſputatione in Scholis medicis agitanda die Jovis 18. *Januarii, D. Antonio Quiquebœuf, Doct. Medic. Moderatore prudentiſſimo.*

„ Eſtne Hydrargyrus luis venereæ alexipharmacum?

Auctor ait in *III* Theſeos Corollario, " Luem veneream, quæ in nos graſſatur, morbum eſſe, non a cœlo aut aere, ut Epidemium & communem; non a cibo aut potu, ut Endemium & patrium; ſed contagione ab impuro primum concubitu profectum.

Addit in *IV.* „ primos gradus luis venereæ nondum iis (*carnoſis*) partibus firmatos, „ illis tolli quæ humores quovis modo deturbant, ſive id fiat catharticis per alvum, ſive hydrargyro per os ſputatione, ſemine ebuli vomitu, ſive hidroticis per cutem Sarſa-parilla: At affectis partibus ſolidis, licet hæc viam ſternant alexipharmacis, morbum tamen non poſſe prorſus atterere ſine metu recidivæ eos omnes fatigantis, qui catharticis aut hydrargyro contenti ſunt; quorum hoc poſterius corpus onerat affectibus „ a refrigerato cerebro & genere nervoſo natis, tremore, paralyſi, arthritide; a ſoluto viſcerum robore, hydrope; qui tamen ſæpe arcentur addito Guaiaco, calido & ſicco, hydrargyrum frigidum & humidum emendante. „

Denique affirmat *V.* „ Alexipharmaca, inter corpus & venenum media, ad præcautionem tuta, licet ἀνιατρολογητὰ omnia; eorum tamen naturam, quæ proprietate contra luem veneream valent, in cardiacis hidroticis & veneninecis poſitam eſſe, quæ dotes, cum ligno ſancto inſint, adjuncta præcipue Palmarii (*Juliani*) antidoto, illud hydrargyro longe efficacius, nullaque noxa quamlibet ſpeciem exterminat non recentem modo, ſed & inveteratam (modo acceſſerint divinæ hujus antidoti vires) & quæ hydrargyrum ſit experta, quanquam alii difficilius, nullo recidivæ periculo, præmiſſa catharſi & phlebotomia ſi quod ſit ſæpius, cacochymia ſubeſt plethorica.

„ Ergo Hydrargyrus non eſt luis venereæ alexipharmacum.

„ Aſſerebat Petrus Paulmier, Conſtantinus, 1596.

Petrus ille *Paulmier, Coſtantinus,* (*c*) ex fratre nepos erat Juliani *Paulmier* ſive *Palmarii*,

(*a*) Johan. Meurſius, *in Athen. Batav. Lib.* 2.
(*b*) *Pag.* 91. *col.* 2. *Pag.* 100. *col.* 1. *Pag.* 126. *col.* 1.
* Vulgo *Pithiviers*, quod oppidum diſtat ab Aureliano decem leucis.
(*c*) Vide Lauri Palmariæ Pag. 72.

marii, Conſtantienſis, de quo ſupra ad *annum* 1578. Proinde haud mirum, ſi ſimilis odii particeps erga mercurium ſive hydrargyrum fuerit, laudatorque nimius antidoti a patruo propoſitæ, de qua vide ſupra *loc. laud.* Ceterum Petrus ille Paulmier a Collegis ſuis aliquot poſt annis (*a*) peſſime habitus fuit, quod in medicos ſua adhiberet remedia chimica, quibus Facultas Medica Pariſienſis præter fas & æquum iniqua erat.

1596. Petrus Lowæ, Scotus *Arellianus*, (quod vocabulum non ſatis video quid valeat, niſi forte ſignificet Auctorem hunc oriundum eſſe ex urbe *Ayre*, quæ Caput eſt Comitatus cognominis in Scotia,) ſe ipſe vocat *Doctorem Chirurgiæ Pariſienſi*, arroganter ſane, ne dicam inepte, cum nulla ſit Lutetiæ Pariſiorum, fueritve unquam *Facultas Chirurgiæ*, ſed *Communitas* tantum *Magiſtrorum Chirurgorum*: Communitaſque illa *Doctores* nullos creet, creaveritve olim, ſed *Juratos* tantum *Magiſtros Chirurgiæ*, ut in ceteris Europæ Civitatibus ſolemne eſt. Ceterum Auctor ipſe narrat in Præfatione *Chirurgiæ* ſuæ anglice ſcriptæ, & *edita anno* 1612. in 4°. ſe Chirurgiam exercuiſſe annos 22. in Flandria, Gallia & alibi: Se chirurgum, ut aiunt, *majorem* fuiſſe annis duobus Legionis Hiſpanæ, quæ Lutetiæ in præſidio collocata erat, ſcilicet annis 1588. & 1589. cum Urbs a perduellibus teneretur, qui nomine ſacri fœderis, vulgo *La Sainte Ligue*, adverſus Regem ſuum rebellaverant: Se deinde Henrici IV. Galliarum Regis Chirurgum ordinarium fuiſſe annos ſex, nempe ab anno 1590. ad annum uſque 1596, quo Londinum venit, ubi Librum edidit, de quo mox. Jam vero, quo tempore in Scotiam redierit incertum, ſed certum tantum ex Præfatione modo laudata Glaſgoviæ in Scotia illum commoratum fuiſſe anno 1612, quo Chirurgiam ſuam edebat. Quid illi poſtea ſucceſſerit neque ſcio, neque ſcire curo.

An eaſie, certaine and perfect Method to cure and prevent the Spaniſch Sicknes: *vvherby the learned and skilfull Chirurgian may heale a great many other Diſeaſes. Compiled by* Peter Lovve, Arellian, Doctor in the Faculte of Chirurgy in Paris, and Chirurgian ordinary to Henry the Fourth, the moſt Chriſtian King of Frannce and Navarre. *At London, printed by James Roberts, Anno Domini* 1596. in 4°.

Ideſt, *Facilis, certa & perfecta Methodus medendi & occurrendi* Morbo Hiſpanico: *Qua eruditus & prudens Chirurgus curare poteſt multas alias affectiones. Collecta* a Petro LoWe, Arelliano, Doctore in Facultate Chirurgiæ Pariſienſi, & Chirurgo ordinario Henrici IV, Chriſtianiſſimi Regis Franciæ & Navarræ. *Londini, apud Jacobum Roberts*. 1596. in 4°.

Hoc Opus, quod minuto charactere impreſſum paginas 37. in 4°. implet, in partes duas diſtribuitur; *Alteram*, quæ Capita XXIV; *Alteram*, quæ X. complectitur, ex quibus abunde erit, ſi ſequentia ſummatim decerpamus.

I. Luem (*b*) veneream, quam *Hiſpanicam* ille vocat, a Chriſtophori Columbi comitibus anno 1492 uſu fœdiſſimæ veneris cum mulieribus indicis contractam fuiſſe in Inſulis occidentalibus, quo appulerant, & ubi vulgata eſt: Hinc in Hiſpaniam devectam, & ab Hiſpania in regnum Neapolitanum translatam anno 1493. menſe Decembri ab Hiſpanis militibus, qui ſuppetias venerant adverſus Carolum VIII, Galliarum Regem, qui invaſionem meditabatur.

II. (*c*) Expoſitis deinde morbi cauſis, quas omnes a contagione dependere agnoſcit; (*d*) recenſitis differentiis, ſigniſque tum diagnoſticis, tum prognoſticis; (*e*) propoſita natura, indole, virtute Guaiaci, Salſæ-parillæ, radicis Chinæ & hydrargyri; (*f*) explicata generali ſeu methodica luis venereæ curatione; (*g*) ab Auctore demum proponi novem modos illi efficaciter medendi.

III. Quatuor priores obtineri, 1°. (*h*) Exhibito Decocto Guaiaci, quod tamen ait ad perfectam & abſolutam curationem vix ſatis efficax eſſe. 2°. (*i*) Inunctionibus ex hydrargyro,

(*a*) Vide *Laurum Palmariam fugantem Ventanenm fulmen Cyclopum aliquot, falſo Scola Medica Pariſienſis nomine vulgatum in Librum Petri Palmarii*. Pariſiis 1609. in 8.
Vide etiam Cenſuram Facultatis Medicæ, & Senatus-Conſultum quo Cenſura confirmatur.
(*b*) Prioris Partis *Cap.* 2.
(*c*) Cap. 3.
(*d*) Capp. 4. 5. & 6.
(*e*) Capp. 7. 8. 9. & 10.
(*f*) Cap. 11.
(*g*) Cap. 12.
(*h*) Cap. 13.
(*i*) Capp. 14. & 15.

drargyro, quarum incommoda & infortunia multis exaggerat, ſed quas tamen fatetur poſſe aliquando adhiberi, modo caute. 3°. (*a*) Admotis emplaſtris mercurialibus, ſed quorum vim & efficaciam valde incertas eſſe affirmat. 4°. (*b*) Suffumigatione e cinnabari, quam tamen raro uſurpandam eſſe monet. Modos autem illos omnes, quos ſingulos, ſed paucis, deſcribit, agnoſcit vulgatas methodos eſſe & uſu receptas, quæ curando morbo plerumque adhiberi ſolent.

IV. Modos eſſe alios quinque, quos ſibi proprios & peculiares ille vindicat: Horum (*c*) *Primum*, qui omnium *quintus* eſt, obtineri uſu Pillularum mercurialium, quæ a Pillulis vulgatis Barbaroſſæ parum diſcrepant, & quarum formulas duas profert. En unam.

℞. *Salſæ-parillæ & ſennæ mundatæ*, ana ℥ j.
Turbith. Hermodactyl. Agarici & Rhabarb. electi, ana ℥ ß.
Colocynthidis ſubtiliter pulveratæ ʒ vj.
Hydrargyri bene præparati, ℥ iv.
Extinguatur diligentiſſime cum *Terebenthinæ* ℥ j.
Addatur *Theriacæ* ℥ i. ß.
Syrupi roſarum laxativi. q. ſ.
Ambari griſei ʒ j.
M. & f. Maſſa; Capiat ʒ ij. aut iij. pro virium ſtatu.

En alteram.

℞. *Mercurii* ʒ xxv.
Muſci ʒ ij.
Pulveris Arabici ʒ x.
Scammonii ʒ iij.
Cum ſucco limonum reducantur ad formam ſolidam, ex qua dabitur ℈ j. ſingulis diebus.

Antequam Pillulæ illæ exhibeantur, cenſet Auctor ægrotos præparandos eſse purgatione; miſſione ſanguinis, ſudatione; & finito pillularum uſu catharſim iterandam eſſe, atque ſudores movendos iterum diebus quinque vel ſex.

V. *Secundum*, (*d*) qui omnium *ſextus* eſt, conſiſtere in uſu Decocti Guaiaci in vino albo, quod ſic conficiendum putat.

℞. *Medullæ Guaiaci bene pulverati*, lib. j.
Chinæ teſſellatim exciſæ, lib. ß.
Salſæ-parillæ, ℥ v.
Sennæ mundatæ, ℥ iv.
Hermodactyl. ℥ j.
Macerentur omnia præter Hermodactylos & Sennam in duodecim Pintis Scoticis vini ſpatio ſedecim horarum: Bulliant ad conſumptionem quartæ partis, imponendo Sennam & Hermodactylos per dimidiam horam, antequam finiat ea conſumptio: In fine decoctionis adde aliquid liquiritiæ. Auferatur ab igne, & coletur.

VI. *Tertium*, (*e*) qui omnium *ſeptimus* eſt, contineri Decocto Salſæ-parillæ & radicis Chinæ, in hunc modum præparato.

℞. *Salſæ-parillæ, quæ ſit tenuiter inciſa*, ℥. v.
Radicis Chinæ per teſſellas exciſæ ℥ ij.
Macerentur ſpatio 24. horarum in decem Pintis aquæ fontanæ.
Bulliant lento igne ad conſumptionem mediæ partis. Coletur.

Palam eſt utrumque Decoctum a vulgaribus ptiſanis hidroticis non ſatis differre, ut poſſit Chirurgus ille de inventione ſuperbire. Laudat tamen ea Decocta, quaſi poſſent efficaciter auxiliari adverſus morbum in ægris qui bono habitu valeant, & qui morbo recenter contracto infecti ſint.

VII. *Quartum*, (*f*) qui omnium *octavus* eſt, totum eſſe intra Electuarium quoddam ſuum, quo aſseverat virus omne ſive recens ſive inveteratum efficaciter expelli, quod ait a ſe amicis ſuis ſummis adhiberi doſi ℥ ß, ſed cujus præparandi rationem repetendam eſſe monet ex Libro quodam alio ſuo, anglice ſcripto, cui titulus eſt *The poor man's Guide*,

N 4

(*a*) Cap. 16. (*b*) Cap. 17.
(*c*) Cap. 18.
(*d*) Cap. 19.
(*e*) Cap. 20.
(*f*) Cap. 21.

de, hoc eſt, *Manuductio pauperum*, qui an unquam in lucem prodierit addubito, de cujus editione ſaltem nihil comperti hactenus habere potui.

VIII. *Quintum*, qui omnium *nonus* eſt & ultimus, conſiſtere in uſu Pulveris, quem *Arabicum* vocat, quo ad doſim X. granorum bis in die exhibito ptyaliſmum vel catharſim moveri non diffitetur, quem proinde palam eſt præparatum quoddam mercuriale fuiſſe ex mochlicorum genere, ſed cujus manipulationem de induſtria celat, vel quod eodem recidit, quam ait repetendam eſſe ex Libro illo, de quo modo, inſcripto *The poor man's Guide*, quem non vulgavit.

IX. Demum in altera Libri parte *Capitibus X.* breviter diſſeri de variis morbi ſymptomatibus, nempe Ulceribus virgæ, Bubonibus, Gonorrhœa, Carunculis Urethræ, Nodis, Verrucis, Alopecia, Lichenibus ac Herpetibus, & Ulceribus oris.

Sed hæc ſatis ſuperque, ex quibus liquet huncce Chirurgum non alio conſilio ſcripſiſſe, quam ut *venditaret falſo antidotum nomine*, & *verboſis acquireret ſibi famam ſtrophis*, iis ſcilicet artibus, quas a Circulatoribus adhiberi novimus, & quæ Circulatores decent, ſed quibus nihil eſſe puto Viro probo indignius, cum nihil ſit quod animum magis oſtendat vanum, mendacem, *falſiloquum*, & ut cum (*a*) Plauto loqui pergam, *turpilucricupidum*.

1596. Aurelius Minadous Rhodiginus, patrem habuit Johannem Baptiſtam Minadoum, Philoſophum & Medicum præſtantiſſimum: fratrem vero Johannem Thomam Minadoum, qui apud Ducem Mantuæ Medici officio functus aliquot annos, poſtea anno 1596. primarius fuit Medicinæ Profeſſor in Academia Patavina.

Aurelius Medicinæ ſtuduit Patavii, ubi Hieronymo Capivaccio Profeſſore uſus eſt, ut ipſe (*b*) teſtatur. Deinde medicinam Venetiis fecit, ac ibi edidit Librum de lue venerea, qui ſic inſcribitur.

> *Aurelii Minadoi, Rhodigini, Medici Veneti, Tractatus de virulentia venerea, in quo omnium aliorum hac de re ſententiæ conſiderantur, mali natura explicatur, cauſsæ & differentiæ, aliaque cum dogmatica curatione proponuntur.* Ad Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum S. R. E. Cardinalem, Patriarcham Venetiarum &c. D. D. Laurentium Priolum, D. S. colendiſſimum. *Venetiis, apud Robertum Meiettum*, 1596. in 4°.

Minadoi Tractatus *Capitibus XLVII.* comprehenditur, quibus primis XXIX. fuſe & ad nauſeam diſſerit Ille de definitione luis venereæ, ac expendit ſigillatim refutatque definitiones ab aliis propoſitas.

Incipit in morbi originem inquirere *Capite 30*, cenſetque „ ortum hujus virulentiæ „ fuiſſe ex corruptione diverſorum ſeminum in utero impudicarum mulierum adjuvante „ ſorditie, per quas fœminas ſolum Indicas *intelligit*. Illæ enim mediantibus cœlo, ae- „ re, aquis & locis illis, ex peculiari victu forma & actionum ſuarum ſordida atque „ impura materie contrahunt, vel rectius ſibi adgenerant hoc venenum, quod deinde ad „ nos delatum eſt tempore Columbi, & mediantibus exercitibus Hiſpanis & Gallis per „ contagium ſerpſit.

Expoſitis in ſequentibus Capitibus contagionis viis ac differentiis, ſigniſque diagnoſticis & prognoſticis luis venereæ, ad curationem progreditur, circa quam

„ I. *Aſſerit* (*c*) Experimento probatum eſſe fonticulorum uſum Gallica lue vexatis „ opportuniſſimum eſſe . . . . . . unde fere neminem reperire licet ab hac lue detentum, „ qui cauteria maximo beneficio & juvamento expertus non fuerit : . . . . . . Tamen pro „ comperto haberi non tantum poſse cauteria, ut ipſa ſola valeant integre corpora infecta „ ab omni labe expurgare, niſi pariter tantum præſidium aut præceſſerint, aut concomi- „ tentur, aut etiam ſubſequantur idoneæ Antidotorum adminiſtrationes.

II. „ *Statuit* (*d*) rationem curandi per ſuffumigia omnino debilem & inefficacem ac „ prorſus vanam eſſe, cum morbum integre demoliri & vincere pollicentur; ſed in uno „ caſu maxime probari, ... cum nimirum alicujus partis ſuffumigabilis dolores „ lenire decrevimus, cujus utilitatis exempla multa ipſe vidit.

III. Damnat (*e*) externum hydrargyri uſum, quo *obſervavit ipſe non paucos pejora ſymptomata expertos eſſe . . . . & ita exagitatos, ut ferme nunquam priorem corporis ſtatum, nedum integrum ſanitatis habitum, recuperaverint* . . . . . Neque internum hydrargyri uſum magis probat; licet enim *ipſe periculum nunquam fecerit*, teſtatur a ſe *viſos fuiſſe nonnul-*

(*a*) In Trinummo, *Act.* 1. *Scen.* 2. (*b*) Cap. 43. Libri ſui *de Virulentia venerea*.
(*c*) Cap. 38. (*d*) Cap. 40. (*e*) Cap. 41.

nonnullos, qui licet per multos dies devoraverint quoſdam bolos, qui argentum vivum receperant, ... *nec ſanati ab ipſa lue, nec in meliorem ſtatum permutati fuerunt*.

IV. Univerſam (*a*) morbi curationem a ſudatione expectandam eſſe credit, quam movet ope æſtuarii & decoctorum ſudorificorum ex Guaiaco, quod *Regem*; Salſa-parilla, quam *Reginam* (*b*) dicit; ex China & ex ſaſſafras, vel ut ille ſcribit, *Saxifras* &c. quorum adminiſtrandorum methodum multis deſcribit *Capp.* 43. *&* 44.

V. Inter (*c*) Antidota luis venereæ recenſet *Theriacam Andromachi*: *confectionem Cyphoiden ejuſdem* a Galeno deſcriptam *Lib.* 8. *De compoſitione Medicamentorum ſecundum locos*, *Cap.* 7; *Uvas paſſas*, *Hepar lupi*, *Mechoacannum*, & alia hujus generis, quæ tanquam plane inefficacia dudum ab omnibus exploſa ſunt.

VI. Mirari ſubit probandum ſuſcipi a Minadoo (*d*) *Gallicum Morbum non eſſe chimericum aut fictitium*, *ſed verum atque realem*, quod ſupra quoque de Bernardino Tomitano annotatum fuit ad *annum* 1566. Aderant nempe illorum ætate, qui objicerent hanc luis venereæ opinionem inventam eſſe a Medicis, qui *lucri cupidi aut ægritudinis ignari* antiquo, ſed male cognito Morbo, Gallici nomen imponerent, ut tegerent ignorantiam vel pecuniam, ab ægris extorquerent. Et quidem facile crediderim non defuiſſe Medicos, qui luem veneream ſatis temere aliquando cauſarentur, quaſi fomitem morborum difficiliorum quorum cauſa latebat, quamquam a lue venerea non dependerent, qua ſane culpa nec ætas noſtra ſatis vacat. Sed hæc qualiacunque ſupponantur, non opinionem de luis venereæ exiſtentia, ſed Medicorum quorumdam fidem elevant.

HERCULES SAXONIA, Patavinus, natus anno 1551, (*e*) patrem habuit Ludovicum, avum Hieronymum, & patruum Victorem, Medicos aut artis medicæ Profeſſores eximios. Doctor in patria renuntiatus Medicinam per annum publice docuit; ſed (*f*) *profeſſione* (nempe (*g*) Medicinæ Theoricæ extraordinariæ in ſecundo loco, qua fungebatur) *Senatus Veneti Decreto ſublata*, *Venetias ſe recepit*, *ibique medicinam factitando ad ſummam famæ gloriam graſſatus eſt*. *Per hæc abſumptis octo*, vel potius XV. *annis*, *ſucceſſor Hieronymo Capivaccio deſignatur anno* 1590. in Academia Patavina. Anno 1573. Hieronymum quidem Mercurialem, quem Maximilianus II. Imperator ancipiti morbo implicitus ad ſe accerſebat, in Germaniam comitatus eſt; ſed in errore verſantur, (*h*) qui Saxoniam ipſum a Maximiliano accitum fuiſſe narrant; cum enim tunc annum vix attigiſſet viceſimum ſecundum, nondum eam adipiſci potuerat famam, quæ Maximiliano ſui deſiderium moveret. Deceſſit Saxonia anno 1607. ætatis 56.

1597.

Luis venereæ perfectiſſimus Tractatus ex ore Herculis Saxoniæ, Patavini, Medici clariſſimi, in Academia Patavina ordinario loco Profeſſoris, exceptus &c. & luci datus opera Andreghetti Andreghettii, Medici & Philoſophi Patavini. Patavii, *in* 4°. 1597. apud Laurentium Paſquatum.

Quæcunque ad luem veneream pertinent, in illo Tractatu *Capitibus* 41. enucleate explicantur, ut ferebat temporum illorum ratio.

I. Cenſet Saxonia *Cap.* 2. primam morbi originem non repetendam eſſe *ab influxu ſyderum*, *aut Saturni*, *Martis & Veneris conjunctione*, *ſed ab Indicarum congreſſu mulierum*, *quæ ex Indiis primum in Hiſpaniam*, *mox Neapolim navigarunt*, *& Caroli VIII. Gallorum Regis exercitum infecerunt*: In quo tamen videtur errare, cum mulieres nullas ab Indiis in Hiſpaniam devectas eſſe noverim.

II. Contagionem admittit multiplicem *Cap.* 2. nempe *uſu veneris*, *lactatione*, *ſimplici vulvæ fricatione*, *profuſo oſculo ex muliere circa oris partes laborante*, *dormitione in ſtragulis vel linteaminibus venefico hoc ſudore repletis*. Ceterum ſubdubitat an lues contagioſa eſſe poſſit 1°. *Dormitione cum infecto*, *abſque ullo contactu*, *ſi linteamina munda fuerint*: 2°. *Uſu eorumdem poculorum*, *& accubitu ad eamdem menſam*, *ut voluit Rondeletius*: Obſtetricationis miniſterio, *ut exiſtimavit Fernelius*. Jure quidem de duobus prioribus, at de tertio contagionis modo ambigit immerito.

III. Statuit *Cap.* 5. luem veneream *ſuo tempore multo ſeviorem eſſe quam ab initio*: *Nam*, pergit Ille, *tria tantum obſervarunt priores Medici*, *qui de hac lue ſcripſerunt*, *Aquilanus*,

(*a*) Cap. 42.
(*b*) Cap. 41.
(*c*) Cap. 43. *&* 44.
(*d*) Cap. 47.
(*e*) Petrus Caſtellanus, *in Vitis illuſtrium Medicorum*.
(*f*) Idem, *Ibidem*.
(*g*) Thomaſinus, *in Gymnaſio Patavino*.
(*h*) Mercklinus, in *Lindenio renovat*; Papadopoli, *Hiſtoria Gymnaſii Patavini*, Tom. I. Pag. 344.

Aquilanus, *Leonicenus*, *Natalis Monteſaurus &c. Affectus ſcilicet cutaneos ſub forma impetiginis & puſtularum*, *Dolores*, *& Tumores contingere*. *Paucis poſt annis alia quinque his tribus connexa ſunt*, *defluvium capillorum*, *unguium*, *dentium*, *oculorum*, *& gonorrhœa*... *Hoc tempore lues venerea eſt omnium malorum principium*, *ut ideo potius innumeræ quam innumerabiles ſint differentiæ*. Sed de his vide ſupra *Lib. I. Capp. XIII. & XIV.* ex quibus liquet luem veneream, etſi paucioribus ſymptomatis forſan ſtiparetur, initio crudeliorem fuiſſe quam aliquanto poſt intervallo.

IV. Tres admittit methodos curatorias, nempe *Unam* uſu decoctorum ſudorificorum ex Guaiaco, China & Salſa-parilla; *Alteram* inunctione mercuriali; *Tertiam* ope ſuffumigiorum. Quamvis ad uſum decoctorum plurimum propendeat, fatetur tamen *Cap. 39. affectus venereos eſſe uſque adeo contumaces*, *qui decocto ligni Indici uſque ad dies etiam quinquaginta ſemel*, *bis*, *& ter rite adminiſtrato nunquam ceſſarunt*, *in deterius lapſi ſunt*.... *In his* credit *ſatius eſſe medicamento uti alioquin periculoſo*, *quam inſanabile malum relinquere*. Porro Mercurii uſum tam parum periculoſum eſſe putat, ut ibidem *Leonardi Botalli lubens ſequatur conſilium*, ſtatuatque cum eodem *pueros ac mulieres blando linimento inungi poſſe*, addatque *ſe hac æſtate menſe Julio mulierem inunxiſſe*, *quæ integre eſt curata*. Videtur tamen Auctor ille crediciſſe *hydrargyrum non eſſe luis Alexipharmacum*, *ſed copiam tantum humorum viſcidorum expurgare*; *quibus expurgatis*, *Alexipharmacum prompte & fortiter operatur*.

V. Uſum præparatorum mercurialium interne exhibendorum parum probat, excepto præcipitato quodam rubro cum auro, cujus proceſſum ipſe explicat; cujus proceſſum jam ante ab Antonio *Gallo*, *Cap. 2.* & Gabriele Falloppio, *Cap. 79.* explicatum fuiſſe fatetur; cujus proceſſus, ſed in nonnullis emendatus, nunc nullibi non proſtat.

VI. Obſervationes duas refert, *Cap. 37. de gonorrhœa*, certe falſas; Uſque adeo de Medicis etiam verum eſt, quod de Philoſophis Cicero olim dixit, *nihil ſcilicet tam abſurde dictum*, *quod a Philoſophorum quodam dictum non ſit*. *Sciendum eſt*, inquit Saxonia, *quod habui a quibuſdam expertis Veneris*: *Dicunt ſe a gonorrhœa ſtatim curatos uſu veneris cum muliere Æthiope*. *Experimentum eſt verum*.... *Hæc quoque ſcio*, *ſi tamen litteris conſignare licet*, *antiqua gonorrhœa plures fuiſſe liberatos*, *qui cum uxore virgine rem habuerunt*, *ſed tunc mulier inficitur*.

Ceterum Tractatus ille ab Andreghetto Andreghettio editus anno 1597 conſtituit Lib. 9. *Panthei Medicinæ ſelecti Herculis Saxoniæ*, a Petro Uffenbachio ejus diſcipulo editi, Francofurti. *in fol.* anno 1603, qui Liber totus eſt *de Lue venerea ſeu Morbo Gallico*.

GUILLELMUS ARRAGOSIUS, (*a*) Toloſas, hoc eſt, ex oppido quodam ignobiliori pagi Toloſani, natus eſt anno 1513. Medicinæ ſtudio operam dedit in Monte Peſſulano anno 1551. Dicitur fuiſſe (*b*) *Medicus trium Galliæ Regum*, forte Henrici II. Franciſci II. & Caroli IX. *& Imperatoris Maximiliani*, ſcilicet II. Baſileam ſeceſſit octuogenario major, ubi hoſpitio uſus eſt Jacobi Zuingeri, Medicinæ Doctoris & Profeſſoris Chimici, in cujus domo mortem obiit anno 1610, ætatis 97, & quem omnium ſuarum facultatum hæredem inſtituit.

Scripſit anno 1597 *Epiſtolam* ſive Diſſertationem *de natura & viribus Hydrargyri ad Paulum Jovium*, Florentinum, quæ manuſcripta diu latuit in Bibliotheca Zuingerorum, ſed quæ tandem publici juris facta eſt a Theodoro Zuingero, Jacobi pronepote, in *Faſciculo Diſſertationum Medicarum ſelectiorum*, qui editus eſt *Baſileæ* anno 1710. in 8°.

Monuit quidem Editor hanc Arragoſii Epiſtolam ad Paulum Jovium Florentinum datam eſſe, ſed quis qualiſve fuerit ille, indicare curæ non habuit, quæ negligentia Lectoribus fraudi eſſe potuit, ſi qui incautiores crediderint hæc de Paulo Jovio, Epiſcopo Nucerino, ſcriptis ſuis in republica literaria celebratiſſimo, accipienda eſſe. Colligitur ſane ex Epiſtola Arragoſii Paulum illum Jovium, ad quem ſcribitur, medicinam feciſſe; conſtatque pariter Nucerinum Epiſcopum Medicum fuiſſe. At vero ſi id unum excipias, quod utrique convenit, cetera planiſſime diſſentiunt. Hic enim Novocomenſis erat, ille Florentinus: Deceſſerat hic anno 1552, ille in vivis erat etiamnum anno 1597. Unde perſpicuum eſt Epiſtolam Arragoſii ad Paulum quemdam Jovium ſcriptam fuiſſe, Epiſcopo Nucerino cognominem, ſed ab illo alium & obſcurioris famæ.

Si Arragoſium audiamus, " inter reliquas errorum cauſas, qui proximis ſæculis in ,, Schola *medica* acciderunt, hæc una ex maximis exiſtimanda; quod Chirurgi & Barbi- ,, tonſores

(*a*) Sic ipſe atteſtatur in *Epiſtola* ad Paulum Jovium.
(*b*) Mangetus in *Bibliotheca Medica*, in verbo *Jacobus Zuingerus*.

„ tonſores omnes nihil de Argenti vivi natura cognoſcentes, adhuc minus morbi eſſen-
„ tiam, ad cujus uſum illud adhibent, conſiderantes, pro arbitrio adverſus ſympto ma-
„ ta, dolores, tumores & ulcera manifeſta atrociter pugnant. Unde, morbo prætermiſ-
„ ſo, multo majorem noxam corporibus inferunt, quam lues ipſa per ſe inferre poſſet.
„ Vidit *Auctor* ſupra differentias decem minerarum Argenti vivi, tam in lapidibus di-
„ verſorum colorum, quam in terris in lapideam naturam induratis, ut plurimum ſpon-
„ gioſis, a quibus hydrargyri, partim lapidi affixi, partim liquidi & minimo concuſſu
„ a ſuo loco dimoti ingens copia fluebat, non ſolum in montibus, ſed etiam in plani-
„ tie & regione calida.

„ Anno 1551, cum eſſet Monſpeſſuli in ædibus probæ & honoratæ Matronæ, perſpe-
„ cto juxta puteum ſigno aliquo hujus mineræ, juſſit præſentem tum ruſticum, præ-
„ magnum, qui pro ſtrato ſubjiciebatur, lapidem elevare, quo ablato dum terram ſub-
„ jectam ad ſemipedem excavaſſet, derepente effluxit rivulus argenti vivi ad libras ali-
„ quot . . . . *cujus partem* D. D. Rondeletio *Auctor* obtulit.

Imo quod (a) maxime mirum, *ſed quod ille* affirmat, „ cum puer adhuc eſſet, anno-
„ rum circiter 12, non procul Tholoſa in Gellis natus & educatus, vidit pueros ali-
„ quot ſuos vicinos a mulierculis edoctos, qui circa finem Menſis Maii, quo tempore
„ prata deſalcantur, ſub noctem, luna lucente, contemplabantur argentum vivum lucens
„ in radiis lunæ, & veluti lubricans ſuper herbam ſeu fœnum in platea & via commu-
„ ni, quod ex equo prægmagnos faſces fœni portante decidere vel defluere ſolebat. . .
„ Poſtea hoc fœnum in patinis caute colligebant, & eo leviter concuſſo inveniebant in
„ fundo quippiam hydrargyri veri ac naturalis.

„ Ipſe dum poſt annos deinceps aliquot in ſtudio naturæ ratiocinaretur, eſſetque præ-
„ dicti exempli memor, accepit . . . . vas amplum terreum, quod ſubjecit ingenti
„ acervo fœni, ... dum in forma pyramidali recens deſalcatum conſtrueretur, &
„ exactis quinque aut ſex diebus extrahens ſuum vas invenit argentum vivum ex illo fœ-
„ no delapſum.

Cenſet Arragoſius „ inter acerbas omnes & periculoſas curationes, quæ in arte Medica
„ fieri ſolent, eam quæ fit cum hydrargyro omnium eſſe & acerbiſſimam & periculoſiſſi-
„ mam, unde peritum, prudentem, longoque tempore exercitatum Medicum eſſe oportet
„ eum, qui tam periculoſum pharmacum ſine noxa uſurpare audeat.

Hydrargyrum, juxta Arragoſium, „ incidit, reſolvit, & purgat a natura & inæqua-
„ li intemperie ſua pituitam craſſam & lentam, ceteroſque humores huic permixtos, non
„ ſolum per os ſumptum, ſed etiam per unguenta foris admotum: Quandoque purgat ſi-
„ cut Antimonium, ... eoque non ſumpto, ſed tantum inuncto, purgatio acerbe
„ cum ſalivatione tentatur, quæ ad multos dies ſua ſponte perducitur, & ægrum natu-
„ ra debilem in vitæ periculum adducit. „ *Quæ ſane nimio plus exaggerata ſunt, ſed ex
quibus tamen Arragoſius temere concludit* „ paucos unguento illo *mercuriali* inungi, quos
„ nervorum contractio, Paralyſis, Tremor, continuus dolor, & diri cruciatus brevique
„ tempore mors non ſubſequatur.

Nihilo-minus tamen, „ quamvis argentum vivum, quovis modo paratum & ſine ra-
„ tione exhibitum, valde periculoſum ſit, *confitetur ultro* nondum ea propter a Medico-
„ rum ſchola, tanquam humano generi abſolute pernicioſum & exitioſum eliminari at-
„ que expungi debere: Habere nempe ſuas dotes, atque cœleſtes virtutes iis potiſſimum
„ cognitas, quibus genuina ipſius præparatio perſpecta eſt.

Qua vero ratione hydrargyrum præparari debeat, ut tuto in uſum medicum venire poſ-
ſit, Auctor nullibi indicat, vel indicat tantum ænigmatice, dum ait præparationem illam
fieri *ſola calefactione frigidi, & coctione atque digeſtione crudi, a ſuo proprio calore in actum
excitato*; quæ diſſimulatio arguit profecto non modo vanum credulumque Chimicum, fu-
tilium arcanorum amantem & occultatorem, ſed quod pejus eſt, Medicum virtutis & ef-
ficaciæ Mercurii non ſatis gnarum, cum apud omnes cordatos in confeſſo ſit Mercurium
nativum, purum ac ſimplicem, modo probe defæcatus & adſcititiis partibus purgatus
fuerit, præparatis quibuſcunque mercurialibus longe anteponendum eſſe.

Exſtat

(a) Vide quæ a Petro Borello dicuntur de Mercurio plantarum, *Obſervationum Centur. III. Obſervat.* 88. ubi negat Mercurium ſub acervis fœni colligi. Refert tamen R. P. d'Entrecolles, e Societate Jeſu, *Lettres edifiantes & curieuſes, Recueil XXII. Pag.* 457. Mercurium colligi ex Portulacæ foliis contuſis, uſtulatis & concluſis in olla vitreata, quæ terræ infoſſa fuerit per dies 49. Sed hæc Ille refert ex Libris Sinenſium, penes quos rei fidem eſſe velim, donec experimento comprobata ſit.

Exſtat Arragoſii Epiſtola altera ad Johannem Cratonem, Medicum Cæſareum data *Viennæ in Auſtria 12 Kalendas Maii, anno* 1575, in qua agitur de *Extractis chimice præparatis*, & in qua multa proferuntur recte dicta. Inter cetera, quanquam Auctor Chimicorum placitis paulo addictior fuerit, de Theophraſto Paracelſo ex veritate ſentire videtur, dum ait ſe *in Auctore illo explicando non multum laborare, cum nec in philoſophorum, nec in medicorum numero merito haberi poſſit*. Proſtat hæc Epiſtola *n°*. LV. in *Volumine Epiſtolarum philoſophicarum, medicinalium & chimicarum* &c. a Laurentio Scholzio edito Francofurti *in* fol. anno 1589.

Laudatur idem Arragoſius a Georgio Bertino, in Epiſtola nuncupatoria *Commentarii ſuo de Conſultationibus Medicorum* præmiſſa.

1598. Alexander Maſſarias, Vicentinus, (*a*) audiit in Academia Patavina Antonium Fracancianum, Franciſcum Frigimelicam, Matthæum Curtium, Comitem Montanum, Oddum ſeniorem, Gabrielem Falloppium, præſtantiſſimos hujus Collegii Profeſſo-
1601. res. Lauream doctoralem ſemel conſecutus Medicinam aliquandiu fecit Vicentiæ in urbe patria; ac deinde Venetiis, quo evocatus fuerat amicorum & patronorum hortatibus, artem eamdem felicitate maxima profeſſus eſt, erga viros illuſtres ſplendide, erga pauperes liberaliter. (*b*) *Demum unanimi Senatus Veneti decreto ad primarii Doctoris* (Profeſſoris) *Patavini munus ampliſſima ſtipe conductus fuit*. Succeſſit nempe anno 1587 Hieronymo Mercuriali, cui Senatus licentiam fecerat abeundi Bononiam. (*c*) Senio confectus morte ſubita periit decimo quinto Kalendas Novembris, anno 1598.

Practica Medica, ſeu Prælectiones Academicæ, continentes methodum ac rationes cognoſcendi & curandi totius humani corporis morbos, ad nativam ac genuinam divini Hippocratis & ſcientiſſimi Galeni mentem, vere optimeque inſtitutam: in antiquiſſimo ac celeberrimo Patavino Gymnaſio habitæ a nobiliſſimo atque clariſſimo Viro Domino Alexandro Maſſaria, Vicentino, Medicinæ Profeſſore primario. Nunc primum quanto fieri potuit ſtudio politiſſime adornatæ, certiſque libris ac capitibus diſtinctæ, publico Medicinæ ſtudioſorum commodo foras dantur abs Johanne Baumanno, M. D. Francof. Francofurti, *ſumptibus Nicolai Baſſæi, typis Melchioris Hartmanni*. MDCI, in 4°. *Idem Opus iterum excuſus fuit Lugduni, ſumptibus Laurentii Durand.* MDCXVI in 4°.

Illud Opus Libros VIII complectitur, quorum *Sextus*, in quo agitur *de Morbo Gallico*, in Capita non diſtribuitur, ſed continenter, &, ut aiunt, uno contextu ſcriptus eſt, ut olim pleriſque Auctoribus familiare erat.

In illo Libro Maſſariæ (*d*) propoſitum fuit, " ſumma brevitate agere de natura, dif-
" ferentiis & ſignis illius affectus, & ſtatim ad curationem ſe referre, quam accuratiſſi-
" me, ſed tamen breviſſime conatur tradere. Pollicetur autem ille omnia præcepta &
" præſidia ſe eſſe communicaturum, quæcumque totos 40 annos, *quibus tunc medicinam*
" *fecerat*, vel aliorum inſtitutione, vel propria obſervatione ſibi viſa eſſent utiliora &
" ad curandum tam ſævum morbum magis accommodata.

I. Cenſet (*e*) " rabiei caninæ cum morbo Gallico non levem & cauſæ & morbi ſimi-
" litudinem intercedere; nam, *pergit Ille*, ut in rabie modica ſpuma canis rabidi latente
" quadam & admirabili ratione morbum inducit minime in tota ſubſtantia, ſed manife-
" ſtum; . . . . ita in morbo Gallico . . . . ex coitu, ex oſculo, vel alio contagionis
" modo, non minus occulta quam inexplicabili ratione, morbus excitatur non in tota
" ſubſtantia, ſed manifeſtus.

II. Fatetur (*f*) " nonnullos eſſe, non ſolum vulgares, ſed etiam viros doctiſſimos,
" qui in ea ſint opinione, morbum Gallicum nullam recipere integram curationem, il-
" lumque inducias, ſed non integram pacem facere: . . . . At ipſe aliter cenſet, ut qui
" vere poſſit affirmare ſe plurimos vidiſſe partim ſua, partim aliorum opera ſanatos adeo
" plane ac perfecte, ut nullo deinde tempore non minimum morbi veſtigium reliquum
" fuerit.

III. Juxta Auctorem (*g*) " poſt generalem corporis *præparationem* & vacuationem;
" ſequuntur aliæ duæ rationes purgandi noxiam materiam in morbo Gallico, quæ, *ut*
" *ille*

(*a*) Michael Engilbergius, in *Epiſtola ad Laurentium Durandum*, quæ Practicæ Maſſariæ Lugduni editæ præfixa eſt; & Comnenus Papadopoli, in *Hiſtor. Gymnaſii Patavini*.
(*b*) Petrus Caſtellanus, in *Vitis Illuſtrium Medicorum*.
(*c*) Hiſtoria Gymnaſii Patavini, *Tom. I. Lib.* 3. *Section.* 2. *Cap.* 20. *N°.* XCVII.
(*d*) Editionis Lugdunenſis apud Laurentium Durand, anno 1616. *Pag.* 883.
(*e*) Pag. 887. (*f*) Pag. [illegible]

„ *ille putat*, primo ab Empiricis inventæ fuerunt, deinde a Medicis rationalibus comprobatæ; *Altera* per ſuffumigia; *Altera* per inunctiones; „ quam utramque medendi rationem paucis deſcribit.

IV. Ait utroque modo (*a*) „ inſignem copiam noxiorum humorum ad fauces & os „ deduci, unde admodum copioſæ, corruptæ, fœtentes & malignæ quædam ſpuitiones „ contingunt, ex quibus illæ partes corroduntur, ulcerantur, ac frequenter univerſi „ dentes moventur & quandoque cadunt.

V. (*b*) „ Quod ſi quis quærat *ab Auctore*, quid de utroque hoc præſidio (*de ſuffumigiis & inunctionibus*) ſit ſtatuendum, ille qui neutro unquam uſus eſt, ſed potius „ permiſit alios uti, non vult quidquam certi vel affirmare vel negare; ſed illud unum „ dicit, ubicumque licet Medico certas & tutas curationes adhibere, illum fruſtra & „ temere ad incertas & periculoſas confugere; unde quoniam quamplurimi ac fere omnes „ quicumque voluerunt rationalibus Medicis obedire, ſine ſuffumigiis & unctionibus „ quotidie & integre liberantur, longe tutius & ſalutarius conſilium videtur ab illis abſtinere, quæ tam multa, tam turpia, tam difficilia ſymptomata ſecum afferunt. Quod „ ſi vero tandem occurrant homines morbo Gallico laborantes qui nullis rationibus poſſint curari, tunc licebit ad ſuffumigia & inunctiones accedere & omnia experiri, cum „ neque deſint multi, non ſolum vulgares, ſed doctiſſimi viri, qui conſtanter affirmant „ ſe plurimos hujuſmodi præſidiis tuto ac faciliter curaſſe, atque illos potiſſimum, qui „ cetera præſidia fruſtra experti fuerant.

VI. Afferit autem (*c*) „ communi omnium conſenſu certum eſſe lignum Guaiacum „ morbo Gallico laborantes mirabiliter juvare, imo vero inter cetera præſidia principem „ locum obtinere. „ Ideoque multis examinat quomodo Guaiacum decoquendum, an cum vino, an cum aqua? Utrum purgantia aut alterantia cum decocto permiſcenda ſint? Utrum utri præſtet ad decoquendum, lignum, an cortex? Quo tempore, qua doſi, qua methodo decoctum adminiſtrandum ſit, quantuſque ſudor ciendus &c?

VII. Secundum Maſſariam (*d*) „ eadem ratione licet decoctum ligni dare, qua aquæ „ thermarum ſolent adminiſtrari, ... nimirum copioſe ad decem & plures libras, per „ intervalla, deambulando; quam rationem utendi decocto a nemine, quem ſciat, præter (*e*) Manardum excogitatam, *ille* non ſolum probat, ſed etiam miratur quomodo „ nemo hactenus tam præclarum, tam illuſtris Viri inſtitutum ſequatur & ad uſum re„ vocet: *Ipſe* vero teſtatur ſe non ſemel hoc modo ligni decoctum dediſſe, ſumma cum „ facilitate & felicitate.

VIII. Quod ad Salſam-parilliam, refert (*f*) „ huic medicamento multas ab aliquibus „ tribui facultates in catarrho ſalſo, in cancris non ulceratis, in ſcrophulis, in tumoribus „ lienis, doloribus articulorum, omnibus infectionibus cutis, “ . . . ſed de illius uſu „ ad morbum Gallicum non ita liquere, “ quoniam ex una parte multi & prope omnes „ probant medicamentum & id laudant, ſed tantum contendunt ſola ſalſa neminem ullo „ tempore vere & integro ſanatum fuiſſe; ex altera autem neque deſunt aliqui viri doctiſſimi, qui ſalſam non modo probant, ſed etiam ligno ſancto anteponunt, qui audent „ firmiſſime dicere ſola ſalſa aliquos fuiſſe curatos, qui ligni decocto pluries aſſumpto „ non potuerant curari, & in iis eſt Manardus. De qua controverſia cum nolit *Ille* „ ſuum judicium interponere, confirmat tantum tumores, tophos, gummata, puſtulas, „ ulcera, & omnia ſymptomata gallica longe facilius & breviori tempore ex decocto ſalſæ mitigari & deleri, quam ligni decocto. „ . . . . Opinatur autem (*g*) Salſam maximam exiſtimationem ideo acquiſiviſſe, quod ante 50. annos Carolus V. Cæſar, hoc „ medicamento uſus ſit. „ Sed videtur Maſſarias hallucinari; neque enim legitur ullibi Carolum V. Salſam-parillam unquam in medicamenta adhibuiſſe, ſed Chinæ radicem; qua de re vide *ſupra*, *pag.* 700.

IX. Demum (*h*) „ putat Chinam ad curandum morbum Gallicum vel parum vel nihil conferre. . . . . . . Attamen cum multi ſuo tempore ea utantur frequentiſſime in podagra,

(*a*) Pag. 892.
(*b*) Pag. 893.
(*c*) Pag. 893.
(*d*) Pag. 903.
(*e*) Epiſtolar. *Lib.* 14. *Epiſtol.* 4.
(*f*) Pag. 905.
(*g*) Pag. 903.
(*h*) Pag. 907.

„ podagra, in ulceribus pulmonum, ſcirrho lienis & jecoris, elephantiaſi, in lepra Græ-
„ corum, atrophia & aliis morbis graviſſimis, illi libuit neque eam prætermittere, "
ſed de methodo illam adminiſtrandi perpaucis agit.

Exſtant de eodem argumento Conſilia aliquot Maſſariæ in *Libro reſponſorum & conſultationum medicinalium*, qui Venetiis prodiit apud Triviſanum Bertolotum, anno 1613, ſed in quibus & eamdem opinionem tenet & abit ad eamdem medendi methodum.

1598. ANDREAS CHIOCCUS, Veronenſis, Philoſophus & Medicus. (*a*) Obiit ſenex in patria anno 1624.

Apologia pro divina Hieronymi Fracaſtorii V. C. Syphilide, vel Libris De Morbo Gallico, *adverſus Julii Cæſaris Scaligeri cenſuram*. Veronæ, 1598. *in* 4°.

Julius Cæſar Scaliger impenſe laudavit Fracaſtorium, quem ait (*b*) *præſtantiſſimum Poetarum poſt Virgilium*, & cujus *Poema* de Syphilide *divinum* vocat. Attamen, cum *ab ſua ipſe magnitudine diſceſſerit aliquando*, fatetur Scaliger *eſſe quod in rebus ipſis, eſſe quod in legibus poeſeos animadvertat*. Diſplicuit Andreæ Chiocco, Fracaſtorii conterraneo, (*c*) *tam egregium* concivis *Opus a Scaligero vellicari*, *ac defendendi Fracaſtorii provinciam in ſe ſuſcepit*, qua ſatis erudite defungitur. Sed cum hæc non ad Medicinam, ſed ad Criticen ſpectent, ab inſtituto noſtro ſunt omnino aliena.

1598. PETRUS SEGUYN, Doctor Medicus Facultatis Pariſienſis, Chirurgiæ Profeſſor regius in regio Franciæ Collegio, ac deinde Archiatrus Annæ Auſtriacæ, Reginæ Franciæ, & uxoris Ludovici XIII. Vivebat (*d*) adhuc anno 1643, ſed annos natus 77 & cæcus.

ANTONIUS RABAULT, Blancius Bituricenſis.

Ad quodlibetariam Quæſtio Medica matutinis agitanda diſputationibus in ſcholis medicis die Jovis 2 Aprilis, M. Petro Seguyn, Chirurgiæ Profeſſore regio, moderatore ſapientiſſimo.

„ An ut Lepræ, ſic lui venereæ Hydrargyroſis?"

Concluditur affirmative: *Ergo ut Lepræ, ſic Lui venereæ Hydrargyroſis*. Quæ concluſio iis quidem, quæ ſupra dicta ſunt, *pag.* 9. ſed quod magis eſt, experientiæ repugnat, quæ olim compertum fuit hydrargyroſim, ſicut & mercurialia ore ſumpta, Leproſis ſive Elephantiacis nocere

Proponebat Antonius Rabault, Blancius Bituricenſis. Anno Domini MDXCVIII.

1599. EDITIO altera VENETA COLLECTIONIS LUISININÆ, quæ prodiit cum Inſcriptione ſequente:

Bibliot. Mazarin. *Aphrodiſiacus ſive de Lue venerea in duo volumina bipartitus, continens omnia quæcumque hactenus de hac re ſunt ab omnibus Medicis conſcripta, ubi de Ligno Indico, Salſa parillia, Radice China, Argento vivo, ceteriſque rebus omnibus ad hujus luis profligationem inventis, diffuſiſſima tractatio habetur. Opus hac noſtra ætate, qua morbi Gallici vis paſſim vagatur, apprime neceſſarium, ab excellentiſſimo Aloyſio Luiſino, Utinenſi, Medico celeberrimo noviſſime collectum, in* fol. 2. *volum. Venetiis, apud Baretium & Socios*. 1599.

De hac altera Collectionis Luiſininæ Editione intelligendus eſt procul dubio Vir clariſſimus Hermannus Boerhaave, dum in Præfatione Editioni Lugduno-Batavæ ejuſdem Operis præfixa, *de Editionibus Italicis* hujuſce Collectionis verba facit plurali numero, quæ manifeſte indicant Collectionem illam Luiſininam in Italia ſemel atque iterum, impreſſam fuiſſe.

Attamen ſi res diligentius introſpiciatur, hæc Editio Collectionis Venetæ, quam Baretius proponit ceu novam, ipſiſſima eſt Editio a Jordano Ziletto procurata anno 1566, & de qua *ſupra*: Siquidem conveniunt in utraque ad amuſſim paginæ, lineæ, verba. Adde, ne quid addubites, legi in editione Baretiana ad calcem prioris Tomi nomen Ziletti cum appoſito impreſſionis anno 1556: Quæ ſane probant editionem illam Baretii eamdem eſſe ac editionem Ziletti, mutato tantum frontis titulo renovatam, quæ fraudis ſpecies apud Bibliopolas nunquam rara fuit.

1599. ANDREAS BASTELLUS, Melphitanus in regno Neapolitano, Philoſophiæ & Medicinæ Doctor.

Specu-

(*a*) Nicolaus Comnenus Papadopoli, *in Hiſtoria Gymnaſii Patavini*. Tom. II. Pag. 280.
(*c*) Poetices *Lib.* 6. *Cap.* 4.
(*d*) Chioccus, in principio Apologiæ.
(*e*) Duval. *Le College Royal de France*.

Speculum Medicinæ, *eximio Philoſopho ac Medico Doctore Andrea Baſtello*, *Melphiæ Neapolitani regni Civitatis*, *Authore*. Quæ in hoc libro tractantur, ſequens pagina demonſtrabit. *Matriti*, *apud Licentiatum Varez a Caſtro*. Anno MDXCIX. in 4°.

In ſequente autem pagina hi leguntur tituli: *De Pulſibus*, *Urinis*, *Febribus*, *Ægritudinibus particularibus*, *Peſte*, Morbo Gallico, *Ratione victus*, *Sanguinis miſſione*, *Medicamento purgante*.

Tractatus, ſeu potius Caput *de lue Gallica* paginas quindecim implet, nempe *a fol.* 190. *a fol.* 197. In illo docet Auctor

I. Morbum „ appellatum eſſe *Gallicum*, quia Itali, in adventu Regis Gallorum anno „ 1494 Neapolim, hoc contagioſo morbo infecti fuerunt.

„ II. Expedire luem Gallicam ſanare cum reiteratis evacuationibus & fortibus deco„ctis Sarſæ, Chinæ & ligni indici .... Tamen adeo prava & rebelli cauſa exiſtente, „ ut non amittat nec pravam qualitatem, nec craſſitiem cum dolorum perſeverantia vel „ gummarum præſentia, quæ oſſium corruptionem minari ſolet, ſingulis aſſignatis reme„ diis adminiſtratis, ne ægri relinquantur ab omni ſalutis ſpe deſtituti, licere devenire „ ad Mercurii unctiones, correcta prius ejus prava qualitate cum infra ſcripta mixtu„ ra, temperatura & correctione; id eſt, ſumendo

„ Axungiæ porcinæ ignem non expertæ, ſed per ſetam
Colatæ ℥ xij.
„ Mercurii ℥ j. ß.
„ Longo tempore & optime ſimul agitentur, quibus adde
„ Theriacæ optimæ ʒ iij.
„ Aquæ ardentis ℥ j ß.
„ Myrrhæ ʒ j.
„ Et fiat unguentum, & agitetur per multos dies.

„ III. Perſeverante adhuc rebelli lue Gallica, etiam ad ſuffumigia devenire neceſſum „ eſſe, id eſt,

Cinnabarii pulveriſati, ℥ vj.
„ Auripigmenti ℥ ij.
„ Thuris,)
„ Myrrhæ,) *ana* ℥ ij.
„ Sandalorum rubeorum,)
„ Terebinthinæ,)

„ Et pro qualibet vice ſumas ℥ j. & æger ingrediatur coopertus præter faciem; quam„ vis ſuffumigium ſit periculoſius prædictis unctionibus, & fiat de tertio in tertium.

DE

DE
MORBIS VENEREIS
LIBER SEPTIMUS.

Index Chrnoologicus Auctorum, qui de Lue venerea, vel Luis venereæ remediis, ſcripſerunt ab anno primo ad quinquageſimum ſæculi decimi ſeptimi, cum brevi plerorumque Operum Analyſi & Epicriſi.

VIDIMUS modo pleroſque Medicorum, qui ſeculo XVI commendatioris famæ fuerunt, in explorandis tractandiſque morbis venereis nec ſegnem, nec infelicem operam poſuiſſe. Videbimus nunc ſequente ſeculo XVII pari quoque ſtudio & pari felicitate in eadem palæſtra deſudaſſe Medicos neque minus multos, neque minus doctos, quorum ſedulitati ac diligentiæ acceptum referri debet, ſi Medicina multis noviſque incrementis aucta fuerit tum in Theoria, tum in Therapeia.

I. Cum morbus in univerſa Europa jam tum graſſaretur, Medici nullibi ceſſaverunt otioſi hoc ſæculo, ſed collatis quaſi ſignis feroc ienti malo, quod humanum genus tam atrociter invadebat, ubique inſurrexerunt: unde factum, ut non ſolum ab Italis, Gallis, Hiſpaniſve, ad quos potiſſimum cura ſpectare viſa fuerat præcedente ſæculo, ſed a Germanis etiam, Anglis, Bataviſque, Tractatus plurimi jam prodierint, non mediocres, ſi non & optimi.

II. Imo vero Scholæ quoque Medicæ, quæ in variis Europæ tractibus florent, hoc proprium ſuum munus eſſe putaverunt, ut morbi naturam, cauſas, therapeiam Philiatros & Alumnos edocerent, ac eorum in ea Medicinæ parte eruditionem periclitarentur in publicis exercitationibus. Hinc ortæ *Diſputationes* illæ *Inaugurales*, *Theſeſve Medicæ*, breves quidem & ſummariæ, ſed plerumque doctæ & laborioſæ, quarum quotquot obvias habui, recenſere operæ pretium eſſe duxi, multo plures ſine dubio adducturus, niſi hæc Opuſcula *fugitiva* eſſent & brevis ævi.

III. Jam apud omnes in confeſſo fuit luem veneream nec diætæ errore, nec rerum nonnaturalium vitio ullo unquam generari, ſed contagione tantum contrahi. Negare tamen nolo nonnullos etiamnum fuiſſe qui vellent ſine contagio, quod præexiſteret, poſſe illam concipi, ſi diverſa virorum ſemina, etiam pura, confuſa computreſcerent in meretricibus, quæ certo cuivis mercabiles ære vulgi patent libidini, ac ſe promiſcue præbent permolendas

IV. Haud

IV. Haud amplius in dubium vocata fuit contagionis ratio ſive via ; ſed exploſo illis contagionis modis, qui fiunt in diſtans, vel per partes duras, vel contactu momentaneo, una fuit omnium confeſſio morbum vix unquam aliter propagari, quam eo contactus intimioris genere, in quo partes natura molles & ſpongioſæ affrictu mutuo aliquandiu concaleſiunt, quæ conditiones occurrunt potiſſimum in Ἀφροδισιασμῷ, in Lactatione, in Obſtetricatione &c.

V. Res eſt notiſſima cœpiſſe illo ſæculo ſtudium ſanioris Medicinæ diligentius coli, & Antiquorum auctoritatem inde minus reverenter obſervari, quod factum vehementer laudo. Sed cum nihil modicum ſit in rebus novis, Medici non pauci ideo rati ſe jam ſui juris factos eſſe, ac liberam ſibi poteſtatem eſſe quidlibet comminiſcendi, finxerunt varii varia, ut cuique libido fuit, opinionum monſtra ſive *Hypotheſes*, de indole arſenicali, de acida aut ſalſo-acida natura, de acuminata aut hiſpida figura primigeniarum veneni illius atomorum ; ſed hæc commenta dies jam pridem delevit, quo exemplo moniti, velim ut Medici tandem diſcant non tam cauſas ſcrutari, quæ plerumque inacceſſæ ſunt, quam effectuum ſucceſſiones, quæ ſunt conſpicuæ, & quas noſſe Medicorum potiſſimum intereſt.

VI. Non defuerunt, quibus videretur morbum ; ſi levior aut recentior eſſet, Decocto Guaiaci primum oppugnandum eſſe, neque ad uſum Mercurii deveniendum eſſe, niſi poſtquam benignior illa therapeia ſpem ægrotantium fruſtrata fuiſſet. At vero alii, uſu medendi magis periti, tædia moraſve curationis illius, quæ neque ſatis certa, neque ſatis efficax erat, minime probabant, ſed auctores erant, ut quotieſcunque morbus urgeret, Mercurius abjecta omni cunctatione continuo adhiberetur.

VII. Hoc ſæculo multum increbruit uſus præparatorum mercurialium ad curationem luis venereæ, ſive, quod ea ratione morbus commodius videretur expugnari, ſive quod Chimicorum pollicitationibus nimium creduli putarent multi Mercurium nunquam felicius, tutius, efficacius operari, quam cum multiplici diſtillatione, ſolutione, præcipitatione, ſublimatione, iterataque ignis tortura vexatus noxias partes depoſuiſſet, quas in illo recondi opinio erat, novumque ſubtilitatis gradum adeptus eſſet, quo penetrantior evaderet.

VIII. Hinc numeroſa illa Circulatorum & Agyrtarum cohors, quæ terris incubuit ſæculo XVII. Cum enim Chimicorum gens ea præſertim ætate myſterii amans eſſet & nugivendula, ut quiſque novam aliquam præparandi Mercurii rationem uſu excogitaverat, vel veteris cujuſdam præparationis modum acceperat auditu, mox ſe *Medicum profitebatur & profeſſo credebatur ſtatim, cum ſit periculum in nullo mendacio majus* : Imo, quod eſt impudentiæ extremum, Libellos plerique vulgabant inſulſos, ineptos, plenos ruris & infacetiarum, ut ſibi ac arcano ſuo famam acquirerent verboſis ſtrophis, ac ſtolidos, ſi qua captura incidiſſet, certius infatuarent.

IX. Neque tamen vicit unquam Circulatorum improbitas aut ignorantia, ſed ſuus ſtetit honos inconcuſſus Methodo inunctionum mercurialium, ſive Hydrargyroſi, cujus utilitas conteſtatiſſima. Hanc docti, cordati, periti Medici ceteris omnibus methodis anteponebant & longo quidem intervallo: Hanc ii quoque, quibus aliæ methodi prius tentandæ videbantur, ſacræ inſtar anchoræ firmiſſimum ſibi ſubſidium eſſe fatebantur, ſi res minus proſpere ſuccederet : Hanc demum omnes, quotieſcunque morbus cetera eluſiſſet remedia, adhibendam eſſe cenſebant, tanquam ſupremum auxilium, & quaſi res ad triarios jam rediiſſet.

SÆCULUM DECIMUM SEPTIMUM.

HORATIUS AUGENIUS, natus in oppidulo Piceni, hodie *Marchia Anconitana*, quod *Mons Sanctus*, hodie *Monte Santo* appellatur, (*a*) Doctoris Medici honores Bononiæ conſecutus eſt (*b*): Juvenis Logicam in Maceratenſi Collegio docuit bien- 1600.
„ nio, inde Medicinam Theoricam quinquennio profeſſus eſt in Scholis Romanis,

„ poſt.

(*a*) Giovanni Giacinto Vogli, *Tavole cronologiche degli Uomini illuſtri, nudriti dall' Univerſità di Bologna*. Pag. 80.
(*b*) Nicolaus Comnenus Papadopoli, in *Hiſtoria Gymnaſii Patavini*, Tom. I. Pag. 328.

„ poſthæc in Ticinenſi, vel, ut alii volunt, in Taurinenſi Academia ſexdecim annos Me-
„ dicinam practicam explanavit, unde ad Patavinum Gymnaſium accitus, non Hierony-
„ mo Capivaccio, ut ſomniat Freherus, ſed Bernardino Paterno, ut habent Monumenta
„ Gymnaſtica, ſuffectus eſt anno 1592. in ſede prima Theoricæ Medicinæ ordinariæ, Se-
„ nex deceſſit Patavii anno 1603. „

Dicitur (*a*) ſcriptus ab Augenio Tractatus *De Morbo Gallico*, quæ ſi vera ſint, librum hunc puto in lucem nunquam veniſſe, cum inter cetera Horatii Augenii Opera a Bibliographorum nullo recenſeatur, quem ſciam.

1600. JOHANNES SAPORTA, Monſpeſſulanus, Antonii filius, in Academia Monſpeſſulana profeſſorium munus adiit anno 1597. In locum abſentis Andreæ Laurentii Cancellarii Vicecancellarius electus eſt anno 1603, mortemque obiit anno 1605. Plura de illo in Hiſtoria Facultatis Medicæ Monſpeſſulanæ.

Tractatus de Lue venerea ab Henrico Gras Doctore Medico Monſpelienſi editus ad calcem Librorum Antonii Saporta De Tumoribus præter naturam.

Brevis ille Tractatus *Capita quindecim* complectitur, quorum *primo* ſtatuit Auctor *luem ex India* (*b*) *Calicut in Europam fuiſſe advectam anno 1494. . . . . . . Carolo V. imperante* (ut ille, ſed manifeſto anachroniſmo, credit.) *Mox fœdo militum Gallorum & Italorum concubitu cum ſcortis ab Indis & Hiſpanis corruptis totam Galliam & Italiam pervaſiſſe . . . . Prioribus annis immitem apud nos & ferociſſimam fuiſſe, nunc poſterioribus hiſce* (ſcilicet deſinente ſæculo decimo ſexto) *faciliorem tolerantia & curatione evaſiſse.*

Explicatis in *ſequentibus Capitibus* natura, cauſis, ſigniſque morbi ex legibus Peripateticæ & Galenicæ Theoriæ, qualis tunc temporis vigebat in Scholis, ad curationem demum accedit *Capite* 12. Præmittenda ait venæ ſectionem, purgationem, alterantium uſum multiplicem, quibus leviorem luem profligari poſſe putat. *Quod ſi lues altiores infixit radices, tunc puris utendum eſſe alexipharmacis* cenſet. . . . . *Talia ſunt Guaiacum, ejus cortex, Sarſa-parilla, Saſſafras & China*, quorum adminiſtrandorum methodum deſcribit.

Verum, ſi lues venerea, ut non raro contingit, tanta ſit activitatis, ut iis non ſuperetur, experientia probari non diffitetur ad uſum hydrargyri recurrendum eſſe . . . . . . Ipſe enim, inquit ille, *animadverti in praxi plurimos diuturniori tempore Guaiaci decocto fruſtra fuiſſe uſos, qui ſtatim hydrargyro fuere ſanati. Quare ut gravia affert ſymptomata prave adminiſtratum, ſic poſt univerſales purgationes . . . . . . plurimum mihi commendatur in lue venerea contumaci.*

Tribus autem modis adminiſtratur, in unctione, in ſuffumigio, & in pillulis. Duos priores ſigillatim explicat, ut ſuo tempore ſolebant adminiſtrari. Circa tertium vero refert *frequentiſſimum apud Noſtrates* (Monſpelienſes) *exhibendi hydrargyrum modum eſſe per os in pillulis, quæ ipſum vel præcipitatum recipiunt, quibus etiam aliqua purgantia miſcentur. Quod conſilium*, addit ille, *ſi methodice fiat, plurimum mihi probatur.*

Demum tribus *poſtremis Capitibus* agitur paucis *de Terapeia particulari ſymptomatum venereorum, de congrua ſex rerum non-naturalium adminiſtratione in Lue venerea, & de prophylaxi a lue venerea.* Sed in illis nec novum, nec ſingulare quidquam occurrit.

1600. PETRUS DE TORREZ vel TORRES, Darocenſis in Aragonia, Medicus fuit & Chirurgus Mariæ Auſtriacæ, Imperatricis, Caroli V. filiæ & Viduæ Maximiliani II, ſcripſitque hiſpanice ſequentem Tractatum.

Libro, que trata de la enfermedad de las Bubas, compueſto por el Doctor Pedro de Torrez, Medico y Cirujano de la Mageſtad de la Emperatriz nueſtra Senora, natural de Daroca en el Reyno de Aragon. Dirigido a Don Juan de Boria, Conde de Mayalde y de Ficallo &c. En Madrid, *Por Luis Sanchez*, anno 1600. in 4°.

Auctor *Capitibus 33.* ſigillatim agit de luis venereæ origine, differentiis, ſignis, ulcuſculis venereis, phimoſi & paraphimoſi, porris, gonorrhœa, abſceſſibus venereis, alopecia, gummatis, puſtulis, doloribus venereis, ac demum de morbi curatione, ad quam proponit triplicem therapeiam, nempe unctiones mercuriales, ſuffumigia ex mercurialibus, præparatis, & uſum decoctorum Guaiaci, Chinæ & Sarſæ-parillæ. Adjectum eſt ad Operis calcem Antidotarium, ubi proferuntur ſyrupi, apozemata, unguenta, emplaſtra, pulveres, conſervæ & vina varia, quæ Auctoris ætate in uſu habebantur in Hiſpania; ſed quæ jam pridem obſoleta ſunt.

Aſſerit autem inunctiones mercuriales ceteris methodis curatoriis plurimum præſtare: Singulo

(*a*) Vogli, & Papadopoli, *ibid.*
(*b*) Ignarus ille Geographiæ Orientales Indias cum Occidentalibus turpi errore confundit.

ſingulo tantum die adhibendas eſſe, imo in debilibus non niſi tertio quoque die: Demum doſim unguenti ad frictiones ſingulas adhibendi poſſe in robuſtioribus duarum vel trium unciarum eſſe, ſed in debilioribus unius tantum unciæ cum ſemiſſe: Circa quod advertatur velim, unguentis quæ ab illo ad hydrargyroſim proponuntur, aliis vix ſextam, fortiſſimis quintam tantum Mercurii partem contineri; unde liquet quanta cum prudentia inunctiones ab illo adhibitæ fuerint.

JOHANNES BAPTISTA SILVATICUS, Mediolanenſis, in Academia Ticinenſi Medicinæ Doctor, ac deinde Medicinæ practicæ Profeſſor primarius. Obiit anno 1621.

Præter Opera alia non pauca ſcripſit *Controverſias medicas numero Centum*, quæ Mediolani impreſſæ ſunt *in fol.* anno 1601.

Inter illas Controverſias occurrunt nonnullæ, quæ argumentum attingunt, cujus ſatagimus.

Nempe 1°. Controverſia LXIX, qua quærit Silvaticus *an parentes Gallica lue affecti filios ſanos procreare poſſint?* Reſpondet autem *ex parentibus gallico morbo infectis filium ſine labe naſci prorſus impoſſibile eſſe.*

2°. Controverſia LXX. qua quærit, *an in curatione morbi Gallici Decoctum ligni Guaiaci bis in die propinare conveniens ſit?* Reſpondet vero *ſicuti bis in die & duabus a Cœna horis Guaiaci ligni decoctum exhibere periculoſum eſt & irrationabile, ita ſemel tantum in die illud exhibere tutius eſſe & rationabilius.*

3°. Controverſia LXXI, qua quærit, *an decocto Guaiaci exhibito & ſudore non exeunte, Capſula ignita* (hoc eſt accenſis carbonibus plena & prope ægrotantem ſub ſtragulis collocata) *aut aliis ingeniis ſit ille proritandus?* Reſpondet *Capſulam illam, ceteraque ignita auxilia eſse nimis violenta, quam ut adhiberi debeant.*

4°. Controverſia LXXII, qua quærit, *an in die aſſumpti alvum moventis medicamenti, quod his qui propter morbum Gallicum Guaiaci decoctum aſſumunt per intervalla quædam exhibetur, conveniens ſit cibum augere & potum immutare?* Reſpondet eos damnandos ſibi videri, qui *a parcitate omnibus aliis diebus obſervata ad plenitudinem eo die accedunt, multiſque aliis modis omnia immutant, vinum* eo die *concedendo in locum aquæ, quæ aliis diebus propinatur.*

5°. Controverſia LXXIII, qua quærit, *in Morbi Gallici curatione num uti conveniat pulvere Sarſæ-parillæ & Senæ?* Improbat *Medicos, qui Gallicum morbum facilius, jucundiuſque ſanare cupientes, Sarſæ-parillæ pulvere, ſena orientali, in pulverem pariter redacta, admixta, utuntur pluribus diebus*, quia illa remedia pugnant inter ſe, cum alterum alvum moveat, alterum cieat ſudores.

6°. Controverſia LXXIV, qua quærit, *an Argentum vivum ſanet Morbum Gallicum?* Videtur Auctor ab uſu Mercurii alienus eſſe, & ideo multas ſtudioſe congeſſit antiquiorum Medicorum auctoritates, a quibus ea medicationis ratio improbata fuit, ut Sebaſtiani Aquilani, Ulrichi de Hutten, Gaſparis Torrellæ, Johannis Baptiſtæ Montani, Benedicti Victorii Faventini, Antonii Fracanciani, Bernardini Tomitani, & Leonis Lunenſis. Multis quoque exaggerat *mala & incommoda, quæ natura ſua adducere ſolet argentum vivum, etiam recta methodo adminiſtratum*: „ Os & palatum, *inquit*, exulcerantur; ſordities tanta die„ bus multis per os ejicitur, ut res ſit moleſtiſſima, & fere intolerabilis; cibus ſolidus „ mandi non poteſt, ſorbitioneſque aſſumere difficillimum eſt; ſomnus adimitur, tument „ labia & lingua quam maxime, denteſque ſæpe laxantur. „

Nemo eſt, qui ex præmiſſis iſtiuſmodi non putet uſum Mercurii ab Auctore liquido improbatum iri, ſed ille veritate adductus ignavius concludit, nimirum „ omnes morbo „ Gallico infectos validiſſimi hujus medicamenti vim ferre minime poſſe, ſed eos tan„ tum, qui firmo corporis habitu præditi ſunt, vireſque validiſſimas habent, “ cenſetque *incommoda, quæ uſu argenti vivi ſolent induci, nos admonere ut in eo adminiſtrando caute omnino incedamus*, quod & ipſe approbo. & *ut ſola maxima urgente neceſſitate, & aliis auxiliis non proficientibus, illud adminiſtremus*, quod equidem minus probo, cum nulla alia noverim auxilia, quæ ſatis certa ſint.

7°. Demum Controverſia LXXV, qua quærit, *an in morbi Gallici curatione conveniant Thermarum aquæ?* Reſpondet autem *morbum Gallicum a nulla ſponte naſcente aqua proprie, vereque ſanari: aliqua tamen ejuſdem ſymptomata aliquibus ejuſmodi aquis exſtirpari poſſe*: Denique *eos, qui hunc morbum alias paſſi ſunt, ſed jam ſanati, neceſſitate urgente ab earumdem uſu minime interdicendos eſſe.*

SEXTILIUS PICCOLOMINÆUS, Romanus, Doctor Medicus. 1602.

CYNTHIUS CLEMENS, (*a*) Corinaltenſis Italus, Archiatros Pauli V, qui ab anno 1605 ad annum 1621 Pontificatum tenuit, & Canonicus Baſilicæ Lateranenſis. Florebat etiamnum Romæ anno 1621, cum Paulus Zacchias primum in lucem edidit *primum Librum Quæſtionum Medico-legalium*, in quo Cynthius Clemens impenſe laudatur, *Titul.* 2. *Quæſt.* 2. *num.* 26. *&* 36; & *Titul.* 4. *Quæſt.* 5. *num.* 22.

Diſputationes Medicæ de natura atque facultatibus ligni Sancti; nuper, ut ferunt aliqui, ex Hollandia Romam delati. Romæ 1602. in 4°.

In hoc Opere continentur tres Diſſertationes ſequentes.

I. *Doctoris Sextilii Piccolominæi ad Corradum Arnoldum Epiſtola, in qua probat lignum Corradi eſſe veram & optimam ſpeciem ligni Sancti.* Scripta Romæ, Kal. Auguſti, MDCI.

II. *Innominati Auctoris* (forte *Demetrii Canevarii*, de quo infra) *Tractatulus adverſus & hujuſmodi lignum, & prædictam Epiſtolam Piccolominæi.*

III. *Doctoris Cynthii Clementis Epiſtola Apologetica ad Johannem Amodeum, qua Innominati Auctoris opinionem refellit, & clariſſime demonſtrat veram Ligni illius eſſentiam.*

„ Cum (*b*) *anno* 1601 Corradus Arnoldus, Aromatarius, ex Hollandia curaſſet Romam transferendam aliquam ligni Sancti quantitatem, atque eam aliis vendidiſſet mercatoribus, orta inter eos eſt differentia (*controverſia*) de pecuniarum ſolutione; hinc emptoribus lignum illud, tanquam non verum lignum ſanctum damnantibus, & ex hoc ad ſolvendum ſe teneri negantibus; inde vero venditore illud tanquam verum & germanum probante, ac pro ſolutione inſtante. Ad litem dirimendam Sanctiſſimus Dominus Noſter (*Clemens VIII.*) judicem delegavit Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Centurionem. Interim & Romani Medici & Aromatarii aliqui conſulti de ligni natura in varias abierunt ſententias. Tamen plurima & præſtantior Medicorum pars illud pro vera ligni ſancti ſpecie judicavit, & apud Illuſtriſſimum Judicem teſtata eſt. Dum aguntur hæc, Doctor Sextilius Picolominæus, de propria interrogatus ſententia, per Epiſtolam ad Corradum Arnoldum, quid ſentiret declaravit. Idem cum Piccolominæo ſe ſentire affirmavit Doctor Cynthius Clemens, & Arnoldo prædicto & aliis, qui de propria opinione ipſum conſuluerunt. Adverſus Picolominæi Epiſtolam & rationes verbis pro tempore tunc adductas a Clemente, ſcribendi onus ſuſcepit innominatus quidam Auctor, qui tractatum publicavit contra lignum Sanctum illud, in quo aſſerit & profitetur ſe, tum Epiſtolam Picolominæi, tum rationes Clementis rejeciſſe, ſolviſſe; atque omnino vanas demonſtraſſe. Hinc Doctor Cynthius contra Auctorem Opuſculi propriam tueri ſententiam coactus, *ſcripſit Epiſtolam ad Johannem Amodeum*, qua demonſtrare *conatur* lignum illud veram eſſe & legitimam ſpeciem ligni ſancti.

Tres illæ Diſſertationes ordine leguntur in illa Collectione. In prima Picolominæus, & in ultima Clemens conantur pro viribus probare (*c*) *lignum illud, quo multis abhinc annis omnes fere Europæi Medici uſi ſunt in curatione Gallicæ luis, non lignum ſeu palum ſanctum fuiſſe, ſed Guaiacum*: Lignum vero ex Hollandia Romam nuper delatum verum eſſe *lignum Sanctum*, quod eſt natura *odoratus, amarius, acrius, mordacius*. Contra vero innominatus Auctor (*d*) multis contendit *lignum illud novum .... non eſſe reponendum, neque inter ſpeciem ligni ſancti, neque Guaiaci.* Sed de his dicta ſufficiant, tum quod illa cum ad particularem quæſtionem ſpectent, ad inſtitutum Operis noſtri argumentum parum faciant, tum quod de illis plura dicturi ſimus in articulo ſequenti.

ANDREAS CÆSALPINUS, Aretinus, Medicinam diu profeſſus eſt in Academia Piſana. Fuit Archiatrus Summi Pontificis, Clementis VIII, obiitque Romæ anno 1603. (*e*) ætatis 84.

Primus omnium fuit, ſi forte (*f*) excipias Michaelem Servetum, Villanovanum, Antitrinitariorum anteſignanum, qui de circulatorio ſanguinis motu ab arteriis in venas, & a venis in arterias per medios cordis ſinus locutus fuerit: Quam doctrinam de circuitu ſanguinis Cæſalpinus non adumbrat modo, ſed aperte deſcribit, adhibita vel ipſa *circula.*

(*a*) Proſper Mandoſius, *de Archiatris Pontificiis*.
(*b*) Sic legitur in *Argumento Diſputationis*, quod proſtat initio Libri.
(*c*) In Epiſtola Cynthii Clementis, *Pag.* 22.
(*d*) In Tractatu incerti Auctoris. *Pag.* 18.
(*e*) Chriſtiani Johannis Langii *Hiſtoria Medica*, Pag. 27. col. 1.
(*f*) Servetus circulatorium ſanguinis motum indicat, *Lib.* 5. *Chriſtianiſmi reſtitutionis*, qui impreſſus fuit Viennæ Allobrogum, anno 1553. Vide Douglaſſium in erudita *Bibliographia Anatomica*.

circulationis voce, quæ nunc uſu viget. Quocirca ſi rei veritas, ut par eſt, attendatur, Cæſalpinus dogmatis illius inventor & auctor habendus eſt, cujus Guillelmus Harvæus promotor tantum & amplificator fuerit.

Andreæ Cæſalpini Ars Medica. Romæ 1601, 1602 & 1603. in 12°. Tres Tomi.

Hoc Opus conſtat *Libris octo*, quorum Quartus eſt *de Morbo Gallico & iis qui in cute, glandulis & articulis*. Agitur ſpeciatim *de Morbo Gallico* primis XIII. Capitibus.

I. Affirmat Cæſalpinus (*a*) „ Morbum novum eſſe, apud Antiquos nunquam viſum, ſed cujus tum eſsentiam & cauſas, tum curationem Medici rationales ex traditis apud Antiquos invenerunt, quamvis nulla exſtaret ejus tractatio.

II. Morbi epocham eamdem cum ceteris admittit, „ Morbus *Gallicus* (*b*) dicitur, *inquit Ille*, quia Gallos prius invaſit, cum Neapolim oppugnarent ſub Carolo VIII. Rege, anno 1495. Ab iiſdem, cum in Galliam reverterentur eodem anno, in totam Italiam diſſeminatus eſt. Galli *Neapolitanum* vocant, quia Neapoli contraxerunt: Germani *Hiſpanum*, quia in eodem bello cum Hiſpanis militantes (*quod vix credo*) infecti ſunt, aut quia creditur in Hiſpaniam primum delatum fuiſſe ab India occidentali, Chriſtophoro Columbo inde viros & mulieres, (*de mulieribus ſilent Auctores Columbo æquales*) aſportante.

III. De contagio recte pronunciat. (*c*) „ Præcipuum, *inquit*, contagium fit per partes obſcœnas, aliquando per ubera pueris lactantibus, aut toto corpore condormientibus, aliquando ſolis linteis ut in ſcabie. Ex concubitu puſtulæ inflammatæ in pudendis oriuntur, maſculi in glande, inde bubones in inguinibus; puerulis lactantibus puſtulæ in ore; nutricibus in mammis; a puſtulis ulcera maligna ſuccedunt.

IV. Morbi ſymptomata accuratiſſime recenſet. (*d*) Puſtulæ, *inquit*, quæ in pudendo, vulgo *Taroli* appellantur, quia continent ſordem quamdam albam, craſſam, figura vermiculi qui ligna erodit, vulgo *Tarlo*, qua ablata alia ſimilis ſubnaſcitur, erodit aliquando totam glandem, inflammat præputium, ut neque detegi glans poſſit, neque tegi. Succedunt paulo poſt puſtulæ in capite, inde in alias partes (*ſic*) cruſtoſæ, ſubalbidæ, aut ſubnigræ, initio pravæ (*parvæ*) quæ augentur ſimilitudine & latitudine vaſculi glandium. Emanat mucus albus, fœtidus, larga copia, quamvis aliquando ſicciores ſint & minores, vulgo *Bolle Franzeſi*. . . . . . Ex puſtulis aliquando ulcera maligna, excedentia carnem ſubjectam, totum pudendum & labia. Tuberoſæ inæqualitates in capite, facie, brachiis, & cruribus, nunc crudæ, perpetuo perſeverantes, nunc ſuppuratæ mucum glutinoſum album effundentes. Super oſſa tibiarum, ad clavículas, coſtas, calvariam, congelationes quædam, quas vulgo *Gummas* appellant, aliquando cum dolore, tenſo perioſtio, nunc ſine dolore. Dolores acerbiſſimi in lacertis ad partes muſculoſas, & nervoſas & circa articulos, in capite, vulgo *doglie Franzeſi*; affligunt noctu magis, in noviluniis, & auſtrinis flatibus. Defluvium capillorum, ſuperciliorum & barbæ, vulgo *Pelaja*. Diſtillationes graves, corrumpentes particulas ad nares, unde cartilaginum corroſio, naſus depreſſus, dentes corroduntur, gingivæ putreſcunt; ad palatum oſſis perforatio, unde coguntur loqui ex naribus; ad fauces, exeſio uvæ gutturis, unde impeditur vox & devoratio; ad pulmonem, unde Aſthma, & Phthiſis; ad ventriculum, dolores & ciborum corruptio; ad ſpinam, dolores dorſi, lumborum, Gonorrhæa.

V. Fatetur „ formam morbi non eamdem, nec ſævitiem ſemper fuiſſe. (*e*) Initio, *inquit*, vigebant puſtulæ, ulcera exedentia, tuberoſitates faciem deturpantes, dolores lacertorum. Poſt annum quadrageſimum (1540.) omnia mitigata ſunt. Pauciores puſtulæ, gummoſitates plures, dolores fere nulli aut multo leviores. Sed cœperunt pilorum defluvia, dentium corruptiones & caſus. Noſtris temporibus poſt annum octuageſimum (1580) diſtillatio (*gonorrhœa*) magis urget & ulcera intra pudendum, unde ſanies continue emanat, putatur Gonorrhœa & mulieribus fluores albi . . . . . (*f*) Nunc mitiora omnia ſunt, quam annis elapſis, quia vis venefica mitigata eſt & minus contagioſa.

VI. Haud diffitetur (*g*) „ nonnullos putaviſse *Morbum Gallicum* Elephantiaſim eſſe; ideoque in initio cœpiſſe ob ſimilitudinem remedia adhibere, tanquam ad Elephantiaſim. „ Sed ultro confitetur *poſtea eventum* opinionem illam *redarguiſse*.

(*a*) Cap. 1. (*b*) Cap. 2. (*c*) Cap. 2.
(*d*) Ibidem. (*e*) Ibidem.
(*f*) Cap. 3. (*g*) Ibidem.

VII. Nec morbum ortum eſſe putat (*a*) *ab occultis ſtellarum influxibus*, quia *cauſa adeo univerſalis unicum locum*, regnum ſcilicet Neapolitanum, primum non affeciſſet, quod probo; nec *a contagio delato ab India*, quia *prius incepiſſet in Hiſpania*, *aut apud eos ad quos Chriſtophorus acceſſit*, quæ quidem Cæſalpinus cum experientia pugnare credit, ſed quæ tamen cum eadem mire concordant. Vid. *ſupra Lib. I. Capp X. & XI.* Ille autem putat ſe „ aliam hiſtoriam habere veriorem ab iiſmet traditam qui interfuerunt, „ *nempe* ex milite Aretino, qui in eo bello militabat cum Hiſpanis. Is referebat, *ut ait* „ *Cæſalpinus*, Oppidum in Monte Veſuvio, quod *Somma* dicitur, ubi copia eſt vini ge„ neroſi, quod *Græcum* appellatur, clam noctu ab Hiſpanis derelictum obſidentibus Gal„ lis, ſed vino infecto admixto ſanguine, quem extraxerant ex iis, qui in Hoſpitali San„ cti Lazari laborabant: Ingreſſos igitur Gallos, atque ex eo vino expletos cœpiſſe la„ borare, comparentibus ſæviſſimis ſymptomatis Elephantiaſim referentibus.

VIII. Deinde ſigillatim proponit *Cap.* 4. Cauſas, & *Cap.* 5. Signa ſingulorum *affectuum*, qui Morbo Gallico accidunt; quibus expoſitis properat ad curationem, quam explicat tribus *Capitibus ſequentibus* 6. 7. & 8.

IX. Proponit primo varia antidota ſeu alexipharmaca, ut „ Theriacam, Mithridatium, „ Trochiſcos de Vipera, Viperam in vino ſuffocatam, aquam diſtillatam ex carnibus Vi„ perinis, vino & aromatis correctam; poſt quorum uſum purgantia præſcribenda cen„ ſet, ut Sagapenum, Ammoniacum, Opoponax, Galbanum, Bdellium; Diaphœnicum, „ pillulas fœtidas, de Hermodactylis, de Colocyntide; *ſed præſertim* præcipitatum Mer„ curium trigeſies cum aqua pluvia, & vigeſies cum aqua roſacea lotum, poſtea ſicca„ tum & irroratum decies ex ſucco Cytoniorum, in quo ſolutum fuerit arabicum, ſic„ catumque ſingulis vicibus, cujus doſis eſt granorum iv. vel v. cum Maſtiches tritæ „ ℈ j, & ſacchari roſacei ℥ ß.

X. Poſt præparatoria illa remedia putat accedendum eſſe ad fortiora, & efficaciora, nempe *Decocta* ligni Guaiaci, *quod omnium præſtantiſſimum eſt*: Cinæ, quæ *tenuiorum eſt partium*, *minus calefacit*, *ut etiam febricitantibus dari poſſit*, *ſed cito evanida fit*: Salſæ-parillæ, quæ *minus exſiccat*, *magis emollit*, *non aſtringit*, *ideo ventriculo noxia*, *ſed facit magis ad gummoſitates*: Ligni Saſſafras, quod *odoratius & calidius incidit magis & digerit*. Quæ ſi defecerint, cenſet „ pro illis accipi poſſe varia apud nos orta; pro Guaiaco li„ gnum Buxi, Viſcum quercinum, vel arborem, quam in Hetruria (*b*) *Ermellinum* vo„ cant, & quidam *Guaiacum noſtratem*: pro Salſæ-parilla radicem Smilacis aſperæ: pro „ Cinna radicem Arundinis.

XI. Approbat etiam uſum remediorum externorum, ut 1°. *Suffumigiorum*, quorum varias profert formulas, quæ Mercurio penitus carent; ſed quibus non diffitetur *ab Empiricis* interdum *addi Cinabrium*, *efficaciſſimum liquandis humoribus craſſis & gummoſitatibus*, *ſed quod hauſtum periculoſum eſt* . . . . ſub ſequenti forma.

℞. *Cinabrii ſubtiliſſime pulveriſati* ℥ j. ß.
Styracis ℥ j.
Laudani ℨ vj.
Ligni Alvei ℥ ß.
Galliæ Moſchatæ ℈ ij. M. f. *Pulvis pro ſex vicibus.*

2°. *Inunctionum ex argento vivo*, quod *remedium deſumptum* eſſe dicit *ex Meſue*, *qui eo utebatur ad ſcabiem craſſam*; & cujus uſu „ mirum illi videtur liquari magnam humo„ rum copiam in capite, & per os exire; ſimul vero ſæpe ſuccedere *tum* linguæ tumo„ rem, adeo ut ex ore promineat & devorationem impediat, *tum* aliquando faucium ex„ ulcerationem & animi deliquium.

XII. Tandem exponit *Capp.* 9. 10. & 11. remedia ſpecialia *ad Ulcera pudendi*, *Bubones*, *defluvia capillorum*, *puſtulas*, *Dolores rheumaticos*, *Gummoſitates*, *eroſionem gutturis*, *&c.* victuſque rationem explicat *Cap.* 12. Sed de his Auctor ipſe conſulendus, ſi ita videatur.

DEME-

(*a*) Ibidem.

(*b*) Quænam arboris ſpecies *Ermellini* nomine intelligenda ſit apud Cæſalpinum ipſe non novi. Novi tantum a Johanne Baptiſta Montano in Tractatu *De Morbo Gallico*, credi lignum quoddam, quod *Eganum* dicitur, natura cum Guaiaco ſimillimum eſſe, utpote *ſolidiſſimum*, *ita ut vix incidi poſſit*, *graviſſimum ac ponderoſum*, *& interius nigredinem habens*: Nullus autem dubito quin arbor illa *Eganum* Montani ſit eadem ac arbor quam Tridentini *Egbelo* vocant; quam Matthiolus habet, in *Dioſcorid. Lib.* 3. *Cap.* 149. pro altera *Anagyridis* ſpecie, & *cujus ligni materiem duriſſimam eſſe ait*, *Guaiaci modo exterius luteam*, *interius vero nigram*; & quam Rembertus Dodonæus, *Stirpium Hiſtoria Pemptad. VI. Lib.* 2. *Cap.* 27. affirmat eſſe *Laburnum*, in quo cum Falloppio conſentit. *De Morbo Gallico*, *Cap.* 40.

DEMETRIUS CANEVARIUS, Genuenſis, Philoſophus & Medicus, natus eſt anno 1559, primum Genuæ in Medicorum Collegium cooptatus fuit, mox Romam ſe contulit, ubi medicinam cum laude & emolumento fecit, multis ſummorum Pontificum & Cardinalium charus. Fuit Archiatros (*a*) *Urbani VII, qui duodecim tantum dierum ſpatio in S. Petri Cathedra ſedit.* Obiit anno 1625. 1602.

De Ligno Sancto Commentarium, in quo præcipuæ qualitates ejus & facultates omnes exacta diligentia exprimuntur, ex illiſque lignum quoddam, quod nuper in Italiam delatum eſt, pſeudo-lignum & nullo modo verum ejus fautoribus accurato examine demonſtratur. Romæ, 1602. in 8°.

„ Delatum fuerat (*b*) in Italiam & Romam potiſſimum, „ loco Guaiaci ſive ligni Sancti „ pſeudolignum aliud pernicioſum & virulentum, mercatorum quorumdam frau„ de non levi, ex (*c*) Septentrione, *ut ait Ille*, unde tum Orbi, tum Urbi ſemper omne „ malum. . . . . . Inde factum, ut Medici nonnulli parum prudentes & ad pauca reſpi„ cientes *hocce lignum* Guaiacum eſſe ſupine ſatis confeſſi ſint, „ eoque uti non dubitaverint Guaiaci loco. At „ per eadem tempora Romæ non defuere meliores & prudentio„ res Medici, qui fucum & fallaciam agnoſcentes id ipſum lignum pſeudolignum ſan„ ctum eſſe & nulla ratione verum; quin imo, quod magis eſt, ægrotantibus noxium „ & ſummopere adverſum demonſtrare conati ſunt.

„ Atque re ſic ſe habente placuit Auctori horum, novum ſcilicet lignum impugnan„ tium, ſententiæ, utpote rationi plurimum conſentaneæ aſſentiri; ſed quod temere ſibi „ illud factum calumniatores imponerent, ea ideo omnia, quæ jam pridem mente ipſe „ conceperat, voceque aliquando expreſſerat, ſcriptis mandare coactus eſt.

Proinde hic controverſiæ acceptum referre debemus hunc Canevarii Tractatum, in quo Auctor *capitibus decem*, id quod probandum aſſumpſerat, videtur luce meridiana clarius demonſtrare.

Nimirum I. (*d*) *Unam tantum eſſe ſpeciem ligni Sancti ſive Guaiaci, non vero plures;* in cujus theſeos confirmationem teſtes adducit „ Conſalvum Fernandum, *in Hiſtoria* „ *Americana, & in Summario hiſtoriæ*; Joſephum a Coſta, Jeſuitam Hiſpanum, *De re-* „ *bus novi Orbis;* & Nicolaum Monardem, Medicum Hiſpalenſem, *De ſimplicibus medica-* „ *mentis ex occidentali India delatis.*

II. (*e*) Parum certa videri teſtimonia, quæ in contrarium producuntur; *Antonii Muſæ Braſſavoli, Antonii Galli, Gabrielis Falloppii, Bernardi Deſſenii, Proſperi Bogarucci,* &c.

III. (*f*) Contra vero de una tantum Guaiaci ſpecie pleroſque Medicos uno ore conſentire, nempe *Hieronymum Fracaſtorium, Bernardinum Tomitanum, Johannem Fernelium, Vidum Vidium, Antonium Fracancianum, Petrum Andream Matthiolum, Amatum Luſitanum, Nicolaum Maſſam* &c.

IV. Demum (*g*) qualiſcunque ſit opinio de una vel multiplici Guaiaci natura & ſpecie, lignum illud in Italiam & Romam potiſſimum invectum, a Guaiaco ſeu ligno Sancto vero apertiſſime differre

1°. *Cortice.* Nam cortex ligni de novo allati *rarus, ſpongioſus, craſſus, mollior* erat: Contra vero Guaiaci cortex eſt *tenuis, denſus, durior.*

2°. *Colore.* Guaiacum enim *extus ſubflavum & quaſi buxeum eſt, intus vero in meditullio fuſcum, imo nigrum*: Contra vero pſeudolignum *extus quidem albidinus, ſed intus virideſcens erat.*

3°. *Odore.* Guaiacum enim *odorum eſt & ſuaviter odorum, ſi ſcobina deradatur.* At vero pſeudolignum erat *prorſus inodorum.*

4°. *Sapore.* Nam ligno quod verum eſt, ineſt *ſapor amarus, ſubacer, nec ingratus*: Lignum autem, quod falſum eſt, *ſaporis nullius erat primo guſtu*, ac deinde *ſaporis acerrimi, cauſtici, piperiſque inſtar linguam & fauces pungentis.*

5°. *Pinguitudine* quaſi *gummoſa*, qua lignum ſanctum abundat; qua lignum recens delatum deſtituebatur.

6°. *Pondere.* Quamvis enim *pſeudolignum ſubſideret in aqua* perinde ac lignum verum, *ſubſidebat tamen lentius*, unde argumentum eſt levius fuiſſe.

O 4 7°. *Duri-*

(*a*) Proſper Mandoſius, *De Archiatris Pontificiis.*
(*b*) Canevarius, in *Præfatione.*
(*c*) Hoc eſt ex Batavia. Vide *ſupra* pag. 354.
(*d*) Cap. 2. (*e*) Cap. 3.
(*f*) Cap. 40. (*g*) Cap. 8.

7°. *Duritie.* Siquidem lignum ſanctum duriſſimum & quaſi intractabile ferro: Contra vero pſeudolignum mollius & poroſius.

8°. Denique *Facultate.* Decoctum enim ligni ſancti ulceratis partibus exterius inſtillatum *manifeſtam quidem caliditatem* producit, interne vero propinatum *nativum colorem palam excitat, vegetumque ad miraculum reddit*; ſed *utrumque citra noxam*: Contra vero decoctum pſeudoligni „ ulceratis partibus adhibitum noxam non levem *induxit*, *nempe* inflam„ mationem & dolorem valde moleſtum, cum acri quodam intolerabilique incendio ;.... „ *lignum* vero tota ſui ſubſtantia ſolum in pulverem redactum, ſi naribus admoveatur, „ ſternutamenta movet .... *Quidmulta?* Ab aſſumpto *ejuſdem decocto pleriſque* præter com„ munem opinionem peſſime contigit, nempe poſt ventriculi triſtem, miſerandamque affi„ ctionem, qua mox paſtum præter omnem modum averſabantur & refugiebant, ... „ adhuc quod notatu dignum eſt, illis os, lingua, fauces & œſophagus inflammata, „ excoriata, demumque exulcerata fuerunt.

Ceterum tametſi Auctor ille egregius ſit fautor utilitatis & efficacitatis Guaiaci ad luem veneream curandam, non diffitetur tamen (*a*) *Sarſa-parilla & radice Cina apud nos*, *ligno* (*b*) Ettalche ſeu Juniperino *in Africa*, & (*c*) Hyuourahe *in Braſilia morbo eodem afflictos apte perſanari*, ... *imo* quod magis eſt, *hydrargyrum apud nos opportune adhibitum luem veneream optime curare.*

1603. Josephus Quercetanus, Armeniacus, id eſt, Du Chesne *d'Armagnac*, in Germania diu commoratus eſt, ubi Chemiæ operam dedit ſedulam, ac plurium celeberrimorum Medicorum amicitiam ſibi comparavit, ut ipſe teſtatur *Hermeticæ Medicinæ defenſionis Cap.* 1. Ad Lauream Medicinalem promotus fuit in Academia Baſileenſi circa annum 1573, cum in *Conſilio XXX.* typis edito anno 1603 ipſe referat *ſe jam per triginta annos remedia, quæ adverſus luem veneream efficaciſſime valens, comprobaſſe.* Lutetiam deinde venit, & inter Medicos Regios ordinarios Henrici IV cooptatus eſt, ac Medicinam in hac urbe fecit non ſine aliquo nomine, ſed cum ſumma Medicorum Pariſienſium invidia, a quibus male habitus eſt, tanquam Chemicus, Aretalogus, Circulator. Obiit ibidem (*d*) anno 1609. ætatis jam provectæ, ut liquet ex ipſius Conſilio *de Arthritide & Calculo*, ubi ſe *ſenem* dicit.

Inter alia non pauca Auctoris illius Opera exſtat *Liber de priſcorum Philoſophorum vera Medicinæ materia, præparationis modo, atque in curandis morbis præſtantia*, Genevæ primum editus *in* 8. anno 1603. ad cujus calcem adjuncta ſunt Conſilia Medica quatuor, quorum Tertium agit de *Lue venerea.*

Docet ibi Quercetanus I. Luem veneream morbum in Europa novum eſſe; ex India ab Hiſpanis importatum; qui in Gallia primum apparuerit poſt reditum Caroli VIII. ab expeditione Neapolitana.

II. Huic morbo medicinam plerumque fieri uſu hidroticorum, decocti ſcilicet Guaiacini, cujus adminiſtrandi methodum ſatis fuſe deſcribit. Attamen *libere fatetur quod res eſt, nempe remedium illud ſolum a ſe inſufficiens eſſe deprehenſum* in lue inveterata.

III. „ Primas *ergo* in hoc morbo tribuendas eſſe Mercurio, qui unicum, verum, ſo„ lum ſpecificum ſit luis remedium, etiam inveteratæ & deploratæ, quidquid in con„ trarium ſcripſerit Fernelius, ... quo remedii genere in Gallia ditiſſimi, delicatiſ„ ſimi, magnæque exiſtimationis homines hac lue infecti feliciter tractari ſolent; „ unde fit ut Auctor ſat multis agat de Mercurii electione, probatione, præparatione, mixtione & adminiſtratione.

IV. Demum non paucas eſſe tum Guaiaci, tum Mercurii præparationes, quas Auctor ad morbum utiliter valere cenſet ex præjudicio, quod apud Chemicos novum non eſt: Guaiaci quidem aquam ſubacidam, ſpiritum acidum, oleum &c. ex Guaiaci ſcobe effuſa aqua deſtillata ex arte; Mercurii vero præcipitata varia, Turpethum minerale, Mercurium vitæ &c. quæ ſingula jam ante viginti quinque annos in *pharmacopœa* ſua *ſpargyrica* a ſe propoſita fuiſſe gloriatur.

1603. Marsilius Magnatus, Veronenſis, Medicinæ ſtudio operam dedit Patavii ſub Jacobo

(*a*) Cap. 10.

(*b*) Lignum *Ettalche* idem quod lignum *Hetechen*, de quo ſupra Pag. 151.

(*c*) *Hyuourahe*, planta eſt Braſiliæ propria, ſic ab Indis Braſilianis vocata, quaſi dicerent *rem raram*, de qua Johannes Lerius, Burgundus, oculatus teſtis in *Navigatione* ſua in Braſiliam *Cap.* 12. & longe melius Andreas Thevet, oculatus etiam teſtis in *Hiſteria ſua Galliæ Antarcticæ Lib.* 2, & Demetrius Canevarius, *De Ligno Sancto*, *Cap.* 3. *pag.* 42.

(*d*) Gui Patin, *Lettre* 31.

Jacobo Zabarella, & Bernardino Paterno. Deinde electus eſt ad docendum in Lycæo Romano, quo munere per reliquum vitæ ſpatium functus eſt. Deceſſit (*a*) Romæ valde ſenex, certe ſeptuagenario major, circa annum 1610.

Opuſcula varia. Romæ, 1603. *in* 4.

Inter quæ, præter alias diatribas numero multas, exſtant *Diſſertationes duæ de Ligno ſancto*.

EUSTACHIUS RUDIUS, (*b*) Utinenſis, medicinam aliquandiu fecit & (*c*) Goricii in Foro Julio, vulgo *Friuli*, & (*d*) Utini in urbe patria; unde evocatus ad publicum docendi munus, primariam practicæ Medicinæ cathedram tenuit in Academia Patavina ab anno 1599. ad annum 1611. quo fato functus eſt. Succeſſerat Alexandro Maſſariæ. 1604.

De Morbo Gallico Libri V. a Mundino Mundinio Philoſopho & Medico, Vincentino, e privatim domi legentis ore excepti, atque ita diviſi, in Capitaque diſtributi, Venetiis 1604. *in* 4°. apud Damianum Zenarium.

Quamquam exſcripta Libri inſcriptio diſerte præferat hoc Opus de Morbo Gallico a Mundino Mundinio *ex ore* Euſtachii Rudii *privatim domi legentis exceptum* fuiſſe, & in *Libros ac Capita* diſtributum, extra dubium eſt ab ipſo Euſtachio Rudio conſcriptum fuiſſe, tum quod ipſe Opus illud *M. Antonio Memmo D. Marci Procuratori* dicaverit, tum maxime quod in Epiſtola nuncupatoria confeſſus ſit „ ſe de hoc quoque morbo, ut „ (*e*) praxim univerſam ſuis omnibus numeris abſolveret, in animum induxiſſe, ut ſcri„ beret, & quæ uſu ac experientia in facienda hujus morbi medicina inveniſſet, litera„ rum monumentis conſignaret, ut poſteritati hac etiam in parte, quantum in ſe eſſet, „ prodeſſet.

Neque parvi pendendum eſt beneficium a Rudio in poſteros collatum, ſi, ut (*f*) ait Mundinius, Vir ille „ ubique cum in ampliſſimis civitatibus, tum Venetiis in urbe re„ gia in extinguendo morbo dicto per omnes & vias & diverticula, recte feliciterque, „ tuto ac ſine offenſione ulla, maximo bonorum applauſu & ægrotorum recreatione ac „ ſolatio proceſſerit; „ quibus ne fidem denegem facit Liber ipſe, ut qui non eruditum modo, ſed quod palmarium eſt, uſu exercitatum ac vere practicum Medicum aperte ſapiat.

Quinque libris abſolvitur, quorum quivis in multa Capita ſubdividitur. Agitur in I. De morbi natura; in II. De morbi cauſis, differentiis, & ſignis; in III. de Indicationibus curatoriis; ac præſertim de remediis præparantibus & evacuantibus; in IV. De medicamentis ſpecificis adverſus venenum gallicum; ac tandem in V. De curatione ſymptomatum gallicorum, & de diæta, quæ ægrotantibus iſtiuſmodi prodeſt.

Inde non obſcurum eſt intelligere quid a Rudio de Morbo Gallico dici potuerit, ut ætas ferebat ſua, atque adeo quid ab illo dictum ſit. Attamen ne officio deeſſe videamur, quod præſtandum ſuſcipere placuit, ſumma rerum Capita ex hoc Opere delibabimus, quæ optime dicta, aut uſu probatiſſima ſunt, vel ad morbi curationem maxime conducunt.

Itaque aſſerit I. Morbum novum eſſe, qui (*g*) „ ſub bello Neapolitano *primum innotuerit*; qui ab Hiſpanis inter reliquas merces, quas ex India occidentali devexere, ... „ in Europam deportatus ſit; . . . . . (*h*) in quo profligando centum & adhuc plures „ annos doctiſſimi quique inſudarint artifices.

II. (*i*) *Tanquam in Africa nova ſemper monſtra*, ſic *varia ſymptomata in hoc morbo enaſci*, qui proinde *tanquam malorum omnium materia prima*, *ſemper novas formas profert*, *& aliquid novi nobis affert*. In cujus rei confirmationem Auctor exemplum adducit Plicæ Polonicæ, (*k*) quam firmiſſime contendit *a virulentia venerea*, *penes formam tantum diverſa*, dependere. Sed an hæc ſatis recte crediderit, nunc non quæro.

III. (*a*)

(*a*) Nicolaus Comnenus Papadopoli, *Hiſtor. Gymnaſ. Patavin.* Tom. 2. pag. 270.
(*b*) Non Bellunenſis, ut dicitur in *Hiſtoria Gymnaſii Patavini*. Tom. I. pag. 345.
(*c*) Rudius ipſe, *De Morbo Gallico*, Lib. 3. Cap. 10.
(*d*) Idem, *Ibidem*, Lib. 3. Cap. 13.
(*e*) Jam ante ediderat *Artem medicam*, *ſive de univerſis humani corporis affectibus medendis Libros* plurimos, Venetiis editos, tribus vel quatuor voluminibus *in fol.*
(*f*) In Præfatione Libro præfixa.
(*g*) Lib. 1. Cap. 1.
(*h*) In Epiſtola nuncupatoria.
(*i*) In Epiſtola nuncupatoria.
(*k*) Lib. 1. Cap. 8. & Lib. 2. Cap. 3.

III. (*a*) *Gallicum venenum tum erodendi, tum putrefaciendi vim habere*, quod ex nota ſymptomatum, quæ infert, natura magnifice probat. Sed hallucinatur dum ex communi ætatis ſuæ opinione dicit jecur præcipuam veneni ſedem eſſe, unde finitimas partes impetat.

IV. Quotidianum eſſe „ (*b*) in Gallica labe bubones in inguinibus prodire: . . . . . „ In alis autem, ſubaxillis, & poſt aures, ... neque bubones fieri, neque parotides „ unquam, vel *ſaltem* una tantum vice triginta quinque annorum ſpatio, in quibus me- „ dicinæ operam dedit, *a ſe* potuiſſe obſervari.

V. Morbum Gallicum a parentibus male habentibus in prolem traduci; ſed poſt ortum contagio contrahi multiplici modo, 1°. Suctione, ſi infans ab infecta nutrice lactetur. Sic ipſe vidit „ (*c*) mulierem quamdam lue gallica refertiſſimam, quæ duos miſellos „ infantes ex *Pietatis* vocato Orphanotrophio infecit, quos lactandos aſſumpſerat, unde „ paulo poſt marcidi & putrefacti periere. „ 2°. Concubitu, quæ communiſſima eſt contagionis via, maxime ſi concumbentium alteruter gonorrhœa laboret. „ quæ quidem ad „ contagium communicandum valentiſſima eſt. 3°. Oſculo illo indecoro & nimis laſci- „ vo, in quo partes ad os attinentes aliqua puſtula, eroſione, aut deſtillatione gallica „ laborantes excipiuntur, aut quomodolibet tanguntur. Novi ego juvenem, *pergit Ille*, „ qui cum illecebris & arte meretricum oblectaretur, hoc uno oſculo mediante, in lin- „ gua tale ulcus contraxit, quod nec ullo medicamentorum genere; neque ferro ignito „ ab inſigni & peritiſſimo illius Civitatis Medico adminiſtratis potuit unquam edomari „ & auferri, & ille miſer ſui errati ingentes pœnas luens non multo poſt diem ſuum „ obiit. „ 4°. Lactatione, ſi nutrix „ infantem aut alterius ætatis hominem *lactet*, qui „ gallica pernicie laborent, potiſſimum ſi aphthis aut oris affectu aliquo ex jam enume- „ ratis teneantur. „ 5°. Decubitu, ſed „ minus periclitantur illi, qui cum infectis „ ſcabie gallica decumbunt, & omnium minime qui in linteaminibus hac labe inquina- „ tis dormiunt, aut induſiis aut aliis veſtimentis infectis immediate teguntur. Sæpiſſi- „ me enim obſervavimus, *pergite Ille*, & puerulos cum infectis patribus decubuiſſe. & „ pleroſque cum ſcabie gallica laborantibus in eodem lectulo dormiviſſe, & nihilomi- „ nus ab hoc affectu immunes perſtitiſſe.

VI. In ſingulis contagionis modis, (*d*) *patientis quoque diſpoſitionem inſpici & perluſtrari debere*, quoniam, *ut ait Gallenus Lib. 1. de differ. febrium Cap.* 4. nulla cauſarum, etiamſi peſtiferæ & ſubinde in agendo validiſſimæ ſint, ſine patientis aptitudine agere poteſt . . . . „ Hinc ſæpiſſime viſi ſunt, *inquit Ille*, plures cum uno & eodem ſcorto eadem quoque die commercium habuiſſe, quorum alii infecti ſunt, alii vero non.

VII. (*e*) *Primas mali radices in illis partibus apparere*, unde morbus contractus eſt: Proinde *ſi oſculo, in ore; ſi ſuctione lactis, in ventriculo; ſi concubitu, in pudendis* &c.

VIII. (*f*) „ Si olim furens venenum longe majora mala peperit, id non propter di- „ verſam ipſius conditionem contigiſſe, ſed quia ejus cognitio atque curatio erant igno- „ ta, & homines, priuſquam admodum id invaleſceret, non animadvertebant. Noſtro „ ſæculo vero hominibus adeo formidabile eſſe, ut vel minima illius ſuſpicione ad re- „ medium ſtatim confugiant, quod quidem Medicorum induſtria longe magis aptum, „ quam antiquitus . . . . Quare perpetuis temporibus hoc vitium eſſe duraturum arbitra- „ tur, niſi Principum adverſus hanc labem conſpiratione . . . . male affecti curentur, „ aut nolentes vel curationem non ſuſcipientes procul abdicentur, & eis commercium „ cum non infectis denegetur: „ Scilicet ut cum iis agere ſolemne eſt, qui Elephantiaci & Leproſi ſunt, aut qui a peſtilenti loco veniunt.

IX. Morbum (*g*) Gallicum perfectiſſime curari poſſe, modo remedia rite adminiſtrentur, contra quam *imperiti nonnulli Medici aſtruere conantur*. Certe ipſe affirmat „ ſe in- „ numeros ab hoc malo perfecte liberaſſe, in quibus nullum in poſterum apparuit ſym- „ ptoma, a quibus inculpata proles fuit procreata, & qui febre aut alio morbo corre- „ pti . . . . nullatenus deterius, quam illud malum poſtularet, habuiſſe viſi ſunt.

X. Ad præcavendum morbum facere, (*h*) „ ſi poſt coitum cum inquinata vel inqui-

„ nationis

(*a*) Lib. 1. Cap. 8.
(*b*) Lib. 1. Cap. 9.
(*c*) Lib. 2. Cap. 1.
(*d*) Lib. 2. Cap. 1.
(*e*) Lib. 2. Cap. 8.
(*f*) Lib. 2. Cap. 10.
(*g*) Ibidem Cap. 9.
(*h*) Lib. 3. Cap. 6.

„ nationis ſuſpecta muliere, ſtatim circa penis radicem vinculum ex panno lineo unius „ digiti latitudinem æquante arctius circundetur, illudque tempore mictionis aut ten. „ ſionis reſolvatur & laxetur, & interim univerſus penis ſpongia nova foveatur, quæ „ vel in lixivio ſarmentorum, vel ficus, vel in poſca in qua Guaiacum efferbuerit, „ vel in acri ſalſamento, vel muria, ... maduerit ...... In mulieribus vero „ meritoriis, quas non propter ipſarum ſanitatem, ſed propter mares operæ pretium eſt „ præſervare, ſi ſtatim poſt coitum vulva & vagina, non aqua roſacea, ut vulgo fit, „ ſed lixivio aut alio ex ſupra propoſitis abluatur, & illico poſt peſſarium aliquod „ meatui proportionatum .... in decocto Guaiaci .... madidum, intimius imponatur & per diem ſaltem detineatur ... Præſtantiſſimum *tamen* atque tutiſſimum remedium præſervatorium eſſe „ a ſcortis abſtinere. Ipſe enim obſervavit aliquando (*a*) „ ex „ decem robuſtiſſimis juvenibus, qui cum eodem ſcorto coiverant, vix unum evaſiſſe. „ (*b*) Habuit etiam præ manibus quemdam alium hac pernicie vehementius correptum, „ qui ipſi jurejurando affirmavit, ſe ſolam penis extremitatem in loca muliebria conjeciſſe & ſolo quaſi momento temporis ipſam inibi detinuiſſe, quia cum quamdam duritiem in una vulvæ parte percepiſſet, illico extentum penem retraxit; nihilominus & „ carie primum gallica & aliis deinde ſæviſſimis ſymptomatis fuit correptus.

„ XI. (*c*) Dum gallicus affectus protractus ac contumax, aut inſuperabilis exiſtit, „ operæ pretium eſſe ad cauteria ipſa confugere, ... quæ methodus etiamnum apud „ Hiſpanos uſu viget. „ Reticere nullo modo poſſum, *inquit Ille*, me quemdam lue gallica pene conſumptum ex toto fere ſanaſſe cauterio primum jecoris regioni adhibito & „ per annos tres aperto detento, quod quidem deinde abſtulimus, ſed prius duobus cauteriis cruribus affixis.

XII. Circa uſum Hydrargyri (*d*) „ admonet *ne quis* niſi neceſſitate compulſus, & „ dum ceteris alterantibus medicamentis gallicum virus profligari & evinci non poteſt, „ ad ipſum confugiat, propter graviſſima ſymptomata, quæ nonnunquam ſubſequuntur...... Non ob id tamen expedit, *addit Ille*, ut ſtupidi quidam faciunt, „ hoc præſidium ex toto deteſtari, quia dum alexipharmaca præcipua morbum non „ ſuperant, ... aut dum exhibitum Guaiaci decoctum ardorem urinæ ingentem „ cum periculo inflammationis producit, ... velimus nolimus, cogimur tunc „ ad hydrargyrum confugere: quo quidem innumeri fuere curati, dicant pertinaces & hujus præſidii omnino ignari quicquid velint; ſi enim recte adminiſtretur, „ ne unus quidem peribit, nec, ut iſti dicunt, vehementer lædetur, & quod magis „ eſt, etiam in puerulis tuto uſurpari poteſt, cujus veritatis nos teſtes ſumus, & „ non multis abhinc annis puerulus, Illuſtriſſimi Principis Doriæ filius, qui lactationis tempore ab ipſa nutrice gallicam luem contraxerat, bis hydrargyro fuit inunctus & „ curatus. „ ..... Quin imo, *pergit Ille*, „ vitia oculorum hydrargyrum non prohibent, nam vidimus nos & viſus oſcuritatem & cæcitatem ob opticorum potiſſimum, „ & cerebri prope opticos obſtructione, hoc uno præſidio poſt alterantia & alia ocularia „ medicamenta incaſſum adhibita, fuiſſe ſublatam.

XIII. (*e*) „ Hydrargyrum duobus modis adminiſtrari poſſe, vel in modum ſuffumigationis, vel inunctionis: Potius utendum eſſe inunctione quam ſuffumigio, quia hoc „ minus tutum: In emaciatis & calida ſiccaque temperatura præditis, necnon in „ iis qui thoracis anguſtia aut etiam ſpirandi difficultate vexantur, vel deſtillationi a capite ad thoracem, aut ſanguinis ſputo ſunt obnoxii, ſuffumigium lethiferum eſſe: Neque minus perniicioſum eſſe in his, qui aut dyſenteriis aut lienteriis corripiuntur: ..... Adhiberi tantum poſſe, ſi Gallica lippitudo ..... corneæ eroſionem minetur, aut ſi impendens in aliquo magni nominis viro depilationis metus ...... capillorum radices jam invadat: ... *Cæterum* pro ſuffumigii baſi ſolam cinnabarim tanquam minus noxiam adhibendam eſſe.

XIV. Se quadam unguenti mercurialis formula (*f*) „ feliciſſimo cum ſucceſſu uſum „ eſſe per plures annos, dum eſſet Utini, in magno illius Civitatis Xenodochio, in quo „ peregrini & egeni ac miſeri cujuſcunque generis recipiuntur. Nam ſingulo anno unguen-

„ tum

(*a*) Lib. 2. Cap. 12.
(*b*) Lib. 2. Cap. 1.
(*c*) Lib. 3. Cap. 6.
(*d*) Lib. 3. Cap. 13.
(*e*) Lib. 3. Cap. 13.
(*f*) Ibidem.

„ tum illud in magna quantitate & in ampliori cacabo parabatur, quo Gallico affe-
„ ctos morbo illinire conſueverunt, tanta ſecuritate ut ne unus quidem eorum, quibus
„ ipſe præfuit, perierit. *Hac autem formula talis eſt.*

℞. *Argenti vivi ſive hydrargyri* ℥ i. ß.
Axungia ſuilla non ſalita ℥ iij.
Maſtiches Chia pulveriſata ℥ j.
Olei maſtichini ℥ i. ß.
Croci ℈ j. ß.
Poma dulcia mediocris magnitudinis cocta N°. ij.
M. & tere in mortario, f. unguentum, cujus doſis in adultis *ad pondus* ℈ ij. pro qualibet inunctione.

XV. (*a*) „ Antimonium bene præparatum (de eo enim ſermo eſt) quod in Gallico
„ morbo a quibuſdam ſpeciatim uſurpatur, ... licet purgatoria facultate univerſum
„ corpus per vomitum vehementius inaniat, non ita tamen virulentiam gallicam exſtirpa-
„ re valere; quocirca poſthabendum eſse.

XVI. Uſu Guaiaci „ (*b*) gallicam luem quamcunque, niſi quid hujus pharmaci obla-
„ tionem impediat, & niſi perperam a Medico adminiſtretur, ex toto curari. „ Poſſe
autem exhiberi Guaiaci (*c*) Decoctum ebullitione paratum ad plures cyathos, vel (*d*)
Oleum deſtillatione prolicitum *ad guttas quatuor in decocto cichoraceo*, vel (*e*) *Pulverem*
tenuiſſime tritum *ad* ℈ ij. *ſyrupo aliquo exceptum & in pillulas redactum*, aut *in decocto
aliquo, vel in ſero lactis caprini* dilutum; quæ ſingula Auctor multis proſequitur, de
præparatione, doſi, tempore & modo exhibendi pluribus differens.

XVII. „ (*f*) Salſam-pariliam longe melius dolores, tum gallicos, tum alios . . . . .
„ demulcere, quam Guaiacum: . . . . . In omnibus quoque humorum fluxionibus, &
„ præſertim a capite ad thoracem & pulmones, & præſertim in aſthmate & ortho-
„ pnœa longe tutius adhiberi: . . . . Sed gallicum virus, niſi admodum exiguum & in
„ corpore recenter contractum ſit, per ſe ipſam profligare & exſtirpare impotentem eſſe,
„ ideoque ipſam non eſſe verum & legitimum luis Venereæ Bezoarticum medicamentum.

XVIII. „ (*g*) Idem fere de Chinæ radice ſtatuendum eſſe, in qua quidem proprietas
„ gallico veneno adverſaria valde exigua eſt, & tanto morbo ſuperando minime idonea,
„ niſi alia bezoartica ipſi miſceantur; . . . . ſed tamen in hydrope, & in cachexia,
„ . . . . & in impinguando corpore non parum conferre.

XIX. „ (*h*) Radicem Myricæ ſeu Tamariſci, quamquam Matthiolus arbitratus fuerit
„ in Gallico Morbo non incongruum fore medicamentum, ... proprietate huic ve-
„ neno adverſaria prorſus deſtitutam eſſe.

XX. (*i*) *Saponariam in poſtremis luis gallica alexipharmacis habendam non eſſe, cum in
gallicis . . . . doloribus . . . . exſtirpandis valentiſſima ſit* . . . . ut ipſe ex-
pertus eſt *anno*, ut ille dicit, *elapſo* (1603.), quo *quamdam mulierem, qua propter ca-
pitis dolorem acerbiſſimum & adeo pertinacem, ut nullis aliis præſidiis alexipharmacis, neque
cauterio, neque ſetaceo, nec veſicantibus potuerit mitigari, obcæcata fere fuerat*, ſaponariæ
uſu *ſanitati reſtituit*. (*k*) Poteſt autem adhiberi vel ſaponariæ decoctum ad ℥ viij. vel
radicis ſaponariæ pulvis ad ℈ j.

XXI. Demum „ (*l*) experientia compertum eſſe Saſſafras nullam habere proprietatem
„ virulentiæ gallicæ adverſariam, ſed cum pingui ſubſtantia & aſtrictione careat, & ca-
„ lidum & ſiccum cum ſit, luis erodentem vim juvare & augere. *Tandem* in quibuſ-
„ cunque fluxionibus & potiſſimum ad articulos & thoracem ut plurimum eſſe noxium.

1604. Fabius Pacius, Vicetinus, Alexandri Maſſariæ concivis, nepoſque ex conjuge,
1608. ut ipſe Maſſarias refert, *Diſſertationis de Scopis mittendi ſanguinis*, *Parte* 2. natus anno
1547. Doctoralem Lauream Patavii accepit anno 1575, ſed jam ante cœperat Medicinam
Viceti*æ*

(*a*) Lib. 3. Cap. 14.
(*b*) Lib. 4. Cap. 1.
(*c*) Lib. 4. Cap. 6.
(*d*) Ibidem, Cap. 10.
(*e*) Ibidem, Cap. 11.
(*f*) Ibidem, Cap. 2.
(*g*) Lib. 4. Cap. 3.
(*h*) Ibidem, Cap. 4.
(*i*) Ibidem, Cap. 5.
(*k*) Lib. 4. Cap. 12.
(*l*) Ibidem Cap. 5.

Vicetiæ factitare ab anno 1568, cum ipſe *in Appendice ad Lib. 7. Methodi medendi*, quam conſtat ex præfixa Præparatione ante annum 1608. ſcriptam fuiſſe, referat *ſe quadraginta jam annos in medicina facienda in Civitate numeroſiſſima cum optimis Medicis non otioſe verſari*. Denatus dicitur anno 1614. ætatis 67.

Vicetiæ excudi curaverat *in folio* anno 1598. *Commentarium in ſex priores Libros Galeni Methodi medendi*. Anno 1608. edidit ibidem eadem forma *Commentarium in ſeptimum Galeni Librum*, cum adjecto ad calcem *Tractatu de Morbo Gallico per Methodum curando*, quem circa annum 1607. ſcriptum fuiſſe ex eo palam eſt, quod Fabius referat Morbum Gallicum 110. *ante annis in Italia*, *Gallica expeditione ad Neapolim*, *ſe exeruiſse*.

Poſtquam multis diſputavit in illo Tractatu juxta Peripateticorum dogmata, de natura, definitione, ſubjecto & contagione Morbi Gallici, ac de putredine, a qua ortum habeat; inquirit in ejuſdem originem, ac contra vulgarem opinionem contendit morbum illum novum non eſſe: quod ut evincat. 1°. Ait nullum ſymptoma in Morbo Gallico evenire, quod antiquam appellationem & naturam non habeat. Quaſi vero ex eo quod ſingula ſymptomata ſeorſum olim nota fuerint, liceret inde colligere peculiarem eorumdem ſymptomatum ſyndromen a contagione venerea oriundam, quæ nunc *Lues venerea* appellatur & de qua quæſtio eſt, antiquitus cognitam fuiſſe. 2°. Adducit aliquot Martialis loca, ut *Epigram. 66 Lib.* 1. de Cæciliani ficis, & 70. *Lib.* 7. de familia ficoſa. 3°. Profert locum illum Juvenalis in *Satyra* 2, ubi Poeta acriter inſectatur vanum probitatis ſimulatorem, qui cum hiſpidis membris & atroci animo muliebria pati ſolebat, unde *Mariſcas* contraxerat. Sed hæc argumenta plane futilia ſunt, neque opinioni de antiquitate luis venereæ *dare pondus idonea*, ut ſupra probatum eſt *Lib.* I. *Cap. III.*

Quod ad curationem, tres diſtinguit Morbi Gallici ſpecies, *incipientis*, *confirmati*, & *inveterati*. I. Ad incipientem adhibet tantum diætam, univerſalia medicamenta, ac topica multigena, quæ levioribus morbis venereis, ulcuſculis pudendorum, gonorrhœæ, bubonibus & medeantur.

II. Ad confirmatum, præter remedia eadem, laudat uſum Guaiaci, Salſæ-parillæ, Radicis Chinæ, imo ligni Juniperini, quo *Franciſcum Anzolellum avum ſuum maternum*, & *Victorem Trincavellium feliciter olim uſus eſſe* refert.

III. Jubet ad curandum Morbum Gallicum inveteratum *decocta ſudorifica intendi*, *victumque ſiccantiorem adhiberi*. Suffumigia quidem tunc non reprobat, ſi ex aromatis componantur; Damnat vero quæcunque *ex metallicis parantur*, *cinnabari præſertim*, *adjectis aromatis*, *quæ uſque adeo ſuſpecta illi ſunt*, *ut miretur fuiſse aliquem*, *qui vel ea præſcribere*, *vel præſcriptis uti auſus ſit*.

IV. Circa *inunctionem ex hydrargyro*, fatetur eam *neſcio quid habere ſecurius ac probabilius* quam ſuffumigia, & ſe *tametſi nemini unquam ſuaſerit*, *aliquibus tamen qui eam uſurpandam deliberaſſent*, *præſto fuiſſe*, *componendi rationem edixiſse Chirurgo*, *inungenti adſtitiſſe*, *ægrum debita purgatione paraviſse*, *membra principalia antidotis præmuniviſſe*, *ſymptomata ſupervenientia correxiſse*, *mitigaviſse*, *reliquias veneni hebetaviſse atque diſcuſsiſse*.

„ V. De eventu quod dicam hoc habeo, *pergit Ille*, ex decem inunctis hominibus vix
„ unum ſanitatem, incertam tamen ac veluti fucatam eſſe conſecutum; reliquos partim
„ nihil profeciſse, partim & deterius habuiſse, ut qui appendicem malorum reportave-
„ rint, dolorem articulorum, oris ulcera, fœtorem, perpetuum ſalivæ fluxum, tinnitum
„ aurium, viſus obſcuritatem, & alia fortaſse.

VI. Confitetur tamen, *qui gummatis tophiſque ſcaterent*, *iis magno inunctionem ſubſidio fuiſse*, *ut quæ duritiem ac tumorem omnem aut prorſus aboleviſset*, *aut magna ex parte molliſset ac minuiſſet*.

Ceterum videtur Auctor ille potius Cathedrarius Profeſſor fuiſſe, quam Medicus Practicus.

ÆMILIUS CAMPOLONGUS, (*a*) Patavinus, natus anno 1550. ab anno 1578. 1604.
ad annum uſque 1607. (*b*) vel (*c*) potius 1604. quo mortem obiit natus annos 54, menſes duos, ut ex Epitaphio conſtat, in Academia patria Medicinam primum Theoricam, & deinde Practicam publice docuit.

Scripſit Libellum *de Lue venerea*, qui nondum in manus incidit, quem conſtat tamen in lucem

(*a*) Mangetus, *in* Bibliotheca Medica.
(*b*) Jacobus Philippus Tomaſinus in *Gymnaſio Patavino*.
(*c*) Nicolaus Comnenus Papadopoli, in *Hiſtoria Gymnaſii Patavini*, Tom. II. Pag. 349.

in lucem exiiſſe poſt Auctoris mortem, & cui, cum emitteretur, Paulus Benius, Eugubinus, præfationem præpoſuit, quæ exſtat inter Orationes & Præfationes Benii, *Venetiis* editas anno 1625, *in fol.*

Liber ille Campolongi diu latuerat manuſcriptus in Bibliotheca tum (*a*) Hippolyti Oddi, D. Marci Equitis & Patritii Patavini, tum (*b*) Johannis Rhodii, Dani, Doctoris Medici, & Patavii degentis.

1605. LUDOVICUS MERCATUS, ſive DE MERCADO, Hiſpanus, ex urbe Pincia, hoc eſt, urbe Valleſoletana in Vetere Caſtilia, vulgo *Valladolid*, patriam Academiam (*c*) plurium annorum profeſſione nobilitavit. Inde accerſitus ad regiam a Philippo II. totos viginti annos ejus valetudinem feliciſſime rexit; quo defuncto eidem officio vacavit apud Philippum III. ejuſdem filium. Demum (*d*) annum agens 86. ſuppreſſa ex calculo urina per dies 18. in acerbiſſimis cruciatibus obivit.

Opera omnia quinque Tomis comprehenſa, & in viginti Tractatus diviſa, quorum *ſeptimus*, qui proſtat in Tomo II, agit *de Morbo Gallico*. Tomus autem ille ſecundus primum prodiit Valleſoleti *in fol.* anno 1605. Deinde cum ceteris Tomis ſimul editus eſt Francofurti anno 1615.

Hujuſce Tractatus *de Morbo Gallico* Libri duo ſunt, quorum *Primus continet omnia quæ ad ejus naturam, & curationem generalem pertinent; Secundus peculiarem quorumcumque accidentium medelam.*

In primo Libro legere eſt 1°. (*e*) Morbum Gallicum *novum eſſe & ortum non multis annis . . . . Monſtra proinde fingi ab iis, qui aſſerunt non eſſe novum affectum, ſed reducibilem ad veteres.*

2°. Morbum illum (*f*) contagione contrahi, *congreſſu, baſiatione, adhæſione cutis ad cutim, communione lecti, indumentis, vaſis.*

3°. Hunc morbum (*g*) præmiſſa præparatione methodica, curari poſſe (*h*) 1°. *Decoctis Guaiaci, Sparta-parillæ, & radicis Chinæ.* 2°. Inunctionibus mercurialibus, quibus ait (*i*) *Medicos omnes ſua ætate frequentius uti, quantumvis timidi aut cautiores ſint, quia experimento didicerunt fere omnibus profuiſſe, etiam illis quibus nullum aliud auxilium præſtiterat.* Eas tamen inunctiones ceteris *tutiores eſſe docet, quæ parum argenti recipiant, modo ad* 15. *aut* 20. *dies continuentur, ne quæ ſuperſunt fermenti veteris veſtigia reverſionem morbi iterum efficiant.* 3°. (*k*) *Suffumigiis*, quæ dicit *aliquando plurimum invaluiſſe, ſed ſuo tempore ſponte ab uſu receſſiſſe . . . . quia tam ſæva & periculo plena exiſtunt, ut vix prudens & cordatus Medicus eis uti tuto poſſit.*

4°. Demum *Cap.* 13. proponit *pro conterendis morbi reliquiis varia auxilia, quæ ſibi ratione & experimento probata eſſe* aſſerit, ut *apozemata, ſyrupos, aquas ſtillatitias, pillulas, pulveres, condita &c.* ſed quæ ſingula plane inefficacia ſunt.

In ſecundo Libro ſigillatim explicat *Capitibus* X. methodum medendi variis affectibus venereis, ut *maciei, doloribus, buboni, tumoribus, ulceribus, puſtulis & gonorrhææ*; ac multa proponit medicamentorum genera, quæ ſua ætate uſu recepta erant, ſed pleraque ex Galenica Pharmacia depromta.

1605. ANDREAS DE LEON, Medicus & Chirurgus Philippi II, Regis Hiſpaniarum, & Protomedicus Claſſis Regiæ Maris Oceani. „ (*l*) Dubium eſt an Granatæ ortus fue-„ rit, an incola? Certe Medicam & Chirurgicam artem Granatæ exercuit, imo & in „ ipſa aula Regis Hiſpaniarum Philippi II, expeditionis Luſitanæ tempore, " anno ſcilicet 1580.

Scripſit hiſpanice Tractatum, cujus titulus eſt:

Practica de Morbo Gallico, en el qual ſe contiene el origen, y conocimiento deſta enfermedad, y el mejor modo de curarla. En Vallodolid, *Por Luis Sanche.* 1605. in 4.

Conſtat

(*a*) Jacobus Philippus Tomaſinus, in *Bibliothecis Patavinis*, pag. 9.
(*b*) Idem, *Ibidem*, *pag.* 138.
(*c*) Nicolaus Antonio, in *Bibliotheca Hiſpana*.
(*d*) Petrus Caſtellanus, *in Vitis illuſtrium Medicorum*.
(*e*) In Præfatione.
(*f*) Cap. 2.
(*g*) Capp 4. 5. 6. 7. & 8.
(*h*) Cap. 10.
(*i*) Cap. 11.
(*k*) Cap. 12.
(*l*) Nicolaus Antonio, in *Bibliotheca Hiſpana*.

Conſtat hoc opus *Capitibus LIX*, in quibus Auctor multa diſputat de ſpeciebus, ſignis, & curationibus methodicis luis venereæ. In ſumma viſum eſt ſequentia tantum excerpere; quæ ad inſtitutum propius faciunt.

I. (*a*) Luem veneream in Inſula *Haiti*, quam *Hiſpaniolam* Chriſtophorus Columbus vocavit, communem & familiarem fuiſſe, ut Variolæ in Europa vulgo obviæ ſunt, atque adeo videri hanc morbi ſpeciem ad nos inde delatam fuiſſe.

II. Hunc morbum in Inſula Haiti ab indigenis, inter quos ab omni ævo graſſabatur, appellatum fuiſſe *Guaynaras*, *Yeblpas*, *Tainas*, & *Ycas*.

III. Chriſtophorum Columbum, cum rediit anno 1493 ex Inſula Hiſpaniola ad quam appulerat, adduxiſſe ſecum aliquot Indicos, indicaſque, qui morbo eodem in hac Inſula endemio infecti erant. Fateor equidem conſtans eſſe Hiſtoricorum teſtimonium de adductis a Columbo viris Indicis, at non ita de fœminis, de quibus omnes ſilent.

IV. (*b*) A viris illis, fœminiſque Indicis morbum contagione traductum fuiſſe in Hiſpanos, Italoſque plurimos, qui in bello Neapolitano merebantur, & ab his in Gallos, qui ſub Carolo VIII, Galliarum Rege, quem Auctor *Captionem, de la gran Cabeça* vocat, ibi bellum gerebant, unde in totam reliquam Europam brevi irrepſit.

V. Inde factum eſſe, ut lues illa varias ſortita ſit appellationes, *Morbi Gallici*, *Scabiei Hiſpanicæ*, *Morbi Neapolitani*, *Sarapionis Indici*, (hoc eſt, Morbilli, gallice *Rougeole*) Indici &c.

VI. Nihilominus tamen (*c*) ab Auctore, dictorum non ſatis memore, vel ſecum parum concorde, paulo poſt affirmari luem eamdem olim apud Antiquos graſſatam fuiſſe, quibus nota fuerit alio nomine, ſcilicet *Mentagræ*, de qua Plinius, *Hiſtor. Natural. Lib. 26. Cap. 1.*

VII. Quod attinet ad curationem, egregie approbari (*d*) Guaiacum ſive Lignum ſanctum; & (*e*) Radicem Chinæ: potiſſimum vero (*f*) Salſam-parilliam, quam vegetabilium omnium efficaciſſimam eſſe ait ad morbi curationem; Singulorum horumce remediorum electionem, decoctionem & adminiſtrationem multis explicari.

VIII. Magnificis laudibus extolli quoque (*g*) Mercurium, quo non alterum a natura ſuppeditari credit medicamen præſentius & efficacius ad luis venereæ curationem, & a quo (*h*) effectus portento ſimiles produci affirmat, in quacunque Morbi Gallici ſpecie.

IX. Demum geminam adhibendi Mercurii Methodum proponi, alteram forma unguentorum, alteram Ceratorum forma: Multigenas autem ſingulorum formulas afferri, quorum adminiſtrationem ſatis accurate deſcribit.

BARTHOLOMÆUS PERDULCIS, Helvius ſeu Vivarienſis, natus (*i*) Bovilleuci, in oppidulo Pagi Helviorum anno 1545, Doctoralem Lauream Lutetiæ obtinuit anno 1572. Ibidem Medicinam majori celebritate docuit, quam fecit. Fato functus eſt ex apoplexia anno 1611. ætatis ſuæ 66. 1605 1630

Univerſa Medicina ex Medicorum Principum ſententiis conſiliiſque collecta. Opus editum a Renato Charterio, Pariſienſi Medico. *Pariſiis*, anno 1630. in 4.

Perdulcis duodecimo hujus Operis Libro, qui *de contagioſis & cutaneis affectibus* inſcribitur, agit *Capite IX.* de lue venerea, ac quæ jam millies dicta erant repetit, morbum novum eſſe, & ab India Occidentali in Europam deductum: Curari, ſi recens ſit, decocto ligni ſancti, radicis Chinæ, ſarſæ-parillæ: Si difficilior fuerit, opus eſſe inunctionibus, ſuffitibus, catapotiis ex Mercurio.

JULIUS CÆSAR CLAUDINUS, Bononienſis, Doctor Medicus, & publicus Medicinæ Profeſſor in Academia patria, florebat circa annum 1580. Obiit anno 1618. 1605 1612

Paradoxa Medica, ſive Tractatus de natura & uſu lactis & ſeri, Thermarum, Lutorum, Fovearum, Stuffarum, Guaiaci ligni, Saſſafras, Salſæ-parilliæ, Chinæ radicis, vini medicati, Chalybis, ſtillicidiorum, balnei aquæ dulcis tepidi, medicamentorum ex Viperis. Collegit hos Joſephus Lautenbachius, ediditque *cum Conſiliis Medicinalibus præſtantiſſimorum Italiæ Medicorum, & Antonii Mariæ Venuſti, Tergeſtini*, Francofurti, 1605, in 4. 1653

Liber

(*a*) Cap. 1. (*b*) Cap. 1.
(*c*) Cap. 2. (*d*) Cap. 47.
(*e*) Cap. 46. (*f*) Cap. 45.
(*g*) Cap. 51. (*h*) Cap. 52.
(*i*) Ex ejus Vita a Renato Moreau *ſcripta & Operibus Barth. Perdulcis præfixa.*

Liber ille nondum mihi in manus pervenit, ſed Librum alium ejuſdem Auctoris legi de eodem argumento, atque adeo ſecundum eadem dogmata ſcriptum, qui Bononiæ editus eſt cum inſcriptione ſequente :

De Ingreſſu ad Infirmos, Libri II. Acceſſit *Appendix de remediis generoſioribus*, Bononiæ, 1612. in 4.

Appendix illa Operi adjecta ſectiones continet undecim, in quibus de iiſdem præciſe agitur, de quibus in præcedente Libro quæſtio eſt. Sed in præſenti eorum tantum ſatagimus, quæ ibidem expenduntur in *Sectione III*, ubi *de natura & uſu radicum Salſæ, Chinæ, Saponariæ, Cannarum vulgarium*; *item Lignorum Guaiaci, Saſſafras, Juniperini, Tamariſcini, Lentiſcini, Viſci quercini, Fraxinei, Santalini.*

Claudinus, expoſitis prius ſingulorum natura, indole, facultate, efficacia, concludit 1°. „ (*a*) Guaiacum, Saſſafras, & quæ his proportione reſpondent, ut Saponaria, Canna vulgaris, Juniperus, Tamarix, Lignum viſci quercini, Fraxinus, indicari ab affectibus, frigidis: Salſam vero & Chinam, & quæ cum his cognationem habent, quemadmodum Lignum Lentiſci & Santali, tum a frigidis, tum a calidis.

2°. „ (*b*) Præter hæc indicari eadem a lue venerea tanquam illius (ut plerique volunt) alexipharmaca, quæ a proprietate quadam inſita illam expugnant.

3°. Primas tamen Guaiaco deferendas eſſe. „ (*c*) Qua tamen in re, *ait Ille*, ergo ejus ſum ſententiæ, ut exiſtimen præcipue Guaiaco vim hanc alexipharmacam deberi ...... (*d*) cum in omnibus differentiis luis, omnibus hominibus, omnibus temperamentis, omni anni tempore proſit.

4°. Secundas vero partes dandas eſſe „ (*e*) Salſæ & Saponariæ, quæ adeo in hoc malo præclaram ſæpe operam præſtant, ut probabiliſſimum ſit habere formam & proprietatem veneno Gallico adverſariam.

5°. „ (*f*) Quantum attinet ad horum compoſitionem, varias ex illis concinnari poſſe medicamentorum formulas, Decocta, Electuaria, Pulveres, Extracta, Olea, Syrupos: Quin & aquam ſtillatitiam ex iis confici pro pueris & delicatis, quæ ſingula fuſius deinde explicat, ſed quæ cuncta nullibi non occurrunt.

De hydrargyro vero ne verbum quidem unum, cum luis venereæ curatio tractatur. Anti-helmintica tamen illius virtus Auctorem non latuit, cum ipſe (*g*) alibi referat poſſe „ dari adverſus vermes vinum, in quo Mercurius maceratus fuerit, *imo* in deſperato caſu Mercurium in ſubſtantia ad ℈ j. ex vino.

Haud diſpar eſt Claudini doctrina in Opere alio, quod poſt ejus mortem a Julio Cæſare Claudino, Auctoris nepote, & Philoſophiæ Profeſſore, editum eſt Bononiæ, anno 1653. In fol. cum hac epigraphe:

Empirica rationalis Libris ſex abſoluta, & in duo volumina diviſa. Bononiæ, 1653. *in* fol.

Et in quo, *Libro VI*, *Sectione II*, proſtat Tractatus *de Lue Gallica* Capitibus *ſex* comprehenſus.

In Capite I, quod inſcribitur *de Indicationibus Luis Gallicæ*, nihil occurrit notatione ulla dignum.

In Capite III. in quo *de materiis pharmaceuticis curatoriis luem reſpicientibus*, 1°. Propoſita prius tædioſa illa & inefficaci curatione methodica Antiquorum, Auctor totus eſt in enumerandis variis remediis, quæ ex Guaiaco, China, Salſa-parilla, Saſſafras &c. peti poſſunt, nempe aquis ſtillatitiis, decoctis, ſyrupis, pulveribus, bolis, rotulis &c, quæ ſingula ad nauſeam explicat, & quæ cenſet eſſe *alexipharmaca propria luis venereæ.*

2°. Quod ad mercurialia, fatetur ille „ hæc ſibi executionis difficillimæ videri, & propterea hæc medicamenta ſibi ſemper ſuſpecta fuiſſe, & hoc maxime propter duo: Primum eſt, quia ſunt venefica; Secundum, quoniam pro certo habet hæc per ſe ſola, & abſque aliis alexipharmacis ſupra datis luem ipſam non ſuperare; ſe tamen illorum mentionem facere, quia Scriptores illorum meminerunt: Quare de illis, *inquit*, potius loquitur, ut Lectores valeant Scriptores intelligere, quam ut illos ſuadeat ad illorum uſum.

3°. Duos deſcribit modos adhibendi Mercurium interne, *alterum* ſub forma præcipitati rubri vel flavi, cujus præparatio proponitur a Falloppio: *Alterum* ſub forma pillularum, quæ ad pillulas Barbaroſſæ accedunt proxime.

4°. Ultro

(*a*) Cap. 48. (*b*) Cap. 45. (*c*) Cap. 51. (*d*) Cap. 52.
(*e*) Ex ejus Vita a Renato Moreau *ſcripta & Operibus Barth. Perdulcis præfixa.*

4°. Ultro confitetur *ſe rariſſime admodum unctione mercuriali uſum eſse*; Affert tamen aliquas unguenti formulas, ſed nimium valde compoſitas, ac cautelas ad quas attendendum eſt, pro modulo, hoc eſt, ſatis jejune explicat, ut illius therapeiæ parum gnarus.

„ 5°. Verum enim vero, quoniam illo judice lues venerea uſu hydrargyri non expu„ gnatur, ſed humorum crudorum ac viſcidorum copia tantum expurgatur, ac proinde „ tunc melius alexipharmaca operantur, idcirco eſt hujus ſententiæ, ut ab uſu hydrargy„ ri ſit deſcendendum ad uſum Guaiaci, vel ſub forma decocti, vel olei, vel ſalis, vel „ extracti.

6°. Cenſet „ curationem per ſuffumigationem minus tutam eſſe illa, quæ inunctione „ machinatur (*ſic*), cum ſpiritualia magis petat: Efficaciorem tamen illa, quæ inun„ ctione celebratur, ob penetrationem & irritationem expultricis ad luis evacuationem: „ Adminiſtrandam vero in patiente robuſto maxime ſecundum thoracem, & in malo con„ tumaciſſimo. „ Deinde formulas aliquot ſuffumigiorum, ac ſuffumigationum methodum explicat, ſed paucis nec ſatis diſerte, cum fateatur ipſemet ſe *de ſuffumigatione, ex aliorum ſententia verba facere*.

7°. Recenſet inter remedia anti-venerea *Stibium præparatum*; quod ideo valere credit, quia „ irritando facultatem expultricem ventriculi & inteſtinorum, vomitum & deje„ ctionem facit, „ ſed quod utcunque emeticum & catharticum eſſe poſſit, curandæ lui venereæ omnino impar eſt.

In Capite IV, in quo *de materiis pharmaceuticis curatoriis ſymptomatum luis venereæ*, Claudinus varia enumerat morbi ſymptomata, qualia ſunt Febris ab uſu Guaiaci, Bubo, Gummata, Verrucæ, Puſtulæ, lapſus dentium, Caries oſſium, Ulcera, Rhagades, Phimoſis, Tinnitus aurium, Gonorrhœa, Defluvium capillorum &c. ad quæ ſingula remedia quædam proponit, ſed palliativa potius quam therapeutica.

In Capite V, in quo *de materiis pharmaceuticis præſervatoriis*, Claudinus auctor eſt illis, qui *cupidini ultra rationem indulgentes in periculo malunt periclitari, quam abſtinendo incolumes ſervari*, ut ante congreſſum aliquandiu pudenda muniant & denſent lotionibus auſteris & aſtringentibus, vel applicitis linteolis ſupra glandem, quæ in decocto antivenereo diu infuſa & macerata ſint: Poſt congreſſum vero, *ſi ſit ſuſpicio virus a pudendo conceptum aliqualiter fuiſse*, pullos columbaceos, gallinaceos, catulos vivos, diſſectos, exenteratos, atque actu calidos, imo pulmones animalium calidos pudendis apponant, ut venenum attrahatur; quæ omnia plane nugatoria ſunt.

Demum *in Capite IV.* agitur *de materiis diæteticis, ſeu victus ratione in lue venerea*.

Hęc plus quam ſatis, ſunt ut patefiat Julium Cæſarem Claudinum in curanda lue venerea parum exercitatum fuiſſe; a Mercurio & inunctione præſertim mercuriali abhorruiſſe ſine cauſa; & Guaiaco, Chinæ, Salſæ-parillæ, Saſſafras, aliiſque remediis non paucis longe inefficacioribus, præter modum confidiſſe.

PETRUS PIGRAY, Pariſinus, Henrici IV. Chirurgus, Communitatis Chirurgo- 1606. rum Sancti Coſmæ Decanus, obiit die 15. Novembris, anno 1613, ætatis ſuæ 79, ſi fi- 1609. des adhibenda ſit inſcriptioni ejus Iconi additæ, in qua, anno 1609, dicitur natus anno 75.

Gallice compoſuit Compendium Chirurgiæ, quod inſcripſit:

> *Epitome des Preceptes de Medicine & Chirurgie, avec ample declaration des remedes propres aux maladies*. Dedié au Roi Henri IV. *Paris*, 1606. *in* 8°.

& quod a quodam latine verſum, Pariſiis editum fuit anno 1609, cum hac epigraphe:

> *Chirurgia cum aliis Medicinæ partibus juncta*, Auctore Petro Pigræo, Regis Chiriatro, & Scholæ Pariſienſis Decano; *Ad Henricum IV. Regem Galliæ & Navarræ Chriſtianiſſimum*. Pariſiis, *apud Marcum Orry*. 1609. *in* 8°.

in qua inſcriptione *Chiriatros*, pro *Chirurgo*, barbare; & pro *Decano Communitatis Chirurgorum Sancti Coſmæ*, *Decanus Scholæ Pariſienſis* inepte ponitur.

In *Octavo* hujuſce Compendii *Libro*, in quo agitur *de morbis contagioſis*, quæſtio eſt de Lue venerea *Capitibus ſeptem*, nempe III, IV, V, VI, VII, VIII, & IX; ſed paucis & in quibus nihil occurrit, quod non ante cognitum, imo quod vulgare non eſſet.

I. Affirmat luis venereæ, (*a*) „ ſi ex muliere contracta fuerit, ejus principia eſſe in „ pudendis partibus; ſin ex lecti ſocietate tantum comparata fuerit, per alicujus partis „ cutis, ubi apparet, poros ingredi ac permeare; Si infans e nutrice morbum cum contraxerit,

(*a*) Cap. III. Utor autem verſione latina modo laudata, quamquam ſolœciſmis ſcateat.

„ traxerit, illius ſigna exſtare in ore & gutture; Sin vero nutrix ex infante, ea tunc in „ nutricis mammis cerni.

II. Laudat (*a*) „ Mercurium ſeu Argentum vivum, & irridet quemdam * ex iis, „ qui Mercurii uſum tantopere non verbis tantum, ſed ſcriptis etiam damnarunt; qui „ in primario quodam hujus regni (*Galliarum*) Viro curando, (cui ſe Mercurio mi- „ nime uſurum promiſerat) deprehenſus manifeſto ac deluſus fuit, dum ferens ſub veſte „ pyxidem unguenti cum Mercurio permixti plenam, cum ejuſdem magnitudinis alia, un- „ guenti quoque ſed ſine Mercurio plena commutaret. . . . . . Quod quidem, cum non „ ſine magno illius ludibrio probroque deprehenſum ac patefactum eſſet, ille pudore „ perfuſus eo nunquam rediit.

III. Refert (*b*) „ ætate ſua celebratum fuiſſe vinum Magiſtri Ludovici, per quod „ tot tantaque miracula edebantur, ut plerique omnes ægroti ex univerſa pene Gallia „ Lutetiam commearent, ut eo uterentur, nec ſibi quis probe ſanatus videretur, qui eo „ uſus non fuiſſet: Tantam vim, *addit Ille*, in nobis una opinio habet; at poſtquam „ conficiendi illius vini ratio patefacta eſt, jam inde pro nihilo haberi cœpit. „ Illud autem vinum conſtabat ex duabus aquæ communis partibus & una vini albi, in quibus dolio concluſis aliquantulum raſuræ ligni Guaiaci & aliquot plantarum hepaticarum manipuli infundebantur.

IV. Cenſet (*c*) in adhibendis inunctionibus mercurialibus „ initium ſumendum eſſe ab „ iis partibus, per quas malum viam ſibi ad interiora fecit: Doſim unguenti paulatim „ adaugendam eſſe: Conferre etiam diei unius ſpatium aliquando interponere, ut per il- „ lud naturæ liceat humorem ſeponere ut evacuetur, vel plurimorum quidem, ſi labo- „ rans debilis, malumque inveteratum fuerit.

V. Narrat (*d*) „ ſe ſummi cujuſdem Principis hoc morbi genere laborantis curationi „ interfuiſſe, una cum eruditiſſimis & peritiſſimis totius Europæ Medicis, & in eo „ morbo curando omnium exercitatiſſimis: Ibi tunc tria inter conſultandum agitata fuiſ- „ ſe, an ad Principis illius curationem uteremur Mercurio, & qualis foret unguenti „ compoſitio? An decoctionem Guaiaci ſumeret ante frictionem? An denique vinum fri- „ ctionum tempore ſumeret? . . . . . Conſtitutum autem fuiſſe ad perfectam laborantis „ plenamque curationem adhibendum eſſe Mercurium: Vinum frictionum tempore, ſed „ valde dilutum dandum illi eſſe, quia cor corroborat: Illum decoctione ante frictionem „ non uſum, ne motus naturæ impediretur: Unguentum vero ad hanc quæ ſequitur „ formam fieri. „

℞. *Argenti vivi optimi, bene depurati & optime exſtincti cum Terebinthina Veneta* ℥ iiij.
Axungiæ porci Lib. ℥.
Agitentur diu in mortario, donec permixta fuerint. F. Unguentum.

quod, ut liquet, ex Mercurio ſolo cum axungia componebatur, & tertia tantum Mercurii parte conſtabat.

VI. Memorat (*e*) „ Illuſtriſſimum quemdam Regem (*Franciſcum I. ut opinor*) intem- „ peſtive diem extremum obiiſſe, quod hominis imperiti, a quo præter legitimam ratio- „ nem ac methodum tractatus fuiſſet, fidei & curæ ſe inauſpicato commiſiſſet.

VII. (*f*) Proponit uſum *emplaſtrorum cum Mercurio*, & *ſuffimentorum cum Cinnabario*, ſed quæ parum probat. Improbat quoque uſum pillularum mercurialium, quanquam *nihil inde mali hactenus accidere viderit*, ſed addit *quandiu medicamentum foris admotum prodeſse poterit, eo ſe intus nunquam uſurum, etſi e Rheumbarbaro, quod in primis laudat ac probat, compoſitum fuerit.*

VIII. (*g*) Narrat *ſe vidiſſe aliquot infantes probe ſanatos fuiſse, qui ſola porci axungia in plumbeo mortario diu commota & agitata fricti fuiſsent*, creditque *plumbum aliquid ex Mercurio retinere, atque facultatem huic veneno contrariam illi ineſse.* Sed fallitur in utroque Pigræus; neque enim experimentum ab eo allatum verum eſt, neque verior ratio, quam ad explicandum experimentum comminiſcitur; non quod non lateant partes mercuriales

(*a*) Cap. IV.
* Neſcio in quem ea cadant, niſi forte in Julianum Palmarium, qui in Mercurii uſum multa ſcripſit, & qui Petro Pigray æqualis fuit.
(*b*) Cap. IV. (*c*) Cap. IV.
(*d*) Ibidem.
(*e*) Ibidem.
(*f*) Ibidem.
(*g*) Ibidem.

riales in plubo, quod ipſe non nego, ſed quod partes illæ ita lateant in occulto, ut extricari nulla ratione poſſint in unguento, neque adeo adverſus venenum venereum virtute pollere, quam habent infinitam.

Capitibus ſequentibus, V, VI, VII, VIII, & IX, Pigræus diſſerit *de ſymptomatibus; quæ luem veneream præcedunt; ac primum de pudendi ulceribus; De apoſtemate in inguine, quod dicitur* Bubo; *De Gonorrhoea ſeu meiendi acrimonia; De carnis incremento, ſeu ut vulgo* (ſic) *carnoſitate in urinæ meatu; Demum de ſymptomatis, quæ veneream luem ſequuntur*. Sed in his nihil eſt omnino, quod adnotatione ulla dignum eſſe videatur.

JOHANNES DE RENOU, ſive RENODÆUS, Normannus, qui Pharmaceutices ſcientia plurimum præſtitit. 1606.

GEORGIUS ARBAUD, Provincialis Alpenſis.

Quæſtio Cardinalitia agitanda . . . . . . *die Jovis* XXIII. *menſis Februarii, Præſide* M. Johanne de Renou, D. M.

An Hydrargyrus tutum Indicæ luis alexipharmacum?

Negat Concluſio.

Aſſerebat (Lutetiæ) *Georgius Arbaud, Provincialis Alpenſis*. A. D. 1606, *in* fol. *Pag.* 1.

FELIX PLATERUS, Baſileenſis, natus anno 1536, (*a*) *abiit Monſpeſſulum* anno 1552 *ſtudii Medici cauſa*, ac in illa urbe (*b*) *cohabitavit* cum *Laurentio Catalano*, celebri *pharmacopœo*. Sane liquet ex actis Facultatis Monſpeſulanæ Felicem Platerum albo Philiatrorum inſcriptum fuiſſe anno 1552, ibidemque Gradum Baccalaureatus anno 1556, & Doctoratus anno 1557 conſecutum fuiſse ſub Antonio Saporta, Academiæ Decano. Anno ſequente 1558, rediit Platerus in patriam, ubi medicinam cum laude maxima fecit (*c*) anno 56, & ad publicam Medicinæ Cathedram in Univerſitate Baſileenſi evectus eſt anno 1571, quo docendi munere functus eſt (*c*) annos 43. Obiit anno 1614, ſeptuageſimum octavum annum jam ingreſſus. 1608.

Praxeos ſeu de cognoſcendis, prædicendis, præcavendis, curandiſque affectibus homini incommodantibus, *Tomi tres*. Baſileæ *annis* 1602, 1603, 1608, in 8°.

In *Tomo III*, qui totius Operis ultimus eſt, *Lib. I. Cap.* 4. ubi de *Defœdatione*, agitur de tribus luis generibus, quæ corpus vitio contaminant, nempe de *Elephantiaſi* ſive *Lepra*, de *Stomacace* ſive *Scorbuto*, & potiſſimum de *Lue venerea*. Omiſſis in præſentia tanquam alienis, quæ ad duas priores luis ſpecies pertinent, pauca ſed præcipua tamen ex iis excerpemus, quæ ad luem veneream ſpectant.

I. Itaque diſtinguit Platerus luem veneream ab Elephantiaſi, cum hanc (*d*) *antiquam ſemperque cognitam*; illam vero *novam*, & (*e*) *ab Indis* (occidentalibus) *ad nos translatam eſſe* dicat. Illius autem judicium hac de re tanto pluris faciendum eſt, quod ille (*f*) annos 43. Elephantiacis inſpiciendis vacaverit, quorum proinde plurimos obſervandi occaſionem habuit, ut liquet ex *Obſervationum Lib.* 3. *pag. m.* 709.

2°. Recenſitis prius, nec indiligenter, ſignis atque ſymptomatis luis venereæ, ad curationem mox properat, quam duplici methodo inſtitui poſſe cum cæteris omnibus ætatis ſuæ Scriptoribus affirmat, videlicet tum Decoctis ſudorificis, tum Hydargyro ſive Mercurio.

3°. Proinde fuſe explicat modos omnes præparandi & exhibendi Decocta Guaiaci, Salſæ-parillæ, Chinæ, Saſſafras; Et ſuccedaneorum remediorum, ut lignorum Buxi, Juniperi, Cedri, Cupreſſi; Radicum Dictamni, Myricæ, Cannarum, Petaſitidis; Herbarum Aſarinæ, Scordii, Herniariæ, Perſicariæ &c. de quibus ſingulis ab aliis Scriptoribus vel nullomodo, vel paululum diſſentit. Id enim unum Plateri proprium eſſe arbitror, nempe quod ille auctor ſit, ut (*g*) „ Decoctio *horumce remediorum* fiat in aqua Perſicariæ, ex herba ſub finem menſis Septembris & per totum Octobrem collecta, per alembicum elicita, ob ſingularem proprietatem, quam in hac lue curanda habere prædicatur.

4°. Uſum vero Mercurii geminum admittit, Externum & Internum. *Externum*, per *unguen-*

P 2

(*a*) Platerus ipſe, *Obſervation. Lib.* 2. *Pag.* 326. Edition. Baſileenſis, *ann.* 1641.
(*b*) Ibidem, *Lib.* 1. *Pag.* 239.
(*c*) In Epiſtola dedicatoria ſuarum Obſervationum.
(*d*) Praxeos *Tom.* 3. *Lib.* 1. *Cap.* 4. *Pag.* 375. edition. Baſil. *ann.* 1736.
(*e*) Ibidem *Pag.* 416.
(*f*) Obſervation. *Lib.* 3. *Pag.* 714. Et Praxeos *Tom.* 3. *Lib.* 1. *Cap.* 4. *Pag.* 383.
(*g*) Praxeos, Ibid. *Pag.* 428.

unguenta, *emplaſtra*, *ſuffumigia*, & *lavatoria mercurialia*; *Internus* per pillulas, in quas *Mercurius crudus*, *præcipitatum rubrum*, vel *Bezoarditum minerale* recipitur.

5°. Præ ceteris tamen methodis omnibus laudat Platerus uſum hydrargyroſeos. (*a*) „ Curatio, *inquit*, per extrinſecus corpori abhibitum Argentum vivum communiter in-„ ſtitui ſolet non ſolum a Medicis probatis, ſed & Chirurgis, aliiſque Empiricis, in-„ deque morbum frequentius atque integre ſanari videmus.

6°. Demum curatorias methodos particulares proponit, quæ faciant ad ſingula luis venereæ ſymptomata ante recenſita, ut ad dolores artuum, nodos, ulcera, puſtulas, maculas cutis, defluvium pilorum, manuum ſquamas, rhagadeſque.

7°. Porro mirum mihi videtur ætate Plateri ægrotantes ex lue venerea a ſanis ſegregatos fuiſſe, quaſi vero morbus contagione in diſtans graſſari potuiſſet, necdum experientia jam abunde compertum eſſet contactu tantum, & contactu plerumque venereo concipi. At vero ſic ait Platerus. (*b*) „ Hujus luis accidentia eo diligentius ſunt recenſen-„ da, quod illa lues contagioſa ſit, ut mature ea cognita, hac correpti a ſanis ſeparen-„ tur, quibus etiam ob id Magiſtratus propria noſodochia, ſi pauperes ſint, quo rele-„ gentur & ubi cura ipſis adhibeatur, deſtinavit.

Haud diſſimulandum in his omnibus ab Auctore peccari nimia polypharmacia; propter quam omnium ſermone jampridem vapulat; nec immerito mea quidem ſententia; cum apertiſſime conſtet veram Medicinam inde prægravari, ne dicam obrui.

1609. GERARDUS COLUMBA, Meſſanenſis (*c*), „ Doctor Medicus, ea floruit doctri-„ na, ut inter primarios Medicos ævi ſui cooptatus, in celeberrimo Patavino Lyceo me-„ dicam facultatem magno cum plauſu docuerit.

Tractatus de Lue venerea. Francofurti, 1609. in 8°.

1610. JOHANNES VARANDÆUS, Nemauſenſis, ad Doctoralem gradum promotus anno 1787. in Academia Monſpeſſulana, Profeſſor Regius ibidem renuntiatus eſt anno 1597. Ad Decanatum pervenit anno 1609. Obiit anno 1617. Plura de eo in Hiſtoria Scholæ Monſpeſsulanæ.

Tractatus de Elephantiaſi ſeu Lepra; *item de Lue venerea & Hepatidide ſeu hepatis atonia*. Monſpeſſuli, 1620. *in* 8°.

qui Tractatus proſtat *Pag.* 294. in Collectione Operum omnium Varandæi, ſtudio Henrici Gras typis edita Lugduni anno 1658, ſub inſcriptione *De morbis hepatis & lienis*.

Ibi diſſerit Varandæus de lue venerea *Capite unico*, nec quidquam affert quod ante vulgatum non fuerit. Morbi originem ab India arceſſit, & luem illam ab Elephantiaſi diverſam eſſe ſtatuit probatque.

Putat morbum eo magis ſævire, quo frigidior eſt in regio in quam irrepſit, unde *frigida & craſſa magis retinentur*; ideoque *apud Lutetiam Pariſiorum &* (*d*) *Rothomagum & ſimiles Urbes ferociorem eſſe hunc affectum*, *quam in Occitania aut Hiſpania*.

Quod ad curationem præmiſſis præparantibus remediis, quæ ſunt ex purgantium & alternantium familia, deinde refert *allata eſſe ad nos duo ligna & totidem radices ex Indiis*, *quæ ad hoc peculiarem habent energiam*, *lignum ſcilicet Guaiacum & lignum Saſſafras*, *radicem Salſæ-parillæ & radicem Chinæ*.

Eſſe princeps & veluti regium medicamentum in hoc affectum Guaiacum ſeu lignum Sanctum, *ita ut merito verum iſtius luis Alexipharmacum ſeu Bezoarticum appellari debeat*, *quia ad certam*, *citam & tutam luis venereæ curationem omnibus aliis præpollet*.

Saſſafras, Salſam-parillam & Chinam virtute cedere Guaiaco, ſed Saſſafras *valde eſſe commodum omnibus iis*, *qui ex lue venerea diutius ſæviente in apepſiam*, *cachexiam*, *aquam intercutem & alias paſſiones hydropicas inciderunt*, *aut qui tumores frigidiores patiuntur*: Salſam-parillam *habere proprietatem quamdam ad dolores artuum ſedandos*. Radicem Chinæ *credi atrophiæ ex morbo iſto comparatæ*, *fluxionibus acribus & aſthmati convenire*.

Hydrargyrum *medicamentum eſſe malignum & deleterium*, *ſi per ſe ſpectetur* . . . . *attamen non eſſe rejiciendum in hoc affectu*, *cum & in ſcabie & lepra jam olim feliciter fuerit uſurpatum*; *ſed eo utendum in rebelli conſtitutione*, *aut malignorum ulcerum & dolorum feritate*, *quæ aliis remediis prius commemoratis cedere non potuit*: *Summa tamen cautione*, *ut neque puerulis*, *neque ſenioribus*, *nec gravidis mulieribus*, *aut paralyſi*, *nervorum imbecil-*

(*a*) Ibidem, *Pag.* 440.
(*b*) Ibidem, *Pag.* 384.
(*c*) Antonius Mongitore, in *Biblioth. Sicula*.
(*d*) Vide quæ de lue venerea Rothomagenſi diximus ſupra.

imbecillitati vel angina obnoxiis adhibeatur , neque febricitantibus , aut valde macilentis.

Demum balnea naturalia aquarum thermalium *magis nocere quam prodeſſe , ut compertum eſt ex balneis Belilucanis* (de Baleruc) *quamvis generoſiſſimis , ex quorum uſu lue venerea affecti gravius ſe ſe habere conſueverunt.*

Expoſita generali luis curatione , proponit deinde therapeiam particularem ſingulorum affectuum, *qui luem veneream velut aſſeclæ præcedunt , vel comitantur* ; ſed de his jam ſatis.

HINNIONUS ARNISÆUS, Halberſtadienſis, in Academia Helmſtadienſi fuit Medicinæ Profeſſor, unde in Daniam advocatus eſt ad Archiatri munus. Sane eo fungebatur officio apud Chriſtiernum IV. Regem Daniæ, anno 1630, quo Antonius Guntherus Billichius Epiſtolam dedicatoriam ad illum ſcripſit , quæ præfixa eſt Libris duobus *Obſervationum ac Paradoxorum Chimatricorum.* Fato functus eſt anno 1635. 1610.

MARTINUS GOSKY, Lignicenſis Sileſius.

> *Diſputatio de Lue venerea cognoſcenda & curanda , quam . . . . . in illuſtri Electorum Brandenburgenſium Academia , pro loco in Facultate Medica obtinendo , publico Medicinæ Doctorum & Studioſorum examini ſubjicit Henningus Arniſæus , Philoſophiæ & Medicinæ Doctor & Profeſſor.* Reſpondente Martino GOSKY, Lignicenſe Sileſio ; Auguſti 2 , anno 1610. *Francofurthi imprimebat Andreas Eichorn.* in 4.

Theſis hæc Academica paginis XXVIII. abſolvitur.

SEBASTIANUS CORTILIO, Phyſicus & Chirurgus Ariminenſis , & Civis Peruſinus. 1610.

> *De Chirurgica Inſtitutione Libri V. cum Practica Chirurgica ejuſdem Libros IV. continente.* Exſtant cum Johannis Marquardi Practica. *Franconfurti, typis Nicolai Hoffmanni*, in 8. 1610. Bibliot. Sloanian.

Librum hunc ipſe non uſurpavi , ſed ſequentem illius analyſim accepi ab erudito Viro, Thoma STACK, Doctore Medico, quem pluries laudavi, quem nondum ſatis laudavi, & cui præter hæc, multa alia & eximia, quæ huic editioni addita ſunt , accepta gratus refero.

Liber III. Operis a Cortilione ſcripti totus eſt de morbo Gallico , a *pag.* 438. *ad pag.* 478.

Dividitur Liber ille in Capita XIV, ſeu potius XIII, nam deeſt Caput IX , quod errore ſolo numerorum , qui ſequentibus Capitibus appoſiti ſunt, factum puto , cum nihil in Libro deeſſe videatur.

En ſingulorum Capitum ſummaria , cum brevi quorumdam analyſi , quoties rei dignitas, novitaſve ita poſcere viſa eſt.

Caput I. De Morbo Gallico. " De adventu hujus morbi ſcriptum reliquit . . . . . (*a*)
„ Columbus, . . . : cum in Indiam navigaſſet, ſe ibi reperiiſſe luem Gallicam. Anno
„ Domini 1494 . . . . dictus morbus in Italia comparuit.

„ Authores in hoc conveniunt, quod talis infectio ſit contagioſa, hoc enim quotidie
„ in praxi manifeſte videmus, quod non ſolum per contactum coitus ſumatur, ſed etiam
„ per veſtimenta infecta, ut refert Fracancianus, in dormiendo quoque cum infectis ,
„ oſculando, bibendo, comedendo, necnon in ſumendo & exhibendo lac.

„ Ad curationem quod attinet, dictum eſt ſuperius , ex mente Falloppii , multas ac
„ varias eſſe in hac lue curationes , idcirco duodecim in medium proferemus.

Primus curationis modus eſt (in morbo *levi* & *novo*) per evacuationes & ſudores ; hoc eſt , per curationem illam , quam olim *methodicam* appellabant.

Caput II. De Ligno Sancto. „ Secunda curatio eſt per ligni Sancti Decoctum. „

Caput III. De Salſa-Parilla, hoc eſt, tertio curandi modo.

Caput IV. De radice China, ſeu quarto curandi modo.

Caput V. De Præcipitato, ſeu quinto curandi modo , de quo hæc eſt Auctoris ſententia. *Omnes concurrunt in hoc , quod talis medicina debeat ſervari pro aſinis & ruſticis.*

Caput VI. De Antimonio, ſive ſexto curandi modo.

Caput VII. De Succo Ireos, ſeu ſeptimo curandi modo. Sed fatetur Cortilio *ex hoc medicamento paucos* ſanari.

(*a*) Non ſatis video cur Sebaſtianus Cortilio auctoritatem Columbi adducat, a quo nihil ſcriptum fuiſſe, vel ſaltem cujus ſcriptum nullum ſupereſſe, neque ipſe novi, neque noverunt Viri multi rei literariæ peritiſſimi, quos conſului.

Caput VIII. De unctione cum Mercurio, ſeu octavo curandi modo, quem Auctor aliis omnibus præferre videtur.

„ Hæc unctio, *inquit*, cum Mercurio, quamvis empirica dicatur, tamen fuit primum „ medicamentum, cum quo ſanatus eſt morbus iſte in Italia, ut Falloppius refert.

„ Ego applicavi, *addit idem* hoc medicamentum in pueris quinque aut ſex annorum, „ in ſenibus ſexagenariis, in prægnantibus, in lactantibus, ſanando ipſas cum filiis, in „ viris illuſtribus & quamplurimis aliis cum felici ſucceſſu.

„ Facta igitur prius totius corporis purgatione tam per venam, quam per pharmaca, „ . . . . . . ſumat æger decoctum ligni per decem dies; ſi morbus fuerit antiquus aut „ rebellis, ſumat per quindecim aut viginti dies. Poſtea inungatur. „ Cenſet aut præferendum eſſe ſequens Unguentum, quale a Jacobo Raſtellio de Peruſia, Medico Romano, affine ſuo & præceptore, vulgo parabatur.

„ ℞. *Mercurii electi* ℥ ij.

„ *Pulver. ſublimat.* ℈ j.

„ Miſc. & extinguatur *Mercurius*. Poſtea adde

„ *Axungiæ colatæ* ℥ ij.

„ *Theriacæ electæ* ʒ j.

„ Miſce *ſ. a.* in fine addendo *Olei de ſpica odoriferi* parum, aut *muſci electi*, *re*„ *ſoluti in oleo roſarum* ℈ ß, aut ℈ j.

Caput X. Stivaletti (hoc eſt *femoralia*) *in forma cerati*, ſeu de nono curandi modo. Femoralia unguento mercuriali ſpiſſo oblita emplaſtrorum vices gerunt.

Caput XI. De Suffumigio, ſeu decimo curandi modo. Adhibentur primum in ſuffitum Aromata, deinde Cinnabaris ad ʒ iij. vel ℥ ß.

Caput XII. De Pulvere cum Salſa, ſeu undecimo modo curandi.

Caput XIII De Pillulis, ſeu modo curandi duodecimo. Conſtant illæ Pillulæ ex Mercurio cum Catharticis, ſed Auctor videtur parum illis confidere.

Caput XIV. & ultimum *De purgatione utili in Morbo Gallico*.

1611. TANEQUINUS GUILLAUMET, Nemauſenſis, Chirurgus Regis Navarræ (Henrici Borbonii, Regis Navarræ nomine III) & deinde Chirurgus Regis Franciæ (Henrici ejuſdem, Regis Franciæ nomine IV.) Chirurgiam exercuit in urbe patria.

Traité de la Maladie nouvellement appellée Cryſtalline, par T. Guillaumet, Chirurgien du Roi, Doyen & Maître Juré en la Cité de Niſmes Lyon, 1611. *in* 12°.

Hic Auctor videtur non ſemel in hoc libello *Cryſtallinæ* nomine Inflamatorios vel Oedematodes tumores Præputii aut Balani in viris, Cadurdorum aut Nympharum in mulieribus intelligere. Ut plurimum tamen Cryſtallinam cum Lue venerea perfectiſſime confundit.

Capitibus decem ſatis brevibus, quibus Liber abſolvitur, multa effutit de Luis venereæ natura, cauſa, ſymptomatis, ſignisque diagnoſticis atque prognoſticis, ſed nullo ordine atque judicio. Ad therapeiam, prout ſua ferebant tempora, proponit decocta e Guaiaco, ſuffumigia & cerata mercurialia, vel varia Mercurii præparata interne exhibenda.

1611. 1633. JOHANNES HARTMANNUS, natus Ambergæ in Nordgavia, (*a*) „ Philoſophiæ „ anno 1591, mox Matheſeos Profeſſor declaratus Marpurgi in Haſſia, deinde anno 1606. „ ibidem Medicinæ Doctor renunciatus, Chimiam vix nomine tenus antehac illic locorum notam primus in ea Academia publice docere cœpit, *tanquam Chimiatriæ Profeſſor*, „ anno 1608. „ (*b*) Obiit anno 1631.

I. *Diſſertationem inauguralem De lue venerea*, quam propugnavit JOHANNES KEILIUS, *Breſla-Sileſius*, & quæ *Marpurgi* excuſa fuit *in* 4°. 1611, cum nonnullis aliis *Diſputationibus Chimico-medicis*.

II. *Praxim Chimiatricam*, Lipſiæ, *in* 4°. 1633. *a Johanne Michaelis, Doctore Medico, & Georgio Everhardo* Auctoris *filio* editam.

In *Priore* illorum Operum ſtatuit Hartmannus

I. Hallucinari, quicunque putant luem veneream *ab Hippocrate ſuis coloribus depictam eſſe*, Epidem. Lib. 3. Sect. 3. Text. 22. & 23. aut quicunque *hanc labem cum Elephantiaſi Græcorum, vel Arabum Lepra eamdem fecerunt*, cum morbus ille *novus ſit & noviter cognitus, licet non ἁπλῶς, ſed nobis & noſtræ plagæ.*

II. Luem veneream nec ab Aſtrorum influxu ortam eſſe, ut Aſtrologis; nec a Galli leproſi

(*a*) Mercklinus in *Lindenio renovato*.
(*b*) Chriſtian. Langius, *Hiſtor. Medic.*

leproſi coitu cum ſcorto, ut Paracelſo; nec ab epoto vino, quod ſanguine leproſorum infectum eſſet, ut Cæſalpino viſum fuit: ,, Sed ſatius eſſe hiſtoricæ veritati, communi- ,, que ſententiæ præbere aſsenſum, quam unius aut alterius fabuloſo commento: Prodere ,, vero Annales per Chriſtophorum Columbum & Americum Veſputium, ex occidentali- ,, bus nuper repertis inſulis, primum luem hanc cum indicis mulieribus hac labe, ceu pa- ,, tria ac vernacula, infectis, in Europam fuiſse delatam aliiſque obſcœnis ſcortatoribus ,, communicatam ab impudicis proſtibulis; Hiſpanorum aſtu demum Gallorum cohortes, ,, cum anno 1492, vel ut alii numerant, 1493 Neapolitanum regnum bello contra Al- ,, fonſum Aragonum, Regem, Carolus VIII perſequeretur, quoque contaminaſſe. ,, Quæ a vero minime abſunt, modo ea demas, tum quæ de Americo Veſputio narrantur, ut quem conſtat in Indias occidentales non prius navigaſse, quam anno 1497, quo tempore lues venerea per Europam jam vulgatiſſima erat, tum de mulieribus indicis, ut quas in Europam nullas deductas tunc fuiſſe certiſſimum eſt.

III. Luem concipi ,, lactatione, profuſis oſculis; tegumentis, linteaminibus, ac in pri- ,, mis impuro veneris uſu: ,, Sævire ,, proprietate quadam occulta, quam *Ille* vocat ex ,, libertate chimica *Aſtralem* & *Eſſentialem*: Habere ,, in Epate πρῶτον δεκτικόν, præci- ,, puum fundamentum, baſim & radicem. ,,

IV. Luem recte quidem impugnari Diureticis & Diaphoreticis, & maxime Decoctis & Syrupis *ex Guaiaco & China*: Sed rectius multo exſtirpari variis preparatis mercurialibus, ut *Sublimato dulci cryſtallino*; vel *rubeo*, ſeu *Arcano Corallino*; *Turpetho minerali*; *Mercurio vitæ*, &c.

,, V. Inunctiones, & Suffumigia per Cinabrium & Mercurium, (quæ adeo frequen- ,, tant Empirici) ,, ... ſimpliciter probari non poſſe . . . . Quod ſi tamen ,, malum ſit omnino confirmatum, membraque tophorum rigeant multitudine, nec uni- ,, verſalia juverint, aut alia in promptu ſint tutiora, licere ſane periclitari. . . . . ,, Neque vero adeo periculoſum eſſe id auxilii genus, ut modo rite adminiſtretur, non ,, plurimum ſæpe proficiat. ,, Sed de methodo, qua adminiſtrari debeant, alte ſilet, ac alios adiri jubet.

In *Poſteriore* Opere, *Primo* refert Hartmannus luem veneream *a Fratre Baſilio Valentino, qui vixit tempore Maximiliani, appellatam eſſe* die nevve Krieger Kranckheit, hoc eſt, *novus militum morbus*, quibus alludit ille, ni fallor, ad hunc *Currus Triumphalis Antimonii* locum, in quo (*a*) Baſilius Valentinus ait *milites Gallos luem veneream nuper inveniſse*. Ne quis vero incautior in errorem forte inducatur, quaſi ſequeretur inde luem illam opinione antiquiorem eſſe, quippe de qua mentio fit apud Baſilium Valentinum, quem vulgo (*b*) fama eſt vixiſſe ſæculo XV, & (*c*) qui habetur ſæculo prior Paracelſo; ad ſequentia neceſſe eſt attendere.

I. Monachum Benedictinum nullum unquam fuiſſe nomine *Baſilium Valentinum*; (*d*) *pro vero narrari Erffurti*, ubi Baſilius dicitur vitam vixiſſe, (*e*) *nullum Benedictinorum Monaſterium exſtitiſse*; (*f*) *de Baſilio illo omnia incerta eſſe, quæ memorantur, quamquam diligentiſſime in ejus hiſtoriam inquiſitum fuerit ab Imperatoribus Germanicis*; meras nugas eſſe (*g*) quæ de Baſilii Valentini Operibus narrantur, quaſi diu poſt illius mortem caſu innotuerint de cœlo tacta & diffracta columna quadam templi Erffurtenſis, in qua latebant; nomen *Baſilii* græcum ἀπὸ τȣ̃ Βασιλέος, & nomen *Valentini* latinum *a Valendo* confictum eſſe, quaſi voluerit Scriptor hac appellatione indigitare vel ſe, ut (*h*) Boerhaavio videtur, vel Mercurium ſuum, ut opinatur (*i*) Tollius, & *Regem* & *Valentem* eſſe.

II. Ex his aperte conſequi Opera varia, quæ *Baſilii Valentini*, vel *M. Valentini* nomine circumferuntur, adeſpota vel pſeudonyma eſſe, certe ſuddititia, a Chimico quodam tenebrione ſcripta, imo forte a pluribus conficta, quibus placuit *Baſilii* nomine latere,

P 4 ut

(*a*) *Pag.* 20. Currus triumphal. Antimonii *Edition. Toloſanæ anni* 1646.
(*b*) Daniel le Clerc, *Hiſtoire de la Medicine*, *Edit.* 2. *Pag.* 786.
(*c*) Hermannus Boerhaave, *Element. Chim Part.* 1.
(*d*) Ibidem.
(*e*) Attamen mentio fit a Gabriele Bucelino, in *Benedicto redivivo*, *Monaſterii Sancti Petri Erfforadienſis Ordinis Benedictorum*, ad annum 1503.
(*f*) Daniel Georgius Morhoſius, *Epiſtol. de Metallor tranſmut.* §. 12.
(*g*) Olaus Borrichius, in *Conſpectu Scriptorum Chimicor.* §. 45.
(*h*) Element. Chimiæ *Part.* 1
(*i*) In *Sapientia inſaniente*, Pag. 8.

ut imprudentibus fucum commodius facerent. Quamobrem in optatis mihi ſemper erit; quod ſupra (*a*) dictum eſt, ut exoriatur tandem aliquando doctus aliquis Germanus, qui in enarrandis & digerendis Chimicorum Libris a Germanis vel germanice ſcriptis lucem præferat criticam.

III. Porro quoad rem proprius facit, Auctorem, a quo *Currus Triumphalis Antimonii* prodit, qualiſcunque fuerit, huic Operi conſcribendo non prius incubuiſſe, quam ineunte Sæculo XVI, atque adeo Paracelſo ſupparem vixiſſe, ſi non poſteriorem; quod manifeſte colligitur, tum quod narret (*b*) *luem veneream nuper allatam fuiſse in patriam ſuam* (Germaniam), tum maxime quod eam appellet *luem Gallicam*, vel *morbum Gallicum*, memoretque (*c*) *a militibus Gallis nuper invectam fuiſse*; quæ, utcunque lues venerea ſæviiſſet in Europa ab omni ævo, dici minime potuerunt, niſi ab Auctore, qui poſt expeditionem Gallorum in Neapolitanum regnum, atque adeo poſt annum 1495. ſcripſerit, unde liquet infirmari omnino argumentum, quod pro antiquitate luis venereæ ex auctoritate Baſilii Valentini traheretur.

Secundo. Expoſita deinde morbi diagnoſi, multa profert Hartmannus præparata mercurialia, quæ credit ille tum ad luem veneream confirmatam, tum ad morbos venereos locales egregie facere. Sed hæc, ſi cui probentur, repetantur velim ex Hartmanni Practica; piguit enim præparata hujuſcemodi exſcribere, quod pleraque jam pridem obſoleſacta ſint, nec immerito, cetera vero, quæ ſunt adhuc in honore, nullibi non proſtent.

Tertio. Videtur ad hodiernam methodum curatoriam paulo magis accedere, cum hydrargyroſim proponit, *quam probatiſſimum curationis modum* eſse affirmat, quam ſatis fuſe deſcribit, quam putat cum purgantium exhibitione ſemper conjungendam eſſe, in eo tantum caſtigandus, quod ex præjudicio ætate ſua ſatis vulgari velit tota hydrargyroſi ſudores moveri tum potu decocti Guaiaci, tum ope æſtuarii.

Quarto. Notatione peculiari digna viſa ſunt ſequentia:

I. Juxta Hartmannum *recentiſſimum luis venereæ ſymptoma eſse* Cryſtallinam, *quam vocant, veſiculam nempe ad glandem membri virilis adnaſcentem, translucidam*; qua de re vide quæ ſupra dicta ſunt *Lib. I. Cap. XIII. pag.* 98, ubi hoc idem Hartmanni teſtimonium nonnullis aliis confirmavimus.

II. Veſiculam illam *lethalem eſſe, ſi remediis exquiſite factis non curetur: Ferrum non pati, nec leviter coaleſcere locum affectum*: . . . . . *Solum ſpiritum Tabaci laudem hic invenire* . . . . . *Tangatur*, inquit, *veſicula cum ſpiritu Tabaci quinquies ad ſummum & ſponte evaneſcit, ſed fiat id jacente patiente, alioquin ad levem tactum ſpiritus Tabaci ſtans procumbit humi bos, hoc eſt, ſyderatus cadit & convellitur*, quæ remedium male tutum eſſe abunde arguunt.

„ Si adeſt gonorrhœa, utile eſſe exhibere præcipitatum viridem (*Lacertam viridem* „ quibuſdam dictum), aut gummi Guaiaci, quibus exhibitis propinetur Terebinthina, „ quæ abluta aqua violarum cum ovi vitello teratur ac cum decocto Sarſæ-parillæ potabilis fiat.

„ IV. Bubonem maturandum eſſe cum emplaſtro Diachyli, vel bubone (lege *buffone*) „ aceto madefacto & buboni impoſito, quo intumeſcente remoto alius applicetur, ... „ ut tandem emolleſcat: Tum ſcalpello aperiendum eſſe, & ſaniem cum pure & cruore „ exprimendam: Poſtea Opodeldoch (*Emplaſtrum nempe cum gummatibus, quod ab ipſo inferius deſcribitur*) applicandum, quod nunquam coaleſcere ſinit ulcus, priuſquam omnia fundamentaliter fuerint ſanata.

Ceterum *Johannes Hartmannus, Ambergenſis*, qui *Marpurgi* Matheſim & Medicinam docuit, & de quo hactenus, apud Lindenium *De ſcriptis medicis*, per errorem non diſtinguitur a *Johanne Hartmanno* alio antiquiore, *Beyero* dicto, *Francofurtenſi*, cujus pleraque Opera *Tubingæ* excuſa ſunt Sæculo XV.

1613. HORATIUS GUARGUANTUS, Soncinenſis, (*d*) natus anno 1556. Patavii operam dedit Medicinæ, ac præceptore (*e*) uſus eſt Hieronymo Mercuriali. Deinde medicinam Venetiis fecit cum laude. Mortem jam obierat ante annum 1613, cum in lucem

(*a*) Ad annum 1539, ubi *de Paracelſo*.
(*b*) Edition. Toloſanæ, anni 1646. Pag. 71.
(*c*) Ibid. Pag. 20.
(*d*) Ejus Icon præfixa Tractatui ſequenti cingitur hac inſcriptione. *Horatius Guarguantus, Soncinenſis, Medicus Phyſicus Venetus, ætatis ſuæ annorum* 44. & in ejus infima parte legitur, *Raphael Sadeler ſculpſit Venetiis* 1600.
(*e*) Tractatus *De Morbo Gallico*, Cap. 10.

lucem prodiit ſequens Opus ſtudio R. P. E. Cypriani Mantegarrii, ex ordine Prædicatorum.

Horatii Guarguanti, Soncinenſis, Medici Veneti, ac Philoſophi praelariſſimi, Reſponſa varia ad varias ægritudines, & in primis tres Tractatus, unus de Dyſenteria, alter de Morbo Gallico, & tertius de febre Peſtilentiali & de Peſte. &c. &c. Venetiis. *Apud Ambroſium & Bartholomæum Dei, fratres*. MDCXIII. in 4°.

Tractatus de Morbo Gallico, qui ſecundus eſt, *Capitibus decem* comprehenditur, in quibus Auctor ea quæ ad morbi diagnoſim vel curationem pertinent, breviter tractat; contra vero nimius eſt in definienda luis venereæ natura & eſſentia ex Galenicorum placitis. Poſſunt tamen inde excerpi ſequentia, quæ animadverſione digna videntur:

I. „ (*a*) Convenire fere omnes hanc morbi ſpeciem apud nos novam exiſtere, ac in „ Gallorum exercitu in bello Neapolitano incœpiſſe anno a Chriſto nato 1493, ſive ut „ alii malunt, 1492, Carolo octavo invadente regnum Parthenopæum in Pontificatu Ale„ xandri VI.

II. „ Pleroſque homines diebus illis prioribus, quibus hic morbus vagari incœperat, „ vota ſua ad fictitios deos, nonnullos ad verum Deum Optimum Maximum retuliſſe, „ ut precibus ſaltem ſanitatem conſequerentur, quandoquidem remedium curationis ad„ huc inventum non fuerat.

III. (*b*) Morbum contagione propagari a nutrice in alumnum, ab alumno in nutricem; ab obſtetrice in infantem recens excluſum, a puerpera in obſtetricem; imo vero juxta nonnullos „ contrahi potuiſſe per poculum, per veſtimenta, & per ſimplex oſcu„ lum annis illis prioribus, quibus magis ſæviebat.

IV. „ Modum frequentiorem, quo ſolet communicari, eſſe . . . . . cum purus homo „ cum impura muliere, vel e converſo congreditur, ... ita ut hic modus præcipuus „ ſit, quo gallicus morbus apprehenditur, & inter centum homines nonaginta tali pa„ cto, per concubitum ſcilicet venereum, corripiantur.

V. „ Quatuor canales majores exiſtere, per quos celerius humor & vapor malignus de„ ferri ſolet, vaſa ſcilicet urinaria duo, ureteria nuncupata, per quæ a veſica ad renes, „ a renibus per emulgentia vaſa ad cavam venam, a cava ad jecur, a jecinore poſtea „ infecto per totum corpus diſſeminatur.

VI. „ Alia duo vaſa eſſe ſpermatica, *deferentia* vocata, quorum vicinitate plerumque „ fit, ut primum ſymptoma, quod a lue venerea producatur, ſit corrupti ſeminis invo„ luntarius effluxus, qui affectum producit *gonorrhœam* appellatum.

VII. Propoſitis remediis quibuſdam prophylacticis, quæ vaniſſima ſunt, addit (*c*) „ diſtinctum illorum confectionis modum in medium *ſe* non afferre, ne forſitan illi, qui „ timore conficiendi ſe hoc contagio caſte degere vitam ſtatuerunt, hæc *ab illo* ſecreta „ edocti in ſcopulos luxuriæ erumpant.

VIII. Demum Auctor acriter damnat ad curationem morbi Gallici „ (*d*) decocta Sal„ ſæ, Cinnæ, Saſſafras, Smilacis aſperæ; diabolicam illam inunctionem ex hydrargyro „ igne deſtructo; aliam ex argento vivo & ſublimato peſſimam confectam unctionem; „ abominabilia illa mortifera ſuffumigia ex cinnabari; unguentum illud magiſtrale, *Spa„ radrapum* vocatum, brachiis & cruribus per decem dies appoſitum; linimentum magi„ ſtrale, catapotia ex præcipitato, ... quia, *inquit Ille*, jam experientia docuit & „ ipſa comprobat ratio hæc prædicta abſolutam curationem nequaquam perficere, ut „ Cinnam, Salſam, Saſſafras, Smilacem aſperam (licet fortaſſis ad diſcutiendos tophos „ & aliqua ſymptomata debellanda efficaciam habeant ſingularem); & detrimentum af„ ferre maximum, ut linimenta ex hydrargyro, ſuffumigia &c.

IX. Proinde concludit (*e*) „ totam ſpeciem ſanitatis in ligni ſancti decocto optime „ præparato poſitam eſſe, ... nullumque aliud verum ac tutius remedium ligno Gua„ iaco reperiri poſſe. „ Unde nequaquam mirum, ſi in *Reſponſis* ſuis *ad varias ægritudines*, quoties luem veneream latere ſuſpicio injecta fuit, ad decoctum Guaiaci recurrat, tanquam ad ſacram anchoram.

Ceterum in hoc Opere Horatii Guarguanti tribus Tractatibus memoratis quartus adjicitur ceteris grandior, quo proponuntur *Reſponſa varia ad varias ægritudines*. Proſtant inter illa Conſilia aliquot, quæ ad noſtri Operis inſtitutum pertinent, ut pag. 113. *De Iſchiade*

(*a*) Cap. 2. (*b*) Cap. 7.
(*c*) Cap. 9.
(*d*) Cap. 10.
(*e*) Ibidem.

De Iſchiade Gallica : pag. 201. *Pro nobili Domino N. Florentino*, *utriuſque cruris dolore Gallico laborante*: pag. 227. *De Impetigine Gallica*, *quæ herpetis miliaris admixtionem habet*. &c. in quibus Auctor via eadem pergit, quam indicaverat in Tractatu *de Morbo Gallico*.

1613. CLAUDIUS CHARLES, Pariſinus, doctoralem lauream in Facultate Medica Pariſienſi adeptus eſt anno 1606, uxorem duxit anno 1607 filiam Simonis Pietre, Profeſſoris Chirurgiæ in Regio Franciæ Collegio, ac Cathedram a ſocero dotalem accepit, qua de re diploma a Rege Ludovico XIII impetravit anno ſequente. Profeſſorio munere cum laude functus eſt ad annum uſque 1623, quo illud Henrico Blacuod, Doctori Medico Facultatis Pariſienſis, tranſcripſit cum bona Regis venia. Obiit anno 1631, natus annos 57.

Teſtem eum adducit Johannes Riolanus, *Anthropogr. Lib. II. Cap. 35. memorabilis exempli*, quo *Hymenis hyparxim & exiſtentiam demonſtrat*. ,, Cum eo vocatus, *inquit*, ad in-,, ſpiciendum cadaver nobiliſſimæ Virginis 14 annos natæ, quod ſecabatur ad pollinctu-,, ram, in partibus pudendis multa notatione digna obſervavimus. Orificium illud la-,, biorum vulvæ admodum anguſtum erat, cum frænulo ſive membrana valde tenſa & ri-,, gida hæc labra inferne conſtringente. Spatium vulvæ & podici interjectum in ea æta-,, te ferme tres digitos æquabat; diductis labris tenerrimæ & exiles apparebant nym-,, phæ; clitoris vero inſigniter prominebat pro ratione nympharum. Pro carunculis in ,, eadem ſede circumtenſa erat membrana carnoſa orbicularis, in medio pertuſa anguſto ,, foramine, per quod tenue piſum traduci potuiſſet. Hæc membrana verum hymenem ,, a Veteribus deſcriptum, exquiſite referebat, qua diligenter inſpecta & lacerata nul-,, las vidimus carnoſitates, quæ tamen deficiente hymene in aliis reperiuntur. ,, *Hactenus* Riolanus.

Dictavit Claudius, anno 1613, in Regio Franciæ Collegio

Tractatum de Lue venerea,

qui manuſcriptus latet in Bibliotheca Regia, *in* 4°. foliis 37 ſive paginis 75 comprehenſus, & *N°*. 6352 deſignatus.

In hoc Opere præcipua tractantur Capita, quæ ad argumentum ſpectant, ut *de origine*, *de natura*, *de ſubjecto*, *de differentiis*, *de ſignis*, *de cauſa luis venereæ*; ſicut & de methodis curandi luem eamdem *litu ex hydrargyro*, *decoctis Guaiaci*, *Chinæ*, *Salſæ-parillæ*, *emplaſtris mercurialibus*, & *ſuffitu*. Verum hæc omnia non modo paucis, ſed quod pejus eſt, fide tantum aliena explicantur, videturque Liber ille potius Cento ex variis variorum Auctorum locis hinc atque illinc temere accerſitis, & ſatis incompoſite connexis conſarcinatus, quam Diſſertatio, in qua id quod in quæſtione verſatur, ex certis principiis dilucidetur; quocirca minime mirum, ſi manuſcriptus lateat, cum meliori luce dignus non eſſe videatur.

1614. SIGISMUNDUS SCHILLINGIUS, (*a*) *Frankenſteina-Sileſius*, *Philoſophiæ & Medicinæ Doctor*, *Profeſſor Therapeutices*, & *Decanus Lipſienſis*. Obiit anno 1622. ætatis 46.

(*b*) *Diſputatio de Gonorrhœa*. Lipſiæ, 1614. *in* 4°.

1614. LUDOVICUS SEPTALIUS, italice *Settala*, (*c*) Mediolanenſis, natus anno 1550, Ticini ſive Papiæ Doctoratus Lauream conſecutus eſt ætatis anno 21, ac duobus poſt annis primam Medicinæ practicæ Cathedram ibidem obtinuit. Hinc ad Piſanam Academiam a magno Etruriæ Duce, ad Ingolſtadienſem a Duce Bavariæ, ad Patavinam accitus a Senatu Veneto, oblata munia ſtipendiaque recuſavit. Mediolanum in urbem natalem regreſſus publico munere Profeſſoris Politicæ & Ethicæ functus eſt & medicinam fecit cum laude maxima, donec a Philippo IV, Hiſpaniarum Rege, & Duce Mediolanenſi, totius Ducatus Protophyſicus conſtitutus eſt. Interiit anno 1633, die 11. Septembris, natus annos 82, & quod excurrit.

Edidit Septalius Opera Medica non pauca, ſed quod unum ad inſtitutum facit, dicitur a Laurentio Craſſo, *Elogior. Virorum Literator. Part. II.* inter manuſcriptos codices habuiſſe Tractatum *de Morbo Gallico* a ſe conſcriptum, quod ut credam ideo facilius adducor, quod id Opus indicaſſe Septalius eſſe videatur. Narrat enim, *Animadverſionum & Cautionum medicarum Lib. VII*, quæ Mediolani primum typis excuſæ ſunt *in* 8°. anno 1614. ,, ſe anno præterito (1613) multis poſtulantibus, diebus, quibus a Moralibus &

,, Poli-

(*a*) Chriſtianus Johannes Longius, *in Hiſtoria Medica*.
(*b*) Martin. Lipenius, *Biblioth. Medic. realis*.
(*c*) Lorenzo Craſſo, *Elogj d' uomini letterati*, *Parte* 2. Girolamo Ghilini, *Teatro d' uomini letterati*.

„ Politicis ſuis Lectionibus vacare conceſſum erat, pluribus ſermonibus totam hanc de „ lue venerea tractationem complexum eſſe.

Haud equidem ſine gravi rei medicæ detrimento eveniſſe puto, ut Tractatus ille in lucem non exierit, quippe æquum erat plurima & erudite dicta, & quod præſtabilius eſt, ad profligandum morbum valde utilia ab eo Medico ſperare, qui „ in venerea hac „ lue curanda multa ſane adnotare potuerat, cum illud ipſe affirmare auſit, poſt delatum a novo Orbe ad nos hunc morbum, ſe fortaſſe multo plures hoc morbo laborantes curaſſe, quam quemquam alium; quod præter innumeros in magna urbe (*Mediolani*) paſſim curatos, per quadraginta annorum ſpatium magni illius Hoſpitalis Brolii Medicus fuerit, in quo ſolus is morbus curatur, & ſæpenumero vere ſolo ſeptingentis, qua decoctis, qua inunctionibus & ſuffumigiis, curatio adhibetur; reliquo vero tempore ſaltem ducenti ex ulceribus ſemper curantur.

Proſtat quidem ad calcem Libri VII. *Animadverſionum & Cautionum medicarum*, quas Septalius edidit anno 1614, Caput *de Morbo Gallico*, unde tranſcripta ſunt quæ modo laudavimus, ſed quod nedum aboliti Libri jacturam explet, ut potius jacturæ damnum magis perdoceat, cum ex hac brevi & fortuita Tractatione, ut ex unguibus Leo, facile dijudicetur, quanta ab illo præſtita fuiſſent in fuſiore & ſpeciali Diatriba, quæ interiit.

Id unum tamen reliquum eſt, ut ex illo Capite, quod ſupereſt, Septalii ſententiam conemur expiſcari, tanto quidem potiore fundamento, quod affirmet ipſe „ ſe ex amplio„ re illo Tractatu aliqua, quæ in curatione hujus morbi ſingularia occurrunt, excerpta „ hoc Capite adnotanda ſibi aſſumpſiſſe.

Initio itaque in illo nonnulla præfatus de ratione adminiſtrandi Decocti Guaiaci, Sarſæ-parillæ, Chinæ, Saponariæ &c., & de utilitate inde percipienda, ad uſum hydrargyri cito progreditur, de quo multa & egregia.

„ I. Eorum quæ ex argento vivo parantur, medicamentorum duas eſſe formulas, qui„ bus vim malæ hujus qualitatis, quæ in Morbo Gallico reperitur, edomare ſolemus, „ aut e corpore pellere humores mala illa qualitate infectos, quorum altera in formam „ ſuffumigiorum, altera inunctionum applicari ſolet.

„ II. Inunctiones & ſuffumigia non ab Empiricis, ſed a peritis Medicis adminiſtran„ da eſſe. Cavendum, *inquit*, ne totum id negotium Empiricis rationales Medici com„ mittant, qui in omnibus eodem calopodio utentes aut in multis imperfectum relin„ quunt negotium, aut præcipites ægrotantes agunt in graviſſima pericula, aut etiam „ in mortem.

„ III. Ex duabus formulis ſemper tutiorem, & quæ melius morbum exſtirpat, eam „ eſſe, quæ cum inunctione perficitur. In emaciatis enim, *inquit*, ſiccis naturis, in „ ſtricto pectore, in anheloſis magis convenit & in omnibus ſymptomatibus magis eſt „ proficua. In cadentibus tamen capillis, *pergit ille*, in cruſtoſis externis ulceribus præ„ ferre ſoleo ſuffumigia.

„ IV. Abſurdum eſſe ſuffumigiis illis uti in evincendo hoc morbo, quæ levia a doctiſ„ ſimis Falloppio, Mercato, & aliis, dicuntur, in quibus non ingreditur Cinnabaris. „ Exſiccant enim externas partes laborantes, at vim morbi interni non extingunt, neque „ materiam, in qua virulentia illa reſidet, expellunt.

„ V. Baſim *ſuffumigiorum* eſſe Cinnabarim, addita portione Antimonii & Marcheſitæ, „ ut pro uno ægrotante Cinnabaris ſint Unciæ tres, Antimonii & Marcheſitæ, *ana* „ drachmæ tres, Auripigmenti drachma ſemiſſis, Aromatum ad penetrationem additorum, „ pro varia corporum conditione variantium, quantitas ſit fere ad pondus ceterorum; „ & pulveris illius ſingulo die drachmis ſex vel uncia una in fumum diſperſa ſuper pru„ nas, corpus in hypocauſto incluſum univerſum excipiat, canna aerem externum inſpi„ rans & exſpirans.

„ VI. Utiliſſimum tamen eſſe, niſi ſit anheloſus aut anguſti thoracis, aliquando ore „ portionem illius fumi excipere.

„ VII. Inunctiones ex hydrargyro *apud illum* eſſe multo frequentiores, in quarum una „ doſi pro una curatione, iteratis inunctionibus ad ſputi apparitionem, non minus tri„ bus vel etiam quatuor unciis hydrargyri ingredi debet; „ quæ doſis mirum quam „ nunc immodica ſit, & quam parciore hydrargyri copia, modo legitime adminiſtretur; „ morbi curatio certa nunc feliciter ſuccedat.

„ VIII. Peccare communiter practicantes, & graviſſimos quoque Scriptores, qui ante „ hanc inunctionem propinant ſudorificum aliquod medicamentum alexipharmacum, ſic

„ cenſen-

„ cenſentes imminui ſymptomata illa ſæviſſima, quæ poſt inunctionem illam inſequi ſæ-
„ penumero ſolent, cum illud potius ſequatur, ut ſubtili per ſudorem parte educta
„ contumacior craſſa reddatur.

„ IX A pedibus aſcendendo ad os ſacrum adhibendam eſſe inunctionem, & a carpo
„ verſus ſcapulas, & per ſpinas ad collum uſque. Nunquam caput inungendum eſſe,
„ quod peſſime aliqui faciunt. „ Sed quod ſine damno fieri pro comperto habemus,
quoties ſymptomatis cujuſdam ratio id ita poſcit, modo caute fiat.

„ X. Ægros inungendos eſſe ad ſputi apparitionem, & tunc per diem intermittendum;
„ & ſi lente moveatur ſputum, iterum una aut altera inunctione excitandum eſſe.

„ XI. Si nimis affatim & cum impetu præcipitari materiam ad os viderimus, pericu-
„ lumque ſubeſſe inflammationi aut ſuffocationis, deturbandam eſſe & ad inferna per ſe-
„ ceſſum medicamento aliquo eſſe ducendam. Id autem raro faciendum eſſe & non niſi
„ magna urgente neceſſitate.

XII. Demum, quod palmarium eſt, „ maximo in errore verſari eos, qui poſt omnia
„ adhibita regia remedia, cum ægrotantes jam imbecillos videant, effœta virtute vitali,
„ & quaſi univerſa carne conſumpta, nec aliam ſupereſſe ſpem, quam in remediis ex
„ hydrargyro paratis, illa quidem concedunt, ſed debilia aut quantitate argenti vivi,
„ vel numero aut inunctionum aut ſuffituum, & ſæpenumero interpolant. Aut enim,
„ *pergit Ille*, omnino duo hæc remedia excludenda ſunt, aut omnino valentia conceden-
„ da & quantitate hydrargyri & numero inunctionum aut ſuffituum; alioquin attenuata
„ & loco mota quidem materia, dolores & ſymptomata imminuta viderentur, ſed cum
„ ea non expellatur, alium locum quærens ſæpe nobiliorem partem impetit, potiſſimum
„ caput, eo hydrargyro & Cinnabari natura ſua tendente, & ſecum attenuatas materias
„ ducente . . . . Quo etiam fit, ut tales fere nunquam curentur, ſed infeliciſſimam
„ vitam ducant, & tandem tabeſcentes marceſcant.

1614. SIMON PIETRE, Pariſinus, Doctor Medicus, filius alterius Simonis Pietre, Doctoris Medici Facultatis Pariſienſis, qui fato functus erat anno 1548, & cujus Elogium a Guidone Patino conſcriptum exſtat inter alia Elogia a Papyrio Maſſone ſcripta. Ille, de quo loquor, (*a*) regiam Medicinæ Cathedram obtinuit in Regio Franciæ Collegio anno 1594, quam genero ſuo Claudio Charles reſignavit anno 1607, ut ſupra dictum eſt *Pag.* 887. Obiit anno 1618, ætatis ſuæ 57.

NICOLAUS ROUSSEAU, Trecenſis.

Quæſtio Medica cardinalitia diſputationibus mane agitanda . . . . die Jovis X. Aprilis, M. Simone Pietre, *D. M. Moderatore*,

An Ourethræ anguſtiis noceant καθαιρετικά?

Concluſio eſt affirmans.

Aſſerebat Lutetiæ Nicolaus Rouſſeau, *Trecenſis*, A. R. S. MDCXIV. *in fol. pag.* 1.

Damnat Auctor uſum cathæreticorum. „ Noſtra, (*b*) *inquit*, καθαιρετικά, ut argenti
„ vivi cinis ruber, calcanthum, alumen uſtum, ſabina, ſtibium, nec calculum ourethræ
„ minuunt; nec phimoſim, aut præcluſionem tollunt; inflammationem augent & ourethræ
„ tumorem omnem, qui hærentem catheterem fallit & carunculam mentitur, inſigni ce-
„ rei cathæretici ludibrio, Chirurgorum errore, & Medicorum dedecore, qui alienis ma-
„ nibus & arcanis nimium confidunt.

1614. GEORGIUS CORNUTY, Doctor Medicus.

JOHANNES MAUNOIR, Romorantinus.

Quæſtio cardinalitia diſputatione mane agitanda, ... die Jovis XVII. Aprilis, M. Georgio Cornuty, *D. M. Moderatore*.

An in Lue venerea quævis vacuatio?

Affirmat Concluſio.

Aſſerebat Lutetiæ Johannes Maunoir, Romorantinus. A. R. S. MDCXIV. *in fol. pag.* 1.

1615. VICTOR MANGG, ſive MANGGUS, Schrattenthalenſis, Auſtrius.

Diſputatio Medica de lue venerea, quam . . . . . . in Rauracorum Academia, pro ſummis Doctoræ Medicæ honoribus . . . . . . proponit M. Mangg, Schrattenthalenſis, Auſtrius, ad III. Calendas Septembris 1615.

Exſtat

(*a*) Duval, *Hiſtoire du College Royal.*
(*b*) Corollar. V.

Exſtat Diſputat. VI. *Decadis IV. Diſputationum*, quas collegit & edidit Baſileæ Johannes Jacobus Genathius, 1620. *in* 4°.

LUDOVICUS GUYON, Dominus de la Nauche, Dolenſis in Comitatu Burgundiæ, 1615.
(*a*) in Medicinæ ſtudiø operam poſuit Lutetiæ Pariſiorum ab anno 1563 circiter ad annum 1570, ubi ſe Ludovico Dureto & magiſtro & amico uſum fuiſſe gloriatur. Hinc neſcio quo fato Uſerchiam in Lemovicio ſe contulit, ubi medicinam fecit per annos 45 & quod excurrit, certe ubi medicinam faciebat anno 1615, quo ſcripſit ac Lugduni excudendum curavit Opus ſequens, quod eſt velut Medicinæ Corpus.

Le Miroir de la Beauté & Santé Corporelle, contenant toutes les difformitez & maladies, tant internes qu'externes, qui peuvent ſurvenir au corps humain, avec leurs definitions, cauſes, ſignes & remedes uſitez de toute ancienneté, modernes & ſpagirics, enſemble les prognoſtics. A Lyon. 1615. in 8. Tom. II.

Ea Collectio multa farragine referta eſt, ita tamen ut ſi admirationem obtinere non poſſit, at certe neque debeat deſpicatui duci. Dividitur in Tomos duos: In ſecundo numerantur Libri VI, in quorum primo, qui inſcribitur *de la Goutte, de la groſſe Vérole, de la petite Vérole ou Rougeole & des Fievres*, diſſeritur *de lue venerea* Capitibus ſex nempe IV. V. VI. VII. VIII. & IX.

Auctor receptas ætate ſua opiniones preſſio pede ſequitur. Aſſerit luem veneream morbum eſſe in Europa novum: In Inſula Hiſpaniola endemium & antiquum: Inde a comitibus Chriſtophori Columbi in Hiſpaniam devectum: Ab Hiſpanis in Neapolitanos & Gallos traductum: Qui ſola contagione propagetur: Qui ſolius naturæ viribus ſine ſpecificis remediis ſanari nunquam poſſit.

Cenſet Mercurium eſſe verum & unicum morbi venerei inveterati remedium, ac propoſitis ceteris Mercurii adhibendi modis, inunctionum methodo palmam defert, modo caute adminiſtretur. Putat autem non aliam ad hydrargyroſim præparationem certiorem eſſe, quam ſi Decoctum Guaiaci per dies aliquot exhibeatur, quod erroneum eſſe certo nunc ſcimus, ſed tamen quod ætate illa condonabile fuiſſe non negamus.

Ceterum, ut capita aliquot peculiaria colligamus, I. Narrat (*b*) ille teamdem Principis illius, natione Germani, Hiſtoriam, de qua ſupra ad annum 1606, ubi *Petro Pigray*, qui anno 1566 Lutetiam ſe contulit ſine noto comitatu, ut lui venereæ ex qua ægrotabat, medicina fieret, & qui conſilio Ludovici Dureti & adminiſtratione Petri Pigræi perſanatus fuit intra menſem unum.

II. (*c*) Refert ſe, poſtquam fœminam quamdam primariam in Vaſconia morbo liberaſſet ſola emplaſtrorum mercurialium admotione, curaviſſe, ut detracta emplaſtra a pharmacopœo liquefierent, & in liquefactis idem Mercurii pondus reperiiſſe, quod in emplaſtra primum adhibitum fuerat, unde colligit nullas Mercurii atomos intro ſubire, ſed irradiatione tantum agere: In quo tamen certum eſt Auctorem hallucinari, atque adeo falſo niti experimento; ut ut enim Mercurius pauca copia intro ſubeat, tamen compertum eſt aliqua ſubire, ut agat.

III. (*d*) Damnat eos, quicumque putant puerulos qui lue venerea infecti ſunt, perſanari inunctis artuum commiſſuris ſola pinguedine ſuilla, quia ptyaliſmum moveri volunt; ſed Auctor ait curationem fruſtra eſſe, niſi cum pinguedine tantillum Mercurii, ſed ut illo loqui amat, *Fugitivi* permiſceatur.

IV. (*e*) Monet ſpem eos fruſtrari, qui aquis philoſophicis Matthioli vel Maſſæ, aquiſve theriacalibus Rondoletii vel Patræi confidunt, quas probat experientia nullius effectus eſſe.

V. Confutat (*f*) illos, qui aiunt gonorrhœam certius nunquam ſanari, quam ſi æger rem iterum habeat cum muliere eadem, a qua morbum contraxit, vel ſaltem cum alia quavis; quæ eadem deliramenta non paucos tamen Medicos olim locutos eſſe jam pluries meminimus.

VI. Demum (*g*) memorat ſe vidiſſe Reges duos, (Carolum IX, ut opinor, & Henricum III, vel potius Henricum III & (*h*) Henricum IV, Francorum Reges) qui dum vixerunt, ex ſtranguria & caruncula in urethra ægrotavere, licet Medicorum ſuorum dictis audientes eſſe, unde colligit id morbi genus contumax eſſe & curatu perdifficile.

JOHAN-

(*a*) Ludovicus Guyon ipſe ſequentia refert *Tome II.* Operis mox laudandi. *Liv.* 2. Cap. 2.
(*b*) Chap. 6. (*c*) Chap. 6. (*d*) Chap. 7.
(*e*) Chap. 7. (*f*) Chap. 8. (*g*) Ibidem.
(*h*) Vide infra *ad annum* 1617, ubi *de G. Loiſeau*.

1616. Johannes Macollo, vel Macolo, Scotus, typis mandavit Florentiæ *in* 8°
1622. anno 1616, dum Profeſſor erat Medicinæ Chymicæ in Univerſitate Piſana,

Theoriam Chymicam luis venereæ, qua Hermeticæ Medicinæ Elementa pandit: Dedicatam Illuſtriſſimo Auditori magni Ducis Hetruriæ D. Julio Caballo . . . . Florentiæ, MDCXVI. *Apud hæredem Chriſtophori Mareſcotti* in 8°.

ac deinde *in* 8°. Londini anno 1622, dum inter Medicos ordinarios Jacobi I. Magnæ Britaniæ Regis, locum habebat,

Iatriam Chymicam exemplo Therapeiæ Luis Venereæ illuſtratam. Londini, *apud Johannem Billium*. MDCXXII. in 8°.

qua inſcribitur *Jacobo* (I) *Magnæ Britanniæ . . . Imperatori*.

Uterque libellus ejuſdem plane farinæ eſt, & ſtylo putido, inſulſo & metaphorico ſcriptus, qualis Chymicorum eſſe ſolet, ut vel ex luis venereæ definitione patet, quam *Theoriæ Chymicæ Cap.* 5. proponit. „ Lues venerea, *inquit*, impuritas eſt ſalis & mercurii „ ſpecifica & contagioſa, prognata e ſeminibus, quæ prius in ſuperiore orbe deliteſcen„ tia, poſteaque germinantia, quædam corpora humana parata ad ea ſuſcipienda primo „ invaſere, & ad alios contage vel hæreditario jure propagata ſunt.

In priore Tractatu *Capitibus quinque*, quæ Theorica ſunt, ita generice tractantur, ut nihil fere ſit quod ad luis venereæ Theoriam pertineat. Nec diſpari methodo in poſteriore, qui *Capita ſex* continet, poſt ineptias multas ita ſuccincte agitur de Therapeia luis venereæ *ſex poſtremis* Libri *paginis*, ut nomine tantum proferantur ſequentia remedia, nempe Mercurius Vitæ ex Butyro antimoniali; pulvis ex ſolutione ejuſdem Butyri in ſpiritu nitri, & ſolutione duodecimæ partis auri in aqua Regia, quæ igne lente primum exſiccante, deinde violento in pulverem calcinantur; Extracta, Olea, Salia Guaiaci, Salſæ parillæ, Chinæ &c: Mercurius ſublimatus dulcis; Inunctiones mercuriales; Emplaſtra & Suffumigia mercurialia. Iis autem curſim indicatis Auctor ſequenti Epiphonemate Librum audacter concludit; *Interim Vos, o fumoſi Chymici, Antiquarii Hippocratiſtæ, Nugigeri Galenibiles, Barbari Avicennates, in mediis ægrorum planctibus utimini foro. Valete & Plaudite*.

Macollo fato functus eſt ante annum 1659.

1616. Eitel Joachimus Kruppelius.

De Morbo Gallico, 1616. in 8°.

1616. Johannes Gaultier, Montalbanenſis, Doctor Medicus Facultatis Monſpeſſulanæ, & Medicus Regius.

Traité de la Maladie Venerienne, ou groſſe Vérole, contenant la vraye cognoiſſance du mal, & ſa vraye curation, avec la ſolution de pluſieurs queſtions. Compoſé par Jean Gaultier, Montalbanois, Docteur en Medecine de Montpellier, & Medecin du Roi. A Toloſe, *par Raymond Colomiez*. 1616. in 12.

1617. Hieronymus Fabricius, (*a*) dictus ab *Aqua-pendente*, ab urbe natali, in Statu Eccleſiaſtico ſita, quæ Priſcis *Aquula* vel *Aqua Taurina* nuncupata fuit, natus eſt anno 1537, Medicinæ ſtudio operam poſuit in Academia Patavina, ubi Doctoris gradum conſequutus eſt. Præceptorem natus Gabrielem Falloppium, ita brevi profecit, ut omnibus dignus viſus ſit, qui in defuncti locum anno 1565 Chirurgiæ & Anatomes Cathedram obtineret. Profeſſorio illo munere functus eſt cum laude annos 44, ad annum uſque 1609, quo a publicis prælectionibus ob ſenectutis incommoda ceſſavit, datumque ei fuit, ut non imminuto ſtipendio quieſceret. Obiit anno 1619, duobus annis octogenario major.

Præter Opera alia permulta, tum medica, tum anatomica, prodiere Patavii *in fol. anno* 1617. *Opera* ejuſdem *Chirurgica*, quorum *Pars prior Pentateuchum Chirurgicum*, & *poſterior Operationes Chirurgicas* continebat. Occurrunt in utraque parte nonnulla, quæ ad noſtrum quidem argumentum faciant, ſed quæ cum alienis multis intermiſceantur, & obiter tantum explicentur, ad inſtitutum ſatis non accedunt. Quocirca ſi viſum ſit Fabricio locum tribuere inter Auctores Aphrodiſiacos,

I. Non ideo, quod *Lib.* 1. *Pentateuch. Chirurgic. Cap.* 16. agat *de Bubone gallico*, quem jubet „ in pus vertere, nequaquam in halitum digerere, multo minus repellere; „ quem „ ſuppuratum ait „ aperiendum eſſe ferro vel cauterio, ſed tutius ferro; cui ſi pertinaciſſimus ſit ad ſuppurationem, conſulit ut cucurbitula affigatur alternis diebus, interim autem Diachylum cum gummis & ſapone nigro apponatur, quo contumaciſſimos „ bubones gallicos ſuppurari vidit.

II. Non

(*a*) Nicolaus Comnenus Papadopoli, in *Hiſtoria Gymnaſii Patavini*. Tom. I. pag. 346.

II. Non ideo, quod *ibidem in Appendice Lib. 3. Cap. 13*, diſſerat *de Ulcere in urethra a gonorrhœa*, quod præter alias cauſas, quas memorat, ait „ plerumque etiam oriri ob „ inexhauſtam libidinem, acceſſumque ad ſcorta, præſertim dum menſtruæ fluunt pur- „ gationes; „ & quod curari docet „ venam tundendo, victu tenui ægrum alendo, ſuc- „ corum acrimoniam incraſſando, vel tenuitatem ad ſymmetriam reducendo, corpus re- „ frigerando, " ita tamen ut ad cicatricem inducendam uſum ſimul proponat *Collyrii* cujuſdam ex aſtringentibus, *alumine*, *ceruſſa*, *argenti ſpuma*, &c. *in aquis roſarum & plantaginis dilutis* confecti; & in urethram ſiphone identidem injiciendi,

III. Non ideo, quod *ibidem Cap. 14.* verba faciat *de caruncula in collo veſicæ*, modumque proponat *illam abſumendi ſine dolore* ea methodo, iiſque remediis, quæ ab Andrea Lacuna proponi ſupra vidimus *Lib. VI.* ad annum 1551. Hæc enim ſingula & jam abunde nota ſunt, & pleraque parum efficacia.

Sed 1°. Ideo, quod Fabricius *Operat. Chirurgicar. cap. 66*, ubi *de modo leniendi urinæ ardorem in gonorrhœa*, afferat exemplum *Medici* cujuſdam *inſignis*, qui dolores ſæviſſimos, dum meierit, experiebatur „ in inferna parte glandis, ad ejus radicem, ubi exigua adeſt „ cavitas, in qua ſemen putridum & acerrimum reſidet, & partem hanc vegeto ſenſu „ præditam abradit & exedit. In hoc rerum ſtatu, cum neque lac, neque caput lactis, „ neque flos caſſiæ, neque aliud valeret, quod dolorem demulceret, *tandem Fabricius* „ fuit imaginatus hanc chirurgiam, ut quo tempore meiere vellet, immitteret in mea- „ tum glandis exiguam fiſtulam argenteam, politiſſimam, per quam urina abſque con- „ tactu canalis exiret, & ita ſervatus eſt.

2°. Ideo, quod *ibidem cap. 67*, ubi *de auferenda caruncula*, *quam vulgo* carnoſitatem *dicunt*, *e meatu urinario*, exploſa prius vulgari methodo illam abſumendi per erodentia *cum candela cerea concorporata*, quod ea „ medicamenta in urina emittenda eluantur, & „ ſæpenumero parum proficiant, aut in longius tempus curam protrahant, modum alium „ *deſcribat* nuper, *ut ait*, excogitatum non ſolum diutiſſime conſervandi medicamentum, „ verum etiam cum eodem meiendi, abſque eo quod ab urina eluatur. Fiat, *inquit*, can- „ nula ex linteo cera alba oblinito, longitudinis quantus eſt digitus tranſverſus, lati- „ tudinis ut æquet argenteam fiſtulam uſurpandam, quæ (*cannula*) filum longum ha- „ beat appenſum. Hæc extremitati ſtyli argentei, qui ingrediatur fiſtulam argenteam, „ aptatur, ita ut cannula ſtylum admittat, qui extra argenteam fiſtulam nudus pateat, „ quanta eſt cerea cannula; quæ hoc modo aptata, jam una cum argentea fiſtula ac „ ſtylo immittitur in urinæ canalem, uſque dum occurrat caruncula. Cannulam vero „ ceream attingere carunculam opus eſt; deinde cum eſt in loco carunculæ, argenteam „ fiſtulam retrahimus, & cannulam ceream (*linteam*) relinquimus, ac per ipſam urinam „ emittimus, abſque eo quod medicamentum circa cannulam ceream eo oblitam eluatur. „ Hic modus rarus eſt, *pergit Ille*, ubi pertranſit fiſtula argentea carunculam; filum au- „ tem appenſum trahitur, cum volumus ut cannula cerea foras trahatur, & medicamen- „ tum renovetur: Solet enim duos dies perſiſtere. „ *Hactenus* Fabricius.

Ea autem ratio medendi carunculis meatus urinarii longo intervallo a non nemine nuper Lutetiæ repetita & relata eſt, manifeſto quidem plagio, cum tanquam nova, nec ab alio accepta produceretur, ſed quod gravius eſt, majore venditatione quam ſucceſſu; ſiquidem compertum eſt experientia nunquam ſatis commodam, & plerumque non ſatis efficacem eſſe. Nihilominus cum ſua non deſtituatur utilitate quibuſdam in caſibus, ut e Medicinæ cenſu excludatur auctor eſſe nolim; velim potius auctor eſſe ut retineatur, opportune, cum uſus popoſcerit, adhibenda ex artis regulis, ceu ſpes noviſſima.

* GUILLELMUS LOYSEAU, Bergeracenſis, Medicus & Chirurgus, (ipſe enim refert ſe artem utramque profeſſum fuiſſe) (*a*) locum habuit ab anno 1587, inter ordinarios Chirurgos Henrici IV, cum regno tantum Navarræ potiretur, necdum Rex eſſet Franciæ, in quo miniſterio perduravit ad extremam uſque ſenectutem. 1617.

Edidit Obſervationes aliquot Medicas & Chirurgicas cum hac inſcriptione:

> *Obſervations Medicinales & Chirurgicales avec hiſtoires, noms, pays, ſaiſons & teſmoignages.* par M. G. Loyſeau, *Medicin & Chirurgien du Roy.* A Bourdeaux, *par Gilbert Vernoy*, MDCXVII. *in 12.*

Liber

* In Libro, quem manibus verſo, prænomen Auctoris non deſignatur niſi initiali litera G, ſed in alio Libro ab eodem latine compoſito, *De internorum externorumque Morborum curatione*, diſerte appellatur *Guillelmus Loſellus*, quod omnem tollit dubitationem.

(*a*) Epitre Dedicatoire au Roi.

Liber ille qui *Regi*, hoc eſt, Ludovico XIII inſcribitur, continet Obſervationes CXXVIII, in quarum prima agitur de curatione Henrici IV, Franciæ & Navarræ Regis. Narrat enim Auctor,

I. Henricum IV ægrotaſſe ab anno 1590 ad annum uſque 1598 ex dyſuria & ſtranguria habituali, quæ antiquioris gonorrhœæ virulentæ pediſequa erat.

II. Hoc anno 1598 Regem ipſi ſatis confidiſſe, ut ei, & ſoli quidem Chirurgorum ſuorum, de ſe permitteret, præſente tantum Archiatrorum Comite, qui tunc fuit N... de la Riviere, Baſileenſis.

III. Ad carunculæ curationem, quæ in meatu urinario aderat, (vel quam ille adeſſe credebat ex pathologia tunc vulgo recepta,) a ſe adhibitum fuiſſe pulverem quemdam, de cujus præparatione tacet, ſed quem liquet cathæreticum fuiſſe, & a ceteris remediis iſtiuſmodi, quæ tunc in honore erant, & de quibus jam ſæpius, nullomodo diverſum.

IV. Ex illo pulvere cum butyro recente ſubacto & permixto ſe unguenti cujuſdam ſpeciem præparaviſſe, cujus aliquot micas, ope cannulæ ad id opus arte comparatæ, ſuper urethræ carunculam levi & ſuſpenſa manu deponebat veſperi, cum Rex cubitum ibat.

V. Singulo mane urethram diligenter deterſiſſe, & ſi qua apparerent phlogoſeos indicia, blande permulſiſſe beneficio injectionum ex aquis ſtillatitiis Plantaginis, Portulacæ, vel Solanis, in quibus diſſolutum erat tantillum Trochiſcorum Gordonii, aut Trochiſcorum alborum Rhaſis.

VI. Ea methodo carunculam omnino deletam atque exſtirpatam fuiſſe intra dies 12 vel 13; atque deinde cicatricem ulceri ſuperſtiti obductam fuiſſe unguento quodam ex tuthia & antimonio præparato cum butyro recente ſubactis & commixtis, vel unguento quod conſtabat æquis partibus unguenti Diapompholygos & unguenti albi Rhaſis; quæ medicamina ſedulitate eadem quotidie horis ſerotinis in urethram intrudebantur, & ulcerato loco apponebantur.

VII. Per id tempus commodo etiam fuiſſe in urethræ ductum identidem levi manu introducere & per aliquod tempus detinere virgam plumbeam unguento, quod ex pulvere illo cathæretico & butyro recente compoſitum erat, vel hydrargyro crudo illitam; Quam ſane medicationis rationem ceteris efficaciorem fuiſſe facile ideo credo, quod jam antiquatis ceteris omnibus, hæc ſola etiamnum valeat, ac famam teneat ſine labe.

VIII. Regem perſanatum fuiſſe intra hebdomadas quinque, ſine ullo infortunio, quod curatoriæ methodo poſſet adſcribi. Ægrotaviſſe tamen ex febre dies tres quatuorve, non ex cathæreticorum uſu, ſed intemperantia, unde multo pejus fuiſſet ægrotaturus, niſi iterata vomitione ſtomachus levatus fuiſſet.

IX. Non defuiſſe æmulos ſeu potius invidos, qui in eo rerum ſtatu diffunderent in vulgus, ut odium concitarent, illum valetudinem adverſam Regi creare, remediis, inſtrumentis, operationibus ſuis; ſed Regem veri probe conſcium unum aliquem ex hac invidorum colluvie elinguem reddidiſſe, cum illi palam exprobraſſet ſatis duriter, quod iniquiore ferret animo ſe ab alio quam ab illo perſanatum fuiſſe: Quæ videntur non modo in Chirurgorum regiorum quemdam, ſed in Chirurgum ipſum primarium cadere.

Gloriatur, ut videre eſt, Guillelmus Loyſeau de abſolutiſſima Regis ſanatione, ſed ſi de Henrico III & de Henrico IV, ut multa mihi perſuadent, intelligendus ſit (*a*) Ludovicus Guyon, cum narrat ſe vidiſſe Reges duos, qui dum vixerunt, ex ſtranguria & caruncula in urethra ægrotavere, licet Medicorum ſuorum dictis audientes eſſent, vana fuit illius gloriatio, debuitque Henricus IV in recidivam brevi relabi, quod ut ſuſpicer facit cum nota morbi difficultas, tum qualitas adhibitorum cathæreticorum, quæ plerumque morbum magis fovent, quam ſanant, & ſi quando ſanant, raro ſine fuco.

In *ſecunda* ejuſdem Libri *Obſervatione* proſtant exempla alia bina ſimilium in urethra carunculárum, quæ ab Auctore feliciter exſtirpatæ fuerunt eadem methodo, atque adeo unde nihil poteſt ad ea, quæ dicta ſunt, accedere.

Porro notatu dignum eſt ab hoc etiam ſeu Medico, ſeu Chirurgo, qui dum ſcriberet, natu grandis & emeritus erat, filioque quem ſuorum arcanorum hæredem deſtinaverat, orbatus, & qui ipſe (*b*) prædicat ſe eo tantum animo ſcripſiſſe, ut juniorum Chirurgorum utilitati ſerviret, remedia tamen, quæ maxime commendat & quorum ope ſe curationes plurimas feliciter expleviſſe gloriatur, occulta haberi; Uſque adeo magnam vim conſuetudo obtinet in pleriſque, ut ea, quibus aſſueviſſe olim fructuoſum fuit, pergant agere, etiam dum ſibi nullus fructus inde futurus eſt.

FRAN-

(*a*) Vide *ſupra ad annum* 1615. (*b*) In Præfatione *Obſervationibus* præfixa.

FRANCISCUS RANCHINUS, Monſpeſſulanus, Medicinæ nomen dedit in Facultate patria anno 1587; Doctoris gradum conſecutus eſt anno 1592; Profeſſorium munus adiit anno 1605, ſucceſſitque mortuo Johanne Saportæ. Cancellarius electus eſt anno 1612. in locum Andreæ Laurentii jam a tribus annis fato functi, ac demum mortem obiit anno 1641. Plura de illo in Hiſtoria Facultatis Medicæ Monſpeſſulanæ propediem edenda. 1610. 1604.

Ranchinus, cum profeſſorium munus nondum adeptus, Andreæ Laurentii abſentis nomine Medicinam doceret, Chirurgis publice prælegit Quæſtiones Chirurgicas, ut in Facultate Monſpeſsulana tunc ex uſu fuit, quas anno 1604. publici juris fecit cum inſcriptione ſequente.

> *Queſtions en Chirurgie ſur les Oeuvres de M. Guide Chauliac, diviſées en trois parties, par Maître François Ranchin, Medecin du Roy, & de Monſeigneur le Connetable* (Henri de Montmorenci) *Docteur Regent en la trés-fameuſe Univerſité de Medicine de Montpellier.* A Paris *chez Marc Orry.* MDCIV. in 8°.

In quibus, *Part.* 2. *Sect.* 3. *Lib.* 7. ex occaſione Lepræ nonnulla quærit de Lue venerea.

Nempe I. *An lues illa ſit morbus novus, & qui Antiquis ignotus fuerit?* Reſpondet affirmative ac oppoſita argumenta pauci diluit, ſed ſatis erudite.

II. *An lues eadem morbus calidus ſit, frigiduſve?* Reſpondet natura frigidum, ex accidente calidum eſse.

III. *An hepar ſit in lue venerea pars vitio affecta?* Reſpondet affirmative ex præjudicio, quod ipſius ætate adhuc valebat.

IV. *An lues venerea contactu contagioſa ſit?* Reſpondet affirmative.

V. *An Guiacum ad curandam luem veneream faciat?* Reſpondet affirmative.

VI. *An liceat argentum vivum adhibere ad luis curationem?* Reſpondet argentum vivum adhiberi poſſe, ſi cetera remedia blandiora prius adhibita fruſtra fuerint:

Scripſit idem de eodem argumento Tractatum alterum ex præcedente quidem concinnatum, ut ipſe confitetur in *Præfatione*, ſed duplo auctiorem, & in duas partes diſtributum, *Alteram* de Morbi Ætiologia, quæ Capita 10. *Alteram* de ejuſdem Therapeia, quæ Capita 32. continet. Huic autem ſequentem inſcriptionem præfixit:

> *Traité de l'origine, nature, cauſes, ſignes, curation & préſervation de la Vérole;* qui Tractatus proſtat inter illius Auctoris Opuſcula, *Lugduni* edita *in* 8, anno 1640.

Docet ibi, ut in priore Tractatu, ſed paulo fuſius,

I. Luem veneream (*a*) morbum eſſe novum, Veteribus ignotum qui in Europa ſæviat circiter ab annis 120, unde colligere facile eſt Tractatum hunc circa annum 1625. ſcriptum fuiſſe.

II. Luem veneream (*b*) a Lepra diverſam eſſe natura, cauſa, ſymptomatibus, curatione.

III. Therapeiam ſudorificam, (*c*) qualem præſtant decocta Guaiaci, Saſſafras, Chinæ, Salſæ-parillæ, utilem eſſe ad recentiorem & leviorem luem.

IV. Sed Mercurio (*d*) utendum eſſe ad curandam luem veneream, quæ confirmata & difficilis eſt, & quæ ſudorificorum efficaciam fruſtrata fuit.

V. Uſum quidem (*e*) inunctionum mercurialium, & ceratorum vel emplaſtrorum, quæ Mercurium recipiunt, tutum eſſe: Suffumigiorum vero mercurialium periculi plenum,

VI. Argentum vivum (*f*) crudum, ſed terebinthina extinctum, ore tuto exhiberi poſſe in pillulis; at vero non ita Mercurium præcipitatum rubrum, ut qui acrimonia ſeu potius deleteria vi damna cieat aliquando graviſſima.

VII. Symptomatis variis, (*g*) quæ illitionibus, emplaſtris vel ſuffumigiis mercurialibus inducuntur, arte varia medendum eſſe, quam ipſe explicat.

VIII. Cetera luis venereæ (*h*) ſymptomata, gonorrhœam, tumores teſtium, urethræ carunculas, bubones, virgæ ulcera, cryſtallinas, verrucas, puſtulas, alopeciam, venereos dolores, oſſium cariem, gummata, nodoſque peculiaribus remediis curanda eſſe, qualia ille recenſet.

 IX. De-

(*a*) Part. 1. Chapp. 1. & 2. (*b*) *Ibid.* Chap. 7. Et Traite de la Lepre, *Chap.* 8.
(*c*) Part. 2. Chapp. 7. 8. 9. 10. & 11.
(*d*) *Ibidem*, Chap. 13.
(*e*) *Ibidem*, Capp. 15. 16. & 17.
(*f*) *Ibidem*, Chap. 18.
(*g*) *Ibidem*, Chap. 19.
(*h*) *Ibidem*, Chapp. 20. & *ſuiv.*

IX. Denique (*a*) nulla certa methodo poſſe quemquam, qui venere vulgivaga utatur, a lue venerea tutum ſe præſtare. Cenſet tamen ad hunc finem profutura eſſe remedia a Falloppio olim propoſita, aliaque nonnulla, quæ ipſe proponit; quæ tamen ambo remediorum genera conſtat nullius efficacitatis eſſe.

Ceterum illi duo Ranchini Tractatus, tum re, tum ſtylo inter mediocres numerandi ſunt, ut & pleraque alia ejuſdem Auctoris Opera.

1620. Daniel Sennertus, Vratiſlavienſis in Sileſia, natus anno 1572, patrem (*b*) habuit Nicolaum Sennertum, Calcearium. Doctoris gradum Wittebergæ aſſecutus eſt anno 1601. Ibidem profeſſorium munus ſuſcepit anno ſequente 1602. In numerum Medicorum cubiculariorum a Johanne Georgio I. Electore Saxoniæ adſcitus eſt anno 1628. Obiit Wittebergæ anno 1637, ætatis anno 65.

Opera omnia in tres Tomos diviſa, in fol.

Ibi *Libro VI. De Morbis occultarum qualitatum*, *Parte* 4. Sennertus differit de lue venerea. Nihil quidem in ea diatriba neque novum, neque rarum eſt, ſed omnia ita ad nitorem, ordinem, elegantiam, perſpicuitatem concinnata, ut in hac ſola lucubratione paucis contracta & digeſta videas, quæ in immenſis Voluminibus nullo ordine ſparſa ſunt: Quod de ceteris omnibus Sennerti Tractatibus dictum volo.

1620. Matthias Untzerus, Hallenſis in Saxonia, natus eſt (*c*) anno 1581, Medicinæ operam dedit Lipſiæ, Tubingæ, Patavii, ac demum Baſileæ, ubi Doctoris titulo inſignitus eſt. Medicinam fecit in urbe patria, in qua mortem ex acuto morbo oppetiit anno 1624, ætatis 43.

Anatomia Mercurii ſpagirica, ſeu de Hydrargyri natura, proprietate, viribus & uſu, Libri duo. Hallæ Saxonum, 1620. in 4°.

In priore quidem Libro continentur *Capita XXXIII*, quibus Untzerus multa refert de natura, indole & uſu Mercurii, tum chimico, tum medico, tum mechanico; & quod ad inſtitutum noſtrum propius ſpectat, ſedulo inquirit *Capite* 18. *num Hydrargyri inunctio conveniat in lue venerea*, ac penſitatis rationum momentis in utramque partem, affirmative concludit, ſed reſtricte, *Hydrargyroſin periti circumſpecteque a prudenti Chirurgo inſtitutam, aliis tamen non neglectis convenientibus remediis, non eſſe ſemper rejiciendam, aut tanquam peſtiferum aliquod Medicamentum angue caneque pejus fugiendam, ſed potius pro ſummo Veneni Gallici alexicaco habendam*, quod multis probat argumentis, & quod iterum affirmat *Cap.* 22. ubi *de uſu Mercurii in Morbo Gallici curatione*.

In Libro poſteriore differit *Capitibus XVII*, *De variis Mercurii præparationibus cum medicum, tum chimicum uſum concernentibus*, ubi reperire eſt præparationes mercuriales fere omnes, quas tanquam arcana ſeu miſteria maxima nunc ſilentio a quibuſdam tegi videmus.

Ceterum fatendum quidem eſt potiſſima, quæ ab Untzero proferuntur, ex variis Auctoribus excerpta & corraſa eſſe; at vero fatendum ſimul pleraque non ſine judicio delecta fuiſſe.

1620. Tobias Knoblochius, Marco-Brettanus, Archiatros & Poliatros Anſpacenſis, qui antea Iglaviæ in Moravia (*d*) medicinam fecerat.

Kurtzer Bericht von den Franzoſen, vvas es fur eine Kranckheit ſey, und vvie ſolche zuheilen. Gieſſen, 1620. in 8°.

Ideſt, *Relatio ſuccincta de Morbo Gallico, qualis ſit morbus, & quomodo curandus*. Gieſſæ, 1620. in 8°.

Auctor, in Epiſtola nuncupatoria ad Sennertum, Horſtium & Bauſchium, ait ſe horum Triumvirorum hortatu Librum hunc ſcripſiſſe: Debuiſſet dicere *compilaſſe*; adeo ſunt pauca, quæ ſua ſint, præter modum forſan ſcribendi erotematicum, & perpauca alia.

Quantum ad medendi methodum, præ omnibus laudat Decocta ſudorifica, quæ ſi non ſuccedant, jubet confugere ad Mercurium, externe per ſuffumigia vel frictiones applicandum, vel interne catapotiorum forma exhibendum, & ad ſuam experientiam provocat, *Pagg.* 73. 74, aſſerens ſe Mercurio rite præparato, & eo fine dato, ut catharſes vel ſudatio-

(*a*) *Ibidem*, Chap. 32.
(*b*) Oratio Panegyrica Daniel. Sennerti ab Auguſto Buchnero dicta in Academia Wittbbergenſi, anno 1638.
(*c*) Ex illius Epitaphio Commentationi ejuſdem *De ſale* præfixo.
(*d*) Sennertus, *De Arthritide*, *Cap.* 2.

ſudationes proliceret, ægris ſibi concreditis ſæpius opem tuliſſe. Cum vero de præparatione quæſtio eſt, adducit Pillulas Barbaroſſæ, quæ Mercurium crudum ſucco limonum ſubactum recipiunt. Ceterum Mercurium dulcem, & Cryſtallinum rubeum Crollii, Quercetani, (*a*) Evonymi, & Libavii crudo præferendum eſſe cenſet.

JOHANNES COLLE, (*b*) de Nobilibus Sancti Bartholomæi de Colle Salcis, Bellunenſis, (*c*) natus annno 1558, Doctoris titulum Patavii impetravit anno 1584, ubi Profeſſores audivit Hieronymum Capivaccium, Albertium Bottonum, & Æmilium Campolongum, quos paſſim ſuos Præceptores vocat. Belluni, in patria aliquandiu; annos 12. Venetiis medicinam fecit. Accitus fuit anno 1600, ut Archiatros eſſet Franciſci Mariæ II. Ducis Urbini, & eo munere functus eſt uſque ad annum 1623, quo tempore Patavium ad primariam Cathedram Medicinæ vocatus fuit, morte Roderici Fonſecæ vacuam, ibique obiit anno 1631, ætatis ſuæ 72. ſæviente peſtilentia abreptus. 1621. 1628.

Primo. In lucem emiſit anno 1621, *in folio*, Venetiis Opus Medicum in tres Libros diſtributum, cui titulum ſequentem fecit, ut ad nomen *Coſmii II. Medicæi*, *Magni Etruriæ Ducis*, cui nuncupabatur, ſatis frigide alluderet.

> *Coſmitor* (hoc eſt græce *Ordinator*) *Medicæus triplex*, *in quo exercitatio totius Artis Medicæ*, *loca dilucidata*, *& quæſita varia deciſa*, *ac Conſultationes medicinales*, *& quæſtiones practicæ enucleatæ proponuntur*. Venetiis *Apud Baretium Baretium*, 1621.

I. Exſtat hujus Operis *Libro ſecundo*, *Pag.* 100, brevis Diſſertatio Capitibus VII. paginiſque 4 comprehenſa, *de radice Chinæ*, ubi ait *radicem illam a Luſitanis primum delatam anno* 1535, *& tunc varie appellatam fuiſse*, *Chinam*, *Cinam*, *Echinam*, *& Arlinam*, *a Chinenſibus vero Lampatam*. * Cetera, quæ de temperamento, colore, figura, doſi & uſu radicis illius affert, nihil habent ſingulare & ubique obvia ſunt.

II. *Libro Tertio*, *Pag.* 221, Conſilium *pro lue gallica affecto*, *depravata ambulatione propter genu retractum*, *dolore capitis calido*, *calidaque fluxione*. Ad cujus ægri curationem proponit Auctor potiſſimum „ Decoctum ligni Guaiaci, Salſæ-parillæ, ligni Juniperi in „ aqua Ivæ, & per balneum Mariæ deſtillatum, additis cichoraceis, aut aqua & ſucco „ cichorii, ſonchi, borraginis, lupulorum. „ Ad crus vero retractum „ luta Sanctæ He„ lenæ & Sancti Bartholomæi Patavina, Ceratum Tachamac, (*Tacamahaca*) Copal, „ cum Salſa-parilla & Iva, Oleum vetus cum lumbricis & bdellio, opopanace, ſtyrace „ calamita ad partes æquales; Galbanum, Ammoniacum, diſſoluta cum ſucco Ciclaminis; „ Oleum vetus Ivæ, Colocynthida ſimul mixta & ad ceratum redacta.

III. *Libro eodem*, *Pag.* 233. Conſilium alterum *de lue gallica*, *doloribus*, *tumoribus*, *ulceribus*, *gonorrhœa*, *decocto Salſæ-parillæ*, *Chinæ*, *ligni Vaiaci*, (Guaiaci) *inunctione ex hydrargyro*, *bolis*, *medicamentis & aliis ad curam nobiliſſimi Patritii Veneti*. Ægær ille, cum ex decocto Guaiaci, variiſque aliis remediis, quæ tunc in honore erant, quaſi methodica luis venereæ auxilia, *nullum emolumentum olim percepiſſet*, ... *inunctionem ex hydrargyro & bolos ex eodem expertus fuerat*, ... *& liber ab omnibus ſymptomatibus evaſerat. Sed iterum cibis*, *veneri indulgens & muliere infecta*, luem veneream rurſus conceperat; *ideoque quia uſum ex inunctione perceperat*, *iterum eam exoptabat*, *& conſilium avide flagitabat*. Concedit quidem Johannes Colle, ut inunctiones ex unguento mercuriali illi iterato adhibeantur, ſed videtur quaſi invitus concedere. Porro auctor eſt, ut „ ungatur patiens loco calido ad ignem quinquies aut ſexies, jejunus & pluribus vici„ bus aut continuis, aut interpolatis, primo pedes uſque ad genua, ſecunda die genua, „ & brachia & manus, tertia ſpina dorſi uſque ad Cordis regionem, quarta & quinta „ iterum omnes partes. „

IV. *Libro eodem Pag.* 267. Epiſtola ad Hieronymum Duranti, Medicum, *de quibuſdam pro lue gallica & podagra novis inventis remediis*. Sed, quod fidem fere ſuperat, *nova illa remedia*, quæ Johannes Colle tamquam *arcana ſua* tanto cum faſtu cum Hieronymo illo Duranti, juniore Medico, communicat, nihil ſunt præter Decocta *ligni Juniperi pinguis & rubri*, *ſarmentorum Periclimeni & Lupulorum*, cum aliis ſexcentis medicamentorum ſpeciebus ejuſdem farinæ, quibus nihil ſcio quod ſit futilius inaniuſque.

(*a*) Placuit Conrado Geſnero, celebri Medico Tigurino, ſub hoc nomine latere, cum Libros duos *de Remediis ſecretis* edidit Tiguri, annis 1556. & 1569.

(*b*) Sic ſe vocat ipſe in fronte Libri.

(*c*) Nicolaus Comnenus Papadopoli, *Hiſtoria Gymnaſii Patavini* Tom. I. Lib. 3. Sect. 2. Cap. 27. n. 127.

* Radix quidem *Chinæ* in Sinenſi Imperio copioſe colligitur: Verum non *Lampatam*, ſed *Tou-ſou* ibidem appellatur. *Deſcription de l'Empire de la Chine*, par le P. du Halde, *Tom. III. pag.* 521.

Secundo. Scripſit Librum alterum, qui Venetiis pariter impreſſus fuit cum ſequenti inſcriptione:

Notitia & medela ſingularis adverſus Neotericos de Morbo Gallico, ſeu de lue venerea, Indica, Hiſpanica, Neapolitana, Italica &c. Et ejus ſymptomatibus, Gonorrhœa &c. Auctore Johanne Colle, Bellunenſi, e Nobilibus Sancti Bartholomæi de Colle Salcis atque Senogalliæ, Patritio, & Sereniſs. Urbini Ducis Protomedico, nunc Practico ordinario primæ ſedis veſpertinæ in celeberrimo Patavino Gymnaſio. Venetiis, MDCXXVIII. *Apud Evangeliſtam Deuchinum* in 4°.

Tractatus ille abſolvitur *Sermonibus XXXI*, in quibus Auctor de luis venereæ natura, cauſa, ſymptomatibus, & therapeia multis differit, ſed parum accurate, ut videtur, ne dicam faſtidioſe.

Huc redit Doctrinæ ſumma, quam ex illo Tractatu licet colligere.

I. Luem veneream (*a*) „ vocatam fuiſſe *Indicam*, quia in India maxime ſævit: *Hiſpa-* „ *nicam*, quia Hiſpani milites in India infecti eam tranſportarunt in Hiſpaniam, & po- „ ſtea in regnum Neapolitanum, & *Neapolitana* vocata fuit: tamen quia Galli milites „ alii fuerunt ab hac lue multum deturpati & cum vitæ diſcrimine, ideo, *Gallicam* ap- „ pellatam, & anno 1487. (1494) dum Carolus VIII. Rex Galliæ Neapolim obſidebat „ (*occupabat*), Hiſpanos milites & mulieres diſſeminaſſe hanc labem & contagio infe- „ ciſſe Gallos milites.

II. (*b*) „ Omnia luis venereæ ſymptomata vagata fuiſſe tempore Saliceti, Chirurgi, „ * tempore Valettii (*Valeſci de Taranta*) anno 1340, & Gordoni, qui vixit anno 1430, „ & ab illis Auctoribus rememorata: . . . . . *unde collìgit* Morbum venereum, hodie *Gal-* „ *licum* vocatum, ſemper fuiſſe & temporibus illis antiquis, ... ſed illo tamen „ tempore Caroli VIII. graviorem ſæviſſe.

III. (*c*) Vidiſſe ſe ſcriptam Epiſtolam Pauli Amburgenſis (*Middelburgenſis*) Epiſcopi „ Foroſempronii, qui anno 1457 (1487) ſcripſit ad Guidum Ubaldum, Urbini Ducem, & „ ad Octavianum Ubaldinum, & hæc epiſtola conſervatur manuſcripta in celeberrima Bi- „ bliotheca Sereniſſimi Urbini, qui præſagiebat anno 1496 denuo excitaturam (*excitatum* „ *iri*) hanc labem. Dicebat enim Martem cum Saturno (*& Jove*) fore (*fuiſse anno* 1484) „ conjunctos cum Scorpione, & debere excitari hanc virulentiam in Italia melancholicam. „ Sed quid de prædictione illa ſentiendum ſit vide ſupra ad annum 1487, ubi *de Paulo Middelburgio*, atque ex hiſtoria eadem, quæ a Petro Maynardo narratur, ſupple & corrige quæ in narratione Johannis Colle deſunt vel vitioſa ſunt.

IV. Luem veneream generari (*d*) „ per contagium oſculi, veſtium, concubitus, la- „ ctis, dormitionis, vel ſponte a pravis ſanguinibus, vel ab aere & cœlo, lumine & mo- „ tu, & corporis humani aptitudine . . . . Etenim ſi valuit illis primis temporibus „ emergere ſponte a cœlo & humoribus corruptis, accommodis impreſſionibus maleficis, „ nihil prohibet quin etiam hodiernis temporibus valeat: „ Quam opinionem mirum eſt teneri potuiſſe a Medico, qui florebat anno 1628, cum de contrario vulgatiſſima erat omnium ſententia.

V. (*e*) „ Cauſam morbificam invadere primo partes per quas penetrat: Sic in illis, „ qui bibunt pocula infecta longo temporis ſpatio, primo affici ventriculum: . . . . „ Sic in illis, qui dormiunt una ſimul cum hac lue depravato, primo cutim coinqui- „ nari: „ . . . . qua occaſione oblata refert Auctor a ſe „ curatum fuiſſe Illuſtriſ- „ ſimum Comitem Fanenſem, qui lue venerea correptus fuerat propter longam dormitio- „ nem cum fratre tali labe deturpato.

VI. In curanda lue venerea (*f*) „ primas & utiliores partes tenere Decocta ſudorifi- „ ca, quæ præcipue ex quatuor componuntur, ligno Guaiaco, Salſa-perilla, China & „ Saſſafras, „ Addit tamen Auctor „ a ſe in aula Sereniſſimi Urbini Ducis, necnon Ve- „ netiis, experimentis comprobata fuiſſe multa alia tuta & jucunda, Saponariam, Smi- „ lacem aſperam, Buxum, Laurum, Pinum, Laricem, Olivam, Juniperum, ... „ Viperam &c.

VII. „ (*g*) Si lues antiqua exhibito per plures dies decocto Guaiaci & Salſæ, atque „ victus rationi accommodatæ non cedat, vigeantque cruciatus, gummata & ulcera, tunc

(*a*) Sermone I. (*b*) Sermone 1. *Et ad calcem* Sermonis ultimi.
* Videtur hic deeſſe notatio temporis, quo vixit Guillelmus de Saliceto.
(*c*) Sermone 1. (*d*) Ibidem.
(*e*) Sermone I. (*f*) Sermone XVI.
(*g*) Sermone XVII.

„ tunc hydrargyrum & inunctiones uſurpandas eſſe„ cum unguentis mercurialibus, quorum varias proponit formulas.

VIII. „ (*a*) Inter auxilia pro hiſpanica lue expurganda numerari etiam ſuffumigia, „ quæ frequenter uſurpantur ab Empiricis & Spagyricis, verum etiam a rationalibus „ Medicis. Coguntur & ipſi hæc tandem adminiſtrare, ſed æger debet eſſe validus, ro„ buſtus, debet eſſe exacte purgatus . . . . Sunt autem paranda ad ſeptem vel octo „ dies continuo vel interpolate, ſemel tantum in die. „ Deinde profert Auctor multas ſuffumigiorum formulas, quarum nonnullæ Mercurium, nec Mercurialia ulla admittunt.

IX. „ (*b*) In regno Galliæ eſſe vagum alium morbum, qui vocatur *Cryſtallinus*. „ Tumor, *inquit*, oritur in Pene durus, lucidus, & Penis veluti cryſtallus frangitur & „ decidit: Profecto, ut ego cenſeo, *addit Ille*, pituita vitrea virulentia hiſpanica inſpur„ cata, effluens ad Penem, ipſum durum, ſiccum reddit, ut facile dividi & frangi poſ„ ſit & rumpi in multas partes, uti conſpicimus in glacie & nive. „ Inde videtur poſſe colligi 1°. Bullas Cryſtallinas, quales a lue venerea ſoboleſcunt in pudendis utriuſque ſexus, ab Auctore quidem nunquam obſervatas fuiſſe, cum tam male ab illo deſcribantur, neque enim Penis cryſtallina veſicula tumens decidit aut rumpitur in multas partes, veluti glacies: 2°. Illius tamen ætate jam graſſatas fuiſſe, quod poteſt quoque confirmari teſtimonio Johannis Hartmanni, de quo ſupra ad annum *1611*.

X. Infectis, dum curantur, (*c*) „ venerem non omnino interdicendam eſſe, ſed mo„ derate exercendam, ... dummodo cum munda juvencula celebretur. Nolo, *inquit* „ *Auctor*, ſententiam illorum recenſere, qui ſuadent affectos lue gallica cum variis puellis „ ſe commiſcere, quaſi illæ miſeræ juvenculæ ad ſe rapiant virulentiam illam, nam ſi „ alte radices habet, & Jecur & Viſcera ſint temperie labefactata, hoc remedium mini„ me tutum eſt & ſalutare, (relinquo peccata & religionem). „ Addit alibi nonnul„ los (*d*) „ arbitrari coitum cum Æthiope aut Virgine gonorrhœam curare, ſed fal„ ſo; non ſat eſt ſemen infectum excernere, ſed opus eſt etiam vaſa gignentia & præci„ pua viſcera emundare alexipharmacis & alterantibus.

Hactenus de lue venerea. Placet his ſequentia adjicere, quæ Auctoris ingenium, ejuſ„ que doctrinam circa res medicas egregie demonſtrant. (*e*) Inſervivi, *inquit*, viginti „ tres annos Sereniſſimo Duci Urbini Franciſco Mariæ II, Duci ſexto, & primus ab „ ejus valetudine accurate animadverti Sereniſſimum Ducem a natura obtinuiſſe balſamum „ vitæ, ſalem vitæ, humidum nempe radicale ſpermaticum & ſanguinem copioſum, „ craſſum, & admodum pingue, aereum, ſed ignea & terrea ſubſtantia pauca, mini„ maque aquea, adeo ut validum illud radicale pingue diu valeat adhuc ipſum in vi„ vis conſervare octogenarium, & conſervabitur ad plures adhuc annos Deo favente.

Ceterum notari velim in priore Tractatu, qui inſcribitur, *Methodus facile parandi jucunda, tuta & nova medicamenta*, proponi a Johanne Colle, inter non pauca, quæ ad luem veneream ſanandam facere exiſtimat (*f*) ſequentem Mercurii præparationem.

℞. *Mercurii ſublimati dulcorati* ℥ j.
Mercurii ſaliva extincti ℥ ß.
Foliorum Auri N°. x.
Olei ligni ſancti ʒ v.
Succi fumariæ lib. j.
Succi cardui benedicti lib. ß.

Ponantur hæc omnia in Veſica Suilla ſtricte alligata, & hæc in Malo Punico reponatur, quod paſta triticea cooperiatur, & in furno aſſetur. Reperitur in Veſica ſpiſſamentum maximæ efficaciæ & tutæ experientiæ.

„ Hic eſt modus rectificandi Mercurii pro humanis corporibus verus & tutus, & non „ ille, qui a Spagyricis uſurpatur maxime cum ægrotantium jactura. Uſus & doſis, „ ℞. *hujus Mercurii* gr. vj. *ſucci Cichorei* ʒ ij. *Cornu Cervi præparati* ℈. j. M. pro unica „ vice, & ita ad 20. dies celebrata primo univerſali purgatione; & hic uſus & modus „ antiquos & rebelles gallicos dolores ſanat cito & jucunde.

Solet Auctor ſimili manipulatione multa alia remedia præparare, quæ *ſalium* vel *pulverum* nomine ibidem recenſet.

(*a*) Sermone XIX. (*b*) Ibidem.
(*c*) Sermone XX.
(*d*) Sermone XXII.
(*e*) Sermone XXX.
(*f*) Tractatu *de Salibus & Pulveribus*, *Pag.* m. 74.

Tractatus ille *de lue gallica*, qui ſeorſum prodiit Venetiis anno 1628. apud Evangeliſtam Deuchinum, ſolet plerumque adjungi ad calcem Tractatus alius ejuſdem Auctoris, qui anno eodem Venetiis apud eumdem Deuchinum impreſſus eſt, & indicari in ipſa libri inſcriptione, quæ ſic eſt.

Methodus facile parandi jucunda, nova & tuta medicamenta, & ejus applicatio adverſus Chymicos. De Tincturis, Extractis, Quintis Eſſentiis, Salibus, Cremoribus, Syrupis Chymicis, Aquis Spagyricis &c. Necnon de antiqua Morbi Gallici, natura, ejuſque ſymptomatibus, notitia & medela ſingularis &c. *Venetiis, apud Evangeliſtam Deuchinum*, 1628. in 4°.

Tertio. Edidit idem Venetiis anno 1620. apud eumdem Deuchinum, ſequentem quoque Librum, qui ſic inſcribitur,

Elucidarium Chirurgicum &c. cum Tractatibus Chirurgicis ex Hippocrate, Galeno, Græcis & Arabibus,

in quo agitur quidem de lue venerea, ſed paucis, & tam perfunctorie, ut nihil ſit, quod animadverſione dignum eſſe videatur.

Ceterum quod modo de Tractatu ſpeciali, in quo *de lue gallica*, dictum eſt, idem quoque dici debet & de iſto libro, qui licet ſeorſum editus fuerit, attamen alteram partem plerumque facit *Elucidarii Anatomici & Chirurgici* &c, quod Johannes Colle edendum curavit Venetiis apud eumdem Deuchinum anno ſequente 1621.

Liquet ex Operibus illis & aliis nonnullis nec ingenium, nec literas Johanni Colle defuiſſe, ſed judicium, ſine quo neque literæ, neque ingenium multum proficiunt.

1621. EPIPHANIUS FERDINANDUS, Meſſapienſis e Salentinis in Regno Neapolitano, Philoſophus & Medicus, præceptorem habuit Neapoli Johannem Altimarum, & medicinam cum laude fecit in patria ineunte ſæculo decimo ſeptimo.

Scripſit Tractatum nullum ſpecialem de Lue venerea, ſed cum in *Centum Hiſtoriis, ſeu Obſervationibus & Caſibus medicis*, quas edidit *Venetiis anno* 1621, *in fol* copioſe & erudite diſſeruerit de morbo Gallico in *Obſervatione XVII*, eo nomine dignus eſſe videtur, qui inter ceteros in eodem argumento magis ſpecialiter verſatos locum habeat.

Huc recidit in ſumma Auctoris doctrina.

„ I. Morbum Gallicum Medicis Græcis, ut Hippocrati & Galeno, & Arabibus, ut
„ Avicennæ, fuiſſe incognitum: Noſtro Orbi novum eſſe, ſed vetuſtum Indis, quibus
„ eſt frequens & familiaris, vernaculus & endemius, veluti apud nos ſcabies, & apud
„ quos vocatur *Bughe*.

„ II. Quo tempore ad nos ſupervenit morbus Gallicus, eodem ad Indias Occiduas de
„ novo pullulaſſe Variolas & Morbillos, ex Hernando de Oviedo, in *ſua generali Indarum Relatione, hiſtor.* 17. & Ferdinando Corteſio, in *tertia ſua Relatione*.

III. Mirum videri non poſſe, quod „ quandoque de novo producantur novi morbi,
„ cum ita teſtentur Plato, 3. *de Republica*, Strabo, 15. *ſua Geographia*, Plinius, *Lib.* 25,
„ *Cap.* 3. Plutarchus, *Lib.* 8, *Sympoſ.* & ſexcenti graviſſimi Scriptores,

IV. Morbum generari vel parentum hæreditate; vel contagione per „ coitum, per lactis ſuctum, per fomitem & indumenta; per una ſimul dormitionem, comeſtionem &
„ potum, aliamque conſuetudinem, oſculando, ſugendo, tangendo obſcœnas partes &c.

V. Luem veneream, quæ initio graviſſima fuit & ferociſſima, *jam immutatam eſſe a principio*, & multo benigniorem eſſe, quam in melius mutationem Auctor deducendam eſſe arbitratur potiſſimum ex eo quod *magis perſpecta ſit illius curatio*.

„ VI. Virulentiam veneream toto cœlo differre ab Elephantiaſi, & in hoc eſſe commu-
„ nem Scriptorum opinionem, excepto Sebaſtiano Aquilano, ... contra quem mul-
„ ti ſcripſerunt.

„ VII. Se nullum vidiſſe Morbum Gallicum, *ex quo tempore* per 20. annos medicinam
„ facit in Salentinis, non perfecte curatum ac ex toto exſtirpatum, exceptis relapſibus
„ ſeu recidivis.

VIII. Præparato prius corpore, „ quatuor eſſe vias principales, per quas infallenter,
„ ſi modo iis rite & methodo utaris, omnis virulentia venerea funditus evellitur atque
„ radicitus exſtirpatur, nempe 1°. Viam per Decocta; 2°. Per Inunctionem; 3°. Per Em-
„ plaſtra; 4°. Per Suffitus.

IX. *Primam viam* per Decocta „ ceteris tutiorem eſſe, & ſi hac via res e voto ſemper ſuccederet, quod utinam ſemper ita foret, non oporteret ad alia pertranſire, ſed certe
„ hac . . . . plerumque, imo ſæpius luem veneream non exſtirpari.

X. *Viam*

X. *Viam alteram* per Inunctionem Mercurii, tutam, utilem, efficaciſſimam eſſe; „ hac „ totam Galliam, Hiſpaniam, Italiam, totum Orbem hoc in morbo Gallico uti; „ unde fit, ut Auctor illam curatoriam methodum miris laudet encomiis, quæ indicata vide *Lib. II. Cap. XI.*

„ XI. Negari tamen non poſſe mori nonnullos; vel quia inunctio non opportune adhibetur vel ſiniſtre; vel æger delinquit; vel fortaſſe nocebit ratione multæ quantitatis; „ vel quia in principio unguntur ægri; vel quia iidem vires habent parum firmas; & ali„ quod membrum natura debile. „ Sed hæc, ut Auctor recte monet, ab uſu inunctionum deterrere non debent, „ cum optima medicamenta, ſi ſiniſtre fuerint admota, poſ„ ſint lethalia inducere ſymptomata, & mortem ipſam.

XII. *Tertiam viam* per Emplaſtra mercurialia *unctionis vicariam eſſe*, ſed tunc Mercurium *tardius operari*, cum e contra in unctione *ratione fricationis celerius habeatur intentum*.

XIII. *Quartam viam* per Suffumigia, „ quibus Empirici debellant hydram Gallicam, „ periculoſam magis eſſe, quam inunctionem, ... adeoque ea rariſſime utendum „ eſſe, nec niſi ſumma urgente neceſſitate, cum omnis lapis fuerit convolutus, & res e „ voto non ſucceſſerit . . . . Se quidem uſum fuiſſe his ſuffumigiis ad partes aliquas extrinſecas ulceratas vel doloroſas, deforis tamen, non per os, feliciſſimo cum „ ſucceſſu.

XIV. Tandem addit Auctor „ ſe uſum fuiſse quandoque, *nec ſine ſucceſſu*, Theriaca; „ . . . . confectione Cyphoide, de qua Galenus, *Lib. 8. De compoſ. medicament. per* „ *loca. Cap. 7;* . . . . Aqua theriacali, quam tanti facit Guilelmus Rondeletius „ pro exſtirpando hoc morbo Gallico, maxime in diuturno capitis dolore, & antiquata „ Cephalæa; . . . . demum Aqua philoſophica Matthioli.

DAVID DE PLANIS CAMPY, Chirurgus Galenicus & Spagyricus, Tractatum gallice ſcripſit de lue venerea, cum inſcriptione ſequente: 1623.

Le Verole reconue, combattue, & abattue ſans ſuer & ſans tenir chambre, avec tous ſes accidens.

quem Lutetiæ Pariſiorum excudendum curavit in 8°. anno 1623, & quo octo tantum Capita continentur, cum adjecto ad calcem *Antidotario Venereo.*

Capitibus 1. & 2. affirmat luem veneream in orbe noſtro perpetuam fuiſſe; ſed ideo magis viguiſse circa annum 1493, tempore belli Neapolitani, tum quod Hiſpani admixto leproſorum ſanguine vina infeciſſent, quæ Gallis derelicta permittebant; tum quod Præbitores annonarii humanam carnem exercitibus in cibum ſubminiſtraſſent; quæ duo commeta jam ſupra refutavimus *Lib. I. Cap. IX.*

Sequentibus *tribus* Capitibus diſſerit pro ingenii modo, ſeu potius deblaterat ex doctrina Paracelſi, de natura, cauſa, effectis, diagnoſi & prognoſi luis venereæ; ac demum *Capp. 6. & 8.* multa proponit remedia ex decocto Guaiaco, multaque præparata mercurialia, quibus interne adhibitis luem profligatum iri pollicetur.

In adjecto Antidotario, ubi proſtat remediorum farrago, duo præ ceteris notatione digna viſa ſunt,

I. Uſum Arſenici præparati ad luem veneream ab Auctore laudari, tum externum, tum internum: *Externum* quidem, ſi Arſenico cum aqua vitæ confuſo plantæ pedum manuumque palmæ confricentur, quo ſudores moveri: *Internum* vero, ſi Arſenicum pulveratum interne exhibeatur ad grana v, vj, vel vij, quo alvum blande ſolvi ait. Sed nemini auctor eſſe velim, ut alterutri therapeiæ, ſed præſertim poſteriori, unquam confidat.

II. Miris laudibus ab eodem extolli Mercurium fixum & diaphoreticum ſequenti methodo præparatum, qui cum præcipitato ſolari ferme convenit.

℞. *Mercurii crudi probe depurati* lib. j.
Reguli Antimonii ℥ j.
Auri purificati ℥ j.

Solvantur ſingula ſeorſum menſtruis propriis, ut artis eſt. Solutiones miſce in cucurbita vitrea: Diſtilla ad ſiccitatem: Cohoba ſpecies: Demum pulverem reſiduum lava tepida & exſicca donec rubeſcat.

Tunc ℞. *Phlegmat. alumin.*
Et Vitriol. ana lib. j.
Aceti diſtillati lib. iij.

F. ex arte diſtillatio ex cucurbita & iterata cohobatio.

Hæc aqua ſupra dictum pulverem bis vel ter deſtilletur.

Liber ille Davidis de Planis campy Johanni Heroardo, qui in aula Ludovici XIII. Archiatrῶn Comes erat, dedicatus eſt, in quo non miror dantis munus iſtiuſmodi temeritatem, ut quæ jam ſatis nota, ſed accipientis judicium deſidero, qui paſsus ſit hoc Opus, a vera ſolidaque Medicinæ ſcientia tantopere alienum, ne quid durius dicam, ſibi inſcribi, neque ſenſerit inde fore, ut exiſtimatio nominis ſui apud cordatos Medicos imminueretur.

JOHANNES JUNCKERUS, natione Germanus, (*a*) " poſtquam per annos decem „ peregrinatus fuiſset per Germaniam, Poloniam, Helvetiam, Pomeraniam, Neomarchiam, „ Pruſſiam &c. „ munere Medici ordinarii Schleuſingæ in Comitatu Hennebergico functus eſt circa annum 1624, quo tempore ſequentem Tractatum ſcripſit, quem Johanni Georgio, & Johanni Caſimiro, Saxoniæ Ducibus, inſcripſit.

Compendioſa Methodus Therapeutica, qua morborum fere incurabilium medicationes docentur per ſolam diætam & ligni Guaiaci diverſimode præparati adminiſtrationem. Erfurthi, *in* 4°. 1624. *Chartulæ* 16. *Capita XXX.*

Præmiſſis initio Libri *Canonibus XLIII*, de eligendo Guaiaco, & de adminiſtrando illius Decocto, Auctor agit deinde ſigillatim *Capitibus XXIX*, de morbis totidem, quibus opinatur Guaiaci uſum efficaciter mederi. Singulorum autem morborum curationem ita proſequitur, ut diſtinguat tria ægrotantium temperamenta, Bilioſum, pituitoſum, & Melancholicum, & ad unumquodque præſcribat Syrupum, & Ptiſanam ex Decocto Guaiaci, ſed quæ gradu, intenſione, præparatione differant.

Quod ad morbum Gallicum, de quo diſserit *Capite XXX.* 1°. Putat illum „ contagioſum eſſe & magna ex parte contagio veneris contractum: Superioribus ætatibus incognitum: A multis morbum *Gallicum dici*, quia Gallos prius invaſit, cum Neapolim „ oppugnarent ſub Carolo VIII, Rege, anno 1495: *Ab iiſdem*, cum in Galliam reverterentur, eodem anno in totam Italiam diſſeminatum; inde *Italicum* morbum dici: *A Gallis Neapolitanum* vocari, quia Neapoli contraxerunt: A Germanis *Hiſpanum*, quia „ in eodem bello cum Hiſpanis militantes infecti ſunt; „ quæ tamen pleraque cum accurata hiſtoriæ veritate multifariam pugnant.

2°. Opinatur hujus „ morbi cauſam communicari ex infecto corpore alteri per contactum: Aliquando ex concubitu venereo pudendis communicari propter mollitiem, raramque eorum ſubſtantiam: Veſtibus quoque ori, necnon cuti communicari in iis maxime, quibus virtutes naturales hepatis imbecilliores ſunt, „ in quibus pleriſque medica veritas videtur deſiderari.

3°. Accedit ad ſententiam Palmarii, neque putat „ luem veneream unquam penitus deſituram eſse, niſi Deus Optimus Maximus ſua clementia effrænatam hominum libidinem coerceat; ſed quandiu obſcœnæ libidini dabitur opera, humano generi perpetuum „ fore comitem, „ quæ tamen parum certa eſſe alibi demonſtratum fuit.

4°. Cenſet Guaiacum *præſtantiſſimum omnium* remediorum eſſe ad curationem morbi, ... „ quia reſinoſum eſt & valentius abſtergit & coroborat: „ Quamobrem ad qualecunque temperamentum, pituitoſum, bilioſum, vel melancholicum gemina proponit præparata ex Decocto Guaiaci, nempe Syrupum & Ptiſanam.

5°. *Quod ſi æger propter negotia aut egeſtatem non admittat uſum decocti* ex Guaiaco, exiſtimat *ejus loco poſſe illum inunctionibus mercurialibus uti*, ad quas profert varias unguenti mercurialis formulas. Notat autem „ certum eſſe ex hac unctione liquari magnam humorum copiam in capite, & per os exire, unde ſæpe ſuccedit linguæ tumor, adeo ut „ ex ore promineat, & deglutitionem impediat.

6°. Demum varia affert ſuffumigiorum genera, quibus ait „ ab Empiricis addi Cinabrium, quod remedium arbitratur efficaciſſimum eſſe liquandis humoribus craſſis & „ gummoſitatibus, & tuto ad pudendum adhiberi; „ quæ, ſicut etiam illa quæ in præcedente articulo relata ſunt, ab Andrea Cæſalpino aſſumpſit quem laudat.

1626. LUDOVICUS AB HORNIGK, LUDWIG von Hoernigk.

(*b*) Petri Roſtinii *Tractat von denen Frantzoſen in vvelchem von 24 ahrten derſelben gehandeltvvird, verteutſcht von Ludvvig Hornigk* Franckfurth, 1626. in 8°.

Ideſt,

(*a*) In *Epiſtola nuncupatoria Libro præfixa.*

(*b*) Martinus Lipenius, *in Bibliotheca reali medica*, & Volffangus Mauritius Endterus in *Catalogo Librorum Medicorum*, qui ad calcem *Indicis Decur.* I. & II. *Ephem. Germanicarum* proſtat.

Ideſt, Petri Roſtinii *Tractatus de Morbo Gallico, in quo de 234 ſpeciebus ejuſdem agitur; germanice redditus a Ludovico Hornigk*. Francofurti, 1626. in 8°.

Tractatus ille Petri Roſtinii italice ſcriptus, quem germanice interpretatus eſt Ludovicus Hornigk, & de quo ſupra ad annum 1556, ipſiſſimus eſt Antonii Muſæ Braſſavoli Liber latine ſcriptus *de Morbo Gallico*, & typis impreſſus Venetiis, anno 1553, ut ibidem monuimus.

Ceterum nullus dubito, quin Ludovicus ab Hornigk, de quo hic quæſtio, idem ſit ac ille Ludovicus ab Hornigk, qui in Epiſtola Francofurto ad Mœnum data anno 1642. ad Marcum Aurelium Severinum, ordinarium in Academia Neapolitana Anatomiæ & Chirurgiæ Profeſſorem, & hujus Libris *De recondita abſceſſuum natura* præfixa, ſaltem in Editione Francofurtenſi ejuſdem anni, ſe *Juris utriuſque, Medicinæ & Philoſophiæ Doctorem* vocat, dicitque *ſe in Italia triennium fere ſtudiorum gratia antea contriviſſe*.

ARNOLDUS WEICKARDUS, quondam Medicus Palatinus in arce Polandana, ac 1626.
deinde Phyſicus ordinarius Reipublicæ Francofurtenſis.

* *Colerus redivivus, ſive Theſaurus Pharmaceuticus Galeno-Chymicus, ſive Tractatus practicus ex optimorum Auctorum tam Veterum, quam Neotericorum placitis conſcriptus, atque in ſex peculiares Libros digeſtus: Quorum* .... III. De Peſte, Morbo articulari, Elephantiaſi, Lue venerea & Stomacace &c. *Francofurti*, 1625. *in* fol.

Theſaurus ille, in quo explicantur *Morbi omnes a capite ad pedes, in ſex peculiares Libros digeritur*, quorum *Tertio, Cap.* 3. agitur *de Lue Venerea*. Sed quæcunque proferuntur nota ſunt, ut nihil tritius vulgatiuſque; vel temere dicta, neque ullo ſtabili fundamento nixa.

Ad poſteriorem claſsem referendam eſſe cenſemus diſtinctionem luis venereæ, „ 1°. In „ *humoroſam*, qua humores tantum inficiuntur; 2°. In *ſolidam*, qua partes ſolidæ vitian„ tur vel arroduntur; 3°. In *maculoſam*, quæ maculas in corpore producit; Et 4°. In *pi*„ *loſam*, in qua Pili defluunt.

Ad priorem claſſem aperte pertinent quæcunque afferuntur tum de præſervatione a lue venerea, tum de ejuſdem curatione, 1°. *Uſu* præparantium & evacuantium univerſalium; 2°. Uſu Hidroticorum, Decoctorum ſcilicet Guaiaci, Saſſafras, Sarſæ-parillæ, Chinæ, vel ſuccedaneorum, ut Buxi & ligni Juniperini; 3°. Uſu externo hydrargyri, in linimentis, ceratis, ſuffumigiis, lavatoriis adhibiti; 4°. Uſu interno præparatorum ex hydrargyro, ut pillularum ex Argento vivo crudo, vel extincto cum Terebinthina; aut Mercurii præcipitati.

JOHANNES NEANDER, Bremanus, Doctor Medicus. 1627.

Saſſafraſologia, hoc eſt Τεκμαρσις *nobile Saſſafras lignum dextre ac feliciter in omnibus ferme humani corporis incommodis in uſum ducendi*. Bremæ, 1627. in 4°.

JOHANNES BAPTISTA SORI, Chirurgus Italus. 1628.

Conſigli ed Avviſi di Chirurgia, col modo di far giudizj ne' mali: una Taſſa dell' onorario loro; delle Fontanelle; del Morbo Gallico, ed i Aforiſmi toccanti alla Chirurgia. In Milano, 1628. in 8°.

GREGORIUS HORSTIUS, (*a*) Torgæ ad Albim in Saxonia natus anno 1578, 1628
poſt emenſa primorum ſtudiorum curricula in variis Germaniæ Academiis, Lauream Doctoralem Baſileæ conſecutus eſt anno 1606, & paulo poſt a Ludovico Haſſiæ Landgravio Giſſæ Medicinæ Profeſſor conſtitutus eſt, & in Archiatrum Haſſiacum electus: Unde anno 1622 ab Ulmenſi Republica evocatus fuit, ut eſſet Urbis Phyſicus & Collegii Medici Præſes, quæ munera ſuſtinuit ad extremum uſque vitæ diem. Obiit anno 1636. natus annos 58.

Scripſit præter Opera alia plurima,

Obſervationum Medicinalium ſingularium Libros quatuor poſteriores, qui *Ulmæ* typis excuſi fuerunt *anno* 1628, *in* 4°.

Initio Libri II, qui *De Morbis contagioſis & malignis* inſcribitur, exſtant Obſervationes XV. *De lue venerea*, in quibus ſequentia occurrunt, quæ notatione digna viſa ſunt.

„ I. (*b*) Cum anno 1622 vocatus, *ut dictum eſt*, Archiatri functionem in Republi„ ca hac Ulmenſi ſuſciperet, & illi Magiſtratus nomine mandatum eſſet ut curationes „ conſue-

* Quid hoc nomine ſibi velit Auctor non ſatis capio.

(*a*) In *Oratione funebri*, qua Joh. Dan. Dietericus, M. D. Gregorio Horſtio parentavit.

(*b*) Obſervat. 2.

„ conſuetas in Noſodochio Gallico perpenderet, omnibus diligenter conſideratis, ...
„ *illum comperiſſe* non paucos, præter omnem adhibitam diligentiam, etiam reiteratis per
„ decoctum Guaiaci curationibus, perfecte non ſanari, alios ſanatos paulo poſt recidi-
„ vam pati . , . . . Quapropter Magiſtratui Ulmenſi denuntiaviſſe ligni curam, quæ in
„ incipiente lue plurimum præſtat, in radicato & inveterato morbo vix ſufficientem eſ-
„ ſe, ... ſed ſimul mercurialia vel metallica remedia eſſe adhibenda, ſive per conve-
„ nientem inunctionem, ſive per ſuffumigium, ſive per exhibitionem Turpethi minera-
„ lis, vel ſimilium remediorum rite præparatorum.

„ II. (*a*) Puellam quemdam circiter annorum 18, quæ penes nobilem herum lue ve-
„ nerea laborantem ſerviebat, ... puſtulis gallicis & condylomatibus in partibus
„ obſcœnis, uno verbo *lue venerea*, infectam fuiſſe communione lecti cum heri concu-
„ bina; „ quod ut credat Horſtius per me quidem licet, ſed ego potius opinor luem ab illa puella conceptam fuiſſe lecti communione cum hero, maxime cum *in partibus obſcœnis* apparuerint *condilomata*.

III. (*b*) *Civem* quemdam *ulmenſem* lue venerea infectum fuiſſe anno 1622 *per ſcarificationem communibus inſtrumentis & cucurbitulis in balneo factam*: Hinc primum *locum ſcarificatum fœdis ulceribus depravatum fuiſſe*: Deinde *conſolidata parte & repercuſſa malignitate verſus interiora*, obveniſſe *dolores artuum nocturnos*, *quos ſubſecutus eſt tophus dolorificus in tibia ſiniſtra*. Binæ aliæ ejuſdem generis hiſtoriæ leguntur ibidem in *Epiſtolar. Medicinal. Lib. II.* (quem Horſtius Obſervationibus ſuis appendicis inſtar adjecit) *Sectione* 6. *De malitioſa ſcarificatione*. In *priore* Sigiſmundus Snizerus, Medicus Bambergenſis, ſcribit Andreæ Libavio, Bambergæ anno 1603 „ plurimos a Balneatore per ſcarificatio-
„ nem infectos fuiſſe, Balneatorem crimen agnoſcere, ac fateri ſe dedita opera phleboto-
„ mo ſanie gryllorum delibuto uſum fuiſſe; infectos omnes ſcatere puſtulis & ulceribus
„ quaſi cancroſis, non tantum in locis ſcarificatis, ſed toto fere corpore, patique artuum
„ dolores immenſos, tanta cum debilitate, ut niſi ſuffulti lecto exire non poſſint; ho-
„ rum aliquos curatos eſſe ligni (*ſancti*) decocto & alexipharmacis; ceteros magnitudi-
„ ne mali occubuiſſe.

In *poſteriore* Marcus Widemannus, Phyſicus Yſnenſis in Suevia, ſignificat Gregorio Horſtio „ graſſari anno 1624 Vvindsheimii luem quamdam epidemicam contagioſam, qua
„ ultra 70 homines infecti erant: Symptomata eadem plane eſſe, quæ luis Moravicæ a
„ Thoma Jordano quondam deſcriptæ, ... ſummatim quæ Morbum Gallicum comi-
„ tari ſolent fere omnia: A ſcarificatione omnes hoc malum contraxiſſe, puſtulis pri-
„ mum in cucurbitularum ſedibus obortis lividis, latis, cruſtaceis, exedentibus dolen-
„ tibus quibuſdam, nonnullis vero indolentibus. „

En plures hiſtoriæ de Lue venerea per ſcarificationem traducta, Thomæ Jordani anni 1578, *Brunnæ* in Moravia; Gregorii Horſtii anni 1622, *Ulmæ*; Marci Vvidemanni anni 1624, *Vvindsheimii*; quibus addi poteſt & quarta Sigiſmundi Snizeri anni 1603, *Bambergæ*, ſi forte morbus quem deſcribit ille, in phlebotomum tabo potius venereo, quam gryllorum ſanie delibutum refundenda videatur, ut conſtat (*c*) Marco Vvidemanno viſam fuiſſe. Haud equidem miror ſcarificationes in ſuſpicionem tranſmiſſæ luis venereæ apud Germanos ſæpius venire, quippe quibus ſolemne ſit in Balneis publicis cucurbitulas ſcarificatas adhibere, ut plethoræ medeantur; miror tantum lævem phlebotomi aciem veneno venereo tam alte imbui, ut levi & momentaneo attactu morbum poſſit infundere, quod tamen ita eſſe fateamur oportet, ſi veræ ſint Obſervationes, quas modo propoſuimus.

IV. Ab Horſtio narrari „ celebriorem quemdam Medicum in Galliis luem veneream ſe-
„ quenti methodo curaſſe: Primo vomitorium per biduum exhibuiſſe: Tertia die pur-
„ gationem per extractum catholicum inſtituiſſe: Quarta Aurum diaphoreticum cum
„ Theriaca & pulvere ſerpentum exhibuiſſe: Poſtea totum corpus aqua mercuriali ſu-
„ dorifera inunxiſſe, linteis ægrum involviſſe & ſudorem quotidie provocaſſe; „ quem Medicum puto Empiricum fuiſſe, & Empiricum, ut plerique eſſe ſolent, inconſultum & temerarium, quod mecum magis credas, ſi ad remediorum facultatem attendas, quæ ab illo adhibita fuiſſe Horſtius refert. Nempe hæc eſt Auri Diaphoretici deſcriptio.

„ ℞. *Mercurii vivi optime ſelecti & purificati* ℥ j ß.
„ *Auri puri* ʒ i.

„ Hoc

(*a*) Obſervat. 3.
(*b*) Obſervat. 8.
(*c*) Obſervat. 13.

„ Hoc ſolvatur Aqua Regis, Mercurius vero Aqua forti; conjunge ſolutiones & deſtilla aquoſitatem per balneum, in fundo remanebit præcipitatum, edul„ coretur aqua calida.

„ Deſcriptio vero Aquæ Mercurialis ſudoriferæ talis fuit,

„ ℞. *Mercurii ſublimati* ℨ ij.

„ *Arſenici albi* ℨ j.

„ *Euphorbii* ℨ ij.

„ *Spiritus vini optimi* menſur. ß.

„ *Aqua roſarum* ℥ xij.

„ Digere per 24 horas, poſtea toti corpori penna illinatur.

Guido Patinus, Houdani, in oppido a Bellovaco tribus leucis diſſito, natus 1628. anno 1602, Doctoris inſignia conſequutus eſt in Facultate Medica Pariſienſi anno 1627. Cum res eſſet anguſta domi, emendandis typographorum formulis aliquandiu vacavit, ſed brevi ad famam ſtudio, ad meliorem fortunam labore pervenit. Facultatis Medicæ Deca„ nus electus fuit anno 1552, & Profeſſor Medicus inſtitutus in Regio Franciæ Collegio anno 1555 patrocinio Johannis Riolani, filii, a quo in ſucceſſorem delectus fuit. Obiit Lutetiæ anno 1672, natus annos 70. Vir facetus, dicax, ingenio acer, ſed maledicus; multiſcius potius quam doctus: eruditionis oſtentator diffuſæ, ſed plerumque vanæ, neque ſatis certæ. In Medicina mediocriter ſapuiſſe videtur, ut qui Hippocrati & Galeno nimium tribuerit, quaſi nihil illi neſcierint, & nunquam falli potuerint; ut qui de methodo curatoria, non duce experientia & obſervatione, ſed ex præconcepta opinione judicium tulerit; ut qui medicamenta certæ efficaciæ, & ſi caute exhibeantur, vero opifera, Laudanum, Corticem Peruvianum, Emetica ſtibiata, Præparata chimica omnia, vix nomine ſibi nota, certe nunquam explorata, temere & acerbiſſime improbaverit: &c.

Patinus, Doctoris nomen nuper aſſecutus, (*a*) „ cum animadverteret Andreæ Lauren„ tii, Regis Chriſtianiſſimi quondam Protomedici, ... Opera Medica, ... ita in „ Galliis rara eſſe, ... ut quamvis Lugduni, Lutetiæ, Rothomagi, Francofurti, „ aliiſque plurimis in locis iterum atque iterum excuſa & recuſa fuiſſent, nulla fere „ ejuſcemodi Operum Lutetiæ venalia exempla reperiri poſſent, Bibliopolis Pariſienſibus „ auctor fuit, ut ea typis iterum mandari curarent, & in publicum emitterent: *Quem* „ *in finem Ipſe* latinitate donavit ea Laurentii Opera, “ quæ gallice ſcripta fuerant, ac in primis Tractatum de Lue venerea, quem ad calcem appoſuit *Tomi ſecundi Operum Andreæ Laurentii, Pariſiis* editorum *in* 4°. *anno* 1628, ac ſcholiis quatuor ſequentibus auxit.

I. Ad *Cap. II*, ubi in *variam Luis venereæ apud varias gentes denominationem* inquirit, ſtatuitque „ novum eſſe morbum, ante annum 1493 in Europa nunquam viſum, ſed pri„ mum a Chriſtophoro Columbo, ejuſque ſociis vel ſervis Italis ex India redeuntibus „ advectum, & Italis communicatum mulieribus, quæ cum in obſidione Neapolitana, „ (*quam tamen non obſeſſam fuiſſe conſtat*) militibus Gallis copiam ſui feciſſent, ſimul „ & pudenda, & pudendum morbum communicarunt.

II. Ad *Caput III*, ubi diſputat *de morbis formæ a Fernelio propoſitis*, quos *præter morbos intemperiei in partibus ſimilaribus* admittendos eſſe contendit multis auctoritatibus.

III. Ad *Caput IX*, ubi quæſtio eſt *de delectu venæ, quæ in cubito ſecari debet*, laudatque ea quæ alibi de re eadem dixerat, nempe *vanum, futilem, ſuperſtitioſum eſſe venarum in cubito ſecandarum delectum*, ut quæ omnes ad eumdem axillaris venæ ramum pertineant.

IV. Ad *Caput ultimum*, quod eſt XIX, ubi *Collyrium Lanfranci deſcribit* ex Pharmacopœa Renodæi.

Quæ in Scholiorum *primo* de novitate luis venereæ aſſeveraverat anno 1628, hæc eadem confirmavit Patinus anno 1643, in Theſi illa, quam Paulo Courtois in Scholis Medicis propoſuit propugnandam, *An totus homo a natura morbus?* Ait enim, in *Corolla*„ *rio tertio*, quoſdam morbos infauſta peregrinatione huc & illuc vagari. Sic, *inquit*, „ luem illam Hiſpanicam, horrendum ſcortatorum flagellum, Europæis adduxit India, „ Indis viciſſim Variolas miſit Europa, altera alteri malas merces.

Quæ ſi rite attendas, non de nihilo erit, quod mireris Patinum eumdem in Epiſtola data anno 1665, & quæ inter Epiſtolas illius gallice editas numeratur CCCLXX, potuiſſe

(*a*) In *Præfatione* Guid. Patini, præfixa *Verſioni in latinum Operum* a Laurentio gallice ſcriptorum.

fuiſſe in contrariam opinionem tam multa temere effutire: Jobum, Davidem, Salomonem ex ipſa lue venerea olim ægrotaſſe: Luem veneream ab Hippocrate, *3 Epidemior.* & *1. Prognoſtic.* deſcribi: Lepram Judæorum, & Morbum Campanum Horatii ipſiſſimam fuiſſe luem veneream: Luis venereæ mentionem fieri ab (*a*) Herodoto, (*b*) Xenophonte, (*c*) Catullo, (*d*) Juvenale &c: Luem veneream in Europa notiſſimam fuiſſe, antequam Carolus VIII Neapolitanum regnum invaderet &c. Sed hæc ſingula tam aperte futilia ſunt, nulliuſque pretii, vel tam diligenter diſcuſſa ſuperius *Lib.* I. *Cap.* III. ut merito me pigeat in iis refellendis operam perdere: At vero inde velim intelligi, velut ex ſpecimine, quam vario & mutabili, verius dicam, quam temporario ingenio Patinus fuerit.

ZACUTUS, Luſitanus, natus (*e*) Ulyſſipone anno 1575, Philoſophiæ ac Medicinæ ſtuduit in Academiis Salmanticenſi & Conimbricenſi, ac anno 1594 Doctoratus gradum aſſecutus eſt Saguntiæ, quæ celeberrima eſt apud Hiſpanos Academia.

Inde per annos triginta continuos medicinam cum laude fecit Ulyſſipone; at circa annum 1624, (*f*) *cum Regis* (*g*) *Edicto, qui tunc Luſitaniam ditione premebat, Hebræorum quotquot aderant ſtirpes incolatu regni fuerint interdictæ*, Zacutus, qui Judæus erat, in Belgium concedere coactus fuit, ubi Praxim Medicam exercuit, maxime Amſtelædami & Hagæ Comitum.

Obiit Amſtelædami anno 1642, ætatis 67. Scripſit Opus minime contemnendum *De Medicorum Principum Hiſtoria*, duobus Voluminibus *in folio* comprehenſum, & in Libros XI diſtributum, qui diverſis annis in lucem prodiere.

Hujus Operis *Libro primo*, qui Amſtelædami primum editus eſt anno 1629, agitur *Hiſtoria 73, de Morbo Gallico*, dum explicatur locus Galeni depromptus ex *Lib. 3. Epidemior. Section. 3. Comment. 25.* ubi quæſtio eſt *de mentis & capitis glabritie.*

Ibi Zacutus data occaſione probare contendit. I. *Quæſtione 35. Quod Morbus Gallicus vetuſtiſſimum ſit morbi genus.* Sed in probationem nihil adducit præter quædam teſtimonia ex Hippocrate, Galeno, Saliceto, Gordonio, Valeſco &c. quæ ſupra abunde diſcuſſa ſunt & enucleata *Lib. I. Cap. VI.*

II. *Quæſtione 36. Quod Morbus Gallicus ab immodico veneris uſu oriri poſſit.* Sed probat tantum & egregie quidem ab immoderata venere noxas graves inferri; neutiquam vero luem veneream inde generari.

III. *Quæſtione 37. Quod ante auxilia ſudorifica calor nativus ſit attemperandus.*

IV. *Quæſtione 38. Quod bubo Gallicus non ſolum in inguinibus, ſed retro aures aut ſub alis apparere poſſit*; quod obſervationibus confirmat.

V. *Quæſtione 39. Quod initio bubonis Gallici non ſolum e talo, ſed e brachio mittendus ſit ſanguis*; in quo totus Medicorum chorus cum Zacuto non conſentit.

VI. *Quæſtione 40. Quod unguenta mercurialia pro Morbi Gallici curatione ſint admittenda.*

VII. *Quæſtione 41. Quod hydrargyrium in potum ſit aſſumendum.*

VIII. *Quæſtione 42. Quod unguenta mercurialia recenter confecta ſint applicanda.*

Denique *Quæſtione 43. Quod Morbus Gallicus ſit contagioſus ad diſtans*; ſed id nullomodo videtur evincere.

Ceterum quæcumque hactenus indicavimus, Theoretice tantum a Zacuto proponuntur, vel potius perſtringuntur. *Cetera*, ut ipſe ait, *quæ de curatione hujus morbi ab Auctoribus fuſe dicta ſunt, ea omnia in compendium redacta inveniuntur Lib. 2. Praxis Hiſtoriarum, Cap. 1.*

Ibi docet Morbum Gallicum curari 1o. *Via Regia*, hoc eſt, uſu lignorum ſudorificorum Guaiaci & Saſſafras, radicumque Salſæ parillæ & Chinæ.

2o. *Per vomitum*, ad quem excitandum adhibet Pulverem Vigonis, ſive Præcipitatum rubrum ad *gr.* iv. vel v. Stibium ſive Antimonium præparatum ad *gr.* iij, vel iv. Infuſum ℥ ß. ſeminis cataputiæ minoris in aqua roſarum &c.

3o. *Per unguenta ex argento vivo parata*, quæ ab eo habentur *ſaluberrima*, *atque pro*

hac

(*a*) *Lib.* 1. Clio *dicto*, ubi *de Morbo fœmineo*.

(*b*) Nihil occurrit, quod ſciam, in Xenophonte, unde lues venerea poſſit colligi, ne per umbram quidem.

(*c*) Idem dicendum puto de Catullo.

(*d*) *Satira* II. ubi legitur hic verſus.

Caeduntur tumidæ, Medico ridente, Mariſcæ.

(*e*) Ludovicus Lemoſius, *in Vita Zacuti, ejuſdem Operibus præfixa.*

(*f*) Idem, *Ibidem.*

(*g*) Philippi IV. Regis Hiſpaniarum.

hac exſtirpanda lue præſentiſſima, fremant licet plures, ut ille ait, *& non infima nota Medici*.

4°. Per ſuffumigia parata ex ſulfure, cinabrio, auripigmento, ſublimato, pulvere Johannis Vigonis &c. Fatetur quidem ipſe ea remedia *ſuſpecta eſſe & in actuali eorum applicatione plures eſſe emortuos*; ſed iis tamen *utendum eſſe* cenſet, *cum cetera non proſunt, quoniam in conclamato morbo melius eſt uti aliquo remedio, quam nullo*.

5°. Demum *per mitiſſima medicamenta alexipharmaca*, quæ parari ait ex lignis aut radicibus ſudorificis.

JOHANNES BAPTISTA LALLI, Nurſienſis. 1629.

Franceide, *ovvero del* Mal Franceſe. *Poema giocoſo del Dottor* Giovanni Battiſta Lalli *da Norſia, al Sereniſſimo Signore* Odoardo Farneſe, *Duca di Parma e Piacenza ec. Con aggiunta delle Rime giocoſe del medeſimo Autore*. In Foligno, *Appreſſo Agoſtino Altieri*. 1629 in 12.

Poema joculare *de Lue Venerea* ſive *Morbo Gallico*.

CLAUDIUS SEGUIN, Pariſinus, Doctor Medicus. (*a*) nepos ex fratre Petri Seguin, de quo ſupra ad *annum* 1598, anno 1630 Chirurgiæ Profeſſor in Regio Franciæ Collegio, & anno 1641 Archiatros fuit Annæ Auſtriacæ Reginæ Galliarum, matris Ludovici Magni, in quo utroque munere patruo ſucceſſit. Quo anno obierit nondum teneo. 1629.

JACOBUS REGNAULT, Pariſinus.

Quæſtio Medica quodlibetaria diſputatione mane diſcutienda, ... *die Jovis XV Novembris*, M. Claudio Seguin, D. M. *Moderatore*.

An Elephantiaſi Hydrargyroſis?

Concluſio affirmans eſt.

Proponebat Lutetiæ Jacobus Regnault, Pariſinus. A. R. S. MDCXXIX. *in* fol. *Pag.* 1.

Videtur Quæſtio illa Medica Claudii Seguin, nepotis, anno 1629. Lutetiæ propugnata, eadem ac Quæſtio altera Medica Petri Seguin, Patrui, anno 1598 ibidem propoſita, de qua ſupra *ad illum annum*. Certe utraque perinde falſa eſt & experientiæ perinde repugnat.

JOHANNES ANTONIDES VANDER LINDEN, Enchuſanus. 1630.

Centuria Inauguralis Poſitionum Medico-practicarum de virulentia venerea, in Illuſtri Friſiorum Academia propoſita & defenſa ad diem 18 *Octobris* 1630. Franekeræ, 1630. *in* 4°.

Vander Linden, natus anno 1609, has Theſes pro Doctoratu Franekeræ propugnavit anno 1640. Inde anno 1639 Profeſſorium munus Franekeræ, & anno 1651 Lugduni Batavorum obtinuit, ubi fato functus eſt anno 1664, ætatis ſuæ 55

ALDREGHETTUS ALDREGHETTIUS, vel ut quidam volunt (*b*) ANDREGHETTUS ANDREGHETTIUS, Philoſophus, Medicus & Patritius Patavinus, Medicinam cum laude docuit (*c*) annos 34 in Lycæo patrio. Obiit anno 1631, annos natus 58, ex peſte quam contagione conceperat, cum peſte infectis opem medicam conferret. 1630.

Exſtabat (*d*) in Bibliotheca Antonii Aloyſii Aldreghettii J. C. & Juris Profeſſoris Patavini, illius filii, inter cetera patris Opera, Liber manuſcriptus imperfectus *de Lue venerea*. Sed incertum eſſetne Aldreghettii ipſius, an Herculis Saxoniæ fœtus, cujus Librum de eodem argumento Aldreghettius ediderat anno 1597. Vide *ſupra*.

DIONYSIUS ALLAIN, Doctor Medicus. 1630

GUILLELMUS GUERIN, Pariſinus.

Quæſtio Medica Cardinalitia diſputanda, ... *die Jovis IX Aprilis*, M. Dionyſio Allain, *Doctore Medico, Moderatore*.

An lui venereæ Alexipharmaca?

Concluſio affirmat.

Proponebat Lutetiæ Guillelmus Guerin, *Pariſinus*. A. R. S. H. MDCXXX. in *fol. pag.* 1.

ANTONIUS BOXBARTERUS, Auguſta-Vindelicus. 1631

Diſputatio Inauguralis Medica de Lue venerea, *quam* . . . . *publico* . . . . *examini ſubjicit* Antonius Boxbarterus, Auguſta-Vindelicus, *ad d.* . . . *Martii*. Argentorati *excudebat Paulus Ledertz*. MDCXXXI. in 4°.

MARCUS

(*a*) Duval. *Le College Royal de France*.
(*b*) Vanderlinden & Mercklinus.
(*c*) Ex illius Epitaphio, quod proſtat in *Hiſtoria Gymnaſ. Patavini*, Tom. II. Pag. 357.
(*d*) Jacobus Philippus Tomaſinus, in *Bibliothecis Patavinis manuſcriptis*.

1632. MARCUS AURELIUS SEVERINUS, natus anno 1580 Tarſiæ, quæ urbs eſt in Calabria citeriore ad fluvium Cratem, unde Severinus a nonnullis *Cratigena* dicitur, magnum ſibi nomen fecit, ac in Gymnaſio Neapolitano Anatomiam & Chirurgiam publice docuit. Mortuus eſt anno 1656, ætatis 76.

De recondita Abſceſſuum doctrina Libri VIII. Neapoli, 1632. in 8°. Editio ſecunda *multo auctior & correctior ab ipſo Auctore reddita*. Francofurti, 1643. *in* 4°.

Hujus Operis Libro IV, ubi *de noviſſime obſervatis abſceſſibus* quæſtio eſt, proponuntur *Cap.* 23. *Super Syphilide morbo ſelecta aliquot animadverſiones in §. IX.*

In §. I. Severinus luem veneream ſic definit. „ Syphilis eſt impreſſura prodiens ab in„ quinabulo impenſe putri, craſſoque, & a tota ſubſtantia oppugnante temperamentum „ humanum, ad partes primum ſpermaticas ſpectante, mox alias acris fermenti faculta„ te, ac virulentæ auræ tranſmiſſu pervadente; quod ſi intro perſtiterit, nec effluxu „ aliquo abſceſſerit, hepate occupato, corpus omne conterit & tabefacit: cujus definitio„ nis ſingula commata ſigillatim conatur explicare.

In §. II. Sex *facit* luis venereæ *ſpecies ſeu modos*: Primum *Exuſtorium*, ſub quo ſunt „ Phlogoſis & æſtus, manuum præcipue; Eryſipelas; fervor urinæ peniſque, quæ *Piſſe„ chaude* dicta eſt Gallis; Puſtulæ, Exanthemata, Pruritus, Scabies, Pſora, Alopecia: „ Alterum *Ficoſum*, ſub quo ſunt Mariſcæ, Thymi, Verrucæ, Fungi, Tubercula, Gum„ mi, Atheromata, Sarcomata, Sycoſes, Tonſillæ; Carunculæ præſertim Urethræ, inter„ fœmineorum, interſtitiorumque in digitis, maxime pedum: „ Tertium *Puſtuloſum*, „ ſub quo ſunt, tum „ Puſtulæ minutæ variolarum modo per corpus perſperſæ, ... „ tum papulæ majores ac latiores, quæ ſæpe cruſtis renaſcentibus & recidivis obſitæ vi„ ſuntur: „ Quartum *Corroſivum*, " ſub quo Penis ulcuſcula, Herpetes, Phagedænæ, „ mutilationes narium &c: „ Quintum *Rimoſum*, " qui loca poſt aures, linguam, an„ gulos labiorum, mammas, umbilicum, panem, vulvam, anum, ſed maxime palmas „ manuum, plantaſque pedum, & interſtitia digitorum occupare conſuevit, . . . unde „ Rhagades ſive Rhagadia: Tandem ſextum *dolorum & vigiliarum ſatorem*, in quo perio„ ſtium, muſculorum membranæ, & juncturæ oſſium nocturnis doloribus lancinantur, „ divelluntur, diſcruciantur.

In §. III. Statuit *Naturam gubernatricem noſtri totam in hoc eſſe*, ut admiſſum virus quamprimum expellat, 1°. *Per genitales & his attiguas partes*, ... unde *lurida per* penem effluvia gonorrhoica, *aut etiam proximo quaſi bivio Abſceſſus Bubonum per inguina*: 2°. Per cutis ſpiracula, ſudoris forma: 3°. Per laxiores corporis partes, quæ emunctoriorum vices gerunt. Sic „ ichorodes ac tetra illuvies non raro manat ex poſticis aurium „ partibus, per jugulorum foſſulas, per umbilicum, per interfœminia, per glandis ure„ thræ meatus inſenſiles, per ſcrotum, per digitorum pedum intercapedines, & per un„ gues manuum & pedum, aphthis veluti quibuſdam aut puſtulis exſuſcitatis.

In §. IV. & V. Explicat Severinus cauſas & indolem aliquorum luis venereæ ſymptomatum, ut „ ſycoſium, nodorum, terminthorum, tuberum, ecthymatum duriuſculo„ rum, & verrucarum; ſkirrhomatis teſtium; tumorum propemodum oviformium, qui „ ſuperne ad articulos manuum, itemque genubus & malleolis obnaſcuntur.

Deinde affert aliquot luis venereæ differentias, " 1°. in interminatam & inchoantem „ unam, abſolutam jam & late graſſatam alteram: in *ſcheſi*, *inquit*, & in *hexi* dixere „ Græci . . . . 2°. In ſanabilem & inſanabilem.

Addit „ Fabium Pacium in Commentario *de Morbo Gallico* . . . glandulas adæquatum, „ ut ille vocat, morbi Gallici ſubjectum poſuiſſe: Id quod ipſe plurimum verum affir„ mat, tum in morbo confectis, tum in nuper expertis; tamen in utriuſque non ſem„ per, verum in confectis quidem frequentiſſime: *Siquidem* quotquot Syphiliorum cada„ vera inſecuit, qui fuere certe quamplurimi, in omnibus fere aut maxima iſtorum par„ te vitiatas quoquomodo partes has offendit.

In §. VI. & VII. Docet Auctor Naturam *corporis gubernatricem*, ſi virus admiſſum per effluvia expellere non poſſit, " ad Apoſtemoden aliquem maturatum perducere, aliaſ„ que item operas & conatus edere, in quibus mira ſui ſtudii vis elucet, ut in diſclu„ dendis emarcidis oſſibus, quæ ſub gummoſis ſuppuratibus abſcedunt, in procreando „ item & promovendo poro ſarcoide, & in obductu demum ulceris procurando.

Arrepta inde occaſione conatur rationem reddere, cur „ capite per abſceſſus ſyphilios „ affecto, uberes puris & ſaniei manationes, quibus aliquando cerebri membranæ affatim „ alluntur, multis exitio non ſint, ut in abſceſſibus ab illato vulnere productis.

Demum

Demum affirmat ,, contumaciam, qua ſuper omnes affectus teterrima & ſumme odioſa ,, fit ſyphilis, *varie variare* 1°. Pro modo temperamenti, 2°. Pro textura & habitu cor- ,, poris, 3°. Pro humoris craſſitudine ac viſciditate.

In §. VIII. Graphice depingit appoſita etiam figura Neapolitanum quemdam ex lue venerea ita deformen, ut ,, deglabratis ſuperciliis, tuberculis per faciem conſitis, de- ,, preſſo & rutilante naſi globo, turgentibus labris, mento lichene ſcabro &c. Satyricam ,, formam aut hircinam ſpeciem induiſſe ,, videretur.

Tandem in §. IX. Ad curationem explicandam aggreditur. Omiſſis autem, quæ *vulgata jam erant, & nullis non antehac pertractata*, in ea *inquirit* Severinus, *quæ præſtantiſſima putat*, & quæ mutuatur a Roderico Fonſeca & Joſepho Quercetano.

1°. Rodericus quidem Fonſeca auctor eſt, ſecundum Severinum, ut *Decocti Sparti parilis Indici* (Sarſæ-parillæ) *vel ligni Quaiaci vel radicis Chinæ* panis conficiatur, incoquantur pulli & cetera edulia, paretur ptiſana pro potu ordinario; imo etiam ut infuſo ſparto parili conciſo vinum temperetur, ita ut *pharmacorum vis in eſcas inducatur*, ,, Hæc in victu curatio eſt, *ſubjungit Severinus*, quæ continenter in longos menſes ſer- ,, vari debet. Poſthæc cogitandum eſt de medicamentis, quæ nullo non judice viro do- ,, cto vel experto non alia ſunt, quam quæ gens omnis amplexa principia retinet ad ,, hanc diem, lignum, inquam, Quaiacinum dictum & Hydrargyrium.

2°. Quercetanus vero conſulit juxta eumdem, ut ex Ligno Sancto deſtillatione proliciantur elementares partes, quaſi efficaciorem medicinam præſtituræ. ,, Principio, *in- ,, quit Ille*, tum ſcobe ligni, tum aqua quanta ſuffecerit, conjecta in retortum vitrum, ,, hoc . . . luto concluſum igni cinerum, vel ad halitum aquæ ferventis impone. Ex- ,, ſtillabit tum aquea quædam, tum acida portio mercurialis & ſpirituoſa, atque hæc ,, tenuior etiam ſulfurea ſive oleagina; tertia hæc & pretioſa & palato non inſuavis, ,, Quaiacini ſecretio ſuo ipſius decocto millenis momentis præcellit, ut uncias hujus ,, binas aut ternas libræ vulgaris decocti potiores ſis experturus . . . . Inde ſi ignis fer- ,, vor immittatur, oleum recipias ex nigro rubens, quod gummi phagedænis, ulceribuſ- ,, que ſyphiliis & cancroſis percommodum erit: ,, ... Demum ex capite mortuo educes lotione *ſalem ad ſudores ciendos præcipuum, ad alvum vero bis terve dejiciendum non contemnendum*.

Sed ne quis Quercetani pollicitationibus nimium confidat, notari velim vires elementarium illarum partium, quæ e Guaiaco deſtillatione proliciuntur, a notis Guaiaci nativi viribus plurimum recedere, quemadmodum virtus principiorum, in quæ Sennæ folia *v. g.* igne reſolvuntur, a cathartica foliorum ipſorum virtute diverſa eſt.

Deinde laudat Severinus *Argenti vivi præparamenta*, quæ a Quercetano proponuntur, 1°. Turbith minerale, quale a Quercetano in *Pharmacopœa reſtituta*, vel ab Oſvvaldo Crollio in *Baſilica Chimica* deſcribitur. 2°. ,, Spiritum Mercurii, qui Quercetano aucto- ,, re paratur facile ſi ſuper fluidum argentum Oleum armoniaci ſalis affuderis, hoc enim ,, metalli compages continuo reſolvetur, cujus reſoluti portio cum interne cum vini ,, hauſtu, tum externe illita mira præſtabit eorum, quæ tu quæſieris, ſyphilidem & ,, ejus ſymptomata propellens. Præter hæc & illo medicamento ſtrumæ diſſolventur, ſi ,, credimus experimentis, quæ multa Joſephus expoſuit.

Exſtant ad calcem ejuſdem Libri IV. Obſervationes Anatomicæ *De miris quibuſdam internis abſceſſibus repertis*, inter quas §. IV. laudat Severinus, vel potius indicat Obſervationes ab Alexandro Benedicto, Johanne Fernelio, Laurentio Jouberto, Conrado Tigurino, Bernardino Tomitano, & Nicolao Maſſa in Syphiliorum cadaveribus inſtitutas, quas *ſupra* ſigillatim memoravimus, ubi de Auctoribus illis actum fuit. Deinde vero ſuas ipſe addit, quas fecit *in Valetudinario Syphiliis decumbentibus, ſi quod aliud, refertiſſimo, . . . dum accommodatis temporibus plurimos inſecat*. ,, Ex his, *inquit*, qui conſpecti fue- ,, runt illo morbo laborantes, complures offendi, quibus exulcerati tum œſophagus, ,, tum Trachea; quibus item puſtuloſus pulmo, puſtuloſumque jecur, apoſtemodes vero ,, Proſtatæ ſunt adverſi. Fuit autem & cui (cadaveri ſcilicet ſuſpendioſo, quod anno ,, 1631 ſub Saturnalibus in publico Anatomico Theatro Scholæ Neapolitanæ diſſecui) re- ,, pertum eſt ſiniſtrum vas deferens ſpermatis, qua ſuper interfœminio ad penem inflecti- ,, tur, ſub ejus loci glandulas interiores aliqua parte demerſum atque ſepultum: Cum ,, autem eidem homini bubo Syphilicus ulceroſus fuiſſet adverſus, prompta fuit omnium ,, opinio & ejeculatoria (*vaſa*) nedum glandulas, ſyphilios iſtos abſceſſus experta, quod ,, hactenus nemo definivit aut prodidit eorum, qui novas obſervationes medicas reſcripſere.

Quan-

Quantacunque exiſtimatione Severinus ſit apud Medicos, libere ſed vere dicam in e j Operibus ordinem deſiderari lucidiorem, minus confragoſum ſermonis ſtylum, animumq u Chimicis minus credulum, qui illius temporibus plerique Paracelſiſtæ erant, atque adeo vaniloqui; ſi non falſiloqui.

1633. BARTHOLOMÆUS GALESIUS, Bononienſis, *ſupraordinariæ Medicinæ Profeſsor* in Academia Bononienſi, patrem habuit Auguſtinum Galeſium, Medicum (*a*) ſcriptis editis notum, quem narrat (*b*) *ex regulis vivendi, conſervandæque ſanitatis, quibus ſe ſubjecit, vitam ad annos uſque 79 protraxiſſe, una & alios ex Galeſiorum familia.*

Tractatus de Podagra, ſecunda editione auctus parallelo terræ motus cum microcoſmi motu; cui inſeritur doctrina De Geniturls, De Decubitibus Ægrorum, De Morbo Gallico, *De Phyſiognomia, De Inſomniis, de Veneficiis, de Venenis.* Bononiæ, 1633. in 4°.

Præmittitur huic Tractatui Index Librorum quinque, quaſi libris totidem Tractatus componeretur, quoniam unicuique multa aſſignantur Capita. Sed primum tantummodo Operis librum uſurpavi, & jure addubito an unquam plures prodierint.

Hujus Libri *Cap. XXX.* agitur de Morbo Gallico, nec alibi uſpiam, quæriturque *utrum aliqua lues venerea podagram inducere poſſit*. Auctor pro more quem in reliquo Tractatu adhibuit, proponit initio argumenta *partis negativæ*, quam ait niti auctoritate Hieronymi Capivacci, *Lib. de lue Venerea*; mox argumenta *affirmativæ*, pro qua refert ſtare Johannem Thomam Minadoum, *Tractatu* de Arthritide: Demum ut definiat ipſe, *quid ſit in hac quæſtione determinandum, opinatur eſſe pernéceſſariam aliquam luis venereæ diſtinctionem*, nempe nec *ab incipiente*, nec etiam *a confirmata* lue veneream podagram facile induci poſſe, ſed *facillime ab inveterata.* Quæ tanti quidem non erant, neque ita obſcura, ut ea dubitationum ambage, eoque verborum tractu ſanciri debuerint. Sed quid agas? Sic eſt Auctoris ingenium, quale toto Opere abunde manifeſtum eſt, quod eſt verboſum & tædioſum ſine fructu.

Porro celare minime velim ab Auctore credi „ Luem Veneream ſemper (quidquid nonnulli dixerint) fuiſſe cognitam olim & a Græcis ac Arabibus, nuncque a Latinis; „ *nam, inquit Ille*, dictæ luis venereæ characteriſmus idem conſpicitur noſtris temporibus, ac in antiquis; nimirum capillorum defluvia, ulcera, caries, gummata, nodi, „ gonorrhœa, cruciatus nocturni, febriculæ, macies, verrucæ, acrochordones, thymi, „ phymata, excreſcentiæ carnis circa pudenda utriuſque ſexus. Hæc enim omnia „ paſſim recitantur ab Hippocrate, Galeno, Avicenna, & quampluribus aliis Græcis, „ Arabibus & Latinis; „ (*Quod quidem facile conceſſerim*, ſi de ſingularibus intelligatur,) „ ſtatuentibus, *pergit idem*, „ dicta omnia originem habuiſſe a congreſſu viri „ cum muliere; „ Quod vero pernego, & ex quo ſolo ſumma intercedit differentia penes originem inter affectus memoratos, quales in Antiquorum libris deſcripti occurrunt, & affectus eoſdem, quales hodie contagio venereo producuntur. Adde nullibi apud Veteres eam una coeuntium eorumdem ſymptomatum ſyndromen deſcriptam legi, qualis jam in lue venerea ſolet obſervari; quod unum ad probandam morbi novitatem videretur ſufficere, etiamſi deeſſent idoneæ, quibus ea opinio confirmatur, cum rationes, tum auctoritates ſupra recenſitæ.

1633. MICHAEL LE LONG, Provinenſis in Bria Campaniæ, Doctor Medicus, gallicum fecit Librum Fernelii *De Luis venereæ curatione perfectiſſima*, ac verſionem ſuam Lutetiæ excudendam curavit.

Traité de Jean Fernel de la parfaite cure de la Maladie Venerienne, traduit par Michel le Long, Provinois, Docteur en Medecine. A Paris, 1633. In 8°.

1635. PIUS DE MARRA, Abbas magnæ Crucis Cypri, Caſſinenſis:

Praxis Methodica & Rationalis curandorum morborum omnium; In qua præter remedia magis præcipua a Galeno, ab Hippocrate & Avicenna deſumpta, multa arcana medica continentur. Neapoli, *apud Lazarum Scoriggium*, 1635. in 4°. *Pagg.* 250. *præter Epiſtolam nuncupatoriam, Præfat. & Indices.*

Quamquam frons Libri promittat *Praxim Methodicam curandorum morborum omnium*, cave putes univerſos totius corporis morbos Tractatu tam exiguo exponi. At vero de ceteris nunc parum laboro: Conſtat certe ab Auctore de Morbo Gallico copioſe dici, quod Gallico copioſe dici, & quod eſt præter morem, dici ipſo Libri initio, in Diſſertatione pecu-

(*a*) Præſertim Tractatu de *Terræ motu*, quem Bartholomæus ſæpe laudat.
(*b*) Bartholomæus Galeſius. *De Podagra. Pag.* 213.

ſpeculiari, quæ inſcribitur, *Medicina Patris Abbatis de Marra de Morbo Gallico*, & quæ in Capita XI ſequentia diſtribuitur, " *Caput I.* Procemium. *Caput II.* De origine Morbi „ Gallici. *Caput III.* De definitione Morbi Gallici. *Caput IV.* De cauſis Morbi Gallici. „ *Caput V.* De cauſis hujus Morbi. *Caput VI.* De cura hujus Morbi. *Caput VII.* De cautela evitandi hunc Morbum. *Caput VIII.* De ſolutione difficultatum contingentium in „ hoc Morbo. *Caput IX.* Secreta particularia ad hunc morbum. „ Et (poſt interpoſita Capita duo, X. *De urina & ſuis coloribus*, ac XI. *De Venis*, quæ videntur ambo ad aliud argumentum attingere) „ *Caput XII.* De Arbore, & *Caput XIII.* De explanatione Arbo- „ ris „ quibus varia morbi ſigna per ſtirpium ſeriem deſcribit.

Sed quod fidem vix habet, Tractatus ille quem ſibi aſſeruit Abbas magnæ Crucis, quem pro ſuo vulgavit anno 1635, quantus quantus eſt, nihil eſt præter Librum notiſſimum, a Johanne Almenare olim ſcriptum *De Morbo Gallico*, qui prodierat ante in Collectionibus variis Auctorum Aphrodiſiacorum, Papienſi, anno 1516; Veneta prima, anno 1535; Baſileenſi & Lugdunenſi, utraque anno 1536; Veneta ſecunda, ſive Luiſinina, anno 1566; Veneta tertia, anno 1599; & quem inter antiquiſſimos de hoc argumento Libros ſupra recenſuimus ad annum 1512. Quamobrem ſatis mirari Monachi illius impudentiam non queo, qui plagii crimen nihil veritus, alienum Opus, quod in omnium manibus erat, furatus ſit & quaſi ſuum uſurpaverit ſuppreſſo Auctoris nomine; licet forte haud ita inique comparatum videri poſſit, quod Johannes Almenar ab alio ex talionis lege tranſcriptus fuerit neque nominatus, cum ipſe delicto plane ſimili Johannem Benedictum, innominatum tranſcripſiſſet, ut ſupra dictum eſt ad annum 1511. *pag.* 616.

Adjecit tamen de ſuo Abbas ille *Caput IX*, quod inſcribitur, *Secreta particularia ad hunc morbum*, & quod deeſt in illis ſaltem Almenaris editionibus, quas hactenus videre datum eſt. Verum nulla eſt inde jactationi aut vanitati cauſa, cum ſecreta illa recidant ad *clyſteres*, *pillulas*, *ſyrupoſve* ex incondita & inefficaci remediorum farragine, quibus ne una quidem Mercurii gutta ineſt, nec ulla Guaiaci, & radicis Chinæ vel Sarſæparillæ mica, hoc eſt, a quibus abſunt ea remedia, quæ ſola adverſus luem veneream valent.

Id unum ibi occurrit, quod notatione dignum videri poſſit, nempe ab Auctore ſequens remedium proponi *contra dolorem hujus morbi*.

℞. *Mel commune calefactum juxta ignem, & cum penna ungatur locus doloroſus; Deinde aſpergatur pulvere calcis vivæ & deſuper apponatur ſtuppa calida.*

quod remedii genus, ſeu phœnigmi ſpecies, inter veſicantia locum habet non poſtremum, & ſin minus doloribus venereis, at ſaltem rheumaticis & iſchiadicis, & quod præſtat, lymphaticis & ſynovialibus Ancyloſeon decubitibus prodeſt efficaciter.

Ceterum non ſatis capio quæ cauſa Abbatem illum Caſſinenſem impulerit, ut in Artem Medicam ab inſtituto vitæ genere tam alienam ſe interponeret: At certe non eximia rerum medicarum peritia, cum indoctiorem & magis inexercitatum Medicum; non elegans latini ſermonis uſus, cum rudiorem & magis barbarum Scriptorem reperiri poſſe vix putem, ne infeliciſſimis quidem illis ſæculis, quibus literæ in Europa nondum refloruerant.

NICOLAUS COLLETET, Doctor Medicus. 1637.

MARTINUS AKAKIA, Pariſinus, nomine & prænomine IV, Johannis Akakiæ filius, Martini I. pronepos, Doctoris gradum obtinuit anno 1637 in Pariſienſi Facultate; & anno circiter 1640. Profeſſor Regius Chirurgiæ conſtitutus fuit in Regio Franciæ Collegio a Rege Ludovico XIII. Claudii Seguin abdicationem approbante. Demum profeſſorium idem munus ipſe tranſmiſit Mathurino Denyau, & paulo poſt mortem obiit anno 1677.

Quæſtio Medica quodlibetariis diſputationibus mane diſcutienda ..... die Jovis XXVI. Novembris, M. Nicolao Colletet, *D. M. Præſide*.
An Gonorrhϙæ venæ cubiti ſectio?
Concluſio affirmans eſt.
Proponebat Lutetiæ Martinus Akakia, Pariſinus. A. R. S. H. MDCXXXVII. *in fol. pag.* 1.

NICOLAUS MATTHIEU, Doctor Medicus. 1639.

PETRUS BOURDELOT, Senonicus,

Reſpondens vero nomine *Petrus Michon* appellabatur, ſed *Bourdelotii* nomen ſibi adoptavit

adoptavit ex voluntate avunculorum, quod auctoritate regia fuit confirmatum. Notus fuit in orbe literario, tum itinere ſuo in Sueciam, quo a Regina Chriſtina accitus fuit, tum libris editis aliquot. Obiit Lutetiæ anno 1685, natus annos 75.

Quæſtio Medica quodlibetaria mane diſcutienda . . . . . die Jovis XXII. Decembris, M. Nicolao Matthieu, *D. M. Præſide.*

An in curatione luis venereæ Balneum?

Concluſio affirmans eſt.

Proponebat Lutetiæ Petrus Bourdelot, Senonicus, A. R. S. H. MDCXXXIX. *in* fol. *pag.* 1.

1639. PETRUS HAGUENOT, Monſpeſſulanus, Doctor Medicus in Facultate patria anno 1633, magna cum laude medicinam fecit in Montepeſſulano, ac inter celeberrimos & experimentiſſimos ſui temporis Clinicos annumeratur a Petro Chauvin, Medico Lugdunenſi, in *Epiſtola nuncupatoria* ad Claudium Hedoin, præfixa *Editioni Lugdunenſi* Operum omnium Michaelis Ettmulleri, laudaturque ut cui *par in Medicina nemo exſtiterit*, quod ſane longe nimium eſt.

Quæſtiones XII. e Medicina deprompte, ab . . . . . . Franciſco Ranchino, *Cancellario,* Simeone Curtaudo *Decano,* Lazaro Riverio & Richero de Belleval, *Profeſſoribus, propoſita . . . . pro regiis Cathedris vacantibus per obitum . . . .* Johannis Delort . . . . . & Georgii Scharpii . . . . *Profeſſorum Regiorum, quas favente Deo in Aula magna Regii Collegii Monſpelienſis triduo integro propugnabit, diebus 25, 26, & 27. Januarii, anni 1639,* Petrus Haguenot, *Monſpelienſis, Medicinæ Doctor.* Monſpelii. *Apud Johan. Pech.* 1639. in 4°.

Eſt hoc in more poſitum, inſtitutoque majorum in Facultate Medica Monſpeſſulana, ut cum locus aliquis profeſſorius vacuus eſt obitu vel abdicatione Profeſſoris cujuſdam, Candidati quotcunque munus ambiunt, ut ingenii & peritiæ ſpecimina præbeant, palam inter ſe committantur publicis Diſputationibus, quem in finem ab Academia Queſtiones XII. ſingulis proponi ſolent, ad quas tenentur ad præſtitutam diem reſpondere, & reſponſiones per triduum mane & ſero propugnare, non modo adverſus antagoniſtas, ſed etiam adverſus obvios quoſcunque.

Accidit ut anno 1639. vacarent in ea Facultate Cathedræ duæ, quarum ut alterutram adipiſceretur, deſcendit in certamen Petrus Haguenot, & quæſtionibus ſibi ab Academia propoſitis conatus eſt ſatisfacere in ſcripto, cujus Epigraphem tranſcripſimus.

Exſtat autem inter quæſtiones illas quarta, in qua quæritur;

An Lues venerea ab immoderato inter ſanos amplexu ſuſcitari poſſit?

ad quam reſpondet ille negando, & jure quidem.

1640. PAULUS VON FLEMMING, (*a*) Germanus Variſcus, Medicinæ Doctor celebris ob varia itinera per Moſcoviam, Perſiam, aliaque Aſiæ ac Europæ loca. Obiit anno 1640, ætatis 31.

Diſputatio de Lue Venerea.

1640. THOMAS BROWNE, Medicus Anglus, Auctor fuit Libri, cui titulus eſt *Religio Medici*, fama ſane multo majoris quam re.

Attribuitur eidem (*b*) a Guidone Patin Tractatus *de Lue Venerea*, ſed quem nec ipſe vidi, nec ab alio quoquam memorari memini; & de quo proinde jure addubito.

1640. ALBERTUS KYPERUS, Pruſſo-Regiomontanus.

Diſputatio Medica Inauguralis de Lue venerea, *quam . . . . ſine Præſide defendet* M. Albertus Kyper, Pruſſo-Regiomontanus, *die 23. Octobris . . . . .* Lugd. Batavor. *Ex officina Bonav. & Abraham. Elzevir.* MDCXL. in 4°.

1641. CYPRIANUS MAROJA, vel ut aliis placet, MAROXA, quod in ore hiſpano ferme idem ſonat, (*c*) „ magni Philippi IV, Hiſpaniarum Regis potentiſſimi, ac Sacræ „ Inquiſitionis Medicus & Miniſter, in celeberrima Pintiana, *hoc eſt, Vallis Oleti*, Aca„ demia primo methodicæ, veſpertinæ & primariæ Hippocratis Cathedræ, deinde vero „ primariæ Avicennæ moderator perpetuus.

Edidit Valiſoleti anno 1641.

Tractatum

(*a*) Chriſtianus Johannes Langius, in *Hiſtoria Medica*.

(*b*) Vide *Patiniana*, Pag. 12.

(*c*) Sic legitur in fronte Collectionis *Operum Medicorum* Cypriani Marojæ, quæ edita eſt Lugduni anno 1688. *in* fol.

Tractatum de Febrium natura in communi & in ſingulari, eorumdemque cauſis, ſignis & curatione; cum brevi Tractatu de Morbi Gallici natura & curatione, *& celebri quæſtione de partium materialium diverſitate in mixtis*. Valiſoleti. 1641. *in* fol.

Proſtant iidemmet Tractatus in Collectione Operum omnium medicorum Marojæ, quæ Lugduni in Galliis prodiit *in fol.* anno MDCLXXXVIII, opera & ſtudio Johannis Lazari Gutierrez, ac primam Collectionis illius partem conſtituit. Pars altera complectitur *Praxim univerſalem de internorum morborum natura & curatione variis ornatam obſervationibus & diſputationibus*. Tertia continet *Conſultationes*, *Obſervationes*, *& Annotationes medicas, una cum plurimis diſputationibus phyſicis, ad praxis medicæ complementum valde neceſſariis*.

Tractatus de morbo Gallico *Capitibus IX.* abſolvitur, quæ vix implent hujus Editionis paginas decem, a *pag.* 162. ad *paginam* 172.

PAULUS MARQUARTUS SLEGELIUS vel SCHLEGELIUS, natus Hamburgi anno 1605, impetratoque Patavii anno 1637. Philoſophiæ & Medicinæ Doctoris gradu, mox anno ſequente 1638. in Univerſitate Jenenſi Medicinæ Profeſſor publicus conſtitutus eſt; inde in patria, quo evocatus eſt anno 1642, medicinam feliciſſime exercuit, donec obiit ibidem anno 1653, ætatis 48, vel (*a*) 47. 1642.

De Lue venerea. Jenæ, 1642. *In* 4°.

ROBERTUS WRIGHT, Londino-Anglus.

Theſes Inaugurales de Lue venerea, *quas . . . . . . ventilandas exhibet* Robertus Wright, Londino-Anglus, *ad diem XI. Septembris*. Lugd. Bat. *ex officina Wilhelmi Chriſtiani*. MDCXLII. 1642.

DUARTE (*Eduardus*) MADEIRA ARRAIS, Luſitanus, Phyſicus, hoc eſt, Medicus Johannis IV, Regis Luſitaniæ, ſcripſit luſitanice Tractatum *de Morbo Gallico*, in duos Tomos diſtributum. 1642.

Methodo de conhecer e curar o Morbo Gallico, Primeira parte. *Propoemſe definitivamente eſſencia, ſpecies, cauſas, ſinais, prognoſticos, e cura de* Morbo Gallico, *e de todos ſeus affectos: E largamente ſe trata do azougue* (Mercurio) *Salſaparilha, Guaiacaon, Pao Santo, Raiz da China, e de todos os mais remedios deſta enfermidade*. A el Rey noſſo Senhor Dom Joao o IV. *Pelo Dottor* Duarte Madeira Arrais, Phyſico do pulſo de meſme Senhor. *Em Lisboa na officina de Lourenço de Anveres*. Anno de 1642.

Methodo de conhecer e curar o Morbo Gallico. Secunda parte. *Diſputaoſe largamente por queſtoes e argumentos en forma todas as duvidas, que ſe poden mover ſobre a eſſencia, ſpecies, cauſas, ſinais prognoſticos, e cura de* Morbo Gallico, *e as que pode havere ſobre o azougue* (Mercurio) *Guaiaco, Pao Santo, Salſa-parilha, Raiz da China, e mais remedios deſte mal*. A o Prencipe Dom.* Theodoſio, noſſo Senhor. *Pelo Dottor* Duarte &c. *ut ſupra*. *Em Lisboa, por Antonio Alvarez, Impreſſor del Rey*. 1642.

JOHANNES WALÆUS, Medicicinæ Profeſſor in Academia Lugduno-Batava.

JOHANNES SCAVART, Breda-Brabantius. 1643.

Quæſtio Medica de Lue venerea, *quam . . . . ſub præſidio . . . . . .* Johannis Walæi, *Profeſsoris Lugduno-Batavi . . . . diſquiſitioni ſubjicit* Johannes Scavart, Bræda-Brabantius, (Auctor & Reſpondens) *ad d. 19. Decembris*. Lugduni Batavorum, *ex officina Wilh. Chriſt. Boxii* MDCXLIII. *in* 4°.

JOHANNES BAPTISTA VAN HELMONT ſive HELMONTIUS, Bruxellenſis, natus anno 1577. cum ipſe (*b*) teſtetur *ſe curſum ſuum Philoſophiæ abſolviſſe anno* 1594, *qui erat ſibi decimus ſeptimus*. Patrem amiſit (*c*) *anno* 1580, *totius Belgii calamitoſiſſimo*. *Invita* (*d*) *matre, & inſciis agnatis primus in ſua familia*, quæ nobilis erat, *ſe Medicinæ nuncupavit*. (*e*) *Anno* 17. *ſuæ adoleſcentiæ* (N. B. vixdum abſoluto curſu ſuo philoſophico) *prælegebat Lectiones Chirurgicas in Collegio Medicorum Lovanii a Profeſſoribus Thoma* 1644.

(*a*) Chriſt. Johann. Langius, *Hiſtor. Medic.*
* Princeps ille Theodoſius erat filius primogenitus Johannis IV, obiitque ante patrem ſuum, anno 1653, natus annos 19.
(*b*) In articulo, qui inſcribitur, *Studia auctoris*, *Pag. m.* 11. *col.* 1.
Utor autem Editione Lugdunenſi *in fol. ann.* 1655.
(*c*) Ibidem.
(*d*) In tumulo Peſtis, artic. I. *Cujus generis ſit peſtis? Pag. m.* 147. *col.* 1.
(*e*) Ibid. *Pag.* 146. *col.* 2.

ma Fyeno, *Gerardo de Villeers*, & * *Stornio conſtitutus*; ſed ut ipſe fatetur, *præſumebat docere, quod ipſe neſciebat, Hollerium, Tagaultium, Guidonem, Vigonem, Æginetam, totamque Arabum turmam adaptans, qui ſane omnes ſimul*, pergit ille, *apicem Chirurgiæ non intellexerunt*. (*a*) *Legit ibidem Inſtitutiones* Leonardi *Fuchſii*, & Johannis *Fernelii, bis Opera Galeni, ſemel Hippocratem, cujus Aphoriſmos pene memoriter dedicit, totum Avicennam, & tam Græcos, Arabes, quam modernos forte ſexcentos ſerio & attente perlegit, per locos communes annotans quidquid ſingulare ipſi in iis & calamo dignum videretur.*

Promotus (*b*) fuit ad Doctoratum *in arte medendi Lovanii anno* 1599, ſed tunc (*c*) *nec veritatem nec ſcientiam in putatitia doctrina ſua reperiit, ratus inprimis crudele ex alienis miſeriis nummos accumulare ...... Hæreditatem ſuam viduæ Sorori inſcripſit, & dono inter vivos tranſtulit, eo quod opportune illa carere vix poterat. Ipſe Juvenis* peregre profectus eſt, *cum intentione Medicinum deſerendi, atque in patriam redeundi nunquam ...... Idiota ſe illi aſſociavit, qui Pyrotechniæ manualia ſaltem noverat. Mox ille ut penetrale quorumdam corporum per ignem inſpexit, comprehendit multorum ſeparationes tum Libris nondum traditas, ac hodie aliquot incognitas. Dein in dies crevit ſciendi & operandi aviditas ...... Uxorem duxit piam atque nobilem, cum qua* (*d*) *anno* 1609, poſt decennalem peregrinationem, *Vilvordiam* (non longe a Bruxellis) *ſe ſubduxit*; (*e*) *per ſeptennium Pyrotechniæ ſe immolavit, ac pauperum calamitatibus ſubvenit ..... Ex effluente charitatis Dei bonitate auctæ ſunt uxoris hæreditates, & ampla ſuæ familiæ devenere patrimonia ..... Quin imo depreſſit* (Deus) *præpotentes, qui illum ad infamiam & occultam necem ſub pietatis involucro perſequebantur*, quibus verbis puto intelligi quæſtionem, quam de ejus fide Inquiſitores habuerunt, a quibus aiunt diem illi dictum fuiſſe, quaſi de religione male ſentiret, (*f*) *Interim* gloriatur *ſe quotannis aliquot myriades infirmorum ſanare ſuis remediis non deſtitiſſe.*

Sed Thaumaturgus ille ſanare non potuit. 1°. Duos ſuos filios, qui peſte periere; at vero ut ſeſe excuſet, (*g*) ait *Moniales*, apud quas ambos deceſſerunt, *ſua remedia tanquam aliena recuſaſſe*. 2°. (*h*) *Primogenitam ſuam filiam, quæ quinquennis leproſa evaſit magis magiſque, ac tandem ulcera livida, corneæque ſquamæ albæ per totum corpus ſubnatæ ſunt*; ſed quæ tandem ſeptennis per miraculum ſanata fuit ope *D. Virginis, cujus imago Bruxellis celebris eſt in Hoſpitali D. Jacobi* 3°. (*i*) Uxorem ſuam, quæ jam ab aliquot *menſibus dolore lacerti dextri premebatur, ſic ut nec manum attollere poſſet, & atroci œdemate* artuum inferiorum *languebat*; quæ tandem a Butlero ſanata eſt cum oleo olivarum, cui lapis ſuus intinctus fuerat. 4°. Demum (*k*) *Ancillam ſuam, cui in tibia dextra ter eryſipelas male curatum paſſæ crus erat plumbeum atque tumidum a genu uſque in digitos pedum*; & quæ eodem oleo perfecte intra noctem unam convaluit.

Mortem (*l*) obiit Helmontius *die* 30. *Decembris anno* 1644, ætatis 67, ex aſthmate, unde *reſpiratio illi in tantum deficiebat, ut exſurgere cogeretur & per feneſtram proximam ſpiritum haurire, quo binis diverſis vicibus pleuritis ipſi accerſebatur*, a qua *dum ſe incolumem reſtitutum eſſe putabat*, oborta denuo febre, ex interna, ut puto, ſuppuratione, vitam cum morte commutavit, poſtquam per ſeptimanas ſeptem ægrotaviſſet.

Hæc pluſquam ſatis de ipſius vita; nunc pauca de ejuſdem natura, indole, ingenio proferenda. Ut libere dicam, videtur Helmontius fuiſse religioſus, probus, minime malus; at vero ſimul credulus, ſuperſtitioſus, anilibus fabulis addictus, Chimicus, Chimicorum ineptiis plenus, Paracelſi laudator, ſectator, imitator, ſed tamen judicio, ingenio, doctrina, Paracelſo potior, ſuorum arcanorum venditator & amplificator maximus, qui plerumque ſeu lymphaticus quidpiam ſupra mortale ſonans & divino veluti in-

* Legi debet *Sturmius*: & intelligi de Johanne Sturmio. Vide Valer. Andream in *Bibliotheca Belgica*, in verbo *Thomas Fienus*.

(*a*) In articulo, qui inſcribitur, *Studia Auctoris*, *Pag. m.* 12. *col.* 2.

(*b*) In articulo, qui inſcribitur, *Columna* 3. *Pag. m.* 9. *col.* 1.

(*c*) Tumulus peſtis, *ubi ſupra Pag. m.* 147. *col.* 1.

(*d*) In articulo, qui inſcribitur, *Columna* 3. *Pag.* 9. *col.* 1.

(*e*) Tumulus peſtis, *ubi ſupra*, *Pag.* 148. *m. col.* 1.

(*f*) Ibidem.

(*g*) Tumulus peſtis, in articulo, qui inſcribitur *Proprietas peſtis*, *Pag. m.* 176. *col.* 2.

(*h*) De Lithiaſi, *Cap.* 9. §. 27. *Pag. m.* 53. *col.* 1.

(*i*) In articulo, qui inſcribitur, *Butler*, *Pag. m.* 360. *col.* 1.

(*k*) Ibidem, *col.* 2.

(*l*) *In Præfatione Operibus* Helmontii *præfixa*, & ſcripta ab Auctoris filio, Franciſco Mercurio Vanhelmont, qui ſe dicit *Philoſophum per unum, in quo omnia, Eremitam peregrinantem*.

inſtinctu proloquens ampullas projiceret & ſeſquipedalia verba, quibus nequaquam miror non paucos, animo leves futileſque, bonis litteris deſtitutos, qui amant magnificis pollicitationibus lactari, alioſque lactare, quibus nova & inaudita placent, quos arcana delectant myſteria, aliquandiu dementatos fuiſſe: At revera qui in arte medica novus & inexpertus, nec ætiologiæ & therapeiæ morborum ſatis gnarus, cum natura vel conſuetudine aſper, mordax, maledicus eſſet, Medicos ſui temporis obtrectare, Scolaſque Medicas inſectari nunquam deſtitit, ut veterem Medicinam reſcinderet & antiquaret, quam putabat (*a*) *meram eſſe impoſturam a Græcis introductam*, novamque monſtroſis verbis magis quam dogmatis divitem conderet, in quo ducem Paracelſum ſequutus parem cum eo ſucceſſum habuit.

Nihil ſcripſit Helmontius *de Lue venerea*, ſed (*b*) *in peſtis tumulo*, quæſita potius quam data occaſione, ſequentia docet,

I. *Luem illam eatenus incognitam primum viſam fuiſſe in obſidione Neapolis anno* 1494, (quæ tamen revera non fuit obſeſſa.)

II. *Placuiſſe quibuſdam Orientalem plagam accuſare*, (quos ſane ipſe non novi) quaſi inde morbi origo arceſſenda foret, ſed falſitatis inde argui quod *nemo unquam Luſitanum accuſavit, ac per conſequens Indiæ Orientales immunes eſſe* debeant, quas *ſolus Luſitanus cum excluſione Hiſpanorum luſtravit ac ſibi ſubegit*.

III. Neque *a Sinenſibus ad nos delatam videri*, quamvis *ab olim lues Sinenſibus ſit aſſueta*, cum *inde nemo ad bellum Neapolim advenerit*, *& introitus in Chinam omnibus externis ſub pœna capitis vetitus fuerit*. Adde Guaiacum, *cujus uſus apud Europæos* 80. *annis ſenior eſt quam radicis Chinæ*, (errat ille, nam Guaiacum anno 1508, Radix Chinæ anno 1535 innotuit) *ab Occiduis terris veniſſe*.

IV. Neque meliori jure *tribui Indiis Occiduis*, quaſi *quaſi ibidem foret vernacula atque ſolita*; ſiquidem *occaſus Indias immunes fuiſſe teſtatur ipſe* * *Ferdinandus Corteſius earumdem expugnator*, *quodque poſt adventum ſuum nondum ibidem enotuiſset*, *ſed eo advectam luem cum Æthiope, mancipio Pamphili de Narvaez*, *qui forte recens ab obſeſſu Neapolis eo appulerat, ſecumque attulerat*.

At vero Helmontius in errore verſatur maximo, neque uno dumtaxat nomine: Nam 1°. Opinionis ſuæ teſtem falſo adducit Ferdinandum Corteſium, Mexicani Imperii expugnatorem, quaſi ſcripſerit ille *Indias Occidentales Luis venereæ* olim *immunes fuiſſe*, peſtemque illam *poſt adventum ſuum nondum ibidem innotuiſſe*, *ſed eo advectam fuiſse cum Æthiope, mancipio Pamphili de Narvaez*. Scriptas tantum novi a Ferdinando Corteſio Epiſtolas IV, ad Carolum V. Hiſpaniarum Regem, & deinde Imperatorem datas, quibus narrabat ordine quæcunque a ſe in Hiſpania nova gerebantur. Prima, quæ ſcripta erat menſe Julio anni 1519, interiit, teſte Johanne Baptiſta Ramuſio. Tres reliquæ, non uno ſermone tractatæ, ſæpius vulgatæ ſunt; ſed ut ceteras editiones omittam, exſtant italice redditæ in Collectione *Delle Navigazioni & Viaggi* laudati Ramuſii, *Volumine* III. Singulas autem diligenter perlegi. Narrat Corteſius in prima earum, quæ ſuperſunt, quæ ordine ſecunda erat, & ſcripta menſe Octobri anni 1520, exitus civilis belli, quo a Pamphilo de Narvaez laceſſitus fuit, ſed nec de Æthiope illo, qui Pamphili mancipium fuit, nec de contagione, quam hic in Zempolanos, ſive Cimpualanos (gentem ſcilicet Mexicanam) induxiſſe dicitur, nec de nova ulla lue, quæ ab Hiſpani in Indigenas novæ Hiſpaniæ manaverit, verbum ullum ibidem facit. In altera vero ſcripta menſe Maio anni 1522, quæ nunc loco ſecunda eſt, ſed quæ tempore tertia fuit, & in qua deſcribuntur apparatus bellici, qui movebantur in Mexicanos, meminit Corteſius ὡς ἐν παρόδῳ, non luis venereæ, ſed Variolarum, ex quibus anno 1522 (*c*) *inter Talcaltecalenſes* (numerabantur illi quoque inter nationes Mexicanas) *plurimos ab humanis exemptos fuiſſe* narrat, ac præſertim illum qui erat *Magiſcacin*, hoc eſt, *primus inter reliquos hujus Provinciæ Dominos*, additque *incolas harum Provinciarum* (quemadmodum reliquarum inſularum) *morbo variolarum corripi*, ſcilicet ab anno 1520, quo ad illos delata fuit illa

(*a*) In articulo, qui inſcribitur, *Columna* 3. *Pag. m.* 8. *col.* 2.

(*b*) In articulo, qui inſcribitur, *Peregrina Lues nova*, *Pag. m.* 154. *col.* 2.

(*c*) Verba ipſa adduco Interpretationis latinæ, Roterodami editæ *anno* 1616. in Collectione quæ inſcribitur, *Novus Orbis*, *ideſt*, *Navigationis prima in Americam*. Sic autem res eadem narratur in Interpretatione italica Ramuſi; *Molti Signori erano morti del mal di Variole, la quale infermità ſuol prender ſpeſso gli abitatori di queſte Provincie, ſiccome fa ancora quegli dell' Iſole*.

contagio, ut mox videbimus. Denique in tertia ſive quarta Corteſii epiſtola, ſcripta menſe Octobri anni 1524, quæſtio eſt de perdifficili expugnatione urbis *Temiſtitan*, quæ Mexicani Imperii caput erat, ſed quæ vi belli ſolo æquata fuit, at vero ne verbum quidem unum de lue venerea. Liquet ergo a Ferdinando Corteſio nullam luis venereæ; nullam Æthiopis illius, qui mancipium fuerit Pamphili de Narvaez; proinde nullam omnino luis venereæ, quæ ad Mexicanos ab hoc mancipio devecta ſit, mentionem fieri; ex quibus conficitur Helmontium errare tota via, dum ut opinionem ſuam confirmet, nititur Ferdinandi Corteſii teſtimonio, quod nullibi legitur, quod palam falſum eſt.

2°. Demus tamen luem veneream, ut Ille putat, ante Æthiopis illius adventum, qui mancipium erat Pamphili de Narvaez juſſu & auſpiciis Jacobi de Velaſquez arma in Corteſium moventis anno 1520, viſam nondum fuiſſe in Mexicano regno ſive Hiſpania nova, (de ea enim Americæ regione hic quæſtio eſt.) Quid inde porro? An ideo falſum futurum eſt luem veneream in Inſula Haiti ſive Hiſpaniola, quæ nunc Sancti Dominici dicitur, antiquitus endemiam, & ibidem ab Hiſpanis uſu rei venereæ cum indigenis mulieribus conceptam fuiſſe anno 1492, primo Chriſtophori Columbi appulſu, a quibus in Hiſpaniam traducta anno 1493, ubi certa ſui dedit indicia, & cum Neapolitanis Galliſque communicata fuerit anno 1494? Neutiquam. Etenim horumce omnium certos, idoneos, occulatos teſtes, omnique exceptione majores ſupra adduximus, *Lib. I. Capp. X. & XI.* Sed ſi ea vera ſint, ut veriſſima eſſe palam eſt, inde coſtare debet de prima luis venereæ origine ab *Indiis Occiduis* repetenda, non quidem ab Hiſpania nova, a qua neminem ſcio qui illam arceſſat, ſed ab Inſula Haiti ſive Hiſpaniola, cui omnes uno ore eamdem acceptam referunt. Proinde conceſſa etiam Helmontii ſumptione, nempe luem veneream, anno tantum 1520, primum in Hiſpania nova viſam fuiſſe, & illuc ab Æthiope quodam, Pamphili de Narvaez mancipio, alibi ubivis videbitur infecto, delatam, ruit tamen ejuſdem aſſumptio, ſcilicet luem illam ab Inſula Haiti ſive Hiſpaniola longe ante, ac anno 1493, in Europam non admiſſam fuiſſe.

3°. Verum enimvero concidit certius eadem conſecutio, ſi ſumptio ipſa, qua nititur, falſa ſit, ut falſam eſſe manifeſte liquet. Conſtat enim Æthiopem illum, Pamphili de Narvaez mancipium, non venerea lue, ſed variolis laboraviſſe, atque adeo non veneream luem, ſed variolas in Zempoalanos, ubi Narvaez caſtra metabatur, & hinc in ceteros Hiſpaniæ novæ incolas transfudiſſe. Quod poteſt facile argui ex morbi ipſius deſcriptione apud Hiſtoricos * coætaneos obvia, ut nempe qui celeri propagatione ſerperet, atque adeo in diſtans; qui periculoſus, gravis, acutus, mortifer eſſet; quo plurimi conſumpti ſint brevi temporis ſpatio; qui febrilem æſtum accenderet, cujus impatientia ſeſe in fluvios Indi demittebant, temperandi nimii fervoris cauſa; a quo perfuncti fœdis cicatricibus deturparentur, propterea quod incauti prurientes puſtulas deraſiſſent unguibus; quæ ſingula in variolas quidem optime, in luem veneream vero minime conveniunt.

Sed porro quid opus eſt conjicere in re manifeſta & apertiſſima, cum Hiſtorici Hiſpani * qui coætanei erant, diſertiſſimis verbis teſtentur Æthiopem illum Variolis, quas hiſpanice *las Viruelas* vocant, affectum fuiſſe, quæ a lue Venerea *las Bubas* hiſpanice dicta longiſſime abſunt re & nomine; atque adeo certo certius ſit ab Æthiope illo non *luem veneream* in Hiſpaniam novam, ut temere credit Helmontius, primus omnium & fere unus, ſed *Variolas* traductas fuiſſe, quas ab Europa in Americam manaviſſe & cum lue venerea quæ inde accepta fuit, commutatas eſſe vulgaris eſt opinio, & certe nec auctore nec auctoritate deſtituta.

Mirari tantum ſubit, quæ fuerit Helmontio errandi cauſa: Neque enim facile induci poſſum ut arbitrer ab illo, qui minime malus fuiſſe videtur, propoſitam Hiſtoriam dolo malo depravatam fuiſſe. Conjecerim potius, neque forte temere, in manus illius caſu veniſſe Hiſtoricum quemdam ex Hiſpanis, ipſumve Corteſium, ſed gallice verſum, ubi legerit Æthiopem illum, de quo tam ſæpe, laboraviſſe *de la Verole*, unde factum ſit ut vocis ambiguitate deluſus reputaverit de lue venerea ſeu craſſa variola, Gallice *groſſe Verole*, debere intelligi, quæ revera & germano vocis hiſpanicæ ſenſu de Variolis ſeu Variola

* Hiſtoria verdadera de la Conquiſta de la Nueva Eſpanna, e ſcritta *por el Capitan Bernal Diaz del Caſtillo, uno de ſus Conquiſtadores, Cap.* 221.

La Chronica general de las Indias, Secunda Parte, que trata de la Conquiſta de Mexico, *por Franciſco Lopez de Gomara, Cap.* 102.

Hiſtoria general de los Hechos de los Caſtillianos en las Islas y la Tierra firme del mar Oceano, e ſcritta *por Antonio de Herrera. Decade II. Libro X. Cap.* 4.

riola parva, gallice *petite Vérole*, intelligenda erant. De ſimili ſimilis erroris cauſa Vide *infra ad annum* 1711, ubi de *Johanne Devaux*.

V. Addit Helmontius *alios contendere hanc luxuriæ luem incœpiſſe, eo quod annonæ caritas mactatorum carnes cadaverum & ſuffurari, & clanculum coctas divendi ſuaſiſſet; ſed cum Anthropophagis Indis hæc lues ante adventum Pamphili fuiſſet ignota, non recipitur horum allegatum*.

VI. *Aſtrologos quoque, quibus omnium contingentium cauſæ referuntur in Syderum aſpectus & rotationes, ne quid citra cooperationem aſtrorum fieri concederent, aſſerere peregrinum ſtellarum ſitum, dumtaxat deſuper Neapolim influxiſſe, quem multa anxietate quærentes nondum invenerunt: Quaſi idem aſtrorum ſitus nunquam fuiſſet antea.*

VII. *Tandem Paracelſum . . . . copulam leproſæ meretricis cum ſcabioſo milite Gallo incuſare ac deteſtari*: (ſic nempe Paracelſus depravat Hiſtoriam, quæ a Johanne Manardo narratur (*a*) *Epiſt.* 2. *Lib.* 7. *Epiſtol. Medicinalium.*) *Quaſi vero antea nulla leproſa Gallo ſordido commixta fuiſſet*.

His ſic exploſis rejectiſque addit Helmontius *ſe ſcire* quomodo Lues Venerea *ſui initio fermentum atque radicem repererit*. „ Enimvero Laicus quidam, *pergit Ille*, & vir ſanctus, „ ad quæſtiones arduas aliquot ſolitus viſiones ſomniales, ac non raro quoque per mentis abſtractionem notiones intellectuales ſuſcipere, nimia forte curioſitate has indagavit „ quæſtiones: 1°. Cur iſta Lues præterito ſæculo & non antea erupiſſet, cum anteactis „ Paganorum diebus ſcelerata quælibet ſcurrilitas nunquam defuerit? 2°. Unde, ſi non „ ab Indis, in Europam venerit? 3°. Quæ cauſa ſit continuitatis & mitigationis ac mutationis, ſi divinitus immiſſa? Nam miracula raro per contagium tranſeunt, ac niſi „ tradito mandato ſuam in natura cauſam nanciſcuntur. Sed neque Deus inſontes puni- „ re ſolet, prout innocentes ſæpe lues veneris inficit. Dixit itaque Laicus ſibi in viſione intellectuali viſum jumentum, quod pene diffflueret ulcere fœtido, qui morbus „ equinæ ſpeciei proprius, (noſtrates *den Vvorm*; Galli vero *le Farcin* vocant,) unde „ ſenſim equi purulenta carie pereunt. Hoc autem jumentum vidit velut canibus in „ eſcam deputatum, totum tergus vitiatum habens, etiam circa vas naturæ; nec præter „ iſtam viſionem aliud reſponſum habuit. Quapropter ſe ſuſpicari dixit, quod in obſidione Neapolitana, (qua primum dira hæc lues emerſit) nefando aliquis peccato congreſſum cum ejuſmodi jumento habuiſſet. „

Inde *conjicit* Helmontius luis venereæ *fermentum* eo modo (*permittente Deo vindice*) *in humanam familiam naturaliter tranſplantatum, divinitus quamquam antea comminatum, miſcuiſſe contagium equinum infandæ libidinis actu tum*, (*perinde atque hodie a meretrice ſordida uſque in teſtes maris attrahitur ipſa lues*,) *gonorrhœam*, *carcinoma*, (ulcuſcula cancroſa,) *atque bubones venereos &c. propagans*.

Abſit ut abutar otio in confutandis nugis iſtiuſmodi. Per me licet cuicunque arriſerit, cum Helmontio ineptire circa primam luis originem, neque enim velim cuiquam *voluptatem extorquere, & demere per vim mentis gratiſſimum errorem*.

Refert (*b*) idem alibi mulierem quamdam, quæ a marito lue venerea infecta fuerat, & cujus totus corporis habitus ulcere exedebatur, *exhibito Corallato Paracelſi per albumen ovi parato intra 26. dies convaluiſſe*. Quod ſane ipſe facile credo, ut qui ſciam Corallatum Paracelſi, præparatum e Mercurio remedium eſſe, præcipitati rubri plane congener, ſi non idem, quod mitius fit inde pluries diſtillando aquam albuminum ovorum.

PETRUS SARTORIUS, Chirurgus Noſocomii Syphiliticorum Argentinenſis. 1645.

Frantzoſen Artzt, oder Tractat *von der Schvvacheit der Franzoſen, und der gleichen Cur.* Strasburg, 1645. *in* 8°.

Ideſt, *Medicus morbi Gallici, ſive Tractatus de Morbo Gallico, & legitima illius Curatione*. Argentorati, 1645. *in* 8°.

Laudat Auctor Ambroſium Paræum & Antonium Chalmeteum, qui gallice vel latine, & Franciſcum Rennerum atque Andream (*Tobiam*) Knoblochium, qui germanice ſcripſerant de morbo venereo ante ſua tempora, & de quibus *ſupra* dictum eſt.

Narrat Doctorem quemdam Medicum Argentoratenſem, nomine Genand, de quo nihil hactenus audivi, Pariſiis famam egregiam, ac ingentes divitias ſibi comparaſſe luem venerea curando.

R 4 Affirmat

(*a*) Vide ſupra.
(*b*) In articulo, qui inſcribitur, *Cauſa & initia naturalium*, Pag. m. 24. col. 2.

Affirmat ſe, cum librum ſuum conſcribebat, jam per annos viginti ſex in hac lue curanda cum ſucceſſu verſatum eſſe. Cenſet vero ad illius curationem Mercurium non adhibendum eſſe, niſi decocta ſudorifica ex lignis Guaiaco & Saſſafras, & ex radicibus Salſæ-parillæ & Chinæ confecta fruſtra prius exhibita fuerint.

1649. FRANCISCUS BOUJONIER, Doctor Medicus.

ROBERTUS PATIN, Pariſinus, Guidonis Patini filius natu major, natus anno 1629, cooptatus in ordinem Profeſſorum Regiorum Collegii Franciæ (a) anno 1667, deſignatus a Rege patris ſucceſſor. Deceſſit ex tabe ante Patrem (b) anno 1670.

Quæſtio Medica quodlibetaria diſputatione mane diſcutienda . . . . die Jovis 9 Decembris, M. Franciſco Boujonier, *D. M. Moderatore*.

Eſt-ne certa & optima Luis Venereæ per ſolam Hydrargyroſim curatio?

Concluditur affirmative.

Proponebat Lutetiæ Robertus Patin, Pariſinus, *Anno* R. S. H. MDCXLIX. *in* 4. *pagg.* 4.

,, Cave credas (c) ait *Auctor*, quemquam niſi dextro Mercurio unctum perſanari poſ-
,, ſe, citra omnem recidivæ metum: Ut enim ſerpentem Cervus, Viverra lepuſculum e
,, terræ cavernulis evocat, ſic Hydrargyrus vel extremis illita artubus, abditum in inti-
,, mis partium receſſibus, luis ac ſpurcitiei fermentum elicit & expurgat univerſum.

(a) Gui Patin, *Lettre* CCCCLVII.
(b) Idem, *Lettre* CCCCXIX.
(c) Corollar. V.

DE

DE MORBIS VENEREIS

LIBER OCTAVUS.

Index Chronologicus Auctorum, qui de Lue venerea, vel Luis venereæ remediis ſcripſerunt, ab anno quinquageſimo ſæculi decimi ſeptimi, ad exitum ejuſdem ſæculi, cum brevi plerorumque Operum Analyſi & Epicriſi.

THEODORUS TURQUETUS DE MAYERNE, Genevenſis, patrem (a) habuit Ludovicum, ſcriptis editis notum; natus anno 1573 inter Philiatros Monſpeſſulanos nomen dedit anno 1592, & Doctoris gradum in illa Academia aſſecutus eſt anno 1597. Hinc Lutetiam venit, ac Henricum Ducem Rohanienſem, qui a Rege Henrico IV. ad Principes, Ordineſque Germaniæ legabatur, ſequutus eſt anno 1600, tanquam Medicus. Redux inter Medicos Regis ordinarios locum habuit patrocinio N.... Ribbits de la Riviere tunc Archiatri, quo munere functus eſt ab anno 1602 ad annum uſque 1611. Multas cum Facultate Medica Pariſienſi rixas habuit, præſertim de Chimicis remediis, quorum ſtrenuus fautor erat. Anno 1611 literis Jacobi I. in Angliam vocatus eſt, ut tum ſuus, tum uxoris ſuæ Annæ Archiatrus eſſet, quo eodem munere apud Carolum I. Jacobi filium functus eſt, Mortem oppetiit anno 1655, ætatis 82. Fuſius de illo in *Hiſtoria Facultatis Medicæ Monſpeſſulanæ.* 1650.

Prodiere Londini longo poſt mortem Auctoris intervallo *Syntagmata duo Praxis Mayernianæ ex Adverſariis, Conſiliis, ac Epiſtolis Theodori de Mayerne ſumma curæ ac diligentiæ concinnata*; Alterum anno 1690. *De Morbis internis, præcipue gravioribus & chronicis*: Alterum anno 1695 *quatuor Tractatus continens, 1. De febribus, 2. De morbis externis, 3. De arthritide, 4. De Lue venerea.* Utrumque acceptum referendum eſt diligentiæ Theodori Devaux, qui Theodori Turqueti amanuenſis apographa a ſe deſcripta ſubminiſtravit, maxime vero ſtudio atque operæ Gualteri Charletoni, qui ſingula digeſſit & edenda curavit.

Tractatus ultimus *poſterioris* Syntagmatis, in quo agitur de Lue venerea, Capita 6 complectitur, cum procemio, in quo præmittuntur Prolegomena quædam, *De Mercurio, ejuſque præparatis & de ſalivatione.*

N empe

(a) Bayle, *Dictionnaire Critique*, au mot *Turquet*.

Nempe 1°. Mercurium exhibere poſſe *vel crudum, vel præparatum, hoc eſt, reductum in pulverem aut per ſublimationem, aut per præcipitationem*.

2°. Auctori *notas & milleſima experientia feliciſſime comprobatas Mercurii præparationes eſſe Aquilam rubram, Pulverem Calomelanicum, Mercurium Lunarem, Præcipitatum album*, & quod Auctor *inventum ſuum eſſe* gloriatur, *Clyſſum metallorum, quorum ſingulorum proceſſus* explicat.

3°. *Cathartica* cum exhibitis *Mercurialibus addenda eſſe, eaque valida, ... quæ quidquid illa moverint, cum ipſis . . . . quam citiſſime educant & averruncent; neque enim tutam eſſe Mercurii quantumvis correcti diuturnam in corpore moram*.

4°. Demum *ſequentes modos ſalivationis provocandæ bonos eſſe*, modo *lente feſtinetur*: 1°. *Per pillulas vel bolos mercuriales*. 2°. *Per frictionem cum unguento mercuriali*. 3°. *Per emplaſtra mercurialia*. 4°. *Per ſuffumigia ex Mercurio*. 5°. *Per ſoleas ex Mercurio crudo paſta aliqua excepto* plantis pedum ſuppoſitas. 6°. *Per oleum mercuriale carpis affrictum*. 7°. *Per pedilavium in ſolutione mercuriali*.

His in hunc modum præmiſſis, exponuntur *Cap.* 1. *Lui Venereæ recens conceptæ ſymptomata*, quæ *tria præcipue* recenſentur, *gonorrhœa ſeu potius πυῤῥοια, virulenta caries pudendi, & bubo inguina occupans*.

Cap. 2. *generalis* explicatur *curatio Luis venereæ*, ſed illa tantum quæ ſudatione obtinetur, ad quam promovendam proponitur multa quidem, ſed incondita farrago remediorum, quæ jam dudum apud Medicos nullo in numero habentur.

Capite 3. jubet Auctor ad gonorrhœam adhiberi diluentia & temperantia, quandiu urit ardor urinæ; deinde præparata mercurialia; ac demum injectiones aſtringentes, aut bolos vel pillulas paris ſimiliſque energiæ. Inter cetera multum laudat bolum ſequentem, quo ſolo *curari* ait *gonorrhœam intra paucos dies*, ſed qui merito ſuſpectæ virtutis eſſe videtur.

℞. *Camphoræ* ℈ ß.
Salis Saturnini ℈ j.
Salis Tartari gr. xij.
Caſſiæ Fiſtularis ʒ ß.
Terebinthinæ Venetæ ʒ. j.
M. F. Bolus.

Quod ſi gonorrhœa contumacior in habituale ſtillicidium abeat, tum *aquam menthæ Quercetani*, tum maxime ſequentem pulverem approbat. *Caro bubula per fumum indurata, ab externa nigredine mundata, diſcerpatur in filamenta, quæ multiplici ablutione aquæ calentis liberentur a ſalſedine: Poſtea mantili optime deterſa poſt exemptum e furno panem iterata immiſſione exſiccentur, dum poſſint reduci in pulverem, de quo cape partes* ij. *Baccarum maturarum Hederæ arboreæ partem* j. *miſceantur exacte. Hujus pulveris* ʒ j. *pluribus matutinis conſequentibus exhibeatur ſuperhauſto cyatho hydromelitis ſimplicis, vel decocti radicis Eryngii. Sufficit autem ad corpora pituitoſa carnem ſiccare ſine ablutione ulla*.

Capite 4. laudat Auctor ad *ulcera ſive cariem & excoriationem pudendi ſuffitum e cinnabari, & unguentum Diapompholygos cum Mercurio crudo mixtum*: Ad bubones vero *emplaſtrum ex radicibus Bryoniæ, Althææ, Liliorum alborum, cum farina triticea, terebinthina & axungia ſuilla*.

Cap. 5. ad *Hyperſarcoſes ſive carunculas in urethra* multis therapeiam illam proponit, quæ obtinetur uſu cathæreticorum fiſtula in urethram immiſſorum, ſed quæ jam pridem obſolevit, ceu periculoſa & inefficax.

Denique *Capite* 6. recenſet *ſymptomata graviora luis inveteratæ, ut Ozænas, faucium aut palati Ulcera, oſſium palati Cariem, Nodos, Tinnitus aurium, Surditatem &c.* & ad ſingulorum curationem remedia proponit, multa quidem, ſed quæ præcedentibus probatiora non ſunt. Sic inter alia laudat ad *nodos venereos cataplaſma ex æqualibus partibus radicis Sigilli Mariæ & axungiæ porcinæ cum addito croco, quo vernaculo & euporiſto cataplaſmate nihil efficacius inveniri poſſe* putat *in venereis & aliis frigidis tumoribus*. Sic proponit ad *tinnitum aurium fumum caryophillorum per infundibulum in aures excipiendum, unde fiet*, ait ille, *ut multa aqua per nares manet*.

Cæterum ut libere dicam, videtur Auctor ille, qui fama tamen valuit ætate ſua, polypharmaciæ æquo amantior fuiſſe, quod in Medico peccatum nunquam leve eſt; & anilibus fabellis nimium confidens, atque remediorum undique conquiſitorum approbator nimis

mis credulus, quæ graviora peccata eſſe puto. Sed venia danda eſt Operibus poſthumis; quæ dubio procul emaculatoria proditura fuiſſent, ſi ab ipſo Auctore eſſent edita.

Exſtat inter Epiſtolas Medicas ad Guillelmum Fabricium Hildanum ſcriptas Epiſtola Theodori de Mayerne, data Londini 5. Cal. Februarii, 1616. quæ numeratur C. & in qua agitur de Helveto quodam, qui caruncula urethræ contumaci ex prægreſſa gonorrhœa venerea laborabat, unde frequentes Iſchuriæ recidivas jam paſſus fuerat in Helvetia, quibus mitigandis Hildanum adhibuerat Medicum. Gloriatur autem Theodorus de Mayerne, carunculam illam, dum æger in Anglia commoraretur, " ſæpius iterata blan„ di cathæretici per cereolum applicatione totam abſumptam fuiſſe, *ita ut* pateret regia „ ſeminis & urinæ via, atque amplo, continuo, recto filo redderetur lotium, quod „ ante ſtillatim, magno etiam conamine, exprimebatur.

Fatetur tamen ſupereſſe in urethra *ulcus oblongum*, ... *quod uſque & uſque deterſum deſiccare atque ad cicatricem perducere indeſinenti labore hactenus molitus fuerat*, ſed confidit, *ſi per publica negotia licuiſſet ægro diutius in Anglia commorari, ſe curationi additurum* fuiſſe *colophonem*. Porro occaſione data monet Hildanum *verum in caruncula curatione ſecretum eſſe plus cunctando, quam feſtinando promoveri*.

Verum liquet ex Epiſtola Hildani ad Theodorum de Mayerne data 5. Novembris, 1620, & quæ legitur *Obſerv.* 64. *Centur.* 5. ægrotum eumdem, in patriam ex Anglia reducem, Iſchuria graviſſima iterum brevi tentatum fuiſſe, cum *manifeſta in perinæo phlegmone*: Ex rupto abſceſſu *pus fœtidiſſimum emanaſſe*, *non ſine maxima confinium partium corruptione*: Ulcus *ſinuoſum verſus veſicam deorſum* cuniculos egiſſe *ad ipſas uſque proſtratas*, *quas a longo tempore male affectas fuiſſe* Hildanus merito exiſtimabat: Omnia tamen feliciſſime perſanata fuiſſe ab Hildano, potiſſimum uſu *decocti traumatici ex Pyrola*, *Alchimilla*, *Sanicula*, *Conſolida Saracenica*, *Artemiſia*, *& Beta rubra*, *cum vino* rubro decoctis, quo ulceroſæ partes fovebantur tepide, ita ut *fiſtula nulla remanſerit*.

PETRUS CASTELLUS, Romanus, (*a*) lauream doctoralem adeptus eſt in Collegio patrio, ubi aliquandiu publicus Philoſophiæ & Pharmaciæ Profeſſor fuit. Impetraverat (*b*) deinde profeſſorium locum in Academia Patavina beneficio Cardinalis Biſciæ, & Ludovici Contareni, tunc temporis Reipublicæ Venetæ Legati ad Urbanum VIII, ſummum Pontificem; ſed cum electus fuiſſet a Meſſanenſibus in gradum primarii Medicinæ Theoriæ Profeſſoris, illuc ſe contulit, ubi videtur reliquum vitæ tranſegiſſe. Florebat initio ſeculi proxime præteriti. *1652.*

De Smilace aſpera. Meſſanæ, 1652. *In* 4°.

FRANCISCUS PONA, Veronenſis, Medicinæ ſtudio operam dedit in Academia Patavina, ubi Doctoris gradum adeptus eſt circa initium ſeculi XVII. Medicinam cum laude fecit in urbe patria, ubi florebat anno 1652. *1652.*

Academico-Medica Saturnalia. Veronæ 1652. *in* 12.

Exſtat ad calcem hujus Libri *Index Opuſculorum Franciſci Pona*, unde colligere eſt ſcriptum fuiſſe ab illo *Tractatum de Lue venerea*, *ex quo*, ut ibidem adjicitur, *libata eſt Proluſio Saturnalium ſeptima*.

At vero Tractatum hunc de lue venerea, ſi forte in lucem venit unquam, ipſe nondum vidi, ſed licet colligere ex *ſeptima Saturnalium proluſione* quid de morbo illo Franciſcus Pona ſenſerit.

Nempe in proluſione illa, quod cum cæteris commune eſt, introducuntur Collocutores duo, *Senior & Junior*, quorum ille narrat alteri Comœdiam allegoricam, cujus actioni fingit ſe interfuiſſe.

I. Proſtabat in Proloquio Pandora, ex ſua pyxide *novam* effundens *morbi faciem* (luem veneream) *terricolis*, *qua compendio ægritudinem abſolvat Iliadem*.

II. Deinde in Actu primo introducebatur ſcortum, nomine *Alvia*, quæ multa prolocuta ſecum de *nocturnis artuum cruciatibus ac multiplici viſcerum labe*, quibus ſeſe conflictari ſentiebat, ſubit cum ancilla domum Euchryſii, quocum conſueverat jam pridem, & apud quem pernoctatura erat. Inde erumpebat illico ſervus Euchryſii iratus, qui verboſe narrabat Herum *recocta ſæpius lue laborare*, *nec tamen id credere*, *ac fœdioribus ſemper amplexibus adhærere*.

III. Adducebantur in Actu ſecundo multi, ut ægrotanti Euchryſio opem ferrent; 1°. *Vetula*

(*a*) *In Epiſtola* ad Paulum Zacchiam, *Antidotario Romano præfixa*.
(*b*) *In Epiſtola* ad Cardinalem Biſciam, *Antidotario Romano præfixa*.

1°. *Vetula* medicaſtra ; 2°. *Iſaacus Judæus*, ambo ab Alvia miſſi ; . . . . . 3°. *Aſtrologus* ; 4°. *Rhizotomus* ; 5°. *Magiſter * Hypocauſti*, quibus ſingulis multa pollicitatione Euchryſium lactare cura erat, ſed inanis, cum omnes ab eo rejicerentur, nec ſine improperio. Demum adſtabant Medici tres ex condicto conſilium inituri de Euchryſii valetudine : Illos audiebat Euchryſius *non ſine frequenti oſcitatione, ac oblatione, ac oblato ſingulis argenteo, perfunctoria gratiarum actione dimittebat*.

IV. Cetera deeſſe fingit Auctor, quod dum hæc in Theatro peragebantur, *finitimæ cauponis ædes incendio flagraverint*, unde ſuborto clamore *Comœdia diſſoluta fuit*.

Ex his vix quidquam ad noſtrum ſcopum facit, præter ea quæ a Medicorum primo memorantur. „ Sermo eſt, *inquit Ille*, de morbo teterrimo, *de Morbo Antiquis ignoto*, qui„bus licuit per tot annorum centurias mulieribus impune amplexibus gaudere. Qua ve„ro cœlorum nuper indignatione factum eſt, ut nova noſtro ſæculo adnata ſit lues, „qua veneris gaudia miſerabilem in luctum vertuntur, & voluptatum jucunditas cru„deli plane cruciatuum compenſatione corrumpitur. Non ex Gallia, (quod hi volunt,) „nec ex India, quod alii, Furiarum ſed ex truci ſede pullulaſſe credendum, clam illi„tis ab Alaſtore peſſimo cerberea ſpuma muliebribus, ut ex his, uberrima laborum ſe„gete, per univerſa mortalium membra, quidquid ſtygiis carnificinis inhorruit, propa„garetur, Bubones, Scabies, Verrucæ, Puſtulæ, Ulcera, Dolores, Gummata, Lippitu„dines, Dentium caſus, Narium jactura, faucium eroſio, infelix tandem ploratus Penis, „(*ſtillicidium gonorrhoicum*) ſuorum ſero criminum pœnitentis . . . . Inter remedia „ſucceſſere ex medico penu vulgatiſſima illa, quæ vel lippis & tonſoribus nota, ſectio „venæ, cucurbitulæ, hirudines, fonticuli &c. lenientia, alterantia, purgantia. Tan„dem, veluti ad ſacram anchoram, ad ** hypocauſti encomia deventum ; poſtremo ad „illationes hydrargyri, ad Cinnabaris ſuffimina, ad Stibia, ad Algarotti illum pulvi„ſculum, & ſimilia, quæ plures perdant, quam reſtituant.

Ex his colligitur Veronæ ætate Franciſci Ponæ uſu viguiſſe non modo decocta ex Guaiaco, de quibus verba facit ille nomine *Hypocauſti*, non modo *illitiones Hydrargyri & ſuffimina Cinnabaris*, ſed etiam *ſtibiata*, ſeu præparata e ſtibio, ac inter cetera *pulverem Algarotti*.

1653. 1656. Josephus Galeanus, Panormitanus, (*a*) „ Philoſophus ac Medicus doctiſ„ſimus, natus circa annum 1605 , ... magno cum plauſu Medicinam Panormi „docuit annis prope quinquaginta, & ex ejus ſchola diſcipuli prodierunt doctiſſimi, „qui Siciliam doctrinæ ſplendore illuſtrarunt. . . . . Deceſſit Panormi anno 1675.

Inter Opera alia varii generis ſcripſit duo, quæ ad Inſtitutum faciunt, *alteram* latine cum hac inſcriptione.

Smilacis aſperæ & Salſæ-pariliæ cauſa. Panormi, 1653. *in* 4°. *alterum* italice cum hoc titulo.

La Lepra unita col Mal franceſe, o altro contagioſo Male, in quale degli Spedali debba curarſi, Diſtinzioni e Deciſioni medicinali. Panormi, 1656. *in* 8°.

1654. Henricus Rysendeech, Lugduno-Batavus.

Diſputatio Medica Inauguralis De Lue Venerea, ſeu Morbo Gallico. *Lugduni-Batavorum*, 1654. *in* 4°.

Theſis eſt *publico examini ſubjecta pro gradu Doctoratus & ſummis in Arte Medica privilegiis conſequendis*, in qua *paginis* 6. ſummariæ Poſitiones LIV. referuntur, quibus tota propoſiti argumenti tractatio abſolvitur.

1654. 1667. Josephus Schmidts, Germanus, (*b*) Barbi-tonſor & Chirurgus herniarius & vulnerarius Auguſtæ.

(*c*) Examen phlebotomicum, *oder grundliche erforſchung vom aderlaſſen und ſchropffen neber curirung der Frantzoſen*. Marpurg, 1654. *in* 12°.

Ideſt,

* Loci, in quo æger detinebatur, quandiu Guaiaci decoctum exhauriebat ex artis Legibus.

** Decocti Guiaci, quod in hypocauſto propinabatur.

(*a*) Antonius Mongitore, in *Biblioth. Sicula*.

(*b*) *Barbieres und Brechund Vvundartzs in Augſpurg*. Sic legitur in fronte ultimi Tractatus, de quo hic mentio eſt, in editione Auguſtana *anni* 1702, quæ prodiit longe poſt mortem Auctoris.

(*c*) Cornelius a Beughem in *Bibliographia Medica*, in Claſſe VI. Vvolffangus Mauritius Endterus, in *Catalogo Librorum*, adjecto *Indici Decur. I. & II. Ephem. Germanicarum*.

Ideſt, Examen phlebotomicum, *ſive ſolida Inquiſitio de venæ ſectionibus & cucurbitulis in curatione Morbi Gallici*. Marpurgi, 1654. *in* 12.

(*a*) *Bericht von drey abſcheulichen, ererblichen, und anſteckenden haupt Krankheiten, als der* Peſt, Frantzoſen, *und* Scharbock, *wie ſolche gecuriret und geheilet werden mogen*, Augſpurg. 1667. *in* 12.

Ideſt, *Expoſitio trium fœdarum, hæreditariarum & contagioſarum præcipuarum ægritudinem, nempe* Peſtis, Morbi Gallici, & Scorbuti, *qua arte curari & ſanari poſſint*. Auguſtæ Vindelicorum, 1654. *in* 12.

Qui Liber pluries prodiit variis interpolationibus auctus, & mutato titulo diverſimode inſcriptus, ſed tamen, quod ad doctrinæ ſummam, ſemper idem.

JOHANNES (*b*) JOACHIMUS (*c*) JACOBUS VIETOR, 1654.
De Morbo Neapolitano, Gieſſæ, 1654. *in* 4°.

JOHANNES RODOLPHUS SALZMANNUS, Argentoratenſis, (*d*) natus eſt 1656.
anno 1574, in Academia patria Doctoris gradum obtinuit, & Medicinæ Profeſſor conſtitutus fuit. Obiit anno 1656.

CONRADUS KLEIN, Argentinenſis.

(*e*) *Diſſertatio Medica Inauguralis* de morbi Gallici natura, differentia, cauſis ac ſignis. *Reſpondente* Conrado Klein, *Argentinenſi*. Argentinæ, *in* 4°.

Cum a Martino Lipenio, a quo illa Diſſertatio indicatur, non appoſitus fuerit annus quo propugnata fuit, hæreo anceps ad quem locum referenda ſit. Ac certe ante annum 1656 ſcribi debuit, cum Saltzmannus (*f*) hoc anno fato functus fuerit.

GUERNERUS ROLFINCIUS, Hamburgenſis, (*g*) natus anno 1599, varias 1656.
Academias perluſtravit in Germania, Batavia & Italia, ac demum Doctoris honores conſecutus eſt in Academia Patavina, anno 1625. Redux in Germaniam ad Profeſſorium munus in Jenenſem ſive Salanam Academiam accitus eſt anno 1629, quo functus eſt cum laude reliquo vitæ tempore. Obiit anno 1673, annos natus circiter 74.

ZACCARIAS NICOLAUS GOTZIUS, Cygneus, hoc eſt, *Zuickavienſis in Miſnia*.

Diſſertatio Medica de Salivatione, *quam* . . . . *ſub præſidio* . . . . . Guerneri Rolfincii . . . . *cenſuræ publicæ offert* Zacharias Nicolaus Gotzius, Cygneus, ... *ad d* . . . . *Septembris*. Jenæ, *e Typographia Johannis Niſii*. MDCLVI. *in* 4°.

In ea Diſſertatione perpauca ſunt, quæ ad Salivationem mercurialem pertineant, atque adeo quæ noſtri ſint inſtituti.

CAROLUS BARALIS, Doctor Medicus.

NICOLAUS LIENARD, Pariſinus.

Quæſtio Medica quodlibetaria diſputatione mane diſcutienda . . . . . *die Martis VIII. Februarii*, M. Carolo Baralis, *D. M. & Medico Regio Præſide*. 1656.

An Gonorrhœæ virulentæ ſuperiorum venarum ſectio?

Concluſio affirmat.

Proponebat Lutetiæ Nicolaus Lienard, Pariſinus, A. R. S. H. MDCLVI. *In* fol. *pag.* 1.

„ Syphilidem, (*h*) *inquit Auctor*, alii cum Elephantiaſi Græcorum, vel cum Arabum
„ Lepra . . . . . . promiſcue confunduntur, ſed male iſti: Alii cum Pſora, cum Variolis
„ cum Gemurſa Plinii, cum Arthritide, nec hi melius: Deterius adhuc multo ceteri,
„ qui cum Mentagra Veterum, cum Sahafato, cum Alboti ſeu Malo Mortuo Avicennæ:
„ Probabilius qui luem veneream idem quod Epicuri Ἰνσαρικὰ cenſent eſſe, nec tamen ve-
„ ro conſonum: Qui intemperiem frigidam, aut ſiccam, aut humidam, Veteribus minus
„ perſpectam clamant, longe omnium a vero aberrant: Hi ſoli modica docent, qui mor-
„ bum calidum ſiccum multis retro ſæculis cognitum profitentur.

AN-

(*a*) Ibidem, apud a Beughem & Enderum.
(*b*) Martinus Lipenius, *Biblioth. Medic. realis*.
(*c*) Cornelius a Beughem. *Bibliographia Medica*.
(*d*) Jacobus Douglaſſius, *Bibliographia anatomica*.
(*e*) Martinus Lipenius, in *Bibliotheca Medica reali*.
(*f*) Chriſtianus Johann. Langius, in *Hiſtoria Medica*.
(*g*) Ex Programmate Johann. Friſchmuth, Rectoris Academiæ Jenenſis, in funere Guerneri Rolfincii.
(*h*) Corollar. 1.

1657. ANDREAS VETRANUS, Panormitanus, " Philoſophiæ ac Medicinæ ſtudia amplexus, eorumdem laurea cohoneſtatus eſt, ac tandem urbis Archiater electus fuit . . . Defuncta uxore, clericali militiæ mancipatus ad Juriſprudentiæ & Theologiæ ſtudia animum appulit, & in utraque facultate emerita Doctoris laurea donatus, ad nonnullos honorum gradus Panormi aſcendit . . . . Deceſſit Panormi anno 1689, anno ætatis circiter 64.

(a) *Medicum Diſcrimen de Lepra Gallica*. Panormi, 1657. *in* 4°.

1657. JOHANNES LIPPINS, Sluſa-Flander.

Quæſtio Medica Inauguralis de Lue Venerea, *quam . . . . . . defendere conabitur* Johannes Lippins, Sluſa-Flander, *ad d . . . . . Februarii*. Ultrajecti, *ex officina Johannis a VVaesberge*. Anno MDCLVII. *in* 4°.

1658. ANTONIUS BIGORRE, Albenſis, inſignia doctoralia ambivit & obtinuit in Facultate Medica Monſpeſſulana, anno 1658; atque ſtadium ſuum medicum edidit cum inſcriptione ſequenti.

Doctoralis Laureæ Triumphus, novem celeberrimis quæſtionibus Medicis, unicuique Muſæ dicatis, ad ſupremum Apollinis ornamentum, in ſacro Monſpelienſi Æſculapii delubro, conſequendum pro more completus. Monſpelii, *apud Danielem Pech*. 1658. *in* 4°.

Inter *quæſtiones quatuor cardinales pro Triduana Diſputatione propoſitas* Richero de Belleval, Cancellario & a Simeone Curtaudo, Decano, prima hæc eſt

An Mercurius venenum?

cui Auctor reſpondet affirmative.

1659. GASPARDUS FESQUET, Monſpeſſulanus, Doctoris gradum adeptus in Facultate Monſpeſſulana anno 1655, Profeſſorium munus adiit anno 1665. Deceſſit anno 1673.

Quæſtiones duodecim e Medicina depromptæ a . . . . Richero de Belleval, *Cancellario . . . .* Simeone Curtaudo, *Decano*, Ludovico de Soliniac & Petro Sanchio *Profeſſoribus . . . . propoſitæ . . . . Pro Regiis Profeſſionibus vacantibus per obitum . . . .* Jacobi Duranc & Lazari Riverii, *Profeſſorum Regiorum, quas . . . . propugnabit . . . . . . triduo integro mane & ſero, diebus* 8. 9. & 10. *menſis Maii, anni* 1659. Gaſpardus Feſquet, *Monſpelienſis, M. D.* Monſpelii, *apud Danielem Pech*. 1659, *in* 4°.

Harum Tertia ſic,

An luis venereæ curatio per Guaiacum, quam per hydrargyrum tutior?

Concluſio affirmat.

1659. PETRUS BENOIST, Carcaſſonenſis, Doctoris gradum aſſecutus eſt in Facultate Medica Monſpeſſulana anno 1659. Profeſſorium munus obtinuit anno 1664. Fato functus eſt anno 1668.

Quæſtiones duodecim e Medicina depromptæ a . . . . Richero de Belleval, *Cancellario . . . .* Simeone Curtaudo, *Decano*, Ludovico de Soliniac & Petro Sanchio, *Profeſſoribus, ... propoſitæ . . . . . . pro Regiis Profeſſionibus vacantibus per obitum . . . . .* Jacobi Duranc & Lazari Riverii . . . . . *Profeſſorum Regiorum, quas . . . . propugnabit . . . . triduo integro mane & ſero, diebus* 11. 12. & 13. *menſis Septembris anni* 1659. Petrus Benoiſt, *Carcaſſonenſis, D. M.* Monſpelii, *apud Danielem Pech*. 1659. *in* 4°.

Harum ſexta ſic ſe habet,

An prima venereæ luis origo ab Antropophagia? (ſic)

Concluſio eſt affirmans.

1659. JOHANNES VIGIERIUS, Caſtrenſis apud Albigenſes, Doctor Medicus. Scripſe-
1657. rat Gallico idiomate Libros aliquot de Chirurgia, quos ejus filius cognominis * latinos fecit & edendos curavit Hagæ Comitum in Batavia, cum inſcriptione ſequenti.

Johannis Vigierii, Doctoris Medici, Opera Medico, Chirurgica, 1659. *in* 4°.

Operum horumce præcipuum eſt *Chirurgia* in Libros quinque diſtributa quorum I. *De Tumoribus*; II. *De Vulneribus*; III. *De Ulceribus*; IV. *De Fracturis*; V. *De Luxationibus*. In illo Tractatu ſermo eſt de Lue venerea, variiſque luis venereæ ſymptomatis, ſed diſperſim, obiterque; quocirca cum tumultuaria illa tractatio a legibus, quas in hac Auctorum aphrodiſiacorum enumeratione obſervare decrevimus, nimium abhorrens ſit, placitum

(a) Antonius Mongitore, In *Biblioth. Sicula*.
* Gallice ſcripti excuſi fuerant Lugduni *in fol. ann.* 1657. a Beughem *in* Bibliographiæ Medicæ Claſſe II.

placitum eſt ideo ut ſumma tantum rerum Capita paucis delibaremus atque perſtringeremus.

Itaque I. *Libro tertio*, *Cap.* 30. quæſtio eſt *de Lue venerea*, ad cujus curationem 1o. Proponit Vigierius initio „ Decoctum ſudorificum ligni Indici per dies 30. vel 40: Et „ deinde hydrargyroſim ſeu litum ex argento vivo, ea proportione mixto cum axungia „ porci, ut ad libram j. axungiæ addantur hydrargyri ſucco limonum aut ſaliva extin- „ cti ℥ iiij, aut v, immixtis oleis vel unguentis nervalibus, quibus articuli defendan- „ tur a malitia Mercurii.

2°. Cenſet „ his utendum eſſe donec materia abſumpta ſit, mane autem tantum jejuno „ ventriculo, vel alternis tantum diebus, ſi æger imbecillior . . . . . . Denique his no- „ tis materiam ſatis abſumptam deprehendi, ſi dentes doleant, lingua intumeſcat, ulcera „ naſcantur in ore, ſaliva multa effluat, ulcera exſiccentur, remittantur dolores, adſit „ laſſitudo fere ad ſyncopen, diſtendantur nervi, alvus profluat.

3°. Approbat præparata mercurialia duo, nempe *Flores Mercurii*, & *Mercurium album ſolutivum*, quorum laudat uſum internum ad grana ſex & octo. Poſſunt illorum ἐγχείρησις ex Auctore peti, ſi ita lubeat: Sed non diſſimulo preparationes illas vehementia vix inferiores eſſe præcipitato rubro: certe magis draſticas, quam Panaceam mercurialem, & Mercurium dulcem vulgarem, ideoque minus tutas.

4°. Contendit „ plures lues venerea infectos, uſu harumce præparationum Mercurii „ omiſſa diæta ſudorifica, convaluiſſe; nec mirum, *pergit Vigierius*, cum Mercurius ſit „ hujus luis eximium & multa experientia comprobatum alexipharmacum.

II. *Libro eodem*, *Cap.* 60, agitur *de Gonorrhœa* virulenta, cujus ſedem ponit in Paraſtatis (*Proſtatis*,) quam ait dependere ab inflammatione aut ulcere illarum partium, quam curari jubet initio anodynis, paregoricis, diluentibus; mox detergentibus, vulnerariis, catharticis.

III. *Libro eodem*, *Cap.* 61, diſſeritur *de obſtructione Urethræ a callo, verruca, tuberculo carnoſo, ſeu carnoſitate*. Auctor eſt ut obices iſtiuſmodi, quibus anguſtatur Urethra, exſtirpentur & erodantur cathæreticis, quorum diverſas formulas proponit, & adminiſtrationem explicat. Inter cetera profert tanquam eximia, tum Emplaſtrum, ſeu potius Unguentum Philippi, Hiſpani, de quo *ſupra* ubi de Andrea Lacuna, ad annum 1551, tum Epuloticum Gotofredi Giannati, de quo *ſupra* ad annum 1584.

IV. Sciens ſuperſedeo tum *Capite* 57 Libri primi, ubi *de Bubone*, tum *Capitibus* 64, 65, 66, Libri tertii, ubi *de ulceribus penis*, & *de præcautione ulcerum a lue venerea*, quia quæcunque occurrunt laudatis in illis locis, & non magni momenti ſunt, & paſſim ſunt obvia.

Cave autem ne cum Bibliographis ex uno Johanne Vigierio, duos facias, quorum alteri Caſtrenſi aſſignes *Opera Medico-Chirurgica*, Hagæ Comitum excuſa anno 1659 *in* 4°; alteri *Caſſeronenſi*, *Tractatum de Catarrho*, *Rheumatiſmo* &c. Genevæ typis excuſum anno 1623, *in* 8°. Conſtat enim Opus utrumque ab uno & eodem Auctore prodiiſſe, cui olim viſum fuerit in Tractatu de Catarrho, *ſe Caſſeronenſem* appellare, quod ex errore putaret cum (*a*) Johanne Poldo Albenaſio & (*b*) Ortelio, Caſtra Albigenſium, ubi natus erat, quondam fuiſſe *Caſſeronem*, ſeu potius *Ceſſeronem* illum, de quo (*c*) Plinius, (*d*) Ptolemæus, & (*e*) Antoninus; cum tamen compertum ſit hunc Caſſeronem in via, quæ ducit Nemauſo Beterras ſitum fuiſſe ad fluvium Araurim, eo ſcilicet in loco, ubi nunc eſt Oppidulum *Sancti Tiberii*; atque adeo a Caſtris longe abfuiſſe.

SIMON PAULI, Roſtochienſis, natus anno 1603, Doctoratus honores impetravit 1660 Wittebergæ anno 1630. Biennio poſt Medicinæ Profeſſor conſtitutus fuit in Academia Roſtochienſi, quo munere per ſeptennium functus eſt. Abiit inde Hafniam Danorum, ubi anno 1639 Anatomiæ, Chirurgiæ & Botanices Profeſſor ordinarius, anno 1650 Canonicus & Aulæ regiæ Medicus, ac demum anno 1656 Regis Daniæ Archiatros, electus eſt. Interiit ibidem anno 1680. ætatis ſuæ 77.

Παρέκβασις, ſeu Digreſſio de vera, unica ac proxima cauſa Febrium, cum malignarum & Petechialium, tum Morbillorum, Scorbuti, Luis Venereæ, *& ſimilium morborum Macularum, partim ex Phyſicis, Chimicis ac Anatomicis principiis demon-*

(*a*) Antiquitez de Niſmes.
(*b*) In Theſauro Geographico.
(*c*) Hiſtor. Natural. *Lib.* 3. *Cap.* 4.
(*d*) Geograph. *Lib.* 2. *Cap.* 10.
(*e*) In Itinerario, quod *Antonini* dicitur.

demonſtrata, partim exemplis & Obſervationibus Medicis confirmata; antehac a nemine, quanti ſunt, qui de Febribus Malignis & Petechialibus commentati ſunt, tradita: Nec non de accurata febres has curandi methodo. Francofurti, *apud Thomam Mariam Gotzium.* 1660. *in* 4°.

1660. N. . . . Culpeper, Medicus Anglus, anglice interpretatus eſt duos Danielis Sennerti Tractatus, alterum *de Lue venerea*, alterum *de Podagra*, ac edendos curavit Londini.

Daniel Sennertus *Tvvo Treatiſes, the firſt of the Venreal Pox, vvherein is ſhevved* 1. *The name and original of this Diſeaſe*; 2. *Hiſtories thereof*; 3. *The nature thereof*; 4. *Its Cauſes*; 5. *Its differents*; 6. *Several ſorts of Signs thereof*; 7. *Several vvays of the cure thereof. The ſecond Treatiſe of the nature, cauſe, ſign aud cure of the Gout.* London, 1660 *in* 8°.

Hoc eſt, *Danielis Sennerti Tractatus duo; Prior de Lue venerea, in quo explicantur* 1°. *Morbi illius nomen & origo*, 2°. *Hiſtoria*, 3°. *Natura*, 4°. *Cauſa*, 5°. *Differentia*, 6°. *Diverſa ſigna*, 7°. *Variæ methodi curatoriæ. Poſterior de natura, cauſa, ſignis & curatione Arthritidis.* Londini, 1660, *in* 8°.

Johannes Wynell, Anglus.

Lues venerea, *vvherein the names, nature, ſubject, cauſes, ſignes, and cure are handled, miſtakes in theſe diſcovered, and rectified; doubts and queſtions ſuccinctly reſolved.* By John Wynell, M. D. London, *Printed W. W. for the Authbr.* 1660, in 12.

Hoc eſt, *Lues venerea, ubi nomina, natura, ſubjectum, cauſa, ſigna, & curatio tractantur; errores deteguntur & emendantur; dubia & quæſtiones breviter reſolvuntur.* Auctore Johanne Wynell, M. D. Londini, *Apud W. W. Sumptibus Auctoris.* 1660 in 12.

Libellus ille anglice ſcriptus continet tantum *Capita undecim*, quibus breviter diſſeritur de origine, nomine, definitione, ſubjecto, cauſis, ſignis diagnoſticis & prognoſticis, ac curatione luis veneræ, tum communi, tum particulari; atque variæ pro Auctoris modulo reſolvuntur quæſtiones, quæ circa propagationis rationem ac diverſos morbi illius effectus moveri ſolent. Quæcunque ibi legiſſe memini, jam prius dicta fuerant: quamobrem Tractatus ille aliorum Tractatuum, qui de re eadem ſcripti fuerant, mera eſt epitome, nec ſatis ordinate digeſta. Hæc tamen animadverſione digna viſa ſunt.

I. Credi ab Auctore luem veneream olim, cum primum apparuit in Europa, multo ſæviorem fuiſſe; nunc vero (*ſuo ſcilicet tempore*, circa annum 1670,) mitiorem eſſe & minus lethiferam, in cujus mutationis cauſas inquirit *Cap.* 7. *Quæſtione* 9.

II. Videri eidem luem veneream in Orbe noſtro quondam ceſſaturam eſſe, ut in Italia Mentagra & Gemurſa, & in Anglia Peſtis ſudatoria pridem ceſſavere, cujus futuri phænomeni cauſas rimatur *Cap.* 10. *Quæſtione* 3.

III. Circa ſpecialem morbi curationem nihil prorſus afferri *Capite* 11, niſi methodos curatorias diſtinguendas eſſe in *reprobatas*, quibus abſtinendum; *probataſque*, quibus utendum eſt: Inter reprobatas quidem recenſet uſum 1°. *Remediorum vulgarium.* 2°. *Fonticulorum.* 3°. *Unguentorum mercurialium.* 4°. *Suffumigiorum*, quorum duo poſtrema plurimum improbat. Eas vero tanquam probatiſſimas commendat, quæ curationem moliuntur ope 1°. *Theriacæ & Alexipharmacorum Indicorum.* 2°. *Magnetis cujuſdam anti-venerei.* 3°. Remedii cujuſdam, quod *ſympatheticum* vocat. Hæc ultima duo remediorum genera multis extollit laudibus, ſed eadem tanquam arcana reticet, unde manifeſtum eſt hunc Tractatulum eo tantum fine ab Auctore conſarcinatum fuiſſe, ut remediis ſuis famam verbis faceret, quam non poterat effectis.

1661. Antonius Everhaers, ſive Everhardi, Medioburgenſis in Zelandia, Medicus Doctor, ſcripſit Tractatum cum ſequente inſcriptione:

Antiqui morbi recrudeſcentis per ſuctricem inducti cum Gallico vel Indico Collatio: Atque utriuſque origo, indoles, ac perfecta præcipue, tuta, cita & jucunda Curatio, propoſita per Antonium Everhardi Medioburgenſem, Doctorem Medico-Practicum. *Medioburgi, apud Franciſcum Kroock.* 1661. *in* 12.

Huic Libro conſcribendo locum dedit infortunium, quod anno 1654. Medioburgi accidit, ubi teſte (*a*) Stephano Blancardo „ lues venerea invaluit in plurimos a ſuctrice „ quadam infecta, quæ induratas nutricum mammas ſuctu emandabat, aut brevi poſt „ partum coloſtrum exhauriebat. „ Sed de his diſertius ipſe Everhardus, (*b*) qui, exi„ ſtimat,

(*a*) Inſtitut. Chirurgicar. *Part.* 3. *Cap.* 41. (*b*) Tractatus *Pag.* 38.

„ ſtimat, quemadmodum venerea lues principio quidem impuro coitu contracta, poſtea „ vero diverſis modis inter homines eſt diſſeminata, quod ita morbus, qui a ſe traditur, „ principio a ſuctrice, quam ille pro honeſta ac proba muliere agnoſcit, ſed inſcia ab „ hac aut illa impura fœmina contaminata, cujus contagium primum in puerperas, ac „ poſtea variis modiis ſerpſit in pueros & aliud genus fœmineum, ſuam duxerit origi- „ ginem.

Everhardi Liber uno tenore ſcriptum ſine ulla Capitum diſtinctione, *Everhardo van Hoorn, M. D. & Practico Medioburgenſi* inſcriptum eſt, & paginis 84 abſolutum.

Fatetur in Præfatione, *Pag.* 5 „ ſe nomen affectus ſtudio reticuiſſe, quod quiſquis ex „ annotatis ipſum morbum ſatis intelligeret. „ Qui ſane nemini non planus eſſe debuit, quandoquidem morbus ille novus cum lue venerea perpetuo confertur, & eo quidem conſilio, ut ipſe ait, *Tractat. pag.* 17. „ ut eo modo tam hujus, quam illius mali natura, „ cauſis, ſignis, ſymptomatibus & cura propoſitis ac cognitis, qualis ille novus ſit mor- „ bus ſponte ſua offeratur.

Hinc ergo oblata occaſione inquirit in originem Luis Gallicæ, quam ſcribit, *Pag.* 21. „ a pleriſque *credi* incœpiſſe, cum Carolus VIII. Galliæ Rex, anno 1493, cum Alphon- „ ſo, Rege, ad Neapolim bellum gereret.... Et quam ait *Pag.* 27. ab inſulis quibuſdam „ Americanis, in quibus populariter affectum hunc graſſari ferunt, per Hiſpanos in Gal- „ lorum exercitum allatam fuiſſe, aut illic certe ſcorti cujuſdam magna impuritate con- „ tractam.

„ Quod porro ad curationem attinet, quæ utriuſque morbi eſt una ac eadem, cenſet „ *Pag.* 74. eam quidem commodo vivendi modo ſeu Dieta, Chirurgia ac Pharmacia acquiri.

„ Principio morbi (*Medioburgenſis*) nonnullos per Mercurium certo modo præparatum „ curavit, *Pag.* 75. idque beneficio aquæ cujuſdam ſudorificæ, qua ſpinam dorſi tenuiter 1628. „ duntaxat inungi jubebat, ac ſudor eliciebatur..... Hanc autem aquam ita concinna- „ vit: Recepi, *inquit*, ac recipe (propemodum ad deſcriptionem Beguini in ſuo *Tyroci-* „ *nio Chymico*) Mercurri ſublimati triti ſubtiliter *Unc.* j. Euphorbii *gr.* xij. Baccarum Lau- „ ri *unc. ſemis*. Spiritus vini rectificati, Aquæ roſaceæ, *ana Unc.* viij. Digerantur igne „ moderato in vaſe colli longioris probe cooperto per tres horas, ac poſtea per horæ qua- „ drantem decoquantur, colatura clara vaſe vitreo ad uſum reſervanda.

„ Attamen, *Pag.* 76., cum nonnulli recidivam paterentur, ac malum inveteratum hoc „ medicamen penitus non exſtirpare illi videretur, uſus eſt remediis mercurialibus fortio- „ ribus..... deſignatis a Pigræo,.... Paræo,..... Mercuriali,.... Falloppio,..... Maſſa- „ ria,..... Capivaccio,.... Sennerto.

„ Moleſtiam quod attinet, quæ in curatione per hydrargyrum occurrit, eam non de- „ fendit, *Pagg.* 77, cum ipſe per experientiam viderit hanc curam ob ſalivæ copiam ægris „ moleſtam eſſe ac laborioſam, atque ideo in laborantium commoditatem inquirere me- „ dia voluerit, quibus commode, cito, tuto ſanaretur.

„ Nimirum poſtquam variis ſudationum, ſuffumigiorum, inunctionum modis hunc tra- „ ctaſſet affectum, ac expertus eſſet inunctiones & ſuffumigia moleſta nimis ac nauſeabun- „ da eſſe; methodum etiam per decoctum ſecundarium ordinarium, & primarium ſudo- „ rificum, incertam nimiumque fallibilem, utique ratione & experentia edoctus eſt „ unum idemque decoctum tam per ſe ſudores eliciendos, quam urinam movendam, „ fæceſque deturbandas alvinas, uſu continuato ad malum exſtirpandum eſſe peru- „ tile.

„ Sumit autem plerumque, *Pag.* 80. pro parando ſibi decocto..... Salſæ parillæ *unc.* „ iv. Chinæ *unc.* ij. Macerentur per horas xvj. obturato probe vaſe, igne lento, in a- „ quæ ſimplicis *lib.* jx. Poſtea decoquantur cum uvarum Corinthiacarum inciſar. *unc.* i j. „ liquiritiæ raſæ ſub finem additæ *unc. ſemis*, ad lib. v j. quæ ſingulis diebus ab ægris „ aſſumantur. „ Quod remedii genus nihil eſt præter ptiſanæ ſudorificæ ſpeciem, neque „ adeo ad luem veneream inveteratam exſtirpandam ſatis efficax.

Nolim omitti Tractatum hunc Everhardi, quantulicunque pretii videatur, germanice translatum fuiſſe, & editum cum hac inſcriptione:

Vergleichung der Middelburgiſchen Sanger-ſeuche mit den Franzoſen.

Id eſt, *Collatio morbi Suctricis Medioburgenſis cum morbo Gallico.* ſed nihil comperti habeo nec de anno, nec de loco illius editionis.

1661. TOBIAS WITHAKER, Anglus, Medicus ordinarius Regis magnæ Britanniæ (*Caroli II.*) & ejuſdem familiæ ſive domus, ſcripſit Librum ſequentem:

An Elenchus *of Opinions concerning the Cure of the ſmall Pox: Together vvith problematical Queſtions of the* French Peſt. London, *printed by J. G. for Nath. Brook.* 1661. in 16.

Id eſt, *Elenchus Opinionum circa curationem* Variolarum, *una cum problematicis quæſtionibus circa* Peſtem ſive Luem Veneream. *Londini*, 1661. in 16.

Hujuſce Libri *Pars poſterior*, quæ inſcribitur *Problematica Quæſtiones de Peſte* ſive *Lue Gallica*, incipit *Pag.* 89. & implet paginas ſequentes uſque ad *Pag.* 124.

1662. RICHARDUS BUNWORTH, Anglus.

A nevv Diſcovery of the French Diſeaſe, *and Running of the Reins, their Cauſes, Signs, vvith plain and eaſie direction of perfect curing the ſame.* The ſecond edition Vvith large additionals. *London*, *Printed for Henry Marsh.* 1662. in 12.

Id eſt, *Novum Inventum de* Morbo Gallico, & Gonorrhœa, *cauſis eorumdem, ſigniſque, cum evidenti & expedita methodo eiſdem perfecte medendi.* Editio altera auctior & emendatior. *Londini.* 1662. in 12.

1662. ALBERTUS OTTO FABER, Medicus Regius exercituum Suecicorum.

JOHANNES KAUFFMAN, Anglus.

Alberti Ottonis Fabri, *Medici Regii exercituum Suecicorum*, Paradoxωn de Morbo Gallico Libri II. *Or a Paradox concerning the shamefull Diſeaſe. For a vvarning to all againſt deceitfull Cures. Translated out of the High Dutch by* John Kauffman. *London.* 1662. in 12.

Id eſt, Alberti Ottonis Fabri, &c. Paradoxωn de Morbo Gallico Libri II, ſive *Paradoxum de turpi illo Morbo: Ut quilibet ſibi caveat a fallacibus curationibus.* Tranſlatum ex germanico idiomate a Johanne Kauffman. *Londini.* 1662. in 12.

1662. JOHANNES VAULOUÉ, Genabicus, Doctoris honores conſecutus eſt in Facultate Medica Monſpeſſulana anno 1662.

Quæſtiones quatuor Cardinales pro ſupremâ Apollinari laurea conſequenda propoſitæ . . . . . Simeone Curtaudo, Decano, & Petro Sanchio Profeſſore . . . . *quarum veritatem tueri conabitur per triduum integrum mane & veſperi* Johannes Vauloué, Genabicus . . . . *jam dudum Medicinæ Licentiatus, in auguſto Monſpelienſis Apollinis fano.* Monſpelii, *apud Danielem Pech.* 1662. in 4°.

Harum hæc eſt ſecunda quæſtio,

An inveterata Lui venereæ caſtratio conferat?

Concluſio autem affirmat. Ex qua colligere eſt luem veneream ab Auctore non ſatis a Lepra Arabum ſeu Græcorum Elephantiaſi diſtingui; quippe notum eſt virilium amputationem ad Elephantiaſim ab Antiquis olim magno conſenſu commendatam fuiſſe, unde ad luem veneream, ceu ad morbum affinem, analogice ſed perperam traduci debuit. Nunc autem quo ſucceſſu caſtratio in Elephantiacis quondam celebrata ſit nec ſcio, nec quæro: At vero in Syphiliticis nunquam celebratam fuiſſe opinor, & utcunque poſſit futuro morbo occurrere ne contrahatur, adverſus ſemel contractum nullomodo proficuum fore evidens eſt, cum exciſis virilibus admiſſum ſemel virus ſolitas tragœdias agere debeat.

1662. MELCHIOR SEBIZIUS, Argentoratenſis, natus anno 1578, peragrata Europa fere tota, & perluſtratis quamplurimis Academiis, in quibus Medicinæ ſtudio operam dedit, Doctoris honores Baſileæ Rauracorum conſecutus eſt anno 1610. Biennio poſt, nempe anno 1612, Argentorati Medicinæ Profeſſor conſtitutus eſt in locum Patris, qui rude donatus fuit, quo munere annos 62 cum laude functus eſt. Obiit Argentorati anno 1674. ætatis ſuæ 95.

JOHANNES ULRICHUS OELER, Lindavienſis.

Diſputatio ſolemnis de morbis novis . . . . *propoſita a* Melchiore Sebizio . . . . . *Reſpondente* Johanne Ulrico Oeler, Lindavienſi, *ad d* . . . . *Maii.* Argentorati, *typis Everhardi VVelperi.* MDCLXII. in 4°.

In illa diſputatione agitur de *Lue Venerea*, ceu *Morbo novo.*

1663. WILHELMUS BARBOR, Anglo-Britannus.

Diſpu-

Diſputatio Inauguralis de Lue Venerea, *quam . . . . examini . . . . ſubjicit* Wilhelmus Barbor, Anglo-Britannus, *ad diem* 1. *Junii*. Trajecti ad Rhenum, *ex officina Johannis Hulsbuyſen*. Anno 1663. in 4°.

MICHAEL HEILANDUS, Anatomiæ, Chirurgiæ & Botanices Profeſſor ordinarius in Academia Giſſenſi. 1663.

GEORGIUS CRETZSCHMAR, Treia-Variſcus.

Theſes Inaugurales Medicas de Lue Venerea, ... *ſub præſidio* Michaelis Heilandi . . . . *ſiſtit* M. Georgius Cretzſchmar, Treia-Variſcus, ... *ad d.* XXV. *Septembris anni* MDCLXIII, Lipſiæ, *prælo Johannis Baveri*. *in* 4°.

JOHANNES BERGERUS, Amſtelodamenſis Batavus.

Diſputatio Inauguralis de Lue Venerea, *quam . . . . publico eruditorum examini* 1665. *ſubjicit* Johannes Bergerus, Amſtelodamenſis Batavus, *ad d.* 5. *Novembris*. Lugduni Batavorum, *ex officina Severini Matthiæ*. MDCLXV. in 4°.

JOHANNES ARNOLDUS FRIDERICUS, Altenburgenſis, (*a*) natus anno 1665. 1637, poſt varia itinera in Italiam, Angliam, Belgium & Germaniam, Doctoris Medici titulum atque inſignia petiit & obtinuit anno 1661 in Academia Jenenſi. Paulo poſt Anatomiæ, Chirurgiæ & Botanices Profeſſioni præfectus fuit in eadem Academia. Deceſſit anno 1672.

JOHANNES GEORGIUS KEYSER, Altenburgenſis, medicinam faciebat Saalfel- 1665. diæ ad Salam in Thuringia, unde miſit Auguſtam Vindelicorum anno 1696. Obſervationem *de verme in ſaxo reperto*, quæ Anno IV. Decuriæ III. Ephemeridum Curioſorum Germaniæ inſerta fuit, *Pag.* 205.

Guaiacan *ſub moderamine . . . .* Johannis Arnoldi Friderici . . . . . *diſquiſitioni ſubjicit* Johannes Georgius Keyſer, Altenburgenſis Miſnicus, A. R. (hoc eſt, *ut opinor*, Auctor, Reſpondens) *in Athenæo Salano*, (Jenæ ad Salam) *ad diem* 21. *Novembris anni* MDCLXV, *Typis Samuelis Krebſii*, in 4°.

FRIDERICUS MONAVIUS, publicus Medicinæ Profeſſor Stettini Pomeraniæ.

Cryſtallina, pura luis venereæ novæ inventæ ſpecies ab ipſo Monavio *pertractata*. Brunſvvigæ, 1665. in 8.

Miror equidem quod Fridericus Monavius crediderit anno 1665 Cryſtallinam, quaſi novam luis venereæ ſpeciem, a ſe detectam fuiſſe, cum de morbo eodem jam ante, ſcilicet anno 1611, Tanequinus Guillaumet, Chirurgus Nemauſenſis, Tractatum gallice ſcriptum ediderit; Johannes vero Colle, Bellunenſis, in ſua *Notitia & Medela de Morbo Gallico*, vulgata Venetiis anno 1628, & Johannes Hartmannus, Ambergenſis in *Praxi Chimiatrica* Lipſiæ typis excuſa anno 1633, Cryſtallinam deſcripſerint.

GUERNERUS ROLFINCIUS, Hamburgenſis, de quo ſupra ad *annum* 1656. 1666.

MARTINUS WILLICHIES, Hamburgenſis.

Diſputatio Medica de Lue Venerea. *Hanc ſub moderamine . . . .* Guerneri Rolfincii . . . . *exponit Auctor & Reſpondens* Martinus Willichius, Hamburgenſis, *ad d.* . . . *Aprilis*, *anno* 1666. Jenæ, *typis Samuelis Krebſii*. in 4°.

GEDEON HARVEY, Philoſophiæ & Medicinæ Doctor, apud Londinenſes Practicus, ſcripſit anno 1666. Tractatum ſequentem. 1666. 1670.

Great Venus unmask'd, or a more exact diſcovery of the French Diſeaſe, and virulent 1675. *runing of the Reins, vvith the ſeveral methods of curing them*. London 1666. in 8°. 1685.

Hoc eſt, *Magna Venus larva denudata, ſive accurata expoſitio Morbi Gallici, & Gonorrhœa virulenta, cum peculiaribus methodis, quæ ad curationem valent*. Londini, 1666. in 8°.

Aliquot poſt annis in lucem emiſit Tractatum eumdem, vel Tractatum alium præcedente parum diſſimilem cum hac inſcriptione:

Little Venus unmask'd, or a perfect diſcovery of the French Pox, compriſing the opinions of moſt Ancient and Modern Phyſicians, vvith the Author's judgement and obſervations upon the riſe, nature, ſubjects, cauſes, kinds, ſigns and prognoſticks of the ſaid Diſeaſe, vvith ſeveral vvays and methods of curing that Diſeaſe and the running of the Reins, London, 1670. in 8°.

Hoc eſt, *Parva Venus larva denudata, ſive accurata expoſitio Morbi Gallici, continens ſententias plerorumque veterum & recentium Medicorum cum Auctoris judicio & ob-*

(*a*) Zeumer, *De Vitis Profeſſor. Medic. Jenenſium*.

& obſervationibus de origine, natura, ſubjectis, cauſis, ſpeciebus, ſignis & prognoſticis, diverſiſque viis methodiſque curandi tum morbum illum, tum Gonorrhœam virulentam. Londini, 1670. in 8.

Quarta Libri ejuſdem editio prodiit *ibidem* anno 1675.

The Fourth Edition with large Additions of new matter, and a new Tract of a Scorbutick Pox; a ſecond Tract of a Mangy Pox; a third of a Heretick Pox; and an Appendix of the Veneral Gout. Together with their ſeveral cures. London, 1675.

Hoc eſt, *Quarta Editio, cum multis additionibus novis, præſertim tribus novis Tractatibus, primo de Lue venerea Scorbutica; altero, de lue venerea Puſtuloſa, tertio de lue venerea hæretica ſive anomala, cum appendice de Arthritide venerea, adjectis variis methodis curatoriis ſingularum illarum affectionum*. Londini, 1675.

Quintam ejuſdem Libri editionem uſurpavi, quæ in lucem exiit Londini anno 1685, cum inſcriptione ſequente.

The French Pox with all its kinds, cauſes, ſigns, and prognoſticks. Alſo the running of the Reins, Shanker, Bubo, Gleets, and their cures. And what is the Chiefrain, Appendix of new Obſervations never yet diſcovered by any: All compriſed in this fifth Edition of Little Venus un mask'd. *By* G. Harvey. M. D. London. *Printed for James Partridge*, MDCLXXXV. in 8.

Hoc eſt, Morbus Gallicus, *ejuſque ſpecies omnes, cauſa, ſigna & prognoſtica. Necnon* Gonorrhœa, Ulcuſcula cancroſa, Bubo, Gonorrhœa habitualis ſive ſtillicidium ichoroſum, *& ſingulorum curatio: Et quod præcipuum eſt, Appendix novarum Obſervationum ab ullo nondum vulgatarum: Quæ omnia continentur hac quinta Editione* Parvæ Veneris larva denudatæ. *Auctore* G..... Harvey, *Doctore Medico*. Londini, *ſumptibus Jacobi Partridge*. 1685. in 8.

1668. JOHANNES GEORGIUS TRUMPHIUS, Goſlarienſis Saxo.

BERNHARDUS CHRISTIANUS CAPELLE, Dethmoldienſis in Comitatu Lippiaco.

Diſſertatio Medica de Salivatione Mercuriali. *Hanc..... ſiſtit publico* φιλιατρῶν *examini Præſes* Johannes Georgius Trumphius, *Goſlaria Saxo, Medicinæ Licentiatus, Reſpondente* Bernhardo Chriſtiano Capelle, *Dethmoldia-Lippiaco-Gueſtphalo, ad diem IV. Januarii, anno* MDCLXVIII. Jenæ. *Literis Samuelis Krebſii*, MDCLXVIII. in 4.

Diſſertatio illa, ſicut & aliæ Diſſertationes Academicæ, brevis eſt, nec ultra *Paginas* 36, *Capitaque VII.* extenditur.

In I. *De Salivationis definitione*; In II. *De Mercurii natura & indole*, an frigidus, calidusve ſit? In III. *De morbis* quæſtio eſt, contra quos Auctori videtur ſalivatio facere, & inter quos præter luem veneream recenſentur *Dolor Capitis* contumax, *Febres intermittentes, Vertigo, Mania, Epilepſia, Vitia oculorum, Plica Polonica, Scabies inveterata, Scrofula, ulcera cacoethea* &c. In IV. Reſolvuntur *Dubia quædam*, quæ in ſalivationem mercurialem afferri ſolent: In V. Cautelæ, quæ *ante ſalivationem*: In VI. Cautelæ, quæ ad *ſalivationem movendam*; ac demum in VII. Cautelæ, quæ *ſalivationis tempore* adhibendæ ſunt, expenduntur; Quæ ſingula ſi non optime, at ſaltem ſatis bene explicantur, ita tamen ut ab Auctore non tam ſua, quam aliena fide proponi videantur, uſque adeo ſcrupuloſe de re quavis teſtes multi adducuntur.

Omiſſis cæteris, quæ vulgatiora ſunt, ſequentia exſcribere placet, quæ adnotatione digniora.

I. Laudari (*a*) Volhardum neſcio quem, qui *Diſſert. De Lua Venerea*, referat „ beneficio innunctionis mercurialis ſingulis annis plus quam ſex millia ſanitati in una Pariſienſi urbe reſtitui; „ Sed a Volhardo *reſtitutorum* numerus nimium exaggeratur.

II. „ (*b*) Generoſam illam curationem, *qua ſalivatione obtinetur*, iis convenire qui decoctorum ad plures dies ordinatorum, & carcerum quadraginta dierum, laconicorum „ &c. pertæſi ſunt, nec quidquam ex illis adjumenti ſenſere.

III. Salivationem moveri poſſe Mercurio variis modiis: Interne; *Mercurio dulci, Panacea, Pillulis Barbaroſſæ*, vel *Patavinis* a Saxonia deſcriptis: Externe, *Innunctione, Zona, Cingulo, Armillis mercurialibus*; *Lotione* cum ſolutione Mercurii ſublimati in aquis ſtillatitiis Fumariæ, Scabioſæ, Roſarum; *Suffumigatione* ex Cinnabari.

IV.

(*a*) In Προαυλίῳ;
(*b*) Cap. V.

IV. Modum omnium optimum eſſe per Inunctionem, quam cenſet Auctor (*a*) adhibendam eſſe „ in debilibus, alternis diebus; in robuſtis quotidie, ... interdum tamen interpoſitis inunctionum feriis, ne ſputum ſtatim abundans vel ſuffocationem, „ vel anginam, vel paralyſim, vel apoplexiam inducat.

V. Quod a nullo alio laudari memini, ab Auctore proponi ipſo ſalivationis tempore (*b*) „ opiatica, quaſi omne punctum compleant ſi interne exhibeantur, & quorum uſum „ feliciſſimum *ait* olim expertum eſſe experientiſſimum *Guernerum* Rolfincium.

VI. Salivationis mercurialis uſum (*c*) „ in Germania rarius adhiberi, . . . quia corpora Germanorum ſunt magis compacta. *Auctor tamen refert* (*d*) ſe noviſſe in ſuo climate multa feliciſſimæ per hanc ſalivationem mercurialibus excitatam curationis exempla a Rolfincio præſtita, “ cujus ille doctrinam non ſemel laudat, & quem *patronum & præceptorem* vocat.

Obiit (*e*) Triumphius anno 1690.

PAULUS MATTOT, Doctor Medicus. 1668.

CLAUDIUS GUERIN, Pariſinus.

> *Quæſtio Medica quodlibetaria diſputatione mane diſcutienda . . . . die Jovis 26. Januarii*, M. Paulo Mattot, *D. M. Præſide*.
>
> An in curanda Syphilide Balneum Ptyeliſmo præmittendum? Concluſio affirmat.
>
> *Proponebat Lutetiæ* Claudius Guerin, Pariſinus, A. R. S. H. MDCLXVIII. *Ex typographia Franc. Muguet*. in 4.

Cenſet Auctor (*f*) eos, “ qui novum Syphilidem dixere morbum, Veterum eſſe ignaros. Ex quo, *inquit*, nefandæ veneri litatur, nefandæ veneris feruntur monimenta. „ Indis nondum detectis ſcorta laſciviere, ſuæque nondum nato Carolo octavo ſcortis „ merces, vermes & tineæ. Nulli gentium ſit injuriæ ſyphilis, apud omnes naſcitur, „ alitur. Miſceantur in utero bene ſe habentium ſemina, ibi computreſcant, ab eorum „ corruptela Syphilis aut Syphilidis prodromi. Sic integre ſanus ſcortator a non inquinato ſcorto poteſt inquinari, nec ab unius impuritate ſemel orta in univerſum orbem „ irrepſit.

Laudat Hydrargyrum, ceu unicum remedium adverſus luem veneream efficax, modo „ præmiſſa ſit balneatio: Cetera omnia damnat. „ Apage, (*g*) *inquit*, tot hujus ætatis „ Nebulones & Sycophantas, qui decoctis calidis ex multo ligni ſancti cortice, ſaſſafras, radice Sinarum, jam æſtuantia torrent viſcera! Apage lippientes Tonſores, qui „ tabellis, opiatis, pillulis dum curationem pollicentur, verba dant ægris, aut inferunt necem.

EDMUNDUS MORPHÆUS, Lymbricenſis Hibernus, Doctoris honores conſecutus 1668. eſt in Facultate Monſpeſſulana anno 1648, & cum forte locus unus profeſſorius vacaviſſet anno 1668 per obitum Petri Benoiſt, Profeſſoris Regii, in arenam deſcendit.

> *Quæſtiones Medicæ XII, a* . . . . Michaele Chycoyneau, *Cancellario*, Ludovico de Solignac, *Decano*, & Petro Sanchio, patre, *atque* Gaſpare Feſquet . . . . . . *Profeſſoribus, propoſita . . . . quas . . . . propugnabit . . . . triduo integro ſero & mane 9. 10. & 11. menſis Februarii*, Edmundus Morphæus, *Lymbricenſis*. Monſpelii, *apud Danielem Pech*. 1668. in 4°.

Harum Tertia quæritur.

> *An inveterata lue venerea laborantes in Elephantiaſim facile incidant, & utrique affectui competat Hydrargyrus?*

Reſpondet ad utramque quæſtionis partem affirmando, quod de priore minime probo. Ceterum „ non exiſtimat *ille* hanc labem novam eſſe, ſed potius Hippocrati & Galeno „ & omni Antiquitati notam, quorum ſæcula tum meretricum copia, tum bellorum diſſidiis, aeris impuritate, alimentorumque uſu pravo luxuriabantur, quæ ſententia „ Hippocratis eſt 3 *Epidem. comm.* 3. *text.* 10. 12. 49. 50. „ Egregia ſane & valida argumenta, ſexcenties objecta, ſed confutata ſexcenties.

(*a*) Cap. VI. (*b*) Cap. VII.
(*c*) Cap. V. (*d*) Ibid. & in Προαύλιῳ.
(*e*) In *Catalogo Curioſor. Germaniæ*, præfixo Volum. I. *Ephemerid.* ann. 1727.
(*f*) Corollar. II. (*g*) Corollar. V.

1668. ANDREAS BRUNEL, Santponenſis non longe a Piſcenis, Occitanus, Doctoris gradum conſecutus eſt in Facultate Monſpeſſulana anno 1656. & ad Profeſſorium munus aſcendit anno 1668. De anno emortuali nihil compertum habeo.

Quæſtiones Medicæ duodecim, a . . . Michaele Chicoyneau, Cancellario, ... Ludovico de Solignac, Decano, Petro Sanchio, filio, & Gaſpare Feſquet, Profeſſoribus, . . . propoſitæ . . . . pro regia Profeſſione vacante per obitum . . . Petri Benoiſt . . . . . Profeſſoris, quas propugnabit triduo integro, mane & ſero, die 3. menſis Aprilis, & 1. & 2. Maii, 1668. . . . . . Andreas Brunel, *in alma Monſpelienſium Medicorum Academia Doctor Aggregatus*. Monſpelii, *apud Danielem Pech*. 1668. in 4°.

Harum quæſtionum Sexta quæritur.

An Bubo venereus retrocedens ſit deterior Parotide retrocedente?

Negans eſt Concluſio.

1668. LAURENTIUS LOSS Iſnacenſis.

Diſſertatio Inauguralis de Lue Venerea, *quam . . . . ad d. 24. Septembris anni* 1668. *ſubjicit* Laurentius Loſs, Iſnacenſis, *Giſſæ Haſſorum, typis Ioſephi Dieterici Hampeli*. in 4°.

1669. JUSTINUS WIGANDUS.

Diſputatio Inauguralis de Ptyaliſmo. *Gieſſæ*, 1669. in 4°.

Hæc Theſis publico examini ſubjecta eſt ad honores in arte medica conſequendos.

1669. JOHANNES BAPTISTA SITONUS, Mediolanenſis, ſed, ut ipſe putabat, oriundus ex (*a*) *familia Scota Comitum & Baronum Sitonorum*, lauream Medicam Papiæ conſecutus eſt anno 1628, natus annos 23. Inde in urbem patriam regreſſus, Medicinæ faciendæ incubuit. Obiit anno 1681, annos 76 natus.

Jatroſophia Miſcellanea, ſive Sapientia Medica. Opus antea in Italia (Patavii anno 1641, *cum titulo* Miſcellaneorum Medico-curioſorum) *nunc ob illius præſtantiam primum in Germania ejuſdem Auctoris opera editum, curioſa, utilia & rara medica continens & tertia pluſquam parte adauctum*. Typis Monaſterii Einſidlenſis, 1669, in 4°. *Prodiit tertium* Coloniæ Agrippinæ anno 1679, in 4.

Conſtat hoc Opus Tractatibus LII, quorum tribus, XIV, XVIII & XLV agitur de noſtro argumento.

I. Quæritur *in Tractatu XIV*, an purgantia medicamenta cum Sudorificis Alexipharmacis miſceri debeant ad curationem luis Gallicæ? Reſpondet Auctor Purgantia quidem nulla cum ſudorificis unquam permiſcenda, quotieſcunque ſudores movendi ſunt: Sudorifica vero cum Purgantibus miſceri poſſe, ſi catharſis proritanda ſit, modo pauca doſi miſceatur.

II. Queritur *in Tractatu XVIII*, an Morbus Gallicus novus ſit & ex novo Orbe traductus? Reſpondet Auctor neque novum, neque ex India invectum eſſe, neque perpetuo contagioſum, ſed „ poſſe inter non infectum & non infectam gigni ex immodico ſordidæ „ aliter veneris uſu, peſſima ſpirituum & humorum diſpoſitione, in hepate potiſſimum „ & veneri deſervientibus partibus; „ ſed quæ nec exemplo, nec argumento ullo confir- „ mantur.

III. Demum quæritur, *in Tractatu XLV*, an Vir lue gallica infectus ex coitu cum virgine a morbo liberetur? Laudat Sitonus Herculem Saxoniam, a quo vidimus ſupra ſcriptum fuiſſe (*b*) „ ſe ſcire . . . . ab antiqua gonorrhœa plures fuiſſe libe- „ ratos qui cum uxore virgine rem habuerunt, ſed tunc mulierem infici. „ Potuiſſet quoque laudari de re eadem Samuel Hafenreffertus, apud quem (*c*) ſimilia leguntur. Sed tamen fatetur Sitonus experimentum plane incertum eſſe & videri falſum: Quod ſi verum ſit, ſtatuit eſſe omnino illicitum.

Multa deſiderantur in Sitono, ut inter bonos Medicos, Scriptoreſque eruditos ac judicii laude conſpicuos numerandus ſit.

1670. NICOLAUS BRAYER, Doctor Medicus.

CLAUDIUS PEYLON, Pariſinus.

Quæſtio Medica quodlibetaria diſputatione mane diſcutienda . . . . die Jovis XVI. Januarii, M. Nicolao Brayer, *D. M. Præſide*.

An

(*a*) Vide Sitonum ipſum, *Tractat.* 41.
(*b*) Lib. De lue Venerea, *Cap.* 73.
(*c*) De Cutis affectibus. *Lib.* 2. *Cap.* 2.

An quæ Hydrargyro non cedit Syphilis, hydroticis percuranda?
Concluſio affirmans eſt.

Proponebat Lutetiæ Claudius Puylon, Pariſinus. A. R. S. H. MDCLXX, *Ex typographia Franc. Muguet.* in 4.

„ Syphilis, (*a*) *inquit Auctor*, Priſcis non ignota, Indis vernacula, Noſtratibus tur-
„ pioris intemperantiæ morbus eſt... Qui inceſſerit retegunt ulcera, & a qua parte ini-
„ tium ſumpſerit, demonſtrant: In lactentibus inuruntur ori; in lactantibus, mammis
„ aut earum papillis, in obſtetricantibus, digitis; in ſibi oſculo blandientibus, labiis;
„ in combibonibus, faucibus, in ſcortatoribus, pudendis.

ANONYMUS Enumeratur inter Libros Bibliothecæ Sloanianæ in Catalogo Librorum Manu- 1670.
ſcriptorum Angliæ, *Part. alter. pag.* 254. *col.* 2. Liber alter manuſcriptus hac arithmetica nota 8917 inſignitus, cum hac epigraphe,

Remedia ad morbum Gallicum profligandum.

Quid Libri eſſet percontatus, accepi a Thoma Stack, Doctore Medico, quem ſæpius appello, ſed quem ſine grati animi ſignificatione appellare nunquam poſſum, Librum hunc nihil prorſus eſſe præter excerptiones formularum medicarum adverſus multos varioſque morbos, collectas a neſcio quo: Proſtare in illo geminas tantum formulas, quæ ad Morbum Gallicum faciant, nempe pilularum mercurialium & catharticarum: Ceterum laudari in eo libro Robertum Boyle, unde colligere eſt ſcribi non potuiſſe ante annum 1670, ut citiſſime.

FRANCISCUS DE LE BOE SYLVIUS, Hanovienſis, natus (*b*) anno 1614. Doctoratus gradum 1672.
Baſileæ adeptus eſt anno 1637. Hanoviæ & Amſtelodami medicinam feliciter fecit, Lugdunum Batavorum vocatus eſt anno 1658 ad profeſſorium munus in locum defuncti Alberti
Kyperi, ibique deceſſit anno 1672, ætatis 59. 1674.

Tractatus de Lue Venerea inter cetera ejuſdem Opera eodem volumine comprehenſus eſt in *Appendice Praxeos Medicæ*, quæ poſt Auctoris mortem cura Juſti Schraderi primum prodiit, anno 1674.

Sylvius pro more ſuo, quæcunque ad luem veneream tum univerſalem, tum particularem ſpectant, in illo Tractatu breviter explicat 307 articulis, quibus aut in Theoria, aut in Praxi continetur nihil, quod novum ſit aut a vulgari opinione abludat.

Docet Auctor, Articulo 36. *Venenum venereum in acido, ſed ſuo modo peccante, conſiſtere.*

Articulo 44. *Luem veneream produci ab humoribus acidis & acrimonia ſua ſanguinem ipſum, ceteroſque ex ipſo humores ortos, tum pilos, tum glandulas, parteſque glanduloſas omnes, tum cutim, tum oſſa ipſa corrumpentibus ac rodentibus.*

Articulo 147. *Primaria luis hujus remedia eſſe aut mercurialia, aut ex lignis radicibuſque gummoſis atque ſudores moventibus petita.*

Articulo 148. *Optimum certe atque tutiſſimum luis venereæ remedium eſſe Mercurium crudum cum porcina axungia, vel aliis unguentis oleiſque mixtum & forinſecus illitum..... Sed prudentia opus eſſe, ſi & dorſi ſpina eo ſit illinenda, quod ipſe ſaltem fieri nollet, niſi quando fruſtra illitæ fuerunt articulationes aliæ!* Sed quod tamen nunc quotidie ab omnibus fieri conſtat ſine damno ullo.

Articulo 150. *In eumdem finem exhiberi ſæpenumero varia medicamenta ex Mercurio, tum ſublimato, tum præcipitato parata; .... Præſertim præcipitatum Corallinum*, de quo *Artic.* 283.

Articulo 191. *Ad venereæ luis curationem in frequentiori uſu eſſe decocta ex binis radicibus, totidemque lignis parari ſolita; radicibus puta Chinæ atque Salſæ parillæ; lignis vero Guaiaci & Saſſafras.*

Articulo 213. *Satius certe fore ſudoriferis, diureticis, ac per alvum purgantibus abſolvi curam luis venereæ, ſi ſemper iſtis abſolvi poſſet, licet plus temporis deſideret, quoniam tutius procedit, quam ejuſdem per ptyaliſmum & vomitum inſtituta cura, in qua major vis corpori infertur: Adde quod ſi minus prudens fuerit Medicus aut æger, facile in vitæ periculum incidat æger.*

Articulo 216. *Quoniam vero ſemper obtineri non poteſt luis venereæ curatio per ſola ſudorifica, diuretica, & purgantia deorſum, idcirco recurrendum eſſe nonnunquam, imo ſæpius, ad ſalivationem, tum ſolam, tum aliis junctam.*

S 4 Ar.

(*a*) Corollar. I.
(*b*) Ex oratione Funebri Sylvii habita a Luca Schacti, D. M. & ad calcem Operum Sylvii adjecta.

Articulo 304. *Curationem luis venereæ per ſalivationem inſtitutam ceteris præferendam eſſe, utpote talem, quæ non facile ullum recidivæ metum poſt ſe relinquat, niſi in lue inveterata cum oſſium carie conjuncta.*

Articulo 257. *Experientiam, omniumque Practicorum conſenſum Colocynthidis pulpæ inter vulgaria, & Mercurialibus inter Chymica primas tribuere.* Et Articulo 259. *Eſſe proinde Colocynthida, & pleraque ex Mercurio præparata medicamenta .... lui venereæ curandæ, omnium Practicorum per experientiam doctorum calculo, convenientiſſima remedia.* Sed fallitur Sylvius: Infuſum enim pulpæ Colocynthidos, licet alvum moveat vehementer & draſtice, & ea ratione morbi ſævitiam ad tempus quadamtenus mitiget, attamen nihilo efficacius valet adverſus virus venereum, quippe quæ nec illud corrigere *alterando*, nec illud *purgando* exhaurire, nec proinde ullo modo in totum exterminare poſſit.

Articulo 329. *Non ſufficere feliciter ſucceſſiſſe Medico ſalivationem in ægris ſuis excitatam, quin videndum, ne unquam ſuccedat male, cum plus dedecoris accedat Medico ex uno eventu malo, quam honoris ex decem eventibus bonis.* Et Articulo 330. *Solere namque multos caſui vel naturæ adſcribere omnes in ægris eventus bonos; Medico vero & medicamentis quoſvis eventus malos.*

Proſtant ſimiles querimoniæ apud ipſum Hippocratem, in *Epiſtola ad Democritum*, ſeu potius apud Scriptorem illum, cui viſum eſt confingere Epiſtolas illas, quæ Hippocratis nomine circumferuntur. „ In arte medica, *inquiebat Ille*, quæ recte fiunt, plerumque „ hominum vulgus nec admodum laudat, ſæpe vero diis attribuit; at ſi in aliquo repu- „ gnans natura eum, qui curatur, interemerit, numen prætermittens Medicos incuſat. Et „ ego, *pergit Ille*, ſane plus reprehenſionis, quam honoris ex arte mihi conſecutus videor. „

Sed hæc nimia ſunt. Notæ Vulgi levitati, quod pauca ex veritate, ex opinione multa æſtimat, aliquid facile condonandum, tanto magis, quod ſi quando fortuita vitio & culpæ Medicis vertat, ſoleat quoque vice verſa fortuitos ſucceſſus honori & gloriæ eiſdem non raro vertere. Si qua foret igitur injuria cum Vulgo expoſtulanda, deberet hæc potiore jure expoſtulari, quod Medicorum & Circumforaneorum merita tam iniqua trutina plerumque penſet. Auctoritatem cauti providique Medici, quem plurimæ curationes prudenter & feliciter tractatæ commendant, imminuit aliquando vel unum infortunium, ſi quod fortuito obvenerit: Circulatorum vero famam, ne ſexcenta quidem infortunia inquinant ullomodo, quæ ſua ſibi concivere inconſiderantia, ſi vel uno fortuito ſucceſſu inſignes eſſe prædicentur. Videtur vulgus Circulatores, quos ipſum ſibi creat pro arbitrio & ut libido eſt, animo matris fovere; Medicos vero, quos a ratione & legibus acceptos habet, averſari novercæ animo, ut ad rem transferam, quod olim Æſopus fabulabatur de diverſo telluris affectu erga inutiles vel noxias herbas, quas ipſa ſponte parturit, herbaſque ſalubres & frugiferas, quas ſerit hortulani induſtria. Verum ea Vulgi ſtudia, quanquam iniqua, ſtomachum mihi minus movent quam miſerationem, quoties attendo, & attendo ſæpiſſime, nec unquam ſine mœrore, quam graves ſocordiæ, ſive mavis, ſtultitiæ ſuæ pœnas luat, & quantum ſibi *malum cacare* ſoleat, quoties Circulatores ſtolidius amplectitur, ac illis de ſe permittit imprudentius.

1673. * EVERARDUS MAYNWARING, Doctor Medicus, (*a*) natus anno 1630. Præter Opera alia non pauca, ſcripſit anglice Tractatum *de lue venerea*, qui *Londini* prodiit *anno* 1673,
1675. cum hac epigraphe:

> *The Hiſtory and Myſtery of the Veneral Lues, conciſely abſtracted and modelled (occaſionally) from ſerious ſtrict perpenſions, and critical collations of diverſ repugning ſentiments and contrary aſſertions of eminent Phyſicians, Engliſh, French, German, Dutch, Spaniſh, and Italian diſſenting VVriters, cenvincing by argument and Proof the traditional notions touching this grand Evil, and common reputed Practice gronded thereon, as erroneous aud unſound.* in 8°.

Liber ille, latine redditus, *Hamburgi & Francofurti* ad Mœnum excuſus fuit *anno* 1675 cum hac inſcriptione, quæ præcedentis interpretatio eſt:

> *Hiſtoria & Myſterium Luis Veneræ, utrumque conciſe abſtractum & formatum ex ſeriis perpenſionibus & criticis collationibus diverſarum repugnantium opinionum & contrariarum aſſertionum celebrium Medicorum, Anglorum, Gallorum, Germanorum, Batavorum, Hiſpanorum, Italorum, diſſentientium Scri-*

* Vocatur erronee *Eduardus* ab anonymo Interprete, qui illum latine reddidit.

(*a*) Ex Inſcriptione ejus Iconi addita, in qua anno 1668 dicitur natus annos 38.

Scriptorum: Convincens traditam hactenus doctrinam de grandi hoc malo, & communem Medicorum praxim illi ſuperſtructam, eſſe erroneam & non ſalutarem. in 8°.

Imo ſi fides adhibeatur Cornelio a Beughem, *Bibliographiæ Medicæ Claſse V.* in verbo *Maynvvaring*, Liber ille anglice ſcriptus in lucem publicam citius exiiſſet, quam dictum fuit, nempe *anno* 1660, non vero 1673; & *Oxoniæ*, non Londini; ſed hoc de viderint illi, in quorum manus prima illa MaynWaringii Editio inciderit.

Diſſerit MaynWaringius in propoſito Libro, *Capitibus* primis *undecim* de nomine, origine, propagatione, natura, ſymptomatis, ſede, contagione & therapeia luis venereæ, circa quæ antiquorum Auctorum non opiniones modo, ſed plerumque verba ipſamet ſigillatim refert.

Potiſſimum vero ſingularem illius diligentiam mirari ſubit in recenſendis methodis curatoriis, quæ apud diverſas Europæ nationes uſu receptæ erant ſuo tempore.

1°. Apud Italos, *Cap.* 12. quam exſcribit a Sebaſtiano Aquilano, Gaſpare Torrella, & Antonio Muſa Braſſavolo.

2°. Apud Germanos, *Cap.* 13. quam mutatur ab Ulrico de Hutten & Johanne Benedicto.

3°. Apud Hiſpanos, *Cap.* 14. in quo duces ſequitur Johannem Almenar, Aloyſium Loberam, & potiſſimum Ludovicum Mercatum.

4°. Apud Gallos, *Cap.* 15, quam excerpit a Guillelmo Rondeletio, Monſpeſſulano Occitano, & Joſepho Quercetano, Armeniaco, hoc eſt, *d'Armagnac* in Aquitania tertia, quem Auctor iſte Geographiæ parum gnarus credit Armenum origine, ſed quem tamen dicit in Galliis vitam duxiſſe & inter Regios Medicos locum habuiſſe.

5°. Demum apud Batavos, *Cap.* 16, qualis proſtat apud Petrum Foreſtum.

Ceterum Auctor curatoriis illis methodis nec hilum quidem de ſuo addit, ſed in Operis calce Lectores tantum monet in genere, ne remediis remediorumve formulis, quæ ex variis illis Scriptoribus verbis iiſdem exſcripta ſunt, imprudentius confidant, cum inter illa medicamina non pauca ſint inania, fallacia & inefficacia, imo vero nonnulla periculi plena: qua de re vere quidem & recte monet, ſed eum tamen ab omni culpa ideo vacare non puto. Præſtitiſſet enim remedia hæc dubia, incerta, periculoſa corrigere, ſupprimere, vel obelo ſaltem notare, præſertim in Libro lingua vernacula ſcripto, quam in negotio tanti momenti Lectoribus plerumque imperitis judicium de illis permittere.

NICOLAUS DE BLEGNY, Pariſinus, vir ſine literis, ſed non ſine ingenio, verſutus, vafer, ad audendum projectus, initio Herniarius Chirurgus & ſubligaculorum artifex; deinde anno 1678. Reginæ Chirurgus ordinarius; & anno 1683. Chirurgus ordinarius Sereniſſimi Principis Philippi, Ducis Aurelianenſis. Sed tunc majora meditatus a Medica Facultate Cadomenſi Doctoratus inſignia (*a*) impetravit, anno circiter 1685, incertum quibus artibus, ſane non bonis, quam in rem viderint tandem aliquando Facultates Medicæ num ſuæ ſatis conſulant famæ, artiſque dignitati, quoties literarios honores cum nebulonibus iſtiuſmodi præter æquum & bonum communicant? *1673.*

Abhinc titulis auctus nomen ſibi aſſumebat anno 1687. Medici ordinarii Regis ac Sereniſſimi Aurelianenſis Ducis, & Directoris Academiæ cujuſdam, quam ipſe nullo jure, Regiſve conceſſu Lutetiæ Pariſiorum conſtituerat, & quam arroganter appellabat Academiam recens exploratorum in re medica, *l'Académie des nouvelles découvertes en Médicine;* Demum anno 1693. placuit ipſi ſe vocare Regis, ac Ducis Aurelianenſis Fratris Regis Medicum, Equitem Commendatorem ac Adminiſtratorem Generalem Ordinis Hoſpitalis Sancti Spiritus Monſpeſſulani, ut liquet ex fronte *Tentaminis cujuſdam Hiſtoriæ Generalis Ordinum Militarium Religioſorum*, quod Lutetiæ edidit gallice anno 1693, ſed cum ſuis titulis nominibuſque, ſive legitimis, ſive fictis magnus ſemper ardelio & veterator egregie impudens.

In carcerem conjectus fuit anno 1693. die 4. Junii reus non uno nomine. Arguebatur enim de religione male ſentire, ac opiniones erroneas in vulgus ſpargere: Noſocomium ſuo jure, nec impetrata prius a Rege licentia, inſtituiſſe, quod privato non licet: Equitis nomen ſibi arrogare ſine titulo & ſine genere: Maxime vero velle ſe antiquum (*b*) Sancti Spiritus Monſpeſſulani Ordinem inſtaurare & regere ſuo arbitratu, contra quam Regia Auctoritate ſancitum fuerat. Dicitur aliquanto poſt e carcere traductus eſſe Pictavium, unde clam aufugit Avenionem, ubi medicinam fecit non ſine nomine, & ubi vitam varie jactatam cum morte commutavit, ſed quo anno nondum teneo.

Ediderat

(*a*) Dionis, *Cours d'Operations de Chirurgie*, Demonſtration IV.

(*b*) Vide de illo Ordine *l'Hiſtoire des Ordres Monaſtiques, Religieux & Militaires, par le R. Helyot, Tome II. Chapp.* 30. & 31.

Ediderat gallice Lutetiæ Pariſiorum anno 1673 Tractatum de Morbis Venereis, cui titulus eſt.

L'Art de guérir les Maladies Vénériennes, expliqué par les principes de la Nature, & des Méchaniques. Paris, *in* 12. *Vol.* III. MDCLXXIII. ſed cujus proſtant Editiones aliæ plures, poſteriores & auctiores.

Ibi reperire eſt congeſta cumulataque, quæcunque Blegnyus ex variis Auctoribus, qui gallice ſcripſerant, corradere potuit, aut ex Diſceptationibus Medico-Phyſicis compilare, quæ in ædibus Abbatis Bourdelotii ſtato ſeptimanæ cujuſvis die tunc haberi ſolebant; ſed quæ pro Auctoris modulo digeruntur & explicantur.

Quatuor ſunt Tractatus hujuſce Partes, in quarum *Prima* agitur, *Capitibus undecim*, de natura, origine, cauſa, differentiis, diagnoſi, prognoſi & therapeia luis venereæ in genere: *In Altera*, *Capitibus tredecim*, de therapeia ſingulorum affectuum venereorum, ut cariei pudendi, phimoſeos, paraphimoſeos, veſiculæ cryſtallinæ, tumoris teſtium, bubonis, gonorrhœæ, carunculæ in urethra: *In Tertia Capitibus totidem*, de methodo medendi lui venereæ ſine Mercurio, uſu ſolo diaphoreticorum & diureticorum, qualia Guaiaco, Saſſafras, radicibuſque Chinæ & Salſæ-parillæ ſuppeditantur; Denique *in Quarta*, *Capitibus ſeptem*, de natura hydrargyri, methodoque debellandæ luis venereæ adhibitis illitionibus mercurialibus.

I. Cenſet (*a*) Auctor ille, ſi tamen ejus opinio aliquo loco numerari debeat, luem veneream antiquitus notam fuiſſe, quod probare conatur, tum adductis ſed potius laudatis locis aliquot ex Hippocrate, Tacito, Suetonio, imo & ex Deuteronomio, quæ ab illo ne ſatis quidem intellecta ſunt, & quæ alibi jam explicavimus: tum maxime hiſtoria, ſeu potius fabella, quam narrat de juvencula quadam, quæ ſana, ſeu a ſex viris, qui & ipſi ſani erant, ſæpius intra pauciſſimos dies compreſſa luem ſponte contraxit, ex putredine, ut credit ille, ſeminum, quæ aliena & intra uterum copioſius admiſſa fuerant. Quaſi vero ſcortillo, aut ſex Ganeonibus, quorum mentiri proprium eſt, fides adhibenda foret, ſe prius ab omni venerea labe immunes fuiſſe aſſeverantibus.

II. Uſum (*b*) decocti ſudorifici ex lignis Guaiaci & Saſſafras, radicibuſque Chinæ & Salſæ-parillæ, uſui mercurialium inunctionum, ſi non præfert, ſaltem æquiparat, in quo ab opinione temere diſſentire videtur, quæ jam ſua ætate vulgaris & pervagata erat, & quæ Mercurio primas deferebat in curanda lue venerea confirmata.

1673. CLAUDIUS REYNAUD, Lugdunenſis,

Quæſtiones quatuor Cardinales pro ſuprema Apollinari laurea conſequenda, propoſita a. . . . . . . Michaele Chicoyneau . . . . . *Cancellario, & a* Ludovico de Soliniac, *Decano Facultatis, ... quarum veritatem tueri conabitur* Claudius Reynaud, *Lugdunenſis, jam dudum Medicinæ Licentiatus, per triduum integrum mane & ſero, diebus ſcilicet* 16. 17. & 18. *menſis Martii anni* 1673 . . . . *In auguſtiſſimo Monſpelienſis Apollinis fano.* Monſpelii, *apud Danielem Pech.* 1673. *in* 4°.

Hæc eſt autem *Quæſtio tertia Cardinalis*:

An ſolis ſudorificis curari poſſit lues venerea?

quam Licentiatus negative ſolvit.

1673. IRENÆUS VEHR, (*c*) Profeſſor Medicinæ in Academia Francofurtana ad Viadrum.

JOHANNES PETRUS ALBRECHT, Hildesheimenſis, in Academiam Curioſorum Germaniæ adſcitus anno 1681, nomine *Caſtoris II.*

Diſputationem Medicam Inauguralem De Lue Venerea . . . . *Præſide* Irenæo Vehr . . . . *diſquiſitioni ſubjicit* Johannes Petrus Albrecht, Hildenſis, *ad diem . . . Julii, anno* 1673. Francofurti ad Viadrum, *literis Chriſtophori Zeitleri.* in 4.

1673. JOHANNES DANIEL MAJOR, (*d*) Wratislavienſis, natus anno 1634, Doctoris gradum adeptus eſt Patavii anno 1661: Redux in Germaniam Academiæ Cæſareæ Naturæ Curioſorum aggregatus eſt anno 1664. Deinde anno 1665. Publicus Medicinæ Profeſſor in Academia Kilonienſi, tunc temporis inſtituta a Chriſtiano Alberto, Duce Slesvigæ & Holſatiæ; anno 1669. Archiatros fuit Auguſti Friderici, electi Epiſcopi Lubecenſis. Obiit anno 1693.

JOHANNES NICOLAUS SCHIPPEL, Smalcaldenſis.

Diſpu-

(*a*) Part. I. Chap. 2.
(*b*) Part. III. & IV.
(*c*) Johannes Jacobus Bayerus, in *Vita Johannis Mauritii Hoffmanni*.
(*d*) *Memoria Majoriana*, in Ephem. German. *Decad.* III. *Ann.* & VI.

Diſputatio Medica Inauguralis, quam de uſu & abuſu Mercurii in lue venerea, *die XVI menſis Septembris . . . . . . Præſide* Johanne Daniele Majore . . . . . *pro Licentia conſequendi ſummos in Medicina honores defendendam ſuſcipiet* Johannes Nicolaus Schippel, *Smalcaldenſis*. Kiliæ, *Literis Joachimi Reumanni, Acad. Typographi*, MDCLXXIII.

Diſtinguitur hæc Diatriba in Capita octo.

In *I.* & *II.* accuratiſſime deſcribitur lues venerea, enumeratis fere ad unum affectibus omnibus, qui a ſeminio venereo orti tum molliores, tum offeas corporis partes male afficiunt.

In *III.* inquiritur in varia mineralium genera, quæ Mercurium arte ſubminiſtrant, qualia ſunt Cinnabaris nativa, nativum Minium &c.

In *IV.* proponuntur modi varii componendi *Unguenta*, *Emplaſtra*, *Cingula*, *Zonas*, *Armillas*, *Suffumigia*, *Lavoratoria*, &c. mercurialia, quibus ſalivatio promoveatur *externo uſu Mercurii*.

In *V.* explicantur manipulationes, quas in Mercurio requiri putant aliqui, ut ad Unguenta adhibeatur, nempe ut *coletur per pellem arietinam*, ut *coquatur deinde cum aceto & herbis nervinis, ſalvia, rore-marino, hyſſopo, &c. ut iterum per pellem arietinam exprimatur*; ſed quarum ſola eſt trajectio per pellem arietinam, quam Auctor non vituperat.

In *VI.* quæſtio eſt *quibus, quando, quoties, & quo ordine conveniat inunctiones aut ſuffitus mercuriales adhibere*, circa quæ hæc ſunt potiſſima Auctoris axiomata,

1°. „ Hæmoptoicos item ac Peripneumonicos ſuffitus interdicendos eſſe, quos inde perituros Falloppius non fruſtra ſtatuit, *De Morbo Gallico, Cap. 69.*

2°. Mercurialium uſum non permittendum, niſi „ quo tempore morbi omnia vehementiſſima ſunt & pene deſperata; nec uſu ligni Guaiaci vel Sancti, Saſſafras, Radicis „ Chinæ, Sarſæ-parillæ, aut ſimilibus, aliquid laude dignum potuerit effici.

3°. „ Tum demum ad mercuriales ſuffitus & tanquam extremum remedium, quo plurimos ſanatos fuiſſe conſtat experientia, deveniendum, ni vires nimium ſint proſtratæ. „ . . . . *In aliis occaſionibus*, (inquit Falloppius) *fugite hæc ut Diabolus crucem*.

4°. „ Communiter ab audaculis inunctionem ultra ſextum, nonum, duodecimum, imo „ decimum quintum dies extendi, quem tamen Empirici non tranſcendunt.

5°. „ Sed intervalla biduana aut triduana ægrotis concedi merito (præſertim debilioribus,) ut interim diæta ſiccante, attenuante, aut quavis ſibi congrua &c. utantur; „ . . . . . atque ratione intervalli jam dicti totum hydrargyroſeos ambitum in tres (ternorum ſemper dierum) inunctiones dirimi.

6°. „ Ægrotos ad hydrargyroſim præparandos eſſe iteratis & blandis purgationibus, „ aliquando phlebotomia & decocto Guaiaci: „ Omiſſa ab Auctore balneatione, quæ tamen primas merito tenet in illo negotio.

7°. „ Ægrum articulos, pedem, genua, carpos, humeros, ſpinam &c. ungendum bene „ fricando; in lecto componendum; vino ſambucino, aqua aut ſpiritu theriacali, vel „ eſſentia aliqua C. C. aut ſimili ſudorifero aliquo refocillandum eſſe, ut ita bene cooperius ſudet per bihorium.

8°. Suffumigiorum mercurialium adminiſtrationem multis ab Auctore deſcribi, neque, mea quidem ſententia, ſatis aſpere improbari.

9°. Operæ pretium Auctori videri, ut „ patiens, ne mora Mercurio concedatur in cor„ pore juſto diuturnior, partim nummum aureum in os, vel globulum ſimilem inſuper „ in nares recipiat, ut erumpens ex ductibus ſalivalibus Mercurius, vi ſympathias, ar„ genteus (*ſic*) reddatur; partim pulverem cordialem auri foliati mixtura ditatum ab„ ſorbeat, ut etiam in inteſtinis ſe idem minerale auro aſſociet; „ Quæ cautelæ, utcunque ab aliis non paucis commendentur, plane fruſtraneæ ſunt.

In *VII.* in quo *de abuſu & mora dictorum medicamentorum mercurialium*, exponuntur *ægritudines, quæ inunctioni, ſuffitui, & ſalivationi mercuriali implicantur*, hoc eſt, ſuperveniunt; quibus nimium multo exaggeratis Auctor concludit „ paucos evadere qui ex „ cura mercuriali non aliquid mali contrahant, niſi valde robuſti, adhibitoque perito „ Medico, cujus peritia ſi unquam, in his caſibus in primis principatum obtinet. „ Sed „ niſi hydrargyroſis præpoſtere, temere, inconſulte adhibita ſit, tot tantaque mala a „ Mercurio nunquam produci pro comperto habeo.

Demum in *VIII.* in quo *de adductarum* a Mercurio *ægritudinum medelis* agitur, nihil proſtat præter vulgaria nullibi non obvia. In id vero præcipue incumbit Auctor, ut „ par„ ticulæ

„ ticulæ Mercurii, poſt inunctionem, ſuffitumve in corpore ægri ſuperſtites, omni ſtudio „ abigantur, quod *credit fieri* tripliciter, vel *expellendo* per Diaphoretica, aut Sudorifica, aut „ Diuretica; vel *divertendo* ope medicaminum ex Sole & Luna, tanquam metallis Mer„ curio imprimis familiaribus; vel magnetice *provocando* ſuffitu decocti granorum Juni„ peri, & detentione nummi vel annuli aurei in ore, vel globuli ſimilis in nare.

Ceterum non poſſum quin merito probem, quod ab Auctore profertur de oſſis carie, nempe (*a*) „ ſi aliqua ſuſpicio ſit oſſis carioſi *ex Lue Venerea*, illud non ita linquendum, „ ſed eximendum prius eſſe. Alias enim, *inquit Ille*, fermentativum aut corroſivum luis „ ſeminium, quantillum etiam id ſit in carie aut ulcere relictum, aliiſque corpuſculis „ involutum, niſi ſtatim emergat, indomabiles pene agit cuniculos, & poſt aliquod tem„ pus in morbum eundem iterum vel pejus matureſcit.

At vero nollem ſimul Diſſertationis Auctorem tantopere confidiſſe Sudoriferis & Diaphoreticis, qualia ſunt Guaiaci decocta, quæ præparationis, inunctionis, ſalivationis, convalecentiæ tempore uſque laudat, quaſi certiſſima alexiteria, cum e contrario compertum ſit experientia inde Mercurii ferociam intendi, & energiam anomalam fieri, humorum acrimoniam augeri, partium tendinearum erethiſmos induci, phlogoſes & ulcera multiplicari, omnia in pejus ruere, &c; quæ ſingula vel nunquam, vel levius accidunt, quoties ex artis legibus præmiſſus eſt commodus diluentium, humefacientium, refrigerantium uſus.

1673. Johannes Casparus Sparr, Philiatros.

Diſſertationes duæ Medicæ de Lue Venerea. Authore Johanne Caſparo Sparr, Philiatro, Argentorati, *apud J. F. Spoor & R. Vvachter.* Anno MDCLXXIII. in 4°.

Diſsertatio I. *De natura, cauſis, parte affecta, ac differentiis luis venereæ* agit: II. vero, quæ in Procemio dicitur *Inauguralis*, ſeu pro Laurea doctorali impetranda, *De ſignis & curatione.*

1673. L. . . . . . S. . . . . . . Doctor Medicus, natione Anglus.

Προφυλακτικόν *or ſome Conſiderations of a notable expedient to root out the French Pox from the English Nation. Vith excellent defenſive Remedies to preſerve Mankind from the Infection of Pocky Vvomen. Alſo an advertiſement, vvherein is diſcovered the dangerous Practices of ignorant Pretenders to the Cure of this Diſeaſe.* By L. . . . S. . . . . Doctor of Phyſick. *London*, 1673. non expreſſo Tipograghi nomine, *in* 12.

Hoc eſt, Προφυλακτικόν, *ſive Cogitata de ratione egregia exſtirpandi* Morbum Gallicum *in natione Anglica. Additur præſentiſſimum remedium defenſivum* (Antidotum) *ad tuendum genus humanum a contagione mulierum lue venerea infectarum: Necnon Monitum, in quo declaratur periculoſa praxis imperitorum, qui audent hanc ægritudinem curandam ſuſcipere. Auctore* L. . . . . S. . . . . *Doctore Medico.* Londini, 1673. in 12.

1674. Irenæus Vehr, de quo *ſupra* ad annum 1673.

De Gonorrhœa, Francofurti ad Viadrum, 1674. *in* 4°.

1674. Gysbertus Van Tol, Batavus.

Diſputatio Medica Inauguralis De gonorrhœa virulenta, *quam* . . . . . . *ſubjicit* Gysbertus van Tol, Batavus, *die* 21. *Maii.* Lugduni Batavorum, *apud viduam & hæredes Johannis Elſevirii*, MDCLXXIV. in 4°.

1674. Ludovicus von Hammen, Gedanenſis, Doctoris gradum aſſecutus eſt in Facultate Monſpeſſulana anno 1674, orbi literario innotuit Diſſertatione Academica *de Herniis*, typis excuſa Lugduni Batavorum 1681. *in* 12. in cujus fronte ſe ipſe vocat *Regis Poloniarum*, nempe Johannis Sobieski, *Conſiliarium Medicum.*

Edidit *Curriculum Medicum Monſpelienſe, accademicis exercitationibus pro Doctoratus gradu obtinendo publice inſtitutum.* Monſpelii, *apud Danielem Pech.* 1674. in 4°.

In quo exſtat

Quæſtio Medica, pro tertio examine per intentionem dicto propoſita ab Amato Durranc . . . . . *ſub hac verborum ſerie:*

An in lue venerea Hydrargyrum Guaiaco præferendum?

Concluſio affirmans eſt.

Anony-

(*a*) Cap. VI.

ANONYMUS latine vertit Tractatum ab Everardo MaynWaring anglice ſcriptum de Lue venerea, ac verſionem ſuam Hamburgi edidit, atque Francofurti, ut *ſupra* dictum eſt *Pag. 959.* 1675.

Hiſtoria & Myſterium luis venereæ, utrumque conciſe abſtractum & formatum ex ſeriis perpenſionibus & criticis collationibus diverſarum repugnantium opinionum, & contrariarum aſſertionum celebrium Medicorum, Anglorum, Gallorum, Hiſpanorum, Italorum, diſſentientium Scriptorum: Convincens traditam hactenus doctrinam de grandi hoc malo, & communem Medicorum praxim illi ſuperſtructam, eſſe erroneam & non ſalutarem: Solvens præterea Quæſtiones de abtruſa natura, difficili & deceptibili curatione hujus morbi, cum animadverſionibus ſuper diverſas methodos prædictis nationibus in uſu. Hamburgi & Francofurti, 1675. in 8°.

RICHARDUS WISEMAN, Anglus, Chirurgus Regius, ſcripſit anglice Tractatus octo Chirurgicos, nempe de tumoribus, de ulceribus, de affectibus ani, de ſtrumis, de vulneribus, de vulneribus ab ictu ſclopetorum, de fracturis ac luxationibus, ac demum de lue venerea, quos edendos curavit *in fol.* Londini, anno 1676, cum inſcriptione ſequente. 1676.

Several Chirurgical Treatiſes, By Richard Wiſeman, *Serjeant Chirurgeon.* London, 1676. *in* fol.

Hoc eſt, *Tractatus varii Chirurgici. Auctore* Richardo Wiſeman, *Chirurgo Regio.* Londini, 1676. *in* fol.

Horum Tractatuum poſtremus, in quo agitur *de Lue venerea*, Capita VI. complectitur: I. De natura & contagione luis venereæ. II. De remediis, quæ vulgo adhibentur ad ejus curationem. III. De remediis, quæ adverſus hunc morbum ſpecifice valere creduntur. IV. De cura ſymptomatum luis venereæ. V. De gonorrhœa. VI. Denique de infortuniis, quæ gonorrhœæ ſolent ſuccedere.

Nihil quidem occurrit in ea Diſſertatione, quod in præcedentium Scriptorum Libris obvium non ſit: At vero haud negandum eſt ſingula ordinate diſtribui, & paucis ſed enucleate exponi.

I. Silet (*a*) Auctor de morbi origine; ſed varias recenſet contagionis vias, quibus contrahi ſolet, inter quas vix ac ne vix quidem admittit uſum earumdem veſtium aut eorumdem lecti linteorum.

II. Ad curationem præmiſſa purgatione, (*b*) jubet adhiberi ſalivationem, quæ interno Mercurialium uſu, ſi morbus levis ſit & recens: quæ externo unguenti mercurialis illitu procuretur, ſi morbus gravis fuerit aut inveteratus. Poſt ſalivationem cenſet utiles eſſe ſudationes ad exhauriendas morbi reliquias.

III. Annumerat (*c*) inter remedia ad curandam luem veneream uſu recepta Mercurium ſublimatum corroſivum, diſſolutum in aqua fontana & ore exhibitum, cujus doſi congrua ait cieri tum vomitionem, tum ſalivationem; additque id remedii genus a Practicis quibuſdam multum commendari, ac deinde concludit frigidiſſime ſe tamen illo nunquam uſum eſſe; in quo certe officio defuit ſuo, quod perniciosum hunc uſum nulla graviore nota inuſſerit, quem tamen debuiſſet apertiſſime improbare ceu lethiferum.

IV. In explicanda therapeia variorum ſymptomatum, quæ a lue venerea inducuntur, (*d*) affert Hiſtorias 69. ægrotantium a ſe curatorum, qui diverſis morbis venereis afficiebantur.

V. Nec diſpari (*e*) methodo, propoſita breviter gonorrhœæ ætiologia, ut ſua ferebant tempora, ad explicandam ejuſdem therapeiam profert Hiſtorias 12. diverſarum gonorrhœarum, quas a ſe curatas dicit.

VI. Demum (*f*) inter infortunia, quæ ſolent gonorrhœæ ſuccedere, quæſtio eſt de urethræ carunculis, ac data occaſione referuntur Hiſtoriæ 16. infirmorum, qui ex ea morbi ſpecie ægrotabant.

BERNARDINUS CHRISTINUS a Juvellina Cyrnæus, hoc eſt, natus in oppido quodam Inſulæ Corſicæ, (*g*) ,, Juvellina *vocato*, in Monſpellienſi Civitate moratus eſt ,, per ſex annos inſimul cum alio fratre ſuo ſub diſciplina Lazari Riverii publici illius ,, temporis in illa celeberrima Univerſitate Profeſſoris, a quo non tantum lectiones me- ,, dicas 1676.

(*a*) Cap. 1. (*b*) Cap. 2. & 3.
(*c*) Cap. 2. (*d*) Cap. 4.
(*e*) Cap. 5. (*f*) Cap. 6.
(*g*) Ipſe Chriſtianus in *Præfatione Operis*, de quo mox.

„ dicas audivit, verum etiam quod ad praxim ſpectat, apprehendit: „ Quæ forte vera ſunt; ſed deinde, dum conatur aſſerere Arcanorum illorum γνησιότητα, quæ nomine Lazari Riverii in lucem emiſit, tam multa aggerit falſa de Profeſſore illo, & illius in Italiam peregrinationibus, ut mendacii manifeſtus fiat. At hæc non ſunt hujus loci, ut qui jam non quæramus ſintne genuina Arcana illa, quæ nomine Riverii a Chriſtiano vulgata ſunt.

Amplexus eſt Auctor religioſam diſciplinam *Minorum Obſervantium Sancti Franciſci*, ut ipſe profitetur in fronte Librorum, quod edidit, quod quidem recte; ſed quod minus recte, addit *ibidem* ſe *utriuſque Medicinæ* (Galenicæ, ut opinor, & Spargyricæ) *Doctorem* eſſe, & *privilegio Senatus Civem Venetum*, qui tituli ſatiſne conveniant cum religioſa modeſtia viderint alii.

Narrat Chriſtinus „ ſe in ſæculo perſæpe nominatum fuiſſe, licet ficte, nomine *Co-* „ *lumbani*, ſed proprium ſuum cognomen eſſe *Chryſtinum*, ſed hanc nominis permutatio- „ nem eveniſſe aliquarum inimiciarum cauſa, „ quas in Corſica nimium communes eſſe palam eſt.

Edidit Chriſtinus Librum cum iſcriptione ſequente:

Arcana Lazari Riverii, Conſiliarii & Medici Regis Chriſtianiſſimi, atque in Monſpelienſi Univerſitate Medicinæ Profeſſoris, & Doctorum Monſpelienſium Decani, nuſquam in lucem edita: Cum Inſtitutionibus medicis, & Regulis, Conſultationibus & Obſervationibus.

Quibus acceſſerunt *Centuriæ quinque Curationum morborum: Tractatus de Lue ſeu* Morbo venereo: *De Febri peſtilentiali, cum brevi Romæ contagii narratione; Et Aſtrologicus ad medicinam pertinens.* Venetiis. *Typis Bartholomæi Tramontini.* MDCLXXVI. in 4°.

Ceteros Tractatus mittimus, ut qui ab argumento alieni ſint: Sed pauca juvat annotare de Tractatu illo, qui inſcribitur, *De Lue ſeu morbo venereo brevis inſtitutio, cum aliquibus medicamentorum receptis & exemplis*, & qui paginis *tredecim* abſolvitur.

Refert in illo Chriſtinus 1°. „ Multos Aſtrologos . . . . . arbitrari dictum morbum „ fuiſſe epidemialem, ab Aſtrorum peſſimis ortum influxibus; „ de quibus narrat eadem, quæ *ſupra* vidimus *Pag. 67.* a Petro Maynardo olim narrari *Tractatu de Morbo Gallico, Cap. 3.*

2°. „ Alios aſſerere hunc morbum fuiſſe familiarem Indiarum incolis, & quod Hiſpa- „ ni ab illa regione in Italiam geſſerint: Inde cum in ſupradicto bello Neapolitano va- „ riis fœminis uſi fuerint, illas omnes affeciſſe, quæ poſtea cum Gallis conjunctæ ipſis „ communicaverint; & hinc *Morbus Gallicus fuit* dictus in Italia, in Hiſpania vero *Mor-* „ *bus Neapolitanus.*

3°. „ Nullum Auctorem ante annum 1483, (*imo ante annum* 1495.) de hoc morbo „ mentionem facere, ex quo apparet quod eo tempore in Italia innotuerit.

4°. „ Hujus morbi generationem, ſi optime perpendatur, peradmodum dubiam eſſe: „ nam ſi ab aſtrorum influxibus fuerit ortus, ut eſt opinio Aſtrologorum, cur non eſt „ univerſalis, ſed tantum in iis, qui ad venereum uſum ſunt proni? Quod argumentum „ graviſſimum eſt & firmiſſimum. „ Si ab India in Italiam latus, cur in variis regionibus eodem anno fuit patefactus, in quibus nemo affectus pervenerat? „ Quod argumen- „ tum vanum eſt, cum falſo nitatur principio, ſcilicet ſine contagione aliquem morbo in- „ fectum fuiſſe. Colligit tamen Auctor hinc patere, quod ſemina varia in utero colle- „ cta, quæ poſtea putreſiunt, inficiant corpus „ & morbum inducant.

5°. „ Sibi quidem objicit, quod ante annum 1483. in omnibus regionibus adeſſent „ meretrices, & quod fierent mixtiones, & putrefactiones ſeminum; adhuc tamen Aucto- „ res antiquos de hoc morbo mentionem non facere. „ *Sed reſpondet.* „ ſi tunc temporis „ non aderat, oportere dicere quod aſpectus aſtrorum peſſimi diſpoſuerint corpora ad „ recipiendum hunc morbum, ad quem recipiendum antea forſan haud erant apta. „ Nugæ! Det enim nobis, & erit magnus Apollo, cur morbus, cum apparuit, univerſalis non fuerit, ut ipſe modo in Aſtrologos opponebat egregie. *Aderant* enim (ut ipſe ait) *meretrices ubique, & peſſimi aſtrorum aſpectus debebant ubique diſponere corpora ad recipiendum hunc morbum.*

6°. Statuit „ circa curam quatuor convenire intentiones, quarum *prima* eſt victus ra- „ tio; *ſecunda* eſt lenitio ventris & præparatio humorum & malæ qualitatis eorum re- „ motio; *tertia* eſt evacuatio; quarta eſt ſymptomatum correctio.

7°. Laudat

7°. Laudat Decocta ex ligno ſancto, ejus cortice, Salſa-parilla, Saſſafras, China &c. quibus quaſi ſuccedanea putat ſubſtitui poſſe, quamquam virtute debiliora, „ Salſam noſtratem, vocatam *ſmilacem aſperam*, radicem arundinis noſtratis vice Chinæ, lignum lentiſcum, lignum viſci quercini, lignum buxi, juniperi.

8°. Proponit inter præparata mercurialia interne ſumenda „ Præcipitatum vomitivum & catharticum S. Cloſſii, Præcipitatum ſolare regulinum Schroderi, Herculem Bovli; Aurum vitæ S.Cloſſii, Arcanum Corallinum Paracelſi correctum, Mercurium ſolarem Schroderi &c. „ quæ omnia proſtant deſcripta in Pharmacopœa Johannis Schroderi, quam Chriſtinus ipſe laudat, ſed quæ omnia mochlica ſunt & laborioſa, imo & deleteria.

9°. Contendit „ omnes præparationes antimoniales operari, dummodo ſint correctæ, in morbis venereis mirum in modum „ quas tamen conſtat in curandis morbis iſtiuſmodi ex ſe nullius efficaciæ eſſe.

10°. Confitetur multos horum morborum abſque Mercurio divelli nequire, & Antiquiores nullum remedium efficacius inveniſſe, quam ſuffumigia cinnabaris, & unctiones mercuriales, ac cerata cum eodem Mercurio mixta: *Additque* ſe multos cognoviſſe in Gallia, Neapoli, Romæ, ac Venetiis, qui nihil aliud habent in uſu, & cum in hoc habeant praxim præcipuam, infinitos ab hoc morbo curant, quamvis hæc medicina ſit patientis martyrium: ..... Se quoque multoties uſum eſſe ceratis & unctionibus cum utilitate in morbis pertinaciſſimis, ſed ſuffumigia cinnabaris nunquam in uſu habuiſſe.

11°. Unguentum mercuriale, quod proponit ad inunctiones, componitur ex multiplici & incondita illa remediorum farragine, quam primis morbi temporibus adhibitam fuiſſe vidimus, quam a prudentioribus Medicis ſæculi XVI. repudiatam eſſe diximus, quam proinde mirum eſt probari a Medico, qui ſcripſerit anno 1676.

12°. Demum exſtant ad Diſſertationis calcem Obſervationes quinqne, in quibus nihil occurrit, quod annotetur, præter id unum, quod in prima legitur, nempe Scholaſticos duodecim nocte eadem, cum eadem meretrice, Romæ omnes rem habuiſſe: Ex his novem ab omni morbo penitus vacuos fuiſſe: Tres tantum infectos fuiſſe, ſed infectos diverſimode: Unum gonorrhœa virulenta, alterum tumore penis cum bubone gemino, tertium doloribus articularibus in toto corpore, cum tumore maligno naſi, laboraviſſe.

Sed verborum jam ſatis. Ut concludam non poſſum quin affirmem & in hac Diſſertatione, & in ceteris libris (*a*) *nihil eſſe profecto* Chriſtino ignarius, *neque ſtultius*, *neque ſtolidius*, *neque mendaciloquius*, ... *neque confidentiloquius*.

GEALTERES HARRIS, Medicus Anglus, de quo inferius ad annum 1705, anglicum fecit Tractatum, quem Nicolaus de Blegny gallice ſcripſerat de lue venerea, ac Londini vulgavit cum hac Inſcriptione: 1676.

Mevv and curious Obſervations on the Art of curing the venereal Diſeaſe, and the Accidents that is produced in all its degrees, explicated by natural and medicinal Principles, vvith the motions, anctions and effects of Mercury, andiſt other Remedies. Vvherein are diſcovered on the ſame ſubject the errors of ſome Authors, and the notorious cheats of Emplricks. London 1676. in 8°.

Hoc eſt, *Novæ & curioſæ Obſervationes de arte medendi lui venereæ, & ſymptomatibus quæ infert, explicatæ ex Naturæ & Medicinæ principiis, cum energia, virtute & effectis tum Mercurii, tum ceterorum morbi ejuſdem remediorum. In quibus deteguntur errores quorumdam Auctorum de eodem argumento, & manifeſtæ Empiricorum impoſturæ & deceptiones*. Londini, 1676. *in* 8.

ANONYMUS Tractatus duos Leonardi Botalli, alterum *de Lue Venerea*, alterum *de Vulneribus Sclopetorum*, germanice interpretatus eſt, ac edendos curavit, cum Inſcriptione ſequente: 1676.

L. Bottalli zvvey Chirurgiſche Bucher, das eſte vonder Franzoſen Kranckheit und ihrer cur, das andere von den Schuſſ-vvnden. Nurberg, 1676. in 8°.

Id eſt, *L. Botalli Libri Chirurgici duo; I. de morbo Gallico, ejuſdemque curatione: II. de Vulneribus Sclopetorum*: Noribergæ, 1676. in 8°.

..... GUIDE, Doctor Medicus, gallice ſcripſit Epiſtolam ad Petrum Michon, dictum *Bourdelot*, de quo ſupra *ad annum* 1639, *de Lue Venerea*, quam publici juris fecit cum hac Inſcriptione: 1676.

Trai-

(*a*) Acta Facultatis Monſpeſſulanæ.

Traité de la nature du Mal Vénérien, tiré de pluſieurs experiences Phyſiques & des Mechaniques. Par le Sr. Guide, *Docteur en Médecine.* Paris, *chez Olivier de Varennes.* MDCLXXVI. in 8°.

1677. Antonius Menjotius, Pariſinus, Doctoratus gradum conſecutus eſt in Facultate Monſpeſſulana anno (*a*) *1936*, ac deinde medicinam Lutetiæ fecit, ubi mortem oppetiit (*b*) ante annum *1697*, octogenario major.

Scripſit *Diſſertationes Pathologicas* plurimas, quarum pleræque ſeorſum & diverſis annis primum prodiere, ſed quæ una ſimul collectæ & in quatuor partes diſtributæ Lutetiæ Pariſiorum editæ ſunt *in* 4°.

Proſtat ibi in *Parte ultima*, quæ typis excuſa fuit anno *1677*. *Diſsertatio de Lue Venerea paginis* 40. comprehenſa, in qua Auctor probat I. Luem illam antiquitus ignotam *apud Europæos duo ſæcula nondum impleviſſe, ſed vertente anno Epochæ Chriſtianæ* 1495. *Oris Auſoniis primum incubuiſſe.*

II. *In Indiis Occidentalibus vernaculam eſſe, . . . & ab Hiſpanis una cum expilatis Americanorum opibus convectam eſſe.*

III. In tres gradus diſtinguendam eſſe pro intenſione: *Primum*, in quo *eroſis capillorum radiculis* glabrities inducitur: *Alterum*, in quo cutem exaſperant *puſtulæ parvulæ, rubicundæ, duriuſculæ, ac rotundæ*: *Tertium*, in quo *malum ad membra ſolida, ut membranas, tendones, imo vero oſſa ipſamet permeat.*

IV. Jam varias fuiſſe morbi facies, nempe 1°. *Uſque ad annum circiter ſexageſimum a nota lue, fœdam gonorrhœam a morbo venereo abfuiſſe.* 2°. *Ægrotantes, nonniſi quadrageſimo anno æræ venereæ, pilorum defluvio cœpiſſe dedecorari.* 3°. *In prima luis origine cutem ægrotorum puſtulis ac ulceribus fuiſſe ſpurciſſimam, artuum vero dolores vel nullos exſtitiſſe vel mitiores; ſed inſequentium annorum ſerie cutem ægrotantium fuiſſe minus immundam, cruciatus autem membrorum ἀτέχρυς ac intolerabiles ſuperveniſſe.* 4°. Tandem *morbum venereum* ætate ſua *modeſtiorem eſſe* quam initio, *multumque deſæviſſe ejus inclementiam.*

V. Redarguendos eſſe, qui *Elephantiaſim a lue venerea non ſejungunt, eum*

(c) Sydera terra
Ut diſtant, & flumina mari,

ſic ambæ iſtæ affectiones cum cauſis, tum ſignis immenſum diſſideant, quod ille multis confirmat.

Expoſita eo modo morbi ætiologia Auctor de therapeia ſilet, de qua verbum ne unum quidem dijcit, quod ſane mirari ſubit in Medico, quem ceu opiferum non tam in deſcribendo morbo, quam in proponenda ejuſdem curandi methodo verſari decet. Haud equidem neſcius ſum Menjotium liberationem culpæ omiſſæ in diſſertationibus ſuis therapeiæ, quantacunque potuit arte, impetrare conatum fuiſſe in *Monitione ad Lectorem*, Parti III. præfixa, ſed vix puto excuſationem ullam ab illo adductam fuiſſe, quæ ſit legitima.

Ceterum Diſſertatio illa de Lue Venerea, ſicut & cetera ejuſdem Auctoris Opera, licet eruditione multiplici referta ſit, lociſque undequaque corraſis apte condita, in nimio orationis ſtudio peccare videtur, quæ modo vocibus ad oſtentationem quæſitis vel Græcis, vel Latinis priſcis & inſolentibus aſpera, modo vero *per mellitos verborum globulos, dictaque quaſi papavere & ſeſamo ſparſa* exaggerata, Philologum vel Rethora magis ſapit quam Medicum.

1678. Carolus Peter, Anglus, Chirurgus, & ut ipſe gloriatur, Practicus Medicinæ.

A Deſcription of the Venereal Diſeaſe, declaring the cauſes, ſigns, effects and Cure thereof. Vvith a Diſcourſe of the moſt vvonderful antivenereal Pill prepared only by Charles Peter, *Chyrurgeon and Practitioner in Phyſick.* London, *printed for the Author.* 1678. in 8°.

Ideſt, *Deſcriptio Morbi Venerei, in qua explicantur ejus Cauſæ, Signa, Effectus & Curatio. Adjecta eſt Diſſertatio de mirabilibus* antivenereis Pillulis, *quarum præparandarum ratio eſt* penes ſolum Carolum Peter, *Chirurgum & Practicum Medicinæ.* Londini, *Impenſis Auctoris.* 1678. in 8°.

Obviam habui alteram ejuſdem Libri editionem *anni* 1686. *in* 12.

Liber

(*a*) Acta Facultatis Monſpeſſulanæ.
(*b*) Oeuvres Poſthumes de M. Menjot. *Amſterdam* 1697. *in* 4.
(*c*) Lucan. 8. *Pharſal.*

Liber ille nihil eſt præter monitorium Circulatoris programma, gallice *une Affiche*, eo fine ab Auctore conſcriptum, ut arcana neſcio quæ, in quibus gloriatur, ſed quæ celat tanquam myſteria, magnifice jactitaret, & quamplurimo venderet, ſi quem ſtolidum fruſtrari poſſet.

THEOPHILUS BONETUS, Genevenſis, natus anno 1620, ad Doctoratus gradum promotus eſt anno 1643. Medicus fuit Henrici ab Aureliano, Ducis Longavillæi. Obiit anno 1689. ætatis 69. 1679

Sepulchretum, ſive Anatomia Practica ex Cadaveribus morbo denatis, proponens Hiſtorias & Obſervationes omnium pene humani corporis effectum, ipſorumque cauſas revelans. Genevæ, 1679. in fol.

Bonetus in hoc Opere, *Lib. IV. Parte 9.* ex variis Auctoribus excripſit Obſervationes aliquot in Cadaveribus Syphiliticorum inſtitutas, quas ſuis adornavit ſcholiis.

MICHAEL SENNERTUS, Danielis filius, in Academia Wittembergenſi Medicinæ Profeſſor. 1679

De Lue venerea. Wittembergæ, 1679. in 4.

HUMFREDUS RIDLEY, Anglus.

Diſputatio Medica Inauguralis De Lue Venerea, *quam* ...... *ſubjicit* Humfredus Ridley, Anglus, *die* 15. *Septembris*. Lugduni-Batavorum, *apud Viduam & Hæredes* Johannis *Elſevirii*. 1679. in 4. 1679

THOMAS SYDENHAM, ex oppido Comitatus Dorſetienſis, quod dicitur *Vvintfordeagle*, anno (a) 1642. *Collegii Magdalenæ Oxonii Socius creatus eſt, ac in Univerſitate anno* 1648. *Baccalaureatu Medico condecoratus eſt, poſtea Cantabrigiæ Doctor Medicus* renunciatus fuit. Practicus experientiſſimus & celeberrimus, naturæ, ſucceſſionis & viciſſitudinis morborum Obſervator diligens, Londini medicinam cum laude fecit per annos 25. nempe ab anno 1661. ad annum uſque 1686. Defunctus dicitur anno 1689. 1680

Exſtat inter illius Opera Epiſtola ad Henricum Paman, Doctorem-Medicum, & in Collegio Greshamenſi apud Londinenſes Medicinæ Profeſſorem, ſcripta anno 1680. *De Luis Venereæ Hiſtoria & Curatione*, & edita Londini anno eodem *in* 8. in qua pauciſſimis quidem verbis, ſed ſatis enucleate, de principio, progreſſu & curatione tum gonorrhœæ, tum luis venereæ diſſeritur.

Inter cetera tria ibi leguntur, quæ potiſſimum dignæ ſunt ut annotentur.

1. Luem quidem veneream in Europa novam eſſe, ſed non ex Americanis Inſulis, ut vulgo creditur, originem traxiſſe, verum *e regione aliqua Nigritarum Guineæ conterminorum*, quandoquidem *mancipia recens e Guinea allata ad Inſulas* Caribas *dictas, etiam antequam in terram deſcenderint* ...... *hoc morbo ſæpe tentantur*.

2. *Nullum experimentum*, quod ille ſciat, *afferri poſſe exſtirpatæ hujuſce luis, niſi per ſalivationem ab hydrargyro excitatam, quidquid tam Doctorum nonnulli, quam indoctorum de aliis ſanandi modis ſatis temere & audacter effutiverint*.

3. *Nonnullos hoc morbo male mulctatos in Galliam commigrare cogi, ut ab eo liberentur, cujus rei rationem non eſſe credit, quod Practici ibidem degentes, utut docti quidem, methodum quia hic morbus devinci poſſit melius calleant quam Medici in Anglia, ſed quod aer Galliæ, utpote qui ſalubrior ac magis ſerenus, ſpiritus corporis ac vires deperditas inſtaurare aptior ſit*.

Doleo potuiſſe Viro, ceteroqui docto, duo excidere, quæ errore non vacant.

1. *Experientiam teſtari nullis evacuationibus aut alio modo infirmatos* ante hydrargyroſim, *ſalivationis impetum multo melius ſuſtinere, quam eos quorum quaſi ante prælium inciſi ſunt nervi* venæ ſectionibus & purgationibus præparatoriis; unde concludit *æquum rerum æſtimatorem haud dubie ſatius eſſe ducturum nihil agere, quam ita importune ſatagendo nocere*.

2. *Periculoſum eſſe ptyaliſmi jam abiturientis & mox evanituri reliquias catharſi* ...... *deducere, a qua praxi, quæ vulgo obtinet ſpecie vel Mercurii e corpore elimandi, vel corrigendæ ejus malignitatis*, naſci credit *frequentes illas recidivas, quæ miſeris accidunt*.

SAMUEL JANSONIUS, Batavus, Medico-Chirurgus, in Indiis Occidentalibus annos quatuor vel quinque commoratus eſt, in Coloniis ſcilicet, quas in illis oris Batavi tenent. Redux conſedit aliquandiu Trajecti ad Moſam, unde aliquanto poſt Gandavum conceſſit, ubi mortuus eſt. 1680

Scripſit batavice Librum de Lue Venerea, cui titulum ſequentem appoſuit.

(a) Athenæ Oxonienſes.

Flagellum Veneris, *of verhaal van Venus plage, of vuile pokken, waar in van die ziekte en el haar aanhang, neffens hare genezing, grondig verhandelt wort. Door* Samuel Janſonius, *Med. Chir.* Te Rotterdam, *Gedrukt, by Jacob Gyſen*, 1680. in 8.

Id eſt, Flagellum Veneris, *ſive Deſcriptio morborum venereorum, in qua de morbis illis, illorumque ſymptomatibus & curatione fuſe diſſeritur, Auctore* Samuele Janſonio *Med. Chir.* Roterodami, 1680. in 8.

1°. Negat Janſonius luem veneream in Indiis Occidentalibus endemiam eſſe, quod ſibi obſervatione compertum fuiſſe ait, quippe qui ſit illic aliquandiu commoratus. Sed obſervatio Janſonii, quanticunque fiat, probat tantum luem veneream in Indiis Occidentalibus nunc endemiam non eſſe, in quibus ſcilicet more Europæo jam vivitur, quod ſane nemo affirmat: Probat vero minime olim ibidem endemiam non fuiſſe, dum ferino ritu vivebatur, quod unum verſatur in quæſtione, ſi tamen quæſtio de eo amplius eſſe poſſit, quod a tot tantiſque Auctoribus, qui rei teſtes fuerunt, diſerte affirmatur.

2°. Cenſet poſſe colligi luem veneream ab Æthiopibus, qui in Indias Occidentales olim deportati ſunt, in hanc mundi partem primum invectam fuiſſe, ex eo quod compertum ipſe habuerit Æthiopes, qui ex Africæ oris in colonias batavicas hodie transferuntur quotannis, lue venerea infectos eſſe, cum appellunt; ſed de vi illius concluſionis. *Vide* ſupra.

3°. Salivationem & ſalivatoriam methodum deteſtatur; & in illius locum Decoctum Guajacinum commendat, cujus egregias virtutes ait ſe expertum eſſe in Indis ipſis. At vero cum Guajacum, quod ad nos defertur, recens non ſit, atque adeo amiſſa facultatis ſuæ parte non exigua, minus valeat, auctor eſt, ut illius virtus acuatur & intendatur, additis in decoctione radicibus Cyperi, Galangæ, Calami aromatici; herbis Betonica, Meliſſa, Chamædry, Chamæpity, Balſamita, Salvia, Stœchade, &c. imo nonnunquam radice Chinæ, & ligno Saſſafras.

4. Addit ſuo decocto Sennam, Agaricum, Epithymum, & Paſſulas cum ſemine aniſi; ac jubet illius cyathos duos quotidie exhauriri, mane alterum, alterum veſperi, ſedulo cavendo, ne frigus obſtet ſudori proliciendo. Quarta quaque die ægrum purgat exhibitis pillulis, quæ conſtant ex Aloe roſata, Extracto catholico, & Extracto quodam ſpecifico, de quo Auctor ſilet, ſed quod conjicio nihil eſſe præter Extractum Guajaci.

Hæc eſt ſumma methodi Janſonianæ, quæ tota verſatur in exhibitione Decocti ſudorifico-cathartici, interjectis purgantibus, & quam idcirco depellendæ lui venereæ confirmatæ omnino imparem eſſe notiſſimum eſt.

1680. Paulus de Sorbait, Hannonienſis Belga, Medicinam in Univerſitate Vien-
1682. nenſi in Auſtria docuit annos 24. circiter ab anno 1655. ad annum uſque 1679. ac eodem tempore Medicus fuit Imperatricis Eleonoræ de Gonzaga, Viduæ Imperatoris Ferdinandi III. Ibidem (*a*) deceſſit anno 1691.

Scripſit *Praxim Medicam*, Tractatibus ſeptem comprehenſam, quæ Viennæ ter typis excuſa eſt *in folio*, ſcilicet annis 1678. 1682. 1701. Tractatus ſecundus *De Morbo Gallico & Gonorrhœa, reliquiſque ſymptomatibus ei ſupervenientibus*, in paragraphos 17. dividitur, ubi de Morbi Gallici natura, cauſis, ſignis & curatoriis methodis, atque de gonorrhœa, bubone, carie pudendi, nodiſque & exoſtoſibus diſſeritur *paginis* 15. adeoque brevius quam pro materiæ dignitate.

Pauca occurrunt in illo Tractatu digna quæ excerpantur. Sequentia tamen notare viſum eſt, quæ Lectorum judicio permittimus.

I. Morbum Gallicum (*b*) non differre nec a Mentagra, quam Plinius narrat, *Hiſtor. Lib. XXV. Cap. I.* in Italia ſæviiſſe *medio Tiberii Claudii principatu*, nec a Lichenibus aut impetigine, quæ ab Hippocrate deſcribuntur, *Libro de Morbis mulierum*, & *Lib. II. Prædictor. ſub finem*.

II. Morbum illum (*c*) *ſub Rege Francorum Carolo VIII. circa annum* 1496. *& in caſtris Gallicis, occaſione obſidionis Neapolitanæ .... fuere cœpiſſe ....* Et tunc (*d*) *factum fuiſſe a conſtellatione mala, quæ fuit anno* 1483.

III. Ad hujus morbi curationem (*e*) internum mercurialium uſum inunctionibus præſtare; ceteriſque Mercurii præparatis Mercurium illum palmam præripere, quem ipſe ſuum

(*a*) In *Catalogo Curioſ. Germaniæ*, præfixo *Volum.* 1. *Ephemeridum*, ann. 1727.
(*b*) §. 1. (*c*) Ibidem.
(*d*) Ibid. & §. 17. (*e*) §. 6.

ſuum vocat, *cujus* præparandi *deſcriptionem ſibi hactenus reſervaverat*, quem tamen exponit ideo quod *eum poſteritati negare vetet charitas*. Ille autem Mercurius tam effuſe laudatus nihil eſt præter ipſummet Mercurium præcipitatum rubrum, iterata ſpiritus vini affuſione, deſtillatione, accenſione mitigatum, donec *e rubeo palleſcat*, quem exhiberi jubet prima die ad *gr.* iv. doſim augendo quotidie grano uno, dum optata prodeat ſalivatio.

IV. *Morbum* (a) eumdem *curari* etiam *poſſe per Mercurium abſque ſalivatione, ſi ſalivatio divertatur, mixtis cum Mercurio purgantibus, vel ſumpto pridie Mercurio & poſtridie inſtituta purgatione*, ut ſe feliciſſimo ſucceſſu non ſemel expertum fuiſſe teſtatur.

V. *Morbum* (b) *Gallicum amplius tam ſævum non eſſe, quam fuit in principio, quod ipſius venenum per multa adhibita pharmaca & diætas plurimum fuerit hactenus debilitatum*.

VI. Demum (c) *hanc luem per frequentem coitum citra aliud contagium generari poſſe*, in quo ille a recta veri ratione non parum aberrare videtur.

Ceterum hic Auctor de plagio vix purgari poteſt, cum pleraque, quæ in ſuo Tractatu profert, ab antiquioribus Scriptoribus compilaverit; imo quod excuſationem difficilius admittit paragraphos ſuos 16. & 17. verbis fere iiſdem tranſcripſerit ex *Capitibus* 5. & 6. Tractatus, quem *de Morbo Gallico* Johannes Almenar, Hiſpanus Medicus, olim publici juris fecit.

JOHANNES MICHAULT, (d) Villæ novæ natus in Bria, Chirurgus Pariſienſis Communitatis Sancti Coſmæ. Obiit 3. Maii, anno 1694. 1682.

Les Diſcours de Chirurgie pour l'explication des nouvelles Machines pour les os, & pour la Vérole ou Maladie Vénérienne lorqu'elle y fait des Nodus & Exoſtoſes, & des Anchyloſes aux jointures, avec l'art de la guérir methodiquement par la ſeule application du Mercure. Par J. Michault, Maitre Chirurgens Juré a Paris. *Paris*. MDCLXXXII. in 12. *Il ſe vend chez l'Auteur rue Giſt-le Cœur, a l'Hotel de Luyne*.

Quod monitum in ipſa libri fronte circulatorias artes videtur ſapere, a quibus Auctor non abhorrebat, & eo tantum conſilio apponi, ut cupido Auctorem ipſum adeundi Lectoribus injiceretur, indicato ejus domicilio. De cetero Liber eſt nullius pretii.

GEORGIUS WOLFFANGUS WEDELIUS, (e) Spremberga-Luſatus, Medicinæ Doctor, Ducum Saxoniæ Conſiliarius & Archiatros, in Academia Jenenſi Medicinæ Profeſſor, in Academiam Cæſaream Naturæ Curioſorum adſcitus anno 1672. Polyhiſtor & Polygraphus, qui per annos quinquaginta ab anno 1670. ad annum uſque 1720. rempublicam medicam & literariam Libris ditare non ceſſavit. Obiit anno 1721. 1682.

ANDREAS LOW, Sempronienſis Hungarus.

Diſſertatio Medica de lue Venerea, *quam .... Præſide ....* Georgio Wolffango Wedelio .... *ſubjicit reſponſurus Auctor* M. Andreas Low, Sempronienſis Hungarus, *ad diem ... Maii*, MDCLXXXII. Jenæ, *Stanno Bauhoferiano* in 4.

Comprehenditur hæc Diſſertatio *IX. Capitibus*.

In *I*, quod *de nomine & Definitione* inſcribitur, contendit Auctor Luem Veneream eſſe *mobum lymphaticum*, *quia principaliter lymphæ, ſeu humori ſanguini contradiſtincto inhæret*.

In *II*, in quo *de ſubjecto* quæſtio eſt, ſtatuit „ ſubjectum morbi principale eſſe to„ tam maſſam ſanguineam, & quidem maxime quoad ſeroſam partem: Subjectum *ve„ ro* adæquatum eſſe partes ſpermaticas, „ hoc eſt, quæ ab Antiquioribus e ſpermate fieri credebantur; „ Videmus quippe, *pergit Ille*, glandulas, membranas, oſſa impri„ mis affici & pati.

In *III*, in quo agitur *de cauſa immediata, & mediata proximiori*, docet „ cauſam „ morbi immediatam eſſe ſeri *συνάσεως* reſpectu ſanguinis, quoad proportionem, con„ ſiſtentiam & qualitatem, a miaſmate peregrino ſucceſſivam, ſed intimiorem læſio„ nem: Mediatam *vero* proximiorem eſſe miaſma malignum, venenoſum, peregrinum, „ idque ſero & partibus hinc ſereis inductum vel per concubitum, vel per commer„ cium impurum.

Contendit illud miaſma ſive fermentum peccare 1°. *Aciditate fracida*, 2°. *Viſciditate*, 3°. *Acrimonia*, ex quibus tota pendet illius virulentia.

T 2 Ne-

(a) §. 17. (b) Ibid. (c) Ibid. (d) Johan. Devaux in *Indice funereo Chirurgorum Pariſienſium*.
(e) In *Catalogo Curioſor. Germaniæ*, præfixo *Volum.* 1. *Ephemeridum*, ann. 1727.

Negat „ humores vitio proprio in corpore humano, nullo accedente externo, adeo cor„ rumpi poſſe, ut per ſe uligine ſua, nullo concurrente impulſu externo, in proprium „ ſubjectum agere & luem veneream proprie dictam producere valeant.

At vero affirmat „ contagium per concubitum impurum ſine vitio prævio generari, tan„ quam flagellum illicitæ veneris, ſive mas prurigine immodica plus juſto ſpongioſas ge„ nitales partes exacerbet, ſeu fœmina quoſvis inprimis admittens, uliginoſam acrimo„ niam membro immiſſo affricet, utrobique calore & motu laxatis magis poris, & tur„ gentibus ſpiritibus; ſive potius utriuſque illicito vel contagioſo concurſu hoc malum „ proſurgat.

Credit inde poſſe argui luem veneream „ nec Veteribus incognitam fuiſſe, poſita ea„ dem cauſa; „ quod ut probet adducit teſtimonia Johannis *Langii, Libr. II. Epiſtol. XIV*; Antonii *Benivenii, Obſervat. Medicinal. Cap. I.* & Remberti *Dodonæi, in annotationibus in Obſervationes Benivenii*, de quibus Vide *ſupra* quæ dicta ſunt ſuis locis.

Recenſet diverſos concipiendi contagii modos, 1°. „ Per concubitum impurum, idque „ omnium frequentiſſime: 2°. Per oſcula: 3°. Per mammas in lactantibus & lactentibus: „ 4°. Per accubitum, ſudorem, & vaporoſam tranſpirationem: 5°. Per conceptionem, in „ infantibus a patre vel a matre infectis: 6°. Tandem, per communionem materialem a„ liam, ut lintea, pannos, lectum, cultros, veſtes, vaſa cujuſcunque generis, cochlearia, „ pocula, novaculas, cucurbitulas, latrinam, aliaque ſimilia. „ Sed in his poſtremis „ contagionis modis exaggerandis videtur Vvedelius nimius eſſe.

In *IV*, *cauſas mediatas remotiores* morbi, ut ægrorum temperamentum, ſexum, cauſaſque non naturales;

In *V*, *morbi differentias* varias ex ſubjecto, more, cauſis, accidentibus petitas;

In *VI*, *Signa diagnoſtica & prognoſtica* Auctor paucis expendit.

In *VII.* ubi *de curatione in genere & ex fonte chirurgico*, Auctor diſſerit de remediis ad luem veneream facientibus, quæ ex Chirurgia peti poſſunt, nempe de venæ ſectione, & de cucurbitulis atque hirudinibus, quæ ſunt venæ ſectionis vicariæ; de fonticulis, de cauteriis & de veſicatoriis.

Refert nonnullos *ope Chirurgiæ transfuſoriæ* luem veneream curandam aggreſſos eſſe, ſed nullo ſucceſſu. At ipſe exemplum adducit *chirurgiæ infuſoriæ in hoc morbo duabus vicibus felicius inſtitutæ*. „ Militi, *inquit*, in noſocomio publico Dantiſcano, lue venerea inve„ terata cum ulceribus in tibiis, tumore brachii dextri, doloribus capitis horrendis, cum „ gummatibus ſeu nodis in oſſibus laboranti, reſinæ Scammonii *gr.* vij. diſſolutæ in eſſen„ tia ligni Guaiaci ad ℥ iij infuſa fuere, unde inſequente vomitu ſubitanea omnium ſym„ ptomatum 24 horarum ſpatio remiſſio, & poſt triduum ulcerum coalitio ſecuta fuit. „ Quæ referuntur ex Johanne Sigiſmundo Elsoltio in *Clyſmatica nova*; ſed quæ Auctoris fide dicta volo.

In *VIII*, in quo *de curatione ex fonte pharmaceutico*, propoſitis remediis multis *præparantibus*, *lenientibus*, *digerentibus*, *ſeu alterantibus*, *purgantibus*, *Diaphoreticis*, *Diureticis* &c, quæ ſecundum Auctorem præparatoriam therapeiam complent, *ad curationem mali radicalem* deinde progreditur, ac ordine tradit.

1°. „ Multi nominis eſſe decoctum lignorum, & his affinium aliorum vegetabilium, ex „ cortice & ligno ſancto, Saſſafras, radice Chinæ, Salſæ parillæ, quo & ſaponariam & „ cymbalariam alii referunt.

2°. „ Quod ſi gravior mali radix ſit, nec decoctis ſudoriferis, aliiſque propoſitis medi„ camentis, diætaque ſtrictiſſima evelli poſſit, ad inunctionem Mercurii, tanquam ſacram „ anchoram, confugiendum eſſe.

3°. Illitionem illam „ præſtari, non tam Veterum more per ſuffimenta, quia hoc pacto „ Mercurius in vaporem reſolutus nervis magis inimicus evadit, quam per unguenta varia, „ quibus Mercurius ſubigitur, ut corpori applicari poſſit.

4°. „ Interim dum ab hac inunctione ſalivatio debita expectatur, propinari quoque, „ poſſe, tum mercurialia interna, matutino tempore, *v. g.* Mercurium dulcem præcipita„ tum album, diaphoreticum; cinnabarim Antimonii; tum diaphoretica lenia veſpertino; „ tum purificantia alia intermedio tempore.

5°. Varia therapeia, quam Auctor explicat, occurrendum eſſe variis ſymptomatibus, quæ morbum vel ptyaliſmum conſequuntur.

De.

Demum in *IX.* ubi *de Diæta*, paucis differitur de ordine, qualis in rerum non naturalium uſu ſervandus ſit.

Porro vitio verti debet Wedelio, 1°. Quod polypharmaciæ nimis deditus ſit. Tot enim & tam diverſa proponit remediorum genera, ut inde in ſuſpicionem venire poſſit, nec injuria, nulla ipſi ſatis explorata præ manibus fuiſſe.

2°. Quod Helmotianas fabulas concoquat, ac de Archæo, ente plane fictitio, verba faciat, quaſi de cauſa phyſica, quæ naturalem œconomiam regat. Hoc mihi vere dolet, Medicorum pleroſque, dum abſtruſas rerum cauſas rimantur curioſius, medicinam tot opinionum monſtris contaminaſſe, quæ alia aliis truduntur, velut dies die; ut *Archæo* Paracelſi & Helmontii; *triplici* Carteſii *Elemento*; principiis Chimicorum, *terra*, *ſulfure*, *ſale* tum *acido*, tum *alkalino*; atque nunc Nevvtoni *attractione*. In votis ſemper erit, ut Scriptores nuperi, penes quos eſt Medicinæ principatus, tandem aliquando deſinant ineptire, & commentis hujuſcemodi, futilibus & caducis, prorſus abſtineant, ſi ſit illis cordi artis dignitas, Operumque ſuorum perennitas.

Scripſerat idem Wedelius paucis ante annis

(a) *Diſputationem de Suffimentis*, *excuſam* Jenæ, 1676. in 4°. *quam propugnavit* Johannes Hardov. Hampe.

ſed ſubdubito an illa Diſputatio, quam nondum videre contigit, ad ſuffitiones mercuriales e Cinnabari pertineat ullomodo.

Henricus Meibomius, Helmſtadienſis, Johannis Henrici filius, in Academia Julia, ſive Helmaſtadienſi Medicinæ Practicæ & Chirurgiæ Profeſſor primarius. (b) Obiit anno 1700. 1682

Andreas Wilkelmus Fischbeck, Goslarienſis.

Diſſertatio Medica Inauguralis de Lue Venerea, *quam* .... *Præſide* Henrico Meibomio.... *ſubiicit* Andreas Wilhelmus Fiſchbeck, Goslarienſis, *ad diem* 21. *Septembris* MDCLXXXII. Helmſtadii, *typis Georgii Vvolffgangi Hammii*, in 4.

Jacobus Plutacrius. 1683.

Morbi Gallici, *ſive Luis Venereæ aut potius Anonymæ Laus*, *Auctore Jacobo Plutacrio*. Sine ulla nec loci, nec anni notatione; ſed ad Libri calcem legitur: Τέλος *diebus Saturnalibus anno ab invecta feliciter in Europam lue anonyma CLXXXVIII.* hoc eſt, ut opinor, anno 1683. ducto calculo ab anno 1495. quo Lues Venerea Europæ palam innotuit.

Auctor, qualiſcunque ſit qui latet ficto *Plutacrii* nomine, inter Scriptores numerandus eſt, quibus viſum fuit ingenio abuti in commendandis rebus peſſimis, aut potius quibus placuit ludicra elogiorum ſpecie εἰρωνικῶς res illas peſſimas illudere, quoniam

Ridiculum acri
Fortius & melius magnas plerumque ſecat res;

ſic Iſocrates Buſirida, Lucianus Podagram, Eraſmus Moriam, hoc eſt Stultitiam, Cardanus Neronem, Heinſius Aſinum, Paſſeratius Cæcitatem, Salengrius Ebrietatem &c. laudaverunt. Sic Pſeudonymus ille Martinus Dorcheſino, de quo ſupra ad *annum* 1539. deſcripſit jocularem luis venereæ triumphum.

Jeremias Lossius, (c) Bornenſis Miſnicus Philoſophiæ & Medicinæ Doctor, Anatomiæ & Botanices Profeſſor in Academia Wittebergenſi. Obiit anno 1684. ætatis 41. 1683

Johannes Georgius Rebenstrost, Drebachio-Miſnicus.

Diſputatio Inauguralis de Lue Venerea, *quam* .... *Præſide* .... Jeremia Loſſio .... *pro Licentia ſummos in arte medica honores*, *privilegia & inſignia Doctoralia legitime impetrandi*, *publicæ Eruditorum cenſuræ ſubdit* Johannes Georgius Rebenſtroſt, *Drebachio-Miſnicus*, ... *die XX. Septembris anno* MDCLXXXIII. Wittebergæ. *Typis Matthæi Henckelii Academiæ Typographi*. in 4.

Diſtribuitur hæc Diſſertatio in Capita V.

Caput I. *Venereæ Luis nomina*, *Originem*, *ac Definitionem evolvit*; In illo propoſita prius illorum opinione, qui pro antiquitate luis venereæ pugnant, ac allatis nonnullis, quibus nituntur, argumentis, Auctor confitetur „ maximam Medicorum celeberrimo-
„ morum partem natales, originemque morbi, non niſi ante duo circiter ſecula, ad
„ annum nimirum 1494 (*quo vigebat bellum Neapolitanum*) ponere, a fide Auctorum
„ hiſtorica tandiu pendentes, donec firmioribus evincant rationibus de antiquitate con-
„ trarium ſentientes.

(a) Cornelius a Beughem, in *Bibliograph. Medic.*
(b) Chriſt. Johann. Langius, *Hiſtor. Medic.*
(c) Chriſtianus Langius, in *Hiſtor. Medica* Operibus *præfixa*.

Attamen „ non plane rejicit illos, quibus non ſemper per contagium, ſed quandoque „ ſponte oriri poſſe in ſanis hominibus immoderatius veneri litantibus, lues hæc erudi- „ tis conjecturis videtur..... Quippe non omnino impoſſibile demonſtratu fore retur peſ- „ ſimam hanc luem etiam ſine præexiſtente contagio primitus excludi potuiſſe; „ quod tamen nulla experientia comprobari, imo certiſſimæ experientiæ repugnare pro com- perto habemus.

Ceterum in definitione, quam proponit, vocat luem veneream *morbum lymphaticum cum* Franciſco *Sylvio*, & Georgio Wolffgango Wedelio, „ quia principaliter lymphæ, „ ſeu humori illi, qui intimum cum ſanguine connubium init, ſe aſſociat, inque par- „ tibus perpetuo madore ſquallidis, utpote faucibus, naribus, pudendis, ac potiſſimum „ glandulis, tanquam humorum hujuſmodi diverſoriis, acre virus ſuum deponit.

Recte monet Auctor „ luem veneream aliquando adeo atrocem, ac virulenta putre- „ dine adeo exitioſam eſſe, ut graviſſima ſymptomata derepente inferat: Aliquando „ vero tam lente ac ſegniter procedere, ut per complures annos deliteſcat.

Caput II. *Subjectum proponit*: Ibi negat Auctor ſubjectum morbi eſſe caput, exte- „ riores corporis partes, partes genitales, aut hepar; ſed cum lues venerea nullis par- „ tibus tam continentibus, quam contentis parcat, ſubjectum illius *totale* eſſe totum „ corpus cum fluidis atque ſolidis partibus, *partiale* vero eſſe maſſam ſanguineam, hu- „ moreſque ipſi connexos.

Subjungit tamen „ hanc virulentam luem, quamvis in nullis non partibus ſæviat, „ parſque primo recipiens, ſedes quoque ſit primo affecta, lymphæ tamen ac ſeroſo la- „ tici, necnon glanduloſis partibus maxime infeſtam eſſe videri, unde non tantum te- „ ſticulis, paraſtatis, proſtatis, partibus mulierum ſecretis, verum naribus, labiis, pa- „ lato, tonſilis, mammillis, &c. maximum exitium infert.

Caput III. *Cauſas* morbi, *immediatam*, *mediatas proximiores*, *& remotiores tradit*. Auctor in illo ſtatuit, *cauſam immediatam* ac proximam mali eſſe intimiorem læſionem „ cruoris ſanguinei, ac inprimis ſeroſæ partis quoad conſiſtentiam & acredinem: *Cau- „ ſam mediatam proximiorem*, eſſe miaſmata.... maligna, venenoſa, fermenteſcibilia, „ ſumme hinc activa, ac in alio corpore ſimilem morbum excitare apta, quæ pecu- „ liari ſale acri-acetoſo volatili ſimul prædita ſint: *Cauſas mediatas remotiores* eſſe ægro- „ torum temperamentum, ſexum, diſpoſitionem hæreditariam, cauſaſque omnes non- „ naturales, „ quibus veneni energia augeri vel reprimi poteſt.

Caput IV. Morbi *differentias*, ratione ſymptomatum, ſubjecti, cauſarum, moris, accidentium &c. *ac ſigna* tum diagnoſtica, tum prognoſtica, paucis *exhibet*.

Caput V. *Curationis methodum ac auxilia oſtendit*. In illo propoſitis prius auxiliis Chirurgicis, nempe *venæ-ſectione*, *cucurbitulis*, *hirudinibus*, *cauteriis*, *fonticulis*, *veſi- catoriis*, &c. quæ pro morbi ratione locum habere poſſunt; imo etiam uſu *Chirurgiæ infuſoriæ*, quam ait uno aut altero exemplo commendari, Auctor ad *auxilia pharmaceu- tica confugit*, *tanquam ad magis appropriata*, *ſpecifica*, *& generoſiora*, atque adeo mul- tis explicat varias formulas remediorum *Præparantium ſeu Digeſtivorum*, *Vomitoriorum*, *Purgantium*, *Diureticorum & Diaphoreticorum*, quæ poſtrema ex multiplici lignorum Guaiaci & Saſſafras, radicumque Chinæ & Sarſæ-parillæ decocto parantur.

Deinde ad efficaciores, ac vere radicales morbi curationes procedit, circa quas huc re- cidunt Auctoris Dogmata.

1°. Licet propoſita „ medicamenta generaliter & ſpecifice alterantia ſint, commenda- „ ri tamen ab Auctoribus practicis hinc inde magis adhuc ſpecifica: Sic ab Hartaman- „ no, *Pract. Chim. pag.* 327. Spiritum ſeu Oleum Mercurii album & rubeum a *gr.* j. „ ad ij. in aqua theriacali M. S. ſpiritu Guaiaci, ac imprimis in aqua Perſicariæ, ... „ magni haberi: Sic notum ſibi quoque eſſe medicamentum ex Antimonio, Mercurio, „ & Vitriolo conflatum, item Oleum Antimonii dulce, quorum prius a *gr.* ij. ad iij, „ poſterius a *gr.* j. ad *gr.* ij. ſummum ſanguinis depurativum exiſtit.

2°. „ Quod ſi autem gravior mali hujus radix ſit, nec decoctis ſudoriferis, aliiſve „ dictis medicamentorum poteſtatibus evelli poſſit, ... ad giganteum mercurialis ſa- „ livationis medicamentum confugiendum eſſe, quo quoad omnia quaſi ſymptomata, „ dolores, tumores, tophos, ulcera, nodos &c. ipſi ſatisfacimus.

3°. Salivationem „ autem inſtitui, non niſi præmiſſa venæ-ſectione & purgatione, „ (*miror omitti balnea*) atque commodiſſime cum pinguedine ſuilla, vel unguento „ pomato, roſaceo, oleo laurino expreſſo Mercurium vivum ſubigi, atque juncturis

„ arti-

„ articulorum, manuum, brachiorum ac pedum, itemque ſpinali medullæ in-
„ ungi.

4. „ Tandiu autem inunctionem continuandam eſſe, donec ſalivatio, vel alvi flu-
„ xus, vel alia evacuatio ſuccedat, quæ ut plurimum tertio vel quarto die contingit.
„ Locum deinde decocto convenienti nervino abluendum eſſe, „ ſi fides adhibeatur Auctori, qui in hoc tamen ab hodierna praxi recedit.

Tandem Auctor paucis explicat varia remediorum genera, quæ ipſe valere credit adverſus præcipua luis venereæ ſymptomata, *Gonorrhœam*, *Puſtulas*, *Ulcera*, *Bubones*, *Dolores*, *Cariem*, *Gummata*, *Verrucas*, *Veſiculas Cryſtallinas &c.* ſed quorum pleraque aut vulgo nota ſunt, aut non ſatis exploratæ efficaciæ.

Hujuſce Diſſertationis Auctor Georgium Vvolffgangum Vvedelium preſſo pede ſequitur, & Diſſertationem de argumento eodem ab illo in Jenenſi Academia, anno 1682, propoſitam videtur compilaſſe.

Porro mirari ſubit ab Auctore credi in virulenta mulierum gonorrhœa, quæ cum fluore albo confunditur, „ humorem continuo deſtillantem, ſeu liquamen corruptum
„ prodire e teſtibus muliebribus per tubas Falloppii, ut ipſe aperte docet *Cap. III.* §.
„ 5. & 12. cum certo certius ſit humorem hunc putridum „ per foramina uteri ac va-
„ ginæ juxta Regnerum de Graaf tranſudare, „ ut Auctor ipſe *ibidem* indicat.

DAVID ABERCROMBYUS, Scotus, Doctor Medicus, Londini medicinam exercuit. 1684

Tuta ac efficax Luis Venereæ; ſæpe abſque Mercurio, ac ſemper abſque ſalivatione mercuriali curandæ Methodus. Londini, 1684. in 12. 1687

Brevis ea Diſſertatio *Capitibus tredecim* abſolvitur. In *primo* Auctor dicit eſſe *quoſdam, qui luem veneream, ut Athanaſius Kircherus olim Romæ pronuntiaſſe fertur de Peſte, nihil aliud eſſe velint quam innumeram quamdam vermiculorum inconſpicuorum multitudinem*, qua opinione rejecta ipſe ſtatuit *cauſam luis venereæ eſſe frigidum quemdam, humidumque vaporem a partibus generationis propulſum in corpus, vel attractum*.

Inde poſt explicatam ſuo modo luis venereæ propagationem & hydrargyri naturam, concludit *Cap. 4. hydrargyrum non eſſe luis venereæ alexipharmacum*, ut quod cum natura frigidum ſit, frigido veneno mederi nequeat; ſed veram illius morbi medicinam ex calidioribus remediis petendam eſſe.

Sic ergo *Capite 5.* proponit *facilem & tutam*, ut ipſe putat, *luis curandæ rationem abſque omni Mercurio*, per cathartica, infuſum Guaiaci in vino albo, & opiatam quamdam, quam *Veneream* vocat, compoſitam ex calidioribus remediis, & opiatæ Fernelianæ, de qua alibi, ita ſimilem, ut vix ovum ovo ſimilius ſit.

Quod ſi contumacior morbus ea therapeia non exſtirpetur, alteram affert, *Capite 6. Methodum probatam curandæ luis, abſque mercuriali inunctione & ſalivatione, non tamen abſque omni Mercurio*, uſu ſcilicet decocti Guaiaci, Chinæ, Salſæ-parillæ &c. vini albi cum infuſo Mercurio vivo per horas 24. decocti ad medias; demum pillularum mercurialium ex Mercurio dulci, Scammonio præparato, Trochiſcis Alhaandal, Aloe & Rhabarbaro.

De ceteris ſilere viſum eſt, quæ nullius fere momenti ſunt. Quæ diximus ſatis ſunt, ut liceat inde colligere luem veneream ab Abercombyo curatam nunquam fuiſſe; vel ad ſummum curatam tantum in primo intenſionis gradu. Nemo enim, cui curandæ luis venereæ difficultas nota fuerit, crediderit unquam alterutra therapeiarum, quæ ab illo proferuntur, luem veneream inveteratam & confirmatam potuiſſe eradicari.

Davidis Abercrombyi Opuſcula hactenus edita. Londini, 1687. *in* 12.

Proſtat ibi ſecundus ordine Tractatus *de modo curandi bubones venereos & tutiore ſalivationis methodo*. Circa prius, præmiſſa Bubonis definitione & cauſa „ brevem (*a*)
„ methodum medendi exhibet. Poſtmodum perſtringit eos, qui venæ ſectionem pro cu-
„ ra rejiciunt: In Bubone enim candicante admodum proficuam illam eſſet, juxta ac ca-
„ thartica exhibita, refert. Deinde differit quibus cautelis & quomodo emollientia, at-
„ trahentia & digerentia externe ſint adhibenda. „ Hæc de Bubonum cura.

„ De tutiore ſalivationis methodo primo inquirit quænam ex ſubjectis lue venerea
„ infectis apta ſint ad ſuſtinendam ſalivationem, rejectiſque phthiſicis, & humidioris
„ ac frigidioris temperamenti, ſolum calidioris ac ſiccioris conſtitutionis diſpoſita docet.
„ Quæ deinde de modo ſalivationem excitandi annectit, nova non ſunt; Mercurii nam-
„ que dulcis ope omnium optime negotium hocce peragi poſſe tradit. „ Ceterum no-

(a) Ex Actis Lipſienſibus anni 1687.

notari velim in hoc Tractatu Abercrombyum ipſum ea revocare, quæ in præcedenti adverſus ſalivationis mercurialis uſum protulerat.

1684 Carolus Thuillier; Rothomagenſis, primum Rothomagi, ac deinde Lutetiæ
1688 medicinam fecit, ubi Doctoralem Lauream iterum adeptus eſt. Scripſit gallice Tra-
1707 ctatum, qui cum ſequenti inſcriptione Rothomagi editus fuit anno 1684.

Obſervationes, ſur les Maladies Vénériennes, & ſur un Remede qui les guerit ſeurement & facilement. Par le Sieur Charles Thuillier, *Docteur en Medicine. Imprimé à* Rouen, *& ſe trouvent a* Paris *chez l'Auteur, rue Simon le Franc, proche le ſigne de la Croix*. MDCLXXXIV. *in* 8.

Liber ille complectitur *Paginis* 108. Exordium, quod Prefationis loco eſt; Obſervationes XXXII; Epiſtolas II. latine ſcriptas anno 1684. alteram ab Anonymo ad Carolum Thuillier, alteram Caroli Thuillier reſponſoriam ad Anonymum, utramque de duobus adoleſcentibus Batavis, lue venerea infectis, ad Carolum Thuillier miſſis ut ſanarentur, quos ille ſanos feciſſe dicitur. Adjecta eſt ad calcem, ſed tardius ut videtur emiſſa, & diverſo numerorum ordine notata in ſumma paginarum ora, ſequens Epiſtola, quæ dicitur ſcripta die 26. Decembris 1687. ad quemdam Demetrium Ammirallum, Medicum Græcum ex Inſula Chio, quocum Auctor conſuetudinem junxerat Lutetiæ.

Lettre a Monſieur Demetrius Ammirally, Docteur en Medicine a Chio. Sur la Maladie Vénerienne & les Anti-veneriens. *in* 8. MDCLXXXVIII.

Liber idem, ſed auctior, iterum prodiit Lutetiæ Pariſiorum anno 1707. ſic inſcriptus.

Obſervations ſur les Maladies Vénériennes, avec leur Cure ſure & facile; Lettres ſur les accidentes, l'origine & les progrez de la Vérole. Par le Sieur C. Thullier. *D. M. de la Faculté de Paris*, rue Simon le Franc proche Saint Merry. *A Paris in* 8. MDCCVII.

In hac altera editione *paginis* 305. continentur Exordium idem, ſed amplificatum; Obſervationes numero XXXV; duæ illæ Epiſtolæ latinæ, de quibus in priore editione, ſed quarum poſterior auctior eſt; ac demum Epiſtola illa a Demetrium Ammirally, quæ ſcripta dicitur die 26. Decembris 1687. ut in præcedente editione, ſed quæ multis in locis interpolata eſt, & cui adjectæ ſunt quinque aliæ ad eumdem Epiſtolæ, quarum prima data dicitur 4. Novembris 1688. ſecunda 1. Februarii 1689. tertiæ, quartę & quintæ annus non apponitur. Sed illis Epiſtolis ad Ammirallyum, ſeu vere ſeu ſimulate ſcriptæ fuerint, quod me modice tangit, erudite diſſeritur de natura, maxime vero de origine luis venereæ.

Fatendum eſt nec ingenium, nec eruditionem in illo Auctore deſiderari. Egregie probat luem veneream in Europa novam eſſe, multiſque eos refellit qui contra ſentiunt. At vero in eo merito culpandus eſt, quod de uſu hydrargyroſeos ad curandam luem veneream detrahat quam maxime, quaſi de medicina incerta, difficili, periculoſa; quod inunctionum mercurialium loco laudet & extollat arcanum quoddam, quod *Anti-venereum*, *ſuum* vocat, quaſi certum, efficax, facile, præſentiſſimum remedium; quod anti-venerei illius præparationem de induſtria celet; & quod peſſimum eſt, quod in hunc finem Opus ſuum vulgaſſe videatur, ut arcano illi, quo ſuperbit, quod tam impenſe venditat, popularem auram conciliaret quæſtus gratia.

Non equidem facile condono Medico Chriſtiano, ut remedium, ſi quod in promptu habeat quod tutum & efficax ſit, per avaritiam ſilentio ſupprimat in ægrotantium quamplurimorum damnum. At nunquam conceſſerim, ut remedio ſuo quiſquam publicam exiſtimationem, quam eventis non poteſt, conetur magnificis promiſſis comparare. Nonne hoc eſt *verboſis ſtrophis famam aucupari*, miſerorum mortalium *animas negotiari*, fraudulentis Circulatorum artibus abuti? Quæ ſingula nec probum Virum, nec ingenuum Medicum decent.

Si quid autem conjectura valeo, opinor anti-venereum illud arcanum a Carolo Thuillier tantopere venditatum ex Mercurio & Antimonio componi; quod ex multis Obſervationum locis videtur poſſe erui, ſed præſertim ex *IV. & XXIX.* Itaque cum ille hac ipſa Obſervatione *XXIX.* utatur anti-venereo ſuo cum pulvere viperino admixto, ut infra dicetur (*a*) de Gervaſio Ucay, forſan illius anti-venereum idem quoque fuit ac hujus anti-venereum, nempe Pulvis ex duabus partibus præcipitati Mercurii rubri per ſe, vel præcipitati rubri Solaris, cum addita parte una ſulphuris aurati Antimonialis.

Forſan

(*a*) *Infra ad ann.* 1693.

Forſan quoque adhibuit Cinnabarim antimonialem ſequenti (*a*) modo paratam.

℞. *Mercurii præcipitati rubri per ſe parati ſine additamento & ſpiritu vini correcti* ℥ ß.
Sulfuris ex Cinnabari antimoniali educti ℥ j.

Miſceantur ſimul & ex arte ſublimentur. Cinnabaris ea ratione parata ad morbos venereos exhibetur doſi xx. *gr.*

Forſan demum uſus eſt Panacea mercuriali vulgari cum addito antimonio illo diaphoretico, quod vulgo dicitur (*b*) *Pulvis liquans de Rotrou*; aut forſan floribus mercurialibus & antimonialibus cum ſale ammoniaco paratis. Sed de his omnibus judicium illis permitto, qui etiamnum putant, reclamante rerum experientia, poſſe unquam præparata ulla mercurialia hydrargyroſi caute adhibitæ præponi, quos inter ipſe numerari nolo.

Stephanus Blancardus, (*c*) *Medioburgenſis in Zelandia*, Doctor Medicus, floruit exeunte ſeculo proxime præterito, ac (*d*) *Medicinam excoluit non ſolum Amſteladami, ſed maxime per totam Germaniam* (*e*) *ſuperiorem, ibique de morbis maxime intricatis, omne remedium reſpuentibus, & difficillimis quotidie epiſtolari modo conſulebatur*. 1684. 1700. 1701.

Scripſit Blancardus Libros plures de morbis venereis, quos neceſſe eſt deſcribere ordine chronologico, ut inde melius liqueat quid ab illo in poſterioribus mutatum, correctumve ſit.

Itaque *Primo*, Edidit anno 1684. ſequentem Tractatum idiomate batavico conſcriptum:

Venus belegert en ontſet, oft Verhandelinge van de Pokken, en de ſelfs Toevallen, met een grondige en zekere geneſinge: Steunende meeſt op de gronden van Carteſius. *Door* Stephanus Blankaart, *Phil. & Med. Doctor, en practizyn tot Amſterdam*. T' Amſterdam, *by Thimotheus ten Hoorn*. 1684. *in* 4.

Id eſt, *Venus obſeſſa & liberata, ſive tractatus de Lue Venerea, & ejus ſymptomatibus, cum methodo tuta illam curandi, nixa principiis* Carteſii. *A* Stephano Blancardo, *Philoſ. & Med. Doctore, & Medicinam Amſtelodami faciente*. Amſtelodami, *apud Thimotheum ten Hoorn*. 1684. in 4.

In hoc Libro Blancardus 1. Irridet Leonardum Fioravanti, qui a carne humana in cibos adhibita; Davidem de Planiſcampi, qui a vino Hiſpanorum fraude venenato; & Gabrielem Falloppium, qui a puteis veneno infectis primam morbi originem conantur arceſſere.

2. Contendit luem veneream in Indiis Occidentalibus endemiam non eſſe, neque ex Indiis in Europam ab Hiſpanis devectam; ſed contra ex Europa in Indias Occidentales traductam ab Æthiope quodam, qui Pamphili de Narvaez in Corteſium bellum civile ſuſcipientis mancipium erat, luemque in obſidione Neapolitana jam ante contraxerat, cui commento fidem ut faciat, Auctores profert tum Antonium de Herrera, gregium rerum indicarum hiſtoricum, tum ipſum Ferdinandum Corteſium, celebrem novæ Hiſpaniæ victorem; utrumque tamen temere, ut ſupra probatum fuit ad *annum* 1644. ubi de Helmontio.

3. Cenſet proinde Blancardus luem veneream morbum eſſe vere antiquum, Veteribuſque olim notum, ſed alio nomine, quem deſcriptum fuiſſe putat ab Hippocrate & a Plinio juniore; ſed de his *vide* ſupra.

4. Fatetur morbum contagione ſerpere & propagari multiplici ratione, generatione, concubitu, lactatione, ſuctu & ſudatione.

5. Statuit gonorrhϾ ſedem in Proſtatis eſſe; & ad illius curationem tutius & efficacius conferre purgantia e blandiorum genere, ut Rhabarbarum & Caſſiam, quam purgantia mochlica.

6. Auctor eſt ut ſeneſcens gonorrhœa comprimatur tum injectionibus in urethram ex aqua calcis, in qua tantillum Vitrioli albi diſſolutum ſit, tum exhibione pillularum ex gummi Elemi, Maſtiche, & Terra Japonica, vulgo *Cachou*.

7. Tres methodos curatorias proponit ad luem veneream, catharſim cum mercurialibus, ſudationem & ſalivationem. Primam omnino damnat, quod vires ægrorum labore convellat; ceteris duabus calculum album adjicit, ita tamen ut methodo ſudationis, ſalivationis methodum præferri velit, ceu tutiorem.

8. Agno-

(*a*) Tauvri, Traite des Medicamens, *Tom.*II. *Pag* 260. (*b*) Vide ſupra.
(*c*) Inſtit. Chirurg. *Part.*3.*Cap.*41. (*d*) Ite de ſe loquitur Blancardus, in Præf. *Tom.*II. *Operum ſuorum*, in 4.
(*e*) Non ſatis video quid ſibi velit Blancardus, niſi forte *Germaniam ſuperiore* pro *inferiore* dixerit.

8. Agnoſcit ſalivationem moveri poſſe tribus modis: 1. Suffumigiis e cinnabari; 2. Inunctionibus mercurialibus, vel cutis ablutione cum aqua mercuriali, quam audet ille componere ex uncia ſemiſſe Sublimati corroſivi in unciis XVI. aquæ pluviæ ſoluti; 3. Præparatis mercurialibus interne ſumptis, ut Mercurio ſublimato dulci, Turpetho minerali, Præcipitato albo, quæ jubet debita doſi, paucula cum theriaca permiſceri & in globulos conformari, mane jejuno ventriculo devorandos.

Secundo. Idem Blancardus Librum Gervaſii Ucay, Doctoris Medici Toloſani, *de Lue venerea*, quem *infra* recenſebimus *ad annum 1693.* batavice a ſe verſum adnotationibus & obſervationibus amplificavit, ac edendum curavit anno 1700. cum hac inſcriptione:

Nieuwe Verhandeling van de Venus Ziekten, invvelke na dat men getoont heeſt, dat de gevvoone vvyze van geneſen, zeer gevaerlyk, tvvyffelagtig en ſvvaair is, een andere veel gemakkelyker en veel zekerder vvert voorgeſtelt; Nevens eenige naau-keurige geſchillen: Door den Heer Gervais Ucay, M. D. *en met verſcheyde noodige aanmerkingen, Door* Stephanus Blankaart, *M. D. verciert.* t' Amſterdam, *by Nicolaus ten Hoorn.* 1700. in 8.

Id eſt, *Tractatus novus de Morbis Venereis, in quo probatur methodum medendi vulgarem ſumme periculoſam, dubiam & difficilem eſſe; in quo proponitur methodus alia facilior, tutiorque; & in quo quæſtiones aliquot ſolvuntur; conſcriptus a* Gervaſio Ucay, D. M. *& batavice verſus a* Stephano Blancardo, M. D. *qui adnotationes valde utiles adjunxit.* Amſtelodami, *apud Nicolaum ten Hoorn.* 1700. in 8.

Tertio. Pleraque vel ſaltem poſtrema Blancardi Opera una collecta prodierunt anno 1701., cum hac epigraphe:

Stephani Blancardi, Phil. & Med. Doctoris, Opera Medica, Theorica, Practica & Chirurgica. Lugduni-Batavorum. 1701. in 4. *Tomo II.*

Exſtant in *Tomo ſecundo* Inſtitutiones Chirurgicæ, in Partes ſeptem diſtributæ quarum tertia quæſtio eſt de morbis venereis, poſtremis octo Capitibus. Attente ſingula perlegi, ſed vix quidquam, quod novum aut animadverſione dignum ſit, invenire licuit: Pleraque hiulca, parum cohærentia, undique carpta & collecta ſuppreſſo Auctorum nomine, Carteſianæ hypotheſi nugatorio modo ſuperexſtructa, & quod peſſimum eſt, in praxi male tuta, ut ex ſequenti ſpecimine patebit.

I. Blancardus, meliora jam edoctus ut videtur, ultro (*a*) confitetur (anno 1701.) *luem veneream tantum ducentos per annos innotuiſſe*, eoſque *qui ante annum* 1493. *&* 1494., *ſcripta ſua luci expoſuerunt, nunquam de ea ſcripſiſſe.* At vero quaſi confeſſionis ſuæ eum pœniteret, mox ſubjungit non ſine manifeſta ſecum pugnantia, *ex ipſis ſacris & profanis ſatis liquere non eſſe luem recentem & novum morbum:* In cujus rei confirmationem laudat Hippocratem, *Lib. VI. De morbis popularibus, in principio; Lib. De internis affectionibus, Cap.* 50. *Lib. De Ulceribus, Cap.* 9. *Lib. De natura muliebri, Cap.* 77. & *Coacar. Prænotion. Cap.* 2. ubi de morbis venereis ne per ſomnium quidem cogitavit Hippocrates: Et Plinium, *Lib.* 21. *Cap.* 18. & *Lib.* 22. *Cap.* 8. ubi remedia quædam ad genitalium ulcera in genera Plinius obiter indicat: Imo vero ipſum Jobi *Librum*, & Davidis *Pſalmum* 38. quaſi quæ de Jobi & Davidis ægritudinibus referuntur, de morbo venereo deberent intelligi. Sed hæc omnia quæcunque ſcrupulum poſſent, injicere, jam ſupra abunde confutata ſunt aut enucleata, *Lib. I. Capp.* 3. & 4.

II. Narrat (*b*) *Medioburgi in Zelandia luem veneream invaluiſſe in plurimos anno* 1654. *a ſuctrice quadam infecta, quæ induratas nutricum mammas ſuctu emendabat, aut brevi poſt partum coloſtrum exhauriebat;* de qua eadem Hiſtoria vide *ſupra* ad *annum* 1661., ubi *de Antonio Everhardi.*

III. Refert (*c*) ex fide Thomæ Bartholini, *Centur. II. Hiſtor.* 36. *Severinum Neapoli in diſſectis inveniſſe inflammationem & abſceſſum in Paraſtatis* (Proſtatis), & *a Wirſungo tria aperta fuiſſe cadavera, poſt Gonorrhœam curatam denata, in quorum proſtatis calloſitas erat, ſignum præteritæ Gonorrhœæ & ulceris.*

IV. Multa proponit remedia diverſi generis ad curationem gonorrhœæ virulentæ, ſed in hoc merito culpandus, quod non ſatis accurate diſtinguat morbi tempora, neque ideo medicamenta proponat, quæ unicuique morbi ſtatui conducant. Adde quod inter Diuretica, quæ Gonorrhœæ adhibenda cenſet, non pauca proponat acriora, calidio-

(*a*) Inſtitution. Chirurgic. *Part.* 3. *Cap.* 41. *Pag. m.* 493.
(*b*) Ibidem, *Cap. eodem Pag.* 49
(*c*) Ibid. *Cap.* 42. *Pag.* 501.

lidiora, valentiora, ut (*a*) *Radices*, (*b*) *Alcannæ*, ſeu Anchuſæ Monſpeliacæ; *Folia Sabinæ*, *Fructus Alkekengi*, *Millepedes*, *Oleum Terebinthinæ Sabinæ* &c. imo quod magis eſt, *Cantharides*, quæ prodeſſe raro, ſi unquam, nocere fere ſemper poſſunt. Idem dictum volumus de ceteris quoque remediis ad cariem pudendi, phimoſim, paraphimoſim, carunculas urethræ, tumorem teſticuli venereum, bubonem, verrucas aut mariſcas ani &c. quæ generalius & ſine diſcrimine proponuntur, & quorum pleraque ad morbos hoſce non ſatis præclare faciunt.

V. Ad curandam luem veneream cenſet valere ſudationem arte quavis proritatam, uſum decoctorum ſudorificorum, ſed præſertim ptyaliſmum, (*c*) *ſine quo morbus ſæpe non cedit*, ut ipſe ait. Arbitratur autem Salivationem ſive Ptyaliſmum cieri poſſe commode multiplici via.

1°. (*d*) *Fumatione mediante cinnabari*, quæ *tamen nunc temporis rarius fit*. Suffumigium autem ſub ſequenti formula præparatur.

℞. *Myrrhæ Labdani*, *Styracis*, ana ℥ j.
Cinabaris vulgaris ℥ iij.
Terebinthinæ quantum ſufficit
M. f. Globuli.

2°. *Lotione cum aqua mercuriali*, qualis eſt ſequens.

℞. *Sublimati* ʒ ß.
Aquæ pluvialis ℥ xvj.
M. *qua juncturæ poſſunt*, ſi Auctor audiatur, *& ablui & cum linteis foveri*; ſed quam methodum periculo, & gravi quidem periculo, nunquam vacare ipſe puto, quantumcunque facultas ſublimati deleteria ſolutione refracta videatur.

3°. Inunctione cum unguento mercuriali, quæ methodus omnium tutiſſima eſt, & efficaciſſima.

4. Appoſitione emplaſtrorum mercurialium.

5. Demum uſu mercurialium interne exhibitorum, quam methodum ipſe multis celebrat; ſed in quo ab illo diſſentiendum eſſe cenſeo, nec temere, ſi quid ſapio.

VI. Blancardus non dubitat (*e*) adhibere, externe quidem *ſublimatum corroſivum* cum unguentis mercurialibus permixtum ad *partem decimam nonam*; interne vero tum *Præcipitatum album* aut *rubrum* ad gr. vj aut vij *tum ſublimatum præcipitatum* ad gr. xij vel xvj pro una doſi, quæ ipſe auctor eſſe velim nemini, ut imitetur.

VII. Uti Blancardus ſe Carteſianum eſſe in Scriptis ſuis ſemper gloriatur, ita & hic prædicat curationes ſuas niti principiis Carteſianis, doctrinaque Acidi, & Alkali. Utrum vero auctoritatem ſuæ methodo eo nomine Blancardus olim conciliaverit, ignoro quidem, ſed probe novi commendationem inde nullam potuiſſe accedere apud cordatos Medicos, quibus compertum fuerit principia Carteſiana, ut & cetera quævis hypothetica, in Medicina plane ruinoſa eſſe.

MARTINUS FRIDERICUS FRIESS, Philoſophiæ & Medicinæ Doctor, & in 1684.
Academia Lipſienſi Pathologiæ Profeſſor.

JOHANNES FRIDERICUS ORTLOR, Olſna-Sileſius.

De Salivatione *ſub præſidio* .... Martini Friderici Frieſs, ... *pro Licentia honores & privilegia Doctoralia legitime obtinendi*, *ad diem V. Septembris*. Ann. MDCLXXXIV ..... *diſputabit* Johannes Fridericus Ortlob, *Olſna-Sileſius*. Lipſiæ, *Typis Chriſtiani Gozi*. in 4.

Continet hæc Diſſertatio articulos, corollaria, theſeſve XXVI. in quibus hæc eſt doctrina ſumma.

I. Paucis præmiſſis *de* (*f*) *natura Salivæ* & (*g*) *de diverſis ſalivationis ſpeciebus*, *ſymptomaticæ*, *criticæ & medicæ*; *particularis* & *univerſalis*; Auctor deinde (*h*) differit de variis morbis, ad quos credit ſalivationem facere, & inter quos præter luem veneream recenſet *ſcabiem*, *ulcera inveterata*, *ſcorbutum*, *malum hypochondriacum*, *colicam pertinacem*, *Epilepſiam*, *Cephalagiam*, *ſuffuſionem*, *paralyſim*, *ſtrumas* &c. in qua enumera-

(*a*) Ibid. *Cap.* 42. Pag. 502.
(*b*) Liguſtrum Orientale, ſeu, ut aliis placet, *Cypros* Græcorum, *Elhanne* Arabum, in India Orientali, Ægypto & Syria creſcit, ſed in officinis noſtris nunquam invenitur, unde fit ut illius loco radix Anchuſæ Monſpeliacæ uſurpetur.
(*c*) Ibid *Cap.* 46. *Pag.* 528.
(*d*) Ibid. *Cap.* 46. *Pag.* 530.
(*e*) Theſ. I. & II.
(*f*) Theſ. III. (*g*) Theſ. V. (*h*) Theſ. VI.

meratione videtur Johannem Georgium Trumphium ſecutus, de quo *ſupra* ad annum 1668. Sed cave ne in curandis affectionibus iſtiuſmodi, niſi a latente ſeminio venereo forte dependeant, mercuriali ſalivationi nimium confidas.

II. Statuit ſalivationem perinde moveri, (*a*) tum *interno*, tum *externo* Mercurii uſu: *Interno* quidem, ſi *crudus* in *pillulis Barbaroſſæ*, vel aliis congeneribus, aut ſi *præparatus* ſub forma *Panaceæ*, *Mercurii ſublimati dulcis*, *Præcipitati albi*, *Arcani Corallini*, *Turpethi mineralis* &c. exhibeatur: *Externo* vero, quem ad ſalivationem excitandam efficaciorem eſſe cenſet; ſi Mercurius vel *inunctione*, vel *ſuffumigatione*, vel *lotionibus*, vel *emplaſtris*, vel *cingulis*, vel *armillis* corpori admoveatur.

III. Damnat (*b*) ſuffumigia univerſalia, quæ repudianda eſſe opinatur cum Falloppio; neque putat (*c*) lotiones poſſe unquam ſine periculo ſummo inſtitui. Itaque ſolas probat inunctiones, quas (*d*) *licet moleſtiſſimas*, *aliquando periculoſas*, *malo tamen pertinaciſſimo adæquatas & certiſſimas eſſe* cenſet cum Hildano, *Cent.* 5. *Obſerv.* 96., *ſi recte adminiſtrentur*.

IV. Propoſitis (*e*) & exploſis variis variorum hypotheſibus ad explicandum modum, quo Mercurius ptyaliſmum movet, ſuam Auctor (*f*) opinionem proponit, quæ eo redit ut credat Mercurii particulas, quæ naturam in ſanguine pertinaciter retinent, cum ſalibus obviis jungi connubio, atque adeo, ſi ſalivales glandulas ſubeant, ut plerumque ſubeunt, ſpiculis fibras lancinare, inflammare, exulcerare & ſalivationem ciere. Ut autem confirmet mercuriales atomos integra forma cum ſalibus conjungi, narrat (*g*) Auctor *ſe in Mercurio ſublimato corroſivo & Arcano corallino, in pulverem redactis, microſcopii ope minimos Mercurii globulos inter ſalia lucentes & frequentiſſimos vidiſſe*: quod ait a Povvero quoque obſervatum fuiſſe, *Obſervat. Microſcopic.* 35. & quod ipſe memini a Nicolao Pechlino pariter obſervari, *De Purgantibus*, *Cap.*22.

V. Arbitratur (*h*) „ in morbo nondum inveterato Mercurium præcipitatum, ſive „ album, ſive flavum, ſive rubrum, exhibendum eſſe, rarius Mercurium dulcem, „ cum is malo debellando, utpote non ſufficienter diſcontinuatus, impar ſit: .... Si „ malum ſit pertinax & partes ſolidas apprehenderit, inunctionem convenire: Si per„ tinaciſſimum, ſuffumigium, quia altius penetrat.

VI. Deinde ordine (*i*) explicat, qua ratione ſalivatio ſibi videatur adhibenda in affectionibus ſingulis, quibus illam prodeſſe ſupra declaravit: Circa quæ duo tantum notatione digna cenſeo: 1. Tandiu *Auctori* (*k*) „ inunctionem continuandam videri, donec ſigna erupturæ ſalivæ, gin„ givarum, faucium, parotidum ardor & tumor; & anhelitus fetens &c. prorumpant, „ quod in aliquibus tardius, in aliquibus citius accidit, ... ut plurimum tertio, quar„ to, vel quinto die. 2. Ab Auctore improbari „ exemplum *Nicolai* Maſſæ, qui „ inunctiones per dies triginta ſeptem, ſed interpolatis vicibus, adminiſtravit: „ in „ quo Auctoris judicium, vel potius experientiam deſidero.

VIII. Demum varia (*l*) præſcribit remediorum genera, quæ ſalivationis ſymptomata præcaveant vel corrigant; ac (*m*) *diætam*, *quali æger ſe in ſalivatione & poſt eamdem gerere debeat*, *determinat*.

Ne quid diſſimulem, quæcunque ab Auctore proferuntur, aliena fide dici, neque inter ſe conſtare, videntur: Sane non ſapiunt Medicum in adminiſtranda ſalivatione ſatis verſatum.

1686. Johannes Petrus Fischer, Coburgo-Francus.

Diſſertatio Medica Inauguralis De gonorrhœa virulenta, *quam ..... exponit* Johannes Petrus Fiſcher, Coburgo-Francus, *die .... Aprilis*. Lugduni Batavorum. *Apud Abrahamum Elzevier*, MDCLXXXVI. in 4.

1687. Gulielmus Douglas, Scotus.

Diſſertatio Medica Inauguralis de Lue Venerea; *quam ..... ſubjicit* Gulielmus Douglas, *Scotus*, *ad diem* 24. *Julii*. Lugduni Batavorum. *Apud Abrahamum Elſevier*. MDCLXXXVII. in 4.

Ca-

(*a*) Theſ. VIII. (*b*) Theſ. IX.
(*c*) Theſ. VII. (*d*) Theſ. X.
(*e*) Theſ. XI. & XII. (*f*) Theſ. XI.
(*g*) Theſ. XIV.
(*h*) Theſ. a XV. ad XXII. uſque.
(*i*) Theſ. XXIV.
(*k*) Theſ. XXV.
(*l*) Theſ. XXVI.

Carolus Patinus, Pariſinus, filius natu minor Guidonis Patini, de quo ſupra ad *annum* 1628. natus eſt anno 1633. : (*a*) Hortante avunculo Juriſprudentiæ ſe diſcipulum præſtitit, ac Doctoratus inſignia obtinuit Pictavii, ſed deinde patris ſuaſu ac ſuo ipſe ingenio ad Medicinam ſe convertit, & Doctoralem Lauream in Facultate Pariſienſi conſecutus eſt. Valebat eruditionis fama, & inter doctos ſuæ ætatis Viros florebat Lutetiæ, cum in offenſionem Ludovici Magni incurrit anno 1660. nec levi culpa, de qua *Vid.* Petrum Bayle, *Dictionn. Critique*, *au mot Patin*, *Note L.* Quocirca ut ſe pœnæ ſubduceret, aufugit ex Galliis, & extorris aliquandiu peregrinatus eſt in Germania, Hervetia & Italia. Conceſſit tandem Patavium, cujus in urbis Academia obtinuit anno 1676. Cathedram Avicennæ, anno 1681. Cathedram Chirurgiæ ordinariam, & anno 1683. Cathedram Practicam extraordinariam. Deceſſit Patavii fere ſexagenarius anno 1693. 1687.

Narrat (*b*) Johannes Zacharias Platnerus, celeber Medicinæ Profeſſor Lipſienſis, ſed nullo adducto auctore, „ Carolum Patinum dici ſcripſiſſe Orationem *de Antiqui-* „ *tate Luis venereæ*, eamque Patavii anno 1687. edidiſſe, quam tamen *fatetur ille ſe* „ nunquam vidiſſe, „ & quam ne exſtitiſſe quidem unquam ideo puto, quod nullam illius mentionem fecerit Nicolaus Comnenus Papadopoli, Patavinus Juris Canonici Profeſſor, qui de Carolo Patino ſatis fuſe diſſerit in *Hiſtoria Gymnaſii Patavini*, *loco modo laudato*, ac Opera ejuſdem ſingulatim recenſet.

Anonymus Gallus. 1688.

Les Operations de Chirurgie par une methode courte & facile; *avec deux Traitez*, *l'un des maladies de l'Eſtomac*, *& l'autre* des Maux Veneriens. A Paris, *Chez Laurent d'Houry*. 1688. in 12.

Neque Auctorem libri novi, neque librum hactenus vidi. Priores quidem duos Tractatus parum curo, ſed ſummam Tertii, qui ad noſtrum attingit inſtitutum, deſcribere viſum eſt ex *Actis Eruditorum Lipſienſibus*, in quibus ſequentia leguntur, *anno* 1688. *Pag.* 139.

„ In Tractatu III. de luis venereæ deſcriptione, vera origine, cauſis, ſignis, & „ curatione ſermonem Auctor inſtituit, quibus ſubjungit gonorrhœam, ulcera pe- „ nis, bubones venereos, modumque ipſum hac lue infectos tractandi. Ultimo lo- „ co de natura Mercurii, & quo is modo agat, Caput additur. Ex his omnibus pau- „ ca delibabimus, reliquis paſſim in Auctorum lectione obviis.

„ I. Cauſam morbi gallici acidum acre definit, *Pag.* 307. Idem vero Arſenicale vo- „ cat, *Pag.* 304. Venenum hujus morbi communicari per vim quorumdam ſpirituum „ tartareorum, naturam virus conſtituentium, *Pag.* 303. aſſeritur.

„ II. In cura gonorrhœæ ad tria potiſſimum eſſe reſpiciendum, ad cauſam mali ſeu „ virus, ad morbum ipſum ſeu ulcus, & ad ſymptomata, ardorem ſcilicet & dolo- „ rem in urinæ emiſſione perceptum. Ordinem vero & tempus hic ait eſſe obſervan- „ dum, ſcilicet ante ulceris curationem demendum eſſe virus, a quo illud dependeat, „ & ante hujus ſublationem compeſcendum eſſe dolorem, inflammationem auferendo.

„ III. Proinde jubet venæ ſectionem inſtituere, quam tamen & præcedere & ſe- „ qui debeant clyſteres emollientes; hinc diæta refrigerante & humectante utendum, „ cujus initium primo ſtatim die emulſiones faciant, a vino autem & motu corporis „ violento abſtinendum.

„ IV. Deinde virus expugnandum purgationibus lenioribus, . . . quorum uſum excipiat ptiſana refrigerans.

„ V. Quod ſi his non cedat gonorrhœa, & materia viridеſcens effluere obſervetur, „ purgantia fortiora, imprimis pillulæ cum Mercurio dulci, propinentur.

„ VI. Tum vero ad injectiones accedendum, (quas alias non magni æſtimat Au- „ ctor, quod ad ulcus uſque nequeant pertingere) . . . . Huic fini commendat *aquam* „ *fabrorum ferrariorum*, & *vini auſteri*, ana lib. j. *in quibus diſſolve Vitrioli albi* ℥ j. „ Injiciantur autem tepide mane & veſperi.

„ VII. Methodus curandi ipſam veneream luem nititur ſalivatione per Mercurium „ inſtituta, quam clyſteres, venæ ſectio iterata & purgationes ac balnea præcede- „ re debent. Frictiones autem cum unguento mercuriali, per totum corpus (excepto abdo-

(*a*) Nicolaus Comnenus Papadopoli, *Hiſtoria Gymnaſii Patavini*. Tom. 1. Sect. 2. Cap. 25. N. 159.

(*b*) In Programmate *De Morbo Campano Horatii*.

„ abdomine & pectore) a pedibus ad nucham uſque, juxta focum commendantur,
„ niſi additæ cautelæ aliter ſuadeant.

„ VIII. Symptomatibus diverſis ut occurrendum traditur, ubi vel unicum monitum notamus, ſcilicet nimiam ſalivationem commodiſſime temperari ſex granis auri fulminantis, ſub electuarii ſeu opiatæ forma exhibitis. Peracta ſalivatione 20. 25. aut 30. dierum, æger ſicut initio purgandus, gargariſmata pro exſiccandis ulceribus oris adhibenda, & linteamina lecti recentibus permutanda.

1688. Willelmus Willis, verſionem gallicam Tractatus, quem Stephanus Blancardus *de lue venerea* batavice ſcripſerat, edidit Amſtelodami, cum hac inſcriptione.

Traité de la Vérole, Gonorrhée, Chancres, Bubes Venereens & de leurs accidens, avec une guerison veritable & ſolide. Par le Sieur Eſtienne Blankard, Docteur en Philoſophie & en Medecine, & Praticien a Amſterdam, & *traduit* par Guillaume Willis. A Amſterdam, *chez Corneille Blankard.* MDCLXXXVIII. in 8.

Affirmat Interpres ille in Præfatione hunc Librum batavice ab Auctore ſcriptum, jam ſemel atque iterum typis excuſum fuiſſe.

Prodiit idem Liber Blancardi anglice verſus Londini, anno *1690. in* 8.

1689. L..... le Monnier.

Nouveau Traité de la Maladie Vénérienne & de tous les accidens, qui la précédent & qui l'accompagnent, avec la plus ſure & la plus facile methode de les guérir. Paris, 1689. in 12.

Exiguus quidem Libellus, ſed apto ſatis ordine digeſtus, & in quo ſi nihil quidquam novi, at certe nihil quidquam abſurdi reperire eſt. Neque enim culpæ dari poſſe arbitror, quod ſuadeat (*a*) ut inunctiones mercuriales ſuper univerſum fere corpus adminiſtrentur, & ad ſingulas unguentum in validioribus temperaturis ad ℥ viij. in infirmioribus ad ℥ v, adhibeatur. Tunc enim ita ferebat uſus Medicorum plerorumque, etiam cautiſſimorum; unde minime mirum eſt, ſi tam frequentia olim fuerit ex hydrargyroſi infortunia.

Hunc Auctorem opinor Chirurgum fuiſſe in quadam Galliarum Provincia, quod colligo ex epiſtola nuncupatoria Carolo Franciſco Taſſi, dicto Felix, primario Regis Chirurgo, ſcripta, & præfixa Tractatui *de Fiſtula* gallice ſcripto, quem Auctor idem edidit *in* 8. Lutetiæ Pariſiorum anno 1689. eodem ſcilicet, quod Liber, de quo quæſtio eſt in hocce Capite.

1689. Bernhardus Weiss, ſeu, ut ille latino nomine vocari maluit, Albinus, (*b*) Deſſavienſis in Principatu Anhaltino, natus anno 1653. Medicinæ ſtudio operam dedit Lugduni Batavorum, ubi ſummos artis honores conſecutus eſt anno 1676. In patriam redux poſt varia itinera profeſſorio munere functus eſt in Academia Francofurtenſi ad Viadrum ab anno 1681. ad annum uſque 1697. quo in aulam Frederici III. Electoris Brandenburgici, ac poſtea Boruſſorum Regis, accitus eſt, ut Archiatri munus obiret. Oblatas a Groningana Academia conditiones olim recuſaverat anno 1694.: ſed audivit libentius vota Academiæ Lugduno-Batavæ, quo demum anno 1702. ſe contulit impetrata honorifica miſſione a Boroſſorum Rege Frederico, & ubi Medicinam cum laude docuit per reliquum vitæ tempus. Deceſſit anno 1721. fere ſeptuagenarius.

Georgius Conradus de Horn, Brunſvicenſis.

Diſſertatio Medica Inauguralis de Salivatione Mercuriali, *quam .... ſub præſidio* Bernhardi Albini.... *pro licentia ſummos in Arte Medica honores & Privilegia rite obtinendi, ad diem IX. Decembris anno* MDCLXXXIX.... *publico examini ſubmittet* Georgius Conradus de Horn, *Brunſvicenſis.* Francofurti ad Oderam. *Typis Chriſtophori Zeitleri.* in 4.

Conſtat ea Diſſertatio Paginis 55. & Theſibus ſive Articulis 25.

I. Auctor initio recenſet (*c*) varias ſpecies ſalivationis, *ſymptomaticæ*, *criticæ & medicæ*; *particularis & univerſalis &c.* ac (*d*) glandulas, ductuſque deſcribit, unde ſaliva in os confluit, *Vvarthonianos*, *Bartholinianos*, *Stenonianos*, *Nuckianos* &c.

II. Deinde multus eſt, imo nimius in explicanda 1. (*e*) Mercurii *qualitate*; an frigidus, ut Matthiolus, Fernelius, Libavius, aliique perplures; an calidus, ut Vidus Vidius, Cæ-

(*a*) Chap. XIII.
(*b*) Oratio Hermanni Boerhaave, *De vita & obitu Bernhardi Albini.*
(*c*) Theſ. I. (*d*) Theſ. II. (*e*) Theſ. VI.

Cæſalpinus, Paracelſus, & alii nonnulli; an demum mixtæ facultatis ex calidis, frigidiſque partibus, ut Matthias Untzerus voluit: 2. Mercurii *natura*; (*a*) an alkalinus, ut Nicolao Lemery; an ſulphureus, ut Nicolao de Blegny; an acidus ſit, ut Olao Borrichio viſum eſt: 3. Mercurii *conſtitutione*; (*b*) *an conſtet ex minimis globulis indefinitæ tenuitatis, qui continuo ab æthere rotentur; circumvolvantur, & in perpetuo detineantur motu ac fluore*, ut contendit Carolus de Maetas; (*c*) an vero componatur, ut cenſet Auctor, *ex longis, lævibus, flexilibus, lubricis partibus*, quales Carteſius aqueas eſſe ſupponit, ſed *multo ponderoſioribus*; quæ ſingula non modo dubia, ſed incomperta ſunt, & ad Medicinam prorſus inutilia.

III. Poſtea Albinus (*d*) enumerat morbos varios, contra quos valere creditur ſalivatio mercurialis, ut,, ulcera ſordida, affectus hypocondriacos, ſcorbutum, colicam pertinacem, cephalæam gravem, ophthalmiam deſperatam, amauroſim, ſuffuſionem, paralyſim, arthritidem, morbos omnes ab humoribus acribus & glutinoſis, vel ab obſtructionibus & glutinoſis humoribus ſine acredine oriundos &c. aut morbos quos fomes periodicus accendit, quales ſunt epilepſia, febris intermittens &c.,, ſed in quibus curandis ſalivationem mercurialem raro efficacem eſſe exploratum habeo, niſi a latente venereo ſeminio clam dependeant, quod non rarum eſt.

IV. Recenſet (*e*) deinde morbos,, alios non pauciores, in quibus a ptyaliſmo mercuriali penitus abſtinendum eſſe cenſet, ut peſtem; febres malignas, ardentes, omnes inflammationum ſpecies, hæmorrhagias quaſvis, dyſenterias &c.,, ad quæ morborum genera mercurialem ſalivationem a nemine unquam adhibitam fuiſſe reor.

V. Proponit varios modos ſalivationem proritandi, tum (*f*) *Mercurio extrinſecus corpori admoto*,,, per cingulum, zonam, armillas; epithemata, emplaſtra; lavatoria; ſuffumigia & unguenta;,, *tum* (*g*) *Mercurio intro ſumpto*, ſive vivo in pilulis Barbaroſſæ, aut qui modus Auctori videtur,, ſimpliciſſimus, Mercurii grana ſex vel octo cum terebinthina pauca in pilulas redigendo, vel cum ſaccharo in pulverem conterendo,,, ſive præparato in Præcipitata, Panaceas, Turpethum minerale, vel potius Mercurium dulcem, quo,, ſalivationem multo tutius excitari recte affirmat.

VI. Damnat (*h*) lavatoria, quia,, cum ex Mercurii ſublimati corroſivi ſolutione fiant, cutim inflammant, & ſalia corroſiva intro rapiunt.,, Damnat (*i*) pariter ſuffumigia, quæ cum Nicolao de Blegny deterrima eſſe ſtatuit.

VII. Varias deſcribit unguentorum mercurialium formulas, quæ diverſam admittunt Mercurii extincti quantitatem, & pleraque nimiam medicamentorum acrium farraginem. Sed ipſe laudat unguentum ſimpliciſſimum,, ex argento vivo & butyro aut axungia porcina, addito unguento roſato vel pomato, ut grato odori conſulatur.

VIII. Monet (k) Auctor,, fraudulentam operationem vetare ne nimia ſit feſtinatio: Ultra unam Mercurii drachmam non eſſe ideo aſcendendum ſingulis inunctionibus: Sæpius potius ungendum, cum non cito ſed tuto curare debeamus: Inunctiones ſemel vel bis de die adhibendas eſſe, vel etiam alternis diebus: Salivationem per menſem circiter tolerandam eſſe.

IX. Varia (*l*) præſcribit,, gargariſmata, quæ humorum in os confluentium acrimoniam temperent, & ulcera mundent, ſed aſſerit ægros vix ab aliquo tantum, quantum a decocto raparum ſolamem ſentire.

X. Auctor (*m*),, habet ſalivationem pro ſigno tantum glutinoſos & corroſivos humores a Mercurio oppugnari & educi;.... *ſed ſecundum illum*, licet ſalivatio ſit conſequens ordinarium inunctionum, ſalivatio tamen, qua ſalivatio, non intenditur vel curat; perinde atque e camino egrediens fumus ſignum eſt ignis in foco & quidem ordinarium, illum tamen nunquam intendunt focarii, & licet illum in camino excitarent, non tamen inde focus luculenter arderet, vel caro aſſaretur.

XI. Affirmat (*n*) Albinus,,, ſi nimis inveteratus & magnus ſit morbus, mercuriali ſalivatione non exſtirpari, quia utut generoſiſſimum ſit remedium, non tamen omnium morborum rhizotomus eſt:,, Et ut opinionem confirmet, varia adducit Auctorum teſtimonia, qui narrat ſalivationem mercurialem *ſine felici ſucceſſu reiteratam fuiſſe*: Quod

(*a*) Theſ. VIII. (*b*) Theſ. X.
(*c*) Theſ. XII. (*d*) Theſ. XIII.
(*e*) Theſ. XVII. (*f*) Theſ. XIX.
(*g*) Theſ. XXV. (*h*) Theſ. XXI.
(*i*) Theſ. XXIII. (*K*) Theſ. XXIV. (*l*) Theſ. XXVI.
(*m*) Theſ. XXIII. (*n*) Theſ. XXVI.

Quod nec ipſe nego, ut qui probe gnarus ſim hydrargyroſim ſine prævia præparatione, doſi nimia, breviore temporis intervallo adhibitam, fruſtra ſæpius fuiſſe. At vero pernego virus ullum unquam eſſe, quod radicitus non exſtirpetur, ſi Mercurius, præmiſſa debita præparatione, parca manu, legitimis intervallis, tempore ſatis diuturno, illinatur. Cave tamen credas exſtirpato ſemel ſeminio, omnia jam in vado eſſe. Si nulla quidem partibus corporis ſolidis labes illata prius fuerit, res planiſſime confecta erit, ſine ullo recidivæ periculo: Secus vero, ſi qua ſuperſint ſolidarum partium vitia ante inuſta, utpote quæ non raro eo uſque latenter deducta ſunt, vel partes adeo nobiles obſident, ut nullam jam curationem, ſed palliationem tantum admittant, imo plerumque palliationem non ſatis diuturnam.

1689. Theodorus Craanen, Philoſophiæ ac Medicinæ Doctor, olim Profeſſor Medicinæ in Academia Lugduno-Batava deinde Conſiliarius & Archiatrus Electoris Brandeburgici.

Opera omnia Medica. Antverpiæ. 1689. *in* 4. Vol. II.

Exſtat ad calcem Tomi II. *Medicatio Viri lue venerea cum gonorrhœa virulenta laborantis*, ac deinceps *Medicatio Juvenculæ lue venerea, cum ulceribus oris & ani, laborantis*; in quarum neutra Mercurium adhibuit, ſed Guaiaco unice confidit.

1689. Anonymus quidam germanicum fecit Tractatum a Stephano Blancardo batavice ſcriptum de Lue Venerea, ac Lipſiæ edidit anno 1689.

Die belagerte und entſetzte Venus, das iſt, Chirurgiſche Abhandlung der ſo genannten Frantzoſen, auch Spaniſchen Pocken, Druppert, Sianckert, Klapohren &c. Leipſig. 1689. *in* 8.

Hoc eſt, *Venus obſeſſa & liberata, ſive Diſſertatio Chirurgica de lue dicta* Gallica, *vel puſtulis Hiſpanicis, gonorrhœa, cancro penis, bubonibus venereis* &c. Lipſiæ, anno 1689. *in* 8.

Proſtant ad calcem illius Libri, aliquot alii Tractatus peculiares de eodem argumento, Franciſci Sylvii de le Boe, Thomæ Sydenhamii, Johannis Wieri, & Antonii Everhardi, de quibus *Vide* ſuis locis.

1690. G.... B.... De Saint Romain, D. M. & Medicus ordinarius Sereniſſimi Principis Henrici Julii Borbonii.

Méthode aſſurée & efficace pour guérir la Maladie Vénerienne ſans ſalivation mercurielle, compoſée en Latin par un célébre Médecin d'Angleterre, & nouvellement miſe en françois. Paris, *chez Laurent d'Houry*, 1690. in 12.

Auctor ille, qualiſcunque ſit, gallice interpretatus eſt Tractatum Davidis Abercrombi, qui inſcribitur, *Tuta ac efficax luis venereæ ſæpe abſque Mercurio, ac ſemper abſque ſalivatione mercuriali curandæ Methodus*, de quo ſupra ad annum 1684.

1690. Franciscus Calmette, Ruthenenſis, in Monte-peſſulano Facultate Medicæ operam dedit, ac Doctoratus gradum aſſecutus eſt anno 1684. Vacavit ibi aliquandiu
1677. Philiatris privatim informandis, nec quidem ſine laude; dum enim in hoc officio verſabatur, conſcripſit Medicinæ Therapeuticæ compendium ad mentem Lazari Riverii, quod Genevæ primum in lucem prodiit in 8. anno 1677. cum hac epigraphe:

Riverius Reformatus, ſive Praxis Medica methodo Riverianæ non abſimili, juxta recentiorum tum Medicorum, tum Philoſophorum principia conſcripta.

Hoc Opus tribus libris comprehenditur, Primo, *De morbis Abdominis*; Secundo, *De morbis Capitis & Thoracis*; & Tertio, *De morbis mulierum*. Ad calcem adjecti ſunt tres alii Tractatus, *De affectibus Articulorum*, nempe Podagra & Rheumatiſmo; *De teſte*; *& De Febrib.*

Idem Opus iterum excuſum fuit *Lugduni* in 8. anno 1690. ſed auctum *Tractatu de affectibus venereis, qui ex eodem fonte hauſtus erat, nempe ex celebri & puriore Monſpelienſium Academia, unde totus Liber manaverat*, hoc eſt, qui ab eodem Franciſco Calmette in Monte-peſſulano conſcriptus fuerat juxta Monſpeſſulanorum Medicorum doctrinam & therapeiam, quales ætate illa maxime vigebant.

Novus ille Tractatus, qui *Paginis* 21. abſolvitur, conſtat *Capitibus quinque*: 1. *De lue venerea*; 2. *De gonorrhœa virulenta, ſeu ardore urinæ*; 3. *De bubone venereo*; 4. *De ulceribus in membro virili increſcentibus, ſive cancris*; 5. *De verrucis ſive porris*.

In *Cap. I.* quod eſt potiſſima Opuſculi pars, ſequentia viſa ſunt aliqua notatione digna.

1. Auctorem „ fateri quidem in obſidione Neapolitana propter effrænatiorem militum cum meretricibus Italis caſtra ſequentibus libidinem, contagium illud, ut cum maxime viguiſſe; ſed ſuam tum in Europa originem duxiſſe, atque adeo in Aſiam atque „ Afri-

„ Africam repente graſſatum fuiſſe, *nulla ratione ſibi perſuadere poſſe*; præſertim cum „ Salicetus, Gordonius & Valeſcus, Auctores fide digniſſimi, quorum primus anno „ 1270, ſecundus anno 1418, tertius media ætate vixit, luem illam ex virorum cum „ proſtibulis impuris commercio naſci atteſtentur. „ Quæ ex Sennerto, *Tract. de Lue Venerea*, *Cap. I.* tranſcripta ſunt non ſine plagio manifeſto, & quæ Sennertus ex Remberti Dodonæi *Annotationibus in Benivenium*, quas ipſe laudat, mutuatus fuerat.

2. „ Hujus mali cauſam poni in fermento quodam humores diſſolvente & mem- „ bra corrodente; „ in quo Auctor a ceteris Medicis omnibus ſine cauſa diſſentit, qui volunt humores a venereo contagio inſpiſſari, quod rei veritati magis conſentaneum eſſe videtur.

3. Affirmari ab Auctore, „ præparato prius ægro per venæ ſectionem, purgatio- „ nem & balneum, ad Mercurii uſum deveniendum eſſe, quo ſolo malum radicitus „ tolli poteſt. Diaphoretica enim cujuſmodi ſunt Guaiacum & Salſa-parilla, morbum mi- „ nuere valent quidem, ſanare autem non.

4. Porro damnari ab eodem, & merito quidem eorum methodum, qui „ poſt bal- „ neum præparatorium nihil prius habent, quam ſudorem promovere, ſtatuto intra „ arcum aut tabernaculum ægro, & vaporem ſpiritus vini excipiente, exhibita prius „ Salſæ-parillæ & Guaiaci doſi; quæ methodus nihil aliud præſtat, quam partium hu- „ moris tenuiorum a craſſis ſeparationem, quæ adeo fixæ evadunt, ut ipſi Mercurio „ non cedant.

5. Proponi unguentum mercuriale unicum, ex *parte* j. Mercurii terebinthina extincti, & *partibus* ij. axungæ ſuillæ, quale etiamnum vulgo uſurpatur a Medicis Montiſpeſſulani.

6. Illitionum mercurialium adminiſtrationem ſequentibus capitibus contineri; 1. „ Tali unguento totum corpus inungendum eſſe a plantis pedum ad capillorum uſque „ radices, præter abdomen & thoracem, partium intus contentarum habita ratione: „ 2. Singulas frictiones unguenti ℥ v vel vj requirere: 3. Iis tamen, qui natura ſunt „ delicatiori, ℥ jv ſufficere, plantis ſcilicet pedum, cruribus, femore utroque, natibus „ & brachiis tantum inunctis: 4. Multis vicibus repetendam eſſe frictionem, nimi- „ rum ſemel in die mane jejuno ſtomacho, aut veſperi duabus horis ante paſtum. „ Quod ſi poſt tertiam frictionem nullum futuræ ſalivationis ſignum adſit, bis in die „ fricandum ægrum, modo vires ferant, aut ſemel ſed aucta unguenti doſi: 5. Intra „ ſeptimam aut octavam frictionem ceſſandum eſſe, quemadmodum ſtatim atque ſali- „ vationis indicia quædam prodeunt; quæ quidem ex eo dignoſcuntur, quod ca- „ put doleat, facies rubeſcat, fauces aſperentur, ulcera ori adnaſcantur, multum „ & frequenter ſpuatur: Aliquot poſt dies totum os ulceribus ſcaturit, tum balbuti- „ re, palatum & lingua ardere, quæ niſi lacte tepido ſæpe colluantur, dolores ſæviunt „ acutiſſimi, & non intermiſſus ſalivæ fluxus cum fœtore importuno manat.

7. Multa occurrunt in ea methodo adminiſtrandi Mercurii merito culpanda, quod nimia unguentis doſis adhiberetur; quod illitiones univerſales, quod quotidianæ eſſent. Sed hæc Franciſco Calmette vitio verti non debent, qui cum junior Medicus eſſet, de ſuo nihil addidit, ſed eam methodum exſcripſit, quæ tunc maxime uſu vigebat inter Monſpeſſulanos Medicos, ut poteſt aliunde colligi ex Tractatu alio quodam gallice ſcripto *de morbis venereis*, qui *Amſtelodami* prodiit anno 1731, & qui Carolo Barbeiracio, celebri in Monte-peſſulano Medico anno 1690, attribuitur, de quo *Vide infra* ad annum 1731, Miror equidem Monſpeſſulanos Medicos eo tempore ab antiqua & tuta illitionum adminiſtratione tantopere diſceſſiſſe, neque ſatis capio quæ fuerit diſcedendi ratio; at vero miror minime, ſi tam inconſiderata hydrargyroſeos methodo, ex præcipiti, tumultuario, ſubitaneo ptyaliſmi impetu, quem ciebat nimia Mercurii doſis feſtinantius adhibita, tot infortunia olim ſupervenerint, ægrique in ſubitaneas, capitis, faciei, colli tumefactiones, in anginoſas ſtrangulationes, in phrenitides vel lethargos, in tumorem linguæ immodicum, in ulceroſas oris & laryngis inflammationes, in dentium delapſus, in ptyaliſmos immoderatos, in oris ligaturas inſuperabiles, &c. ſæpenumero inciderint. Sane non ſine cauſa ætati noſtræ poſſumus gratulari, quod ad priſtinam methodum reditum ſit, liceatque jam lui veneræ non minus felicem medicinam adhibere, ſed periculo, damno, cruciatu minore, ex cautiore, parciore, tardiore Mercurii adminiſtratione.

8. Piget pari diligentia proſequi cetera, quæ Auctor ille refert *primo illo Capite* de externo emplaſtorum & ſuffumigiorum, ac interno præparatorum mercurialium uſu;

ſicut & ea, quæ proponit *quatuor Capitibus* ſequentibus de *Gonorrhœa*, de *Bubone*, de *Ulceribus cancroſis*, & de *Porris ſive Verrucis*, quippe quæ paſſim obvia ſunt.

Georgius Franciscus de Franckenaw, (*a*) Naumburgenſis in Miſ-
1690. nia, natus anno 1642. Medicinæ Profeſſor primum in Heidelbergenſi in Palatinatu, anno 1672.; ac deinde in Wittebergenſi Academia ab anno 1689. ad annum uſque 1697. quo in Daniam accitus fuit, ubi primum Chriſtiani V. ac mox poſt illius mortem, quæ accidit anno 1699. Frederici IV. illius filii, Daniæ Regum, Archiatros fuit. In Academiam Cæſaream Naturæ Curioſorum cooptatus fuerat anno 1672. Obiit Hafniæ anno 1704.

Daniel Hake, K....S.... (forte *Kilia-Saxo.*)

Diſſertationem Medicam Inauguralem de Syphilidis natura & cura, *Præſide....* Georgio Franco, ... *ſubjicit* Daniel Hake, K....S.... *ad diem XIII. Martii, anno* MDCXC. Wittenbergæ, *typis Matthæi Henckelii*, in 4.

1690. Andreas Petermannus, Anatomiæ & Chirurgiæ Profeſſor, & Practicus Lipſienſis.

De Gonorrhœa. Lipſiæ, 1690. *in* 4.

1691. Johannes Matritius Hoffmannus, (*b*) natus Altorfi anno 1653. patrem habuit Mauritium Hoffmannum, celebrem in Academia Altorfina Medicinæ Profeſſorem. Aliquandiu peregrinatus eſt per Belgium, Angliam & Italiam, unde redux Doctor Medicinæ renunciatus eſt Altorfi anno 1675. & electus Profeſſor publicus anno 1677. In Academiam Cæſaream Naturæ Curioſorum aggregatus eſt anno 1683. Anno 1713. munus adiit Medici Willelmi Friderici, Marchionis Onoldo-Brandenburgici, deceſſitque anno 1727. ætatis 74.

Adamus Unzelmannus, Delmenhorſtenſis.

Diſputatio de Salivatione mercuriali. *Reſpondente* Adamo Unzelmanno, *Delmenhorſtenſe*. Altorfi, 1691. *in* 4.

Johannes Baptista Lusart, Barbantinus, Medicus. Librum Davidis
1691. Abercrombyi, (*c*) anglice ſcriptum de lue venerea, & de quo *ſupra* ad annum 1684. batavice vertit, & Amſtelodami edidit anno 1691. cum hac inſcriptione.

De Spaanſe Pok-meeſter, beſchryvende den oorſprong, oorſaak, en ſegte geneſing der Pokken, als mede der Zaad-druppers, Chankers, Klapooren, invallen der neuſe, pyne en kalk der beenderen, in t'Engels beſchreven door David Abercromby, M. D. *en om ſyn deſtigheid vertaalt en vermeerdert, door* Jan Baptiſta Luſart, *Brabant geneesheer*. t' Amſterdam, *by Jan ten Hoorn*, 1691. in 8.

Id eſt, *Chirurgus luis venereæ, deſcribens originem, cauſam & veram curationem illius morbi, gonorrhϾ, ulcuſculorum cancroſorum, bubonum, caſus naſi, doloris oſſium & exoſtoſium, anglice ſcriptus a* Davide Abercrombyo, *M. D.; & cum optimus & utiliſſimus ſit, translatus & auctus a* Johanne Baptiſta Luſart, *Brabantino Medico*. Amſtelodami, *apud Johannem ten Hoorn*. 1691. in 8.

Gervasius Ucay, Magiſter artium liberalium & Doctor Medicus Toloſanus,
1693. Toloſæ edidit anno 1693. Tractatum de morbo venereo *in* 12. cum ſequente inſcriptione.
1699. *Traité de la Maladie Venerienne, où l'on donne le moyen de la connoitre dans*
1702. *tous ſes degrez avec une metode de la traiter plus ſure & plus facile que la commune, & la reſolution d'un grand nombre de Problêmes tres-curieux ſur ces matieres*. A Toulouſe, 1693. *in* 12.

qui Tractatus iterum impreſſus fuit Amſtelodami anno 1699. ac tertium Lutetiæ anno 1702.

Hujus Tractatus partes duæ ſunt. Auctor in *Priore*, novem primis Capitibus luis venereæ, tribuſque ultimis cariei pudendi, gonorrhϾ & bubonis venerei naturam, cauſas & therapeiam exponit. In *Poſteriore*, Problemata XXXV. circa luis venereæ originem, contagionem, curationem &c. diſtinctis totidem articulis reſolvit.

I. Credit (*d*) Auctor ille luem veneream non minus antiquam eſſe in Europa, ceteroque Orbe antiquitus cognito, quam venerem ipſam vulgivagam, cujus ſemper certiſſima ſoboles fuit: & huic (*e*) ſententiæ putat ſuffragari auctoritates quaſdam ex Saliceto & Gorgonio deſumptas, ſed quibus jam ſæpius ſatisfactum eſt.

II. Fa-

(*a*) In Elogio Georgii Franci de Franckenavv, *ad calcem* Centur. I. & II. *Ephemer. Germanicar.*
(*b*) Memoria Hoffmanniana, inſerta *Vol. II.* Actorum Phyſico-Medicorum Curioſorum Germaniæ. *Et* Joannes Jacobus Baierus, *in Biographiis Profeſſor. Medicinæ Altorfinorum.*
(*c*) Non vidi Anglicam illam Abercombryi edtionem.
(*d*) Part. I. Chap. 1. (*e*) Part. II. Probl. 13. & 14.

II. Fatetur (*a*) quidem Mercurium unicum eſſe luis venereæ rhizotomum, ſed vetat illum inunctione unquam admoveri, tum propter tædia, incommoda & pericula, quæ inde ait imminere, & quæ ita (*b*) exaggerat, ut ſi audiantur, e centum ſyphiliticis ne unus quidem futurus ſit, qui ſciens ea ſubire velit; tum (*c*) propter expertam illius methodi inefficaciam, quam conceptas ſpes non raro fruſtrari affirmat.

III. Præſtare cenſet (*d*) uſum præparatorum mercurialium; quæ blandam, benignam, gradariam ſalivationem promoveant, ut Mercurii ſublimati dulcis cum pulvere viperino, & purgantibus ſcammoniatis; Præcipitati rubri ſolaris, ex una Auri & tribus Mercurii e cinnabari redivivi partibus, amalgamatis & lento igne in pulverem fuſco-rubrum excoctis; Præcipitati rubri per ſe & ex ſolo Mercurio lenta ignitione confecti &c.

IV. Præfert (*e*) tamen ceteris omnibus pillulas ſequentes,

℞. *Præcipitati Mercurii carnei coloris, qui ex ſolutione Mercurii in aqua forti paratur affuſo volatili urinæ ſpiritu,*

Et Præcipitati rubri ſolaris, aut illius loco ſi deſit Præcipitati rubri per ſe vel ſine additione confecti, ana q. ſ.

Adde *ſulfuris aurati antimonialis* partem tertiam.

Tere in mortario marmoreo; & *addita mellis q. ſ. f. maſſa pillularum*.

V. Jubet ex illa maſſa intra ſex dies tres doſes exhiberi, quarum unaquæque ſit XXXIV, vel XXX. *gr.* Eliminata ſemel humorum ſaburra ἄνω καὶ κάτω, ptyaliſmum deinde movet, motumque fovet, ſi opus fuerit, pillulis iiſdem, ſed minore doſi adminiſtratis, ad duo nempe vel tria grana, ter in die, mane, ſub meridiem, & veſperi per dies aliquot.

VI. Contendit (*f*) ſudorem a ſe in ægrotante quovis ſympathice excitari poſſe pro lubitu, ſi cum duabus tribuſve unciis ſanguinis recens extracti admiſceatur unguentum quoddam, quod confici ait ex mumia, adipe humana, humano cruore calore ſolis exſiccato, & tribus Vitriolorum generibus ſolis ardore in calcem redactis tempore Caniculæ; ac nonnulla recenſet experimenta hac de re coram teſtibus, ut ipſe ait, ac in diverſis ægrotantibus inſtituta, ſed quorum fides ſit penes Auctorem.

VII. Haud negat (*g*) ſibi olim viſum fuiſſe eadem methodo ipſam quoque luem veneream curari poſſe ſudoribus; ſed fatetur periculo a ſe facto rem ex voto non ſucceſſiſſe, ægroſque levamen quidem inde qualecunque expertos, ſed perfectæ valetudini nunquam reſtitutos fuiſſe, quamquam cum unguento illo ſympathico modo deſcripto Mercurium crudum una extinctum, Præcipitatum ex ſoluto in aqua forti Mercurio paratum affuſo ſpiritu urinæ, aliaque non pauca Præparata mercuralia de induſtria miſcuiſſet, ut unguenti vis adverſus virus ſyphiliticum illorum facultate dirigeretur.

Anonymus Gallus. 1693.

Traité des Maladies Véneriennes. Amſterdam, 1693. *in* 12.

Proſtat ad calcem Libri gallice ſcripti, cui titulus eſt, *Nouvelle Methode des Operations de Chirurgie*. An ſit altera editio Libri gallice ſcripti & anonymi, de quo *ſupra* ad annum 1688. Liberve novus, nec prius editus incertum.

Josephus Vallisnerius, Regienſis, Principum Eſtenſium Archiatros, patruus Antonii Valliſnerii, Profeſſoris Medici in Academia Patavina, & celebris rerum naturalium ſcrutatoris, fato functus eſt, ut opinor, longe ante annum 1700. 1693.

Scripſerat ille Tractatum, qui inſcribebatur:

Vera Methodus celtica (hoc eſt, *gallica*) *lue affectos ſanandi*.

qui manuſcriptus latebat penes ejus ex fratre nepotem, Antonium Valliſnerium, ut memoratur *Tom. III. Operum* Antonii Valliſnerii, *Pag.* 166.

Tria erant Tractatus illius Capita,

„ I. Non eſſe temerarium in lue celtica inunctiones mercuriales aggredi, ante„ quam viæ regiæ„ (hoc eſt, therapeia methodica per alterantia & cathartica, atque therapeia ſudorifica per decoctum guaiaci) „ ſint expiatæ.

„ II. Non eſſe lethale quatuordecies inunctiones adhibere in lue venerea, ad hoc „ ut radicitus averruncetur.

„ III. Solventia inunctionum & ſalivationis tempore recte, & in commodum ægro„ tantis adhibere.

(*a*) Part. I. Chapp. 8. & 9. (*b*) *Ibid.* Chap. 9. (*c*) Part. II. Probl. 22.
(*d*) Part. I. Chap. 8. (*e*) *Ibid.* Chap. 9.
(*f*) Part. II. Probl. 22. (*g*) Ibid.

In ſumma, hydrargyroſim multi celebrabat laudibus; ajebat optabile eſſe ut Medicis plurima ſuppeterent remedia ſimilis efficaciæ; affirmabat mercuriales inunctiones, modo legitime adminiſtrentur, & innocua & præſentiſſima auxilia eſſe, non modo adverſus morbos venereos, ſed etiam adverſus morbos complures alios; quorum cauſa plane diverſa eſſet & aliena; inter quos ſpecialius enumerabat & ſe ea methodo curaviſſe gloriabatur, 1. Paralyſim alterutrius brachii in viro quodam Religioſo; 2. Dolorem Iſchiadicum in altero; 3. In tertio dolores arthriticos fixos; 4. Quod majoris eſt momenti, ulcus carcinomatodes in lingua, omnino deſperatum. Sed gravis eſt dubitandi cauſa an Vallisnerio ſatis certis conſtiterit argumentis ægros illos, quos adducit, ab omni labe venerea ita immunes fuiſſe, ut morboſa ſymptomata, ex quibus ægrotabant, ad luem veneream nulla ratione referri potuerint.

Cum in iſtum ſermonem delapſus ſim, non poſſum quin de Antonio illo Vallisnerio Joſephi nepote duo commemorem, quamvis ab argumento paulo magis aliena.

Primum eſt, ab illo explicandum ſuſcipi in *Epiſtola* ad P. D. Maurum Vallisnerium, Monachum Caſſinenſem nepotem ſuum, data anno 1688. & *Operum ſuorum Tom.III.* inſerta *Pag.*155. cur Decoctum radicis Chinæ, niſi aſſervetur in loco tepido, aceat, ut a Falloppio perhibetur *de Morbo Gallico*, *Cap.*61. contra quam evenit vino, aliiſque liquoribus. Illi vero videtur id inde fieri, quod ſint in Decocto illo partes viſcidiores, quæ continuo caloris motu cieri debeant, ut intimius confuſæ partes alias acidiores involvant arctius, ne ſummis apicibus promineant. Bene quidem: Sed ea ratio, ſi valeat, lacti perinde convenire, quod acidis viſcidiſque partibus una commixtis pariter componitur, & quod proinde deberet in loco calido tardius & minus acere, quam in frigido, contra quam quotidiana probatur experientia: Ex quo fit ut verear ne Vallisnerius in hoc negotio feſtinaverit inquirere διότι, priuſquam conſtaret ſibi ὅτι eſſet.

Alterum eſt, Antonium Vallisnerium, in Tractatu *Della Generatione dell' uomo*, *Part.* 1. *Cap.*2. *Art.*4. adducere, nec ſemel, auctoritatem *Dalenpatii* cujuſdam, & obſervatione ab illo inſtitura de vermiculis ſeminalibus niti, quaſi decretoria. At vero auctoritas illa nihili eſt, & ejus obſervatio merum figmentum. Nempe ignotus ille Dalenpatius, de quo, eo ſaltem nomine, nemo quidquam audivit, ipſus eſt Franciſcus Plantade, Monſpeſſulanus, Vir doctus, qui fuit Advocatus Generalis in Occitana Computorum & Fiſci Curia, & qui egregium locum jam pridem obtinet in Societate regia Scientiarum Monſpeſſulana. Peregrinabatur ille in Batavia anno 1699. & cum juvenis eſſet, jocari lubuit, quod tamen factum non probo. Scripſit ergo latine, & eleganter quidem, Diſſertatiunculam de ſpermaticis animalculis, quam inſerendam curavit in Diario, quod tunc inſcribebatur *Nouvelles de la République des Lettres*, *Articulo V. Menſis Maii anni* 1699. Narrabat in illa, ſeu fingebat potius, dum ipſe oculis optimo microſcopio armatis intentus erat diſpiciendis animalculis numeroſis, agillimis, ſubtiliſſimis, gyriniformibus, quæ ſemini humano innatabant, „ unum grandius, „ exuto σύφαρι quo involvebatur, ſeſe aperuiſſe, nudatas clare oſtendiſſe ambas tibias, „ crura, pectus, gemina brachia: Exuvium altius protractum caput ad inſtar cucullæ „ obnupſiſſe, jucundiſſimo ſane & incredibili ſpectaculo: Sexuum vero diſcrimina præ „ exiguitate noſci non quita eſſe; „ quæ ſingula appoſitis figuris ære inciſis, ut fidem ſibi præaſtrueret, oculis Lectorum ſubjicere haud gravatus eſt.

Illud eſt obſervationis hujuſce Caput, quod Vallisnerius maxime laudat, quo potiſſimum nititur, quod ait a nemine unquam dictum fuiſſe; addidiſſet vellem, quod a nemine dici potuit, cum fabula ſit. Siquidem extima illa vermiculi ſeminalis tunica, ſine σύφαρ, non minus illi eſſentialis eſt, quam cutis ſua extima verbi vel bombyci. Ut ergo vermis, qui in muſcam, bombyxve, qui in papilionem quondam abituri ſunt, non poſſunt cutem illam extimam exuere, ut ſe muſcæ aut papilionis ſpecie viſendos exhibeant ante diem, ſic neque animalcula ſeminaria, licet humanam formam gradaria mutationum ſucceſſione olim adeptura ſint, poſſunt tunicam ſuam extimam unquam dimittere ante diem.

Sed quid ergo refellendæ fabulæ immoror? Quaſi vero non ipſe pluries audiverim ab ipſomet Franciſco Plantade hæc omnia falſa & falſe conficta eſſe; quaſi ab eodem ipſe non acceperim falſum *Dalenpatii* nomen, quo latere placuit, verum ſuum *Plantadeii* nomine latine redditum referre, a quo non diſcrepet niſi ſola literarum inverſione, ut ajunt, Anagrammatiſmo.

1694. Heydendryk Overcamp, Medicus Batavus, vixit exeunte ſæculo proxime præ-

præterito, amiciſſimus Cornelio Bontekoë, quem fere ſolum laudat, & a quo viciſſim fere ſolus laudatur.

Opera ſua omnia ſimul collecta edenda curavit Amſtelodami, anno 1694. *in* 4°. batavico idiomate ſcripta.

Alle de Medicinale, Chirurgicale, en Philoſophiſche Werken van Heydentryk Overcamp, *M. D.* t'Amſterdam, *by Jan ten Hoorn.* 1694. in 4. *Vol.* II.

Id eſt, *Opera omnia Medica, Chirurgica & Philoſophica* Heydentrykii Overcamp. *M. D.* Amſtelodami, *apud Johann. ten Hoorn.* 1694. in 4. *Vol.* II.

Proſtat ad calcem Tomi II. Tractatus *de lue venerea & ejuſdem curatione*, batavice ſcriptus, ſicut & Opus reliquum, & inſcriptus *Verhandeling van de Pokken, en haar geneeſinge*, in quo hæc eſt doctrinæ ſumma.

1°. Luem veneream ante ducentos annos (ſcribebat ille anno 1694) Europæ ignotam fuiſſe: Ab Indiis occidentalibus in orbem noſtrum devectam: In Indiis vero conceptam eſſe deteſtabili venere, quam Indigenæ cum pecudibus exercebant.

2°. Morbum contrahi contagio ſolo per coitum, ſalivam, ſudationem; neque alterum ullum eſſe, qui ægrotantes, medicoſque magis vel frequentius deludat.

3°. Venenum, quo inducitur, eſſe acidum-acre, ut Sylvio de le Boe jam viſum fuit; & ubi ſemel humores pervaſit, curatu ſemper difficile eſſe, & ſi mora inveteraverit, nulla ratione perfecte curari poſſe; quod tamen quotidiana cum experientia pugnat.

4°. Aquam Quercetani (aquam Mentæ, de qua vide ſupra) remedium omnium efficaciſſimum eſſe ad gonorrhœam virulentam, quod & ore ſumi & in urethram injici poſſit: Imo vero, ſi morbus difficilior fuerit, licere cum aqua illa interne exhibenda miſcere doſim tincturæ cantharidum, ſed parcam; quam a Bartholino & a Gandello laudari ſupra vidimus.

5°. Luem veneream nulla alia ratione depelli, quam ſudatione & ſalivatione. Sudationem quidem movet ille Decocto vel extracto Guaiaci, octava die exhibendo ſequentem pilularum doſim.

℞. *Extracti Catholici* gr. xij.
Reſinæ Scammonii gr. ix.
Mercurii præcipitati albi gr. x.
Trochiſcorum Alahandal gr. ij.
F. *Pillulæ* N°. vj.

quæ ſingula eodem ordine per ſex menſes iterari jubet; ſed in quibus vis nimia & vere mochlica pillularum videtur merito culpanda.

6. Innunctiones mercuriales ideo improbari ad ſalivationem provocandam, quod Mercurii quantitas, quæ ea ratione in ſanguinem ſubit, certo definiri non poſſit: Laudari potius uſum internum præparatorum mercurialium; quaſi vero eo pacto certior eſſet, cognituve facilior quantitas admiſſi in ſanguinem Mercurii.

7°. Præparata mercurialia ab illo potiſſimum adhiberi ſequente formula.

℞. *Mercurii præcipitati albi* ʒ j.
Gummi Ammoniaci diſſoluti ʒ iij.
M. f. Pillulæ N°. xij. quarum æger tres devoret bis in die, mane & veſperi, uſque dum fœteat anima, quo in caſu doſim imminuit.

8. Quod ſi Mercurius vires in inteſtina exereat, ac diarrhœam inducat, tunc in uſu pillularum ceſſandum eſſe per dies octo vel quindecim, & illarum loco exhibenda Decocta Guaiaci vel Sarſæ-parillæ.

9. Ceterum propoſitis remediis inſiſtendum eſſe per menſes tres continuos, atque poſtea per annum integrum Decocto Guaiaci utendum eſſe; cenſet enim ille ægrotantium pleroſque ideo radicitus non ſanari, quod remediorum uſum præmaturius dimittant.

MARTINUS LISTER, Eboracenſis, Societatis Regiæ Londinenſis Socius & ex Medi- 1694
cis Domeſticis Reginæ Annæ, inter alia Opera numero ſatis multa, quorum primum 1698
anno 1678. & poſtremum, quod ſciam, anno 1709. ſcripſit *Exercitationes* aliquot *Medicinales*, quæ primum numero ſex Londini 1694. *in* 8. mox numero auctæ prodiere Amſtelodami *in* 8. 1698.

In quarta agitur *de Lue Venerea*, ſed breviſſime, & quod perpetuum eſt illius Auctoris vitium, ſatis incompoſitæ. Quinimo nec Obſervationes omnes, quam refert numero quindecim, videntur ſatis certe ad luem veneream pertinere.

Primo. Circa morbi Theoriam.

 I. Af-

I. Affirmat Liſterus,, luem veneream in Inſulis Americanis ante Hiſpanorum adventum populariter graſſatam fuiſſe, & inde per Hiſpanos in Europam allatam eſſe; ,, quam ſententiam cunctos jam ſequi confitetur.

II. At vero ab omnibus ſeorſum ipſe ſentit, cum addit,, haud ita abſurdum eſſe ,, credere luem veneream originem ſuam habuiſſe ex eſu *Ivanæ* ſeu *Iguanæ*, ſerpentis ,, ſcilicet ex quadrupedum genere, quo Indi avide veſcebantur, quem in deliciis habebant, & quem Hiſpani ad eorum exemplum in cibis ſuis poſuerunt: ,, Quod ut ,, confirmet, 1°. Adducit auctoritatem Gonſalvi Fernandez ab Oviedo, qui teſtatur, *Summarii Cap.* 6. Et *Hiſtoriæ generalis Indiarum Lib. XIII. Cap.* 3. comeſta Ivanæ carne dolores venereos diu ſopitos intagraſcere; 2°. Nititur argumento, quod a ſignatura Lacerti illius propria ducit; criſtiſque quibus in dorſo horret a capite ad caudam uſque, cenſet quaſi ſuis characteribus repræſentari & indicari criſtas, ſive criſtatas excreſcentias, quæ pudenda & ani confinia in Syphiliticis ſolent obſidere, unde colligit videri eſu Ivanæ morbum inductum fuiſſe.

Sed nemo eſt, opinor, qui non facile intelligat hæc argumenta ficulnea eſſe, ſi reputet.

1°. Carnem Ivanarum ſanis & luem veneream nunquam expertis nullam noxam inferre; imo vero, ut carne cuniculorum ſapidior eſt, ſic etiam multo ſalubriorem eſſe; quod expreſſo Gonſalvi Fernandez teſtimonio, & ultronea Liſteri confeſſione abunde conſtat.

2°. Quod ſi, ut atteſtatur Gonſalvus Fernandez, carne Ivanæ in cibum adhibita, dolores venerei, quorum ſanatio certa non fuerit, ſed qui tantum ſopiti erant, revertantur, cum caro illa pro nata partium tenuitate & energia ſanguinem, quem renovat, atterit, fermentat, movetque incitatius, inde tamen nequaquam effici poſſe ab eadem luem nunquam in ſanis ingenerari, niſi pari ratione, & ſimili de cauſa ideo credatur contra apertiſſimam rei veritatem, poſſe quoque luem eſſe colubrorum, viperarum, grandiorumve teſtudinum, imo mercurialium uſu induci, quod cibis vel remediis hujuſcemodi, cum primum adhibentur, ac in ſanguinem impetum faciunt, ſoleant plerumque dolores venerei, qui jam ſe remiſerant, manifeſte recrudeſcere.

3°. Ivanas genus Lacertorum eſſe, quod ſoli Americæ peculiare eſt, neque in aliis Aſiæ & Africæ regionibus intra Tropicos ſitis reperitur, in quibus tamen luem veneream, perinde ac in America, endemiam olim fuiſſe probavimus ſupra, *Lib. I. Cap.* 11. unde evidens eſt eſum carnis Ivanarum pro cauſa communi luis venereæ admitti nulla ratione poſſe.

4°. Demum nullomodo fidendum eſſe inanibus illis ſignaturis, quas a credula Chimicorum gente in Medicinam inductas fuiſſe queritur Sennertus, *Inſtitution. Medic. Lib. V. Part. I. Sect. I. Cap.* 22. & in quibus tractandis non diffiteor Medicorum non paucos, ſeculis duobus proxime præteritis, otio & ingenio abuſos eſſe ſuo, ut inter res omnino diſpares neſcio quid ſimilitudinis comminiſcerentur, quo ſtare poſſet commentitia remediorum ſignatura, ſed quorum exemplo mihi vehementer dolet Liſterum nugari.

Secundo. Quod ad Praxim morbo adhibendam,

I. Vult Liſterus totam,, luis curandæ methodum includi hodie in purgatione, me- ,, dicamentis ex hydrargyro confectis, præcipueque nunquam ſatis laudando illo Mer- ,, curio dulci dicto, & Guaiaci decocto, *ita ut* hydrargyrus quidem veneni in lue an- ,, tidotum ſit, ſed Guaiacum hydrargyri.

II. Audet infuſum Cantharidum interne præſcribere; nam ad ulcus venereum proſtatarum ſequens remedium proponit, *Obſervatione XI.*

℞. *Spiritus vini rectificati* lib. ſſ.
Gummi Guaiacini ℥. ſſ.
Cantharidum ʒ j.
Cocheinilliæ ʒ ij.
Succi hypocyſtidis ʒ ij.
Spiritus Sulphuris ℈ j.

Digerantur cinere calido ad 12. horas: Filtrentur per chartam bibulam.

Hujus medicinæ guttæ XL. ex cerevifia tepida mane & ſero quotidie propinentur.

III. Monet in Præfatione Diſſertationibus præfixa *medicamentum* quoddam a ſe *ſine invidia edendum eſſe ad comprimendam gonorrhœam, quo ab aliquot annis cum ſucceſſu uſus ſit*. Videtur autem illud remedium, quod nullibi diſerte prodit, nihil eſſe præter Cochenilliam, quam ſæpius commendat. Hac enim utitur in *Obſervatione XI.* ut modo di-

do dictum eſt, ad ulcus proſtatarum, & etiam in Obſervatione ſequente, *quæ XII. eſt*, ad gonorrhœam virulentam ſub ſequenti formula.

℞. *Cocheineilliæ* ℥ iij.
Cantharidum ʒ j.
Vini Rhenani lib. j.
M. Digerantur per diem *B. M.*

Infuſi Cochleare unum e decocti Guaiaci ℥ iiij ſume bis in die, gonorrhœa curabitur. Demum, eadem utitur ad veſiculam ſeu bullam cryſtallinam Balani, *in Obſervatione XIV*, decocta ad ℥ iij in decocto valentiſſimo Guaiaci, quod ægrotanti propinandum exhibet.

IV. Denique minime abſtinet ab injectionibus in urethram in gonorrhœa incipiente, non anodynis modo, ſed etiam aſtringentibus. Sequentem enim ipſe præſcribit *in Obſervatione XIII.*

℞. *Aquæ plantaginis* &
Papaveris Rhœados ana ℥ iij.
Opii bene uſtulati ʒ j.
Mellis roſati ℥ j.
Trochiſcorum ex Minio puro metallico ʒ ij.

Unde ait intra paucos dies *& urinæ punctiones & gonorrhœam ex toto deſinere*. Sed in hujus veſtigiis inſiſtendum eſſe vix puto.

Nicolaus Maximilianus Wilhelmi, L...... Schvvalbacenſis. 1694

Diſputatio Medica Inauguralis de Salivatione Mercuriali, *quam ..... ſubmittit* Nicolaus Maximilianus Wilhelmi, L. ..... Schvvalbacenſis, *ad diem* 17. *Decembris*. Lugduni Batavorum. *Apud Abrahamum Elzevier*. MDCXCIV. *in* 4.

Johannes Fredericus Stædel, Argentoratenſis. 1695

Theſes Medicæ de Gonorrhœa virulenta ..... *pro Diſputatione Inaugurali ...... examini die ... Martii, A.C.* MDCXCV. .... *ſubjectæ a* Johanne Frederico Stædel, Argentoratenſi, *Argentorati*, Literis Stædelianis. *in* 4.

Joannes Vierzigmann, Norimbergenſis. 1695

Diſputatio Inauguralis Medica de Phimoſi, *quam aſſiſtente numinis divini præſidio ..... in inclita Univerſitate Altdorffina, pro licentia ſummos in arte medica honores & privilegia Doctoralia rite impetrandi, publicæ diſquiſitioni ſubmittet ad diem* 1. *Martii, anno* MDCXCV. Johannes Vierzigmann, Norimbergenſis. *Typis Henrici Meyeri, Univerſitatis Typographi*. in 4.

Hæc Academica Diſſertatio *paginis* 19. & corollariis ſeu articulis 30. continetur.

Auctor, præmiſſa Phimoſeos Etymologia & Definitione, duplicem diſtinguit Phimoſim: (*a*) Alteram in Viris, *in quibus nihil aliud eſt quam impedita glandis vel capitis penis denudatio, facta a nimia præputii anguſtia*: In Fœminis alteram, in quibus *ea eſt ſinus muliebris oſtioli adſtrictio, qua adeo in maritatis coarctatæ inguinis foſſæ, ut vix ac ne vix quidem cuſpidi maritali amplius aditus pateat, cum antea optime patuerit*.

II. Admittit (*b*) in Viris quinque morbi cauſas, 1°. „ Naturæ in formando præputio errorem aut luxuriem: 2°. Læſionem externam violentam, cui ſuccedat inflammatio, cicatrix, callus: 3°. Nimium coeundi œſtrum in Laſtauris: 4°. Impurum concubitum cum inquinatis lue venerea, vel ſcorbuto: 5°. Demum Chirurgi negligentiam, ex qua fit ut virus ex ulcuſculis venereis (gallice *Chancres* dictis) in penis glande, ejuſque peripheria exiſtentibus deſtillans, intra præputium hæreat.

III. Muliebris Phimoſeos eaſdem (*c*) ferme agnoſcit cauſas, „ 1°. Malam conformationem oſtioli uteri, vel nimiam nympharum magnitudinem: 2°. Læſionem externam præcedente exulceratione, vel in ſcirrhum durata inflammatione: 3°. Frequentiſſime demum impurum coitum, uti in Viris.

IV. „ (*d*) Ubi ab impuro coitu malum irruptionem fecerit, „ (ceteras enim Phimoſeos ſpecies hic non curo) „ jubet Auctor adhiberi emollientia, acrimoniam fermenti maligni temperantia, viſcidas particulas incidentia, ſtagnantes humores priſtinæ circulationi reſtituentia; .... quibus omnibus nihil proficientibus *fatetur* ſectionem tandem fore inſtar anchoræ ſacræ.

(*a*) Corollar. VII.
(*b*) Corollar. XII. .... XVI.
(*c*) Corollar. XVII. .... XIX.
(*d*) Corollar. XXI.

V. Ait ergo „ (a) in hoc caſu prodeſſe ex ſpecificorum claſſe Decocta lignorum, Eſ-
„ ſentiam ligni Tincturas Saſſafras, Antimon. Corall. cum ſpiritu ligni, Extractum
„ ligni, Guaiaci, Pulverem Bezoardicum, Cinnabarim nativam, aliaque, inter quæ, ve-
„ lut inter ignes luna minores, eminet * Balſamum *Racaſira*, quod nuperis demum annis
noſtro diverſus gentibus Orbis
Miſit.
„ ad debellandos inſolitæ olim luis inſultus.

VI. Inter cetera laudat „ (b) Mercurium dulcem, quaſi optimum viſcidi, tenacis &
„ acris contagii averruncum, ſed quem tamen ait ſuperari a Mercurio cinnabarino in-
„ comparabilis quondam Æſculapii Norici, *Johannis Georgii* Volckameri.

VII. Proponit (c) deinde injectiones ſub præputium infundendas, fotus & cataplaſ-
mata inflammato præputio admovenda, ut relaxetur; quæ ſi non ſuccedant, Auctor
eſt ut omni mora depoſita inſtituatur conſtricti preputii ſectio.

VIII. Cenſet (d) ad Phimoſim muliebrem eadem remedia perinde facere; „ fibras
„ ſcilicet tenſas relaxandas eſſe fotibus balneiſque emollientibus & reſolventibus; acri-
„ moniam conſtringentem demulcendam remediis internis & externis; denique angu-
„ ſtiam viarum ampliandam & dilatandam Peſſis, vel Priapoſis & Priapiſcotis, quo-
„ rum multos deſcripſit e Veteribus C. Celſus, *Lib. V. Cap.* 21. Et Paulus *Lib. III.*
„ *Cap.* 60. & *Lib. VII. Cap.* 24.

1690 W..... Vvall, Anglus.

A Nevv Syſtem of the French Diſeaſe, vvith an eaſiy and familiar Method of curing it, unknovvn to the Ancients or Moderns, vvith all its common and remote ſymptomos, obvious to the meaneſt capacities. Alſo an Introductory Prefa-ce, giving an account of the Vvork and an uncommon caſe. By Vv. Vvall. *London, by John. Baker*, in 8. anno non adſcripto, ſed ut videtur, anno circiter 1696.

Id eſt, *Novum Syſtema* Morbi Gallici, *faciliſque ac familiaris Methodus illi medendi & omnibus ejuſdem ſymptomatibus, tum communibus, tum remotis, Antiquis & Neotericis incognita, & ad uniuſcujuſque captum accommodata. Necnon* Præfatio Introductoria, *qua exponitur Operis ratio, caſuſque quidam perrarus*. Auctore Vv.... Vvall. *Londini, apud Johannem Baker*.

Scriptor ille olim plurimum inclaruit in Anglia in curandis morbis venereis, an jure merito viderint illi, quibus compertum eſt quos ſucceſſus habuerit. At certe utcunque ſpes donare largus ſit, arcanum ſuum de induſtria celat, quod circulatoriæ fraudis eſſe videtur.

Guillelmus Riviere, Monſpeſſulanus, Licentiæ & Doctoratus honores impetravit in Facultate Medica patria anno 1579. ex Actis ejuſdem Facultatis, locum habuit, & egregium quidem, in Societate regia Scientiarum Monſpeſſulana ab anno 1706. quo primum inſtituta fuit; demum fato functus eſt anno 1734. prope octogenarius.

Nomen dedit anno 1696. inter Candidatos, qui abibant Cathedram regiam Chimiæ in Academia Monſpeſſulana vacuam obitu Arnaldi Fonſorbe, ac in eruditionis ſpecimen ſequentes Theſes propoſuit & propugnavit.

Quæſtiones Medico-Chymico-Praticæ duodecim a ..... Michaele Chicoyneau, *Cancellario, ...,* Johanne Caſtelajn, *Decano*, Johanne Bezac, Guillelmo Rideu, Petro Magnol, *Profeſſoribus, ... propoſitæ ..... pro regia Chymiæ Profeſſione vacante per obitum .....* Arnaldi Fonſorbe, *quas ...... propugnabit ...... triduo integro mane & ſero, diebus* 21. 22. *&* 23. *Novembris anni* 1696. Guillelmus Riviere, *in patria Academia Doctor*. Monſpelii. *Apud Honoratum Pech*. 1696. in 4.

Harum Quæſtionum Quarta ſic proponitur,

An Cancro, Scrofulis & Lui Venereæ Panacea mercurialis?

Concluſio affirmat.

Et Quinta

An Mercurius crudus in affectibus venereis curandis præferendus ſit chymicis ejuſdem præparationibus?

Concluſio pariter affirmat.

Quæ

(a) Corollar. XXII.

* Quid nomine Balſami *Racaſira* intelligat Auctor, ipſe quidem neſcio, niſi forte Balſamum *Copaibæ*, quod per id tempus in Europa in uſum medicum adductum eſt, & quod barbaro illo nomine potuit initio a nonnullis appellari.

(b) Corollar. XXIII. (c) Corollar. XXIV. XXV. (d) Corollar. XXIX.

Quæ confeſſio, licet vero verior ſit, a Chimicorum intelligentia abeſt longiſſime, atque adeo quam magnum eſt jam ab anno *1696*. extorqueri potuiſſe a Candidato, qui profeſſoriam Chimiæ Cathedram ambibat.

MICHAEL ALOYSIUS SINAPIUS, Philoſophiæ & Medicinæ Doctor, in Hungaria natus, poſt peragratam Italiam & Germaniam in Poloniam ſe contulit, ubi medicinam fecit exeunte ſæculo proxime præterito, Theophraſti Paracelſi laudator & aſſectator nimius, quod Empiricum magis quam Medicum ſapit. 1697.

Abſurda Vera, ſive Paradoxa Medica. Part. III. Acceſſit Parti *II. Diſſertatio* de falſo titulo ſive falſa exiſtentia Morbi Gallici. Genevæ. 1697. *in* 12.

Hæc Diſſertatio eo fine a Sinapio conſcripta eſt, ut aſtruat „ Gallicum morbum ignorantiæ plerorumque Medicorum, & falſæ traditioni Antiquorum, ortum, nataleſque debere. Non quod ipſe neget, *ut ait*, gonorrhæam, bubones, exanthemata varia, tophos, oſſis cariem, dolores oſteocopos &c. ſed negat horum morborum cum gallico morbo vulgo deſcripto connexionem, ſive ſuppoſita & hypotheſes tam de Therapia, quam de Theoria iſtorum morborum hactenus uſitata & evulgata.

Argumenta, quibus opinionem ſuam nititur præfulcire, proferenda eſſe non cenſeo, quippe quæ vana, commentitia, futilia ſunt, & cum apertiſſima rei veritate pugnantia. Satis erit ad ſequentia attendere, quibus Auctor ille diſſertationem ſuam concludit. „ Finio, *inquit*, & ſi quis curioſorum quærat cur hanc diſſertationem de Morbo Gallico, uti pleriſque videbitur, abſurdam & paradoxam concinnaverim, judicet quis quid velit; quæ enim aliis abſurda, eadem mihi vera videntur. Si quid vero eſt morbus venereus, nihil aliud eſt quam in hominibus ad venerem pronis, ſive malancholico-libidinoſis, ob frequentem & copioſum ſpirituum animalium in partes genitales influxum ac determinationem, obque negatum liquori genitali debitum motum excretorium, ejuſdem liquoris genitalis in vaſis ſpermaticis reſtagnatio, indeque concepta acrimonia, quæ ſi vaſa diſtendat ac erodat, ſequetur gonorrhœa; ſi diutius perduret commixta cum lympha acri & viſcoſa circa partes glanduloſas inguinales, bubones producet; ſi ulterius maſſæ ſanguineæ communicata, cum lympha ad articulos & juncturas deferatur, dolores oſteocopos; aliaque pro ratione partium & temperamenti ſymptomata. „

„ Obſervavi id ipſum, *pergit Ille*, in honeſtiſſimo quodam viduo, qui alioquin a natura ad venerem pronus, abſtinentia ſibi vim inferens, potiſſima ſymptomata, quæ alioquin vulgo Morbo Gallico adſcribuntur, patiebatur; poſtea autem repetito connubio curatus eſt.

En igitur, ſi audiatur Auctor ille, morbum venereum alio nomine redivivum, ſed qui non ſcortatione, non venere vulgivaga, ut hactenus experientia compertum fuit, ſed caſtitate & continentia concipiatur, quod ægri ſomniis ſimillimum eſſe videtur.

Conatur tamen Sinapius commentitiam ſuam opinionem auctoritate Pauli de Sorbait confirmare, quem ait fateri in *Praxi ſua Medica* „ homines etiam caſtiſſimos, religioſos, maxime a veneris amplexibus abſtinentes, & in quibus nulla potuit obſervari ſuſpicio contagii, Morbo Gallico fuiſſe infectos, quod refert ille in ſpecificam quamdam vim temperamenti alicujus Saturnini, & inauſpicatam ſyderum influentiam, aut etiam aeris ambientis vitium.

Sed qui aniles hujuſcemodi fabulas credit cum Paulo de Sorbait, vel cum Michaele Aloyſio Sinapio, credat idem cum Averroe, *Colliget Lib. II. Cap.* 10. „ mulierem quamdam impræegnatam fuiſſe ſubito in balneo aquæ calidæ, in quo ſpermatiſaverant mali homines, cum eſſent balneati in eo balneo: „ Aut credat cum Amato Luſitano, *Centur. VII. Curat.* 8. „ mulierem quamdam Turcam, cum marito, qui longum iter parabat, recens congreſſam, & quæ nulla mora interpoſita in vicinas ædes ſe contulit, ubi alteram mulierem a ſe adamatam compreſſit, illam gravidam reddidiſſe.

Cæterum utcunque de exiſtentia & natura morbi venerei Sinapius ſenſerit, nihilominus tamen proponit ipſe remedia, quæ ad hunc morbum facere creduntur. Nempe ait 1°. „ Lignum Juniperi, Fraxini, radicem Pimpinellæ, remedia eſſe ſibi domeſtica, & quæ forte ob frequentiam vilipenduntur, interim tantum valent, quantum famoſa & chara illa ligna, quæ ex Indiis apportari ſolent.

2°. „ Præter hæc, pauperes in pleriſque locis feliciſſime ſeſe curare rebus aliis communiſſimis, ut Buxo, Alno, radice Lappæ majoris, herba Cardui Benedicti, Centaurio minore, radice Imperatoriæ, oleo pini, abietis, ſuccini, Petrolæo.

3°. „ In

3°. „ In Polonia homines pauperes fimo equino calido collo tenus per dies complu-
„ res inhumari, & bibere decoctum Lappæ majoris: Hunc eſſe ipſis Mercurium,
„ hanc Panaceam.

4°. Apud Tartaros, ut ille audivit, ſuſpectos de lue venerea exerceri longis equitationibus ad ſudorem, inedia, pulvere calami aromatici (qui in Tartaria abunde creſcit) ſæpius exhibito; dormire cum catellis quos ſæpe mutant, vel in ſtabulo inter vapores equorum, quorum ſtragulis calidis ſe tegunt & ad ſudores eliciendos frequentes ſe diſponunt, habito reſpectu externorum accidentium.

Sed hæc medicamina ſingula, quanti quanti fiant, vana ſunt, infirma, plane imparia debellandæ lui venereæ, atque adeo inter negatoria præſidia releganda.

1697. Nicolaus Heinsius, Nicolai filius, Cuylenborgenſis in Provincia Ultrajectina, Philoſophiæ & Medicinæ Doctor, medicinam factitavit Cuylemborgi in patria.

Scripſit batavice ſequentem Tractatum.

De kwynende Venus, *ofte een korte doch naukeurige Verhandeling van de Pokken, beneffens een aanhang van XXXIII. aanmerkingen omtrent het geneeſen deſer kuvaal door ſyne genees middelen*. t' Amſterdam, *by Nathanael Holbeek, en Johannes Broers*, 1697. in 8.

Hoc eſt, *Venus languens, ſeu Tractatus brevis & accuratus de lue venerea; adjectis XXXIII. Obſervationibus de curatione hujus morbi ope remediorum, quæ Auctori propria ſunt & peculiaria*. Amſtelodami, *apud Nathanaelem Holbeek & Johannem Broers*. 1697. in 8°.

1°. Cenſet Auctor luem venereum ſcortationis filiam eſſe, matre ſua nihilo recentiorem, atque adeo mundo fere æquævam, cujus omnia ſymptomata a Veteribus deſcripta ſunt, ſed ſeorſum & quaſi morbi totidem ſingulares.

2. Statuit venenum luis venereæ eſſe *fermentum ſalino-acidum volatile*, ad quod depellendum negat Mercurio uti unquam par eſſe forma quavis, cum Mercurius ipſe venenum ſit; quam vituperii notam conatur illi innuere adductis neſcio quibus experientiis, ſed quam miror poſſe a quoquam renovari hac qua vivimus ætate.

3°. Neque potior foret illo judice Guajaci conditio, cujus uſum acriter improbat, ſicut & methodum omnem ſudationum.

4°. Repudiatis quam maxime potuit ſalivatoriis, ſudoriferis, & catharticis remediis, quæ *tyrannica* vocat, ſua commendat arcana, quorum in ſuo jam antea edito Armamentario Sanitatis, ſive *Zeghaus des Geſundheit*, buccinator fuerat; Tincturam nempe anti-veneream, Eſſentiam anti-veneream, Arcanum anti-venereum, Decocta ſingulari modo præparata, & pulveres mercuriales diaphoreticos & laxantes; unde liquet Librum hunc ab Auctore eo tantum conſilio ſcriptum, editumque fuiſſe.

(a) Ut *venditaret falſo antidotum nomine*,
Et *verboſis acquireret ſibi famam ſtrophis*.

Hunc Heinſii Tractatum Henricus Elias Hundertmarck, Medicinæ Doctor & Poliater Citzenſis, germanice, anno 1700. & Anonymus gallice vertit, anno 1706. ut *infra* videbimus.

1697. Carolus Musitanus, Calaber, natus anno 1635. Apruſti (*b*) in Calabria, haud longe a Crotona, in oppido quod (*c*) nunc *Caſtrovillarium* appellatur, patrem habuit Scipionem Muſitanum, & matrem Lauram Puglieſſe. Humanioribus literis & Philoſophiæ ſtuduit in urbe patria, ſed Neapolim petiit Medicinæ cauſa. Ibi Sacris addictus ſacerdotium iniit, imo confeſſionibus audiendis vacavit; medicinam tamen fecit cum laude, ac famam potiſſimum dicitur ſibi comparaſſe morborum venereorum therapeja. Defunctus eſt Neapoli anno 1714. ætatis 79.

1697. Josephus Musitanus, Caſtrovillarienſis, Doctor Medicus & Caroli Muſitani ex fratre nepos.

Del Mal Franceſe *Libri quattro, compoſti dal R. D.* Carlo Muſitano, *Academico Pigro, Peregrino, Spenſierato &c. Tradotti dalla lingua latina nell' Idioma Italiano da* Giuſeppe Muſitano *della Città di Caſtrovillari, Nipote dell' Autore, Dottore di Medicina e Chirurgia. Con l'aggiunto a beneficio di tutti coloro, che non intendono la lingua latina, acciò da ſe ſteſſi ſenza l'ajuto d'alcun Medico poſſano dar rimedio a tal male*. In Napoli, *nella ſtamperia di Giacinto Pittante*. MDCXCVII. in 8.

Monet

(*a*) Phædr. *Fab.* 14 *Lib.* 1. (*b*) Ex præfatione Operi præfixa. (*c*) Mangetus, *in Biblioth. Medic.*

Monet Interpres in ipſo verſionis ſuæ procemio jam jam a multis annis Librum latine ſcriptum, a Carolo Muſitano, patruo ſuo, editum fuiſſe, quem ipſe Italicum facere operæ pretium duxit, ut ab iis qui latine neſciunt legi poſſet. Quo primum anno Liber Caroli Muſitani in lucem exierit, nondum compertum habeo, at vero certo ſcio illo partem potiſſimam conſtitui *Trutinæ Chirurgico-Phyſicæ*, quam Carolus Muſitanus edendam curavit Genevæ *in* 4°. anno 1698. & quam partitus eſt in partes quatuor, I. *De Tumoribus*. II. *De Ulceribus*. III. *De Vulneribus*. IV. *De Lue Venerea*. Hæc autem pars ultima in quatuor Libros ſubdividitur, perinde ac Tractatus italice ſcriptus, quibus ordine exponuntur morbi venerei ſinguli, & peculiaris ſingulorum therapeja explicatur, ſed in quibus non deſunt, quæ merito offendant.

I. Deridet acrius antiquiores Medicos, quos *Vulgares* appellat, neque ſemper ſatis recte.

II. Nimium elevat remedia conſueta, quorum pleraque ſua laude non deſtituuntur.

III. Dicendo nimis amplificat utilitatem remediorum quorumdam, quæ quaſi nova proponit, & quibus impenſe ſuperbit, ſed quæ tamen conceptæ exiſtimationi nullomodo ſatisfaciunt; uno verbo non Medici ingenui, ſed Empirici perſonam plerumque ſuſtinere videtur.

Hinc Muſitani Tractatum gallice redditum edendum curavit Trivoltii anno 1711. Johannes Deveaux, Chirurgus Pariſienſis, ſuiſque adnotationibus haud indoctis ita auxit, ut ea editio editioni latinæ multum præſtet. Ex quibus noluerim tamen judicium duci de ceteris ſcriptis medicis non paucis, quæ ab eodem Deveaux gallice verſa ſunt, quippe minime neſcius eumdem pleraque contaminaſſe, & *male vertendo ex latinis bonis, gallica ſæpius feciſſe non bona*.

Carolus Dionysius Launay, Chirurgus caſtrenſis.

(*a*) *Nouveau Syſteme concernant la Generation, les Maladies Vénériennes & le Mercure, où leurs phénomenes ſont eliquez d'une maniere toute particuliere pour la connoiſſance de ces maladies, & la preparation qu'on doit faire obſerver aux Malades. Diviſé en deux parties. Par* Charles Denys de Launai. A Paris, *chez Barthelemy Girin.* 1698. in 12. 1698.

Pars Secunda illius Tractatus, in qua *de Morbis Venereis & de Mercurio*, Capitibus VII. paginiſque 100. comprehenditur, ſed in quibus fruſtra quæras quidquam, quod novum ſit aut egregie dictum. Liber Guidoni Creſcentio Fagon, tunc Archiatrorum Comiti, nuncupatur. Auctor partem Operis ſui priorem, quæ de Generatione tractabat, revidit, correxit pro ingenii modo, amplificavit, ac iterum edendam curavit Lutetiæ anno 1726. *in* 12. omiſſa parte poſteriore. Hæc altera Editio dedicatur Georgio Marechal, Chirurgo Regis primario.

Petrus Garnier. Lugdunenſis, Doctor Medicus Facultatis Monſpeſſulanæ, Collegio Medicorum Lugdunenſium Aggregatus, ſecundæ Editioni *Novarum Formularum*, 1699. quas in uſum Noſocomii majoris Lugdunenſis concinnaverat, adjunxit anno 1699. Tractatum gallice ſcriptum cum hac inſcriptione: *Traité Pratique de la Vérole*, in 12. *tribus Capitibus* comprehenſum, quorum primo *de natura, & cauſa*, altero *de ſignis diagnoſticis*, & tertio *de methodo curatoria luis venereæ* agitur.

Hic Auctor, omiſſis quæ dubia ſunt ac incerta, explorata tantum & comperta profert, atque curationi luis venereæ unice intentus, quæcunque ad illum ſcopum facere videntur, ingenuo animi candore enucleat. Duo tamen deſiderari videntur; *Alterum*, ut non de lue tantum venerea, ſed de ſingulis morbis venereis pari diligentia verba feciſſet: *Alterum*, ut ſingula paulo fuſius, atque adeo enucleatius explicaviſſet. Adde ab illo proponi tantum ad luis curationem hydrargyroſim plenam & quotidianam, a qua ptyaliſmus cietur nimius, tumultuarius, periculi plenus, nulla mentione facta hydrargyroſeos intercalaris & parcioris, quæ morbo ſalivatione facili, pauca, moderata medetur.

Petrus Garnier in Villafranca Seguſianorum, quo advocatus fuerat ut febri peſtilentiali & epidemicæ opitularetur, ex contracto contagio extremum diem obivit, circa annum 1710. ni fallor, nondum ætate provectus.

Guilielmus Vince, Anglus, quondam Artium Baccalaureus Oxonii. 1699.

Diſſertatio Medica Inauguralis de Lue Venerea, *quam . . . . ſubmittit* Guilielmus Vince, Anglus, *quondam A.B. Oxonii, ad diem* 14. *Decembris*. Trajecti ad Rhenum, *ex officina Guilelmi van den Water*. MDCIC. in 4.

DE

(*a*) Bibliotheca Hulſiana. Tom. 3. Part. I. Pag. 254.

DE
MORBIS VENEREIS
LIBER NONUS.

Index Chronologicus Auctorum, qui de Lue venerea, vel Luis venereæ remediis ſcripſerunt, ab anno primo ſæculi decimi octavi, ad hanc uſque diem, cum brevi plerorumque Operum Analyſi & Epicriſi.

PERVENIMUS tandem ad noſtra tempora, quibus poſſumus nec immerito nobis gratulari, quod illa quæcunque ad luem veneream ſpectant, certiora ſint & exploratiora. Multa ſiquidem delevit commenta temporis diuturnitas & experientior rerum uſus, & multa invexit vel confirmavit decretoria dogmata. Dies enim diem docet.

Sic I. Morbum venere vulgivaga, ne promiſcua quidem, modo pura ſit, unquam generari jam conſtat inter omnes, niſi forte inter illos quibus Medica morborum Hiſtoria plane inaudita eſt, & qui anno ipſo 1701. *cenſebant ante ſe neminem extitiſſe, qui venereorum morborum cauſas, differentias, ſigna, & curationem tradidiſſe.*

II. Pariter res eſt confeſſa morbum ex ſe & ſolo rerum non-naturalium vitio nunquam induci: ſed vel contagione tantum contrahi per contactum intimum partium mollium, affrictu mutuo concaleſcentium, ut ἀφροδισιασμῷ, lactatione, obſtetricatione &c. vel hæreditate venire ab alterutro parentum, & ut hujus morbi communio ſolet eſſe inter eos qui una conſueſcunt, plerumque ab utroque.

III. At vero, licet certum ſit a parentibus ſyphiliticis poſſe embryoni inſpirari ſeminium morboſum, unde plures affectus a lue venerea degeneres jure quaſi hæreditario in liberos deinde manent, ut Strumæ, Rachitis, Tinea, Lichenes, Impetigo &c. negant tamen Medicorum non pauci poſſe ratione eadem virus venereum embryoni unquam infundi, quod tota quidem pueritia tacitum ſileat ſine noxa, quod deinde vero in adultis ſponte reviviſcat, & ſine nova ulla contagione veram & legitimam luem veneream producat. Condonandæ tamen ineptiæ iſtiuſmodi, quoties opus eſt hoc nomine culpam prætexere vel ægri, quem non ſervatæ caſtitatis, vel ægræ quam imminutæ pudicitiæ accuſare nefas eſſet.

IV. Liquet ipſa rei evidentia venenum, ſeu ut vulgo ajunt, *virus* venereum, coagulatorium; corroſivum, phlogiſticum eſſe, ſeu coagulandi, corrodendi & inflammandi facul-

facultate pollere, quod medicinæ morbo faciendæ ſufficit, & quod proinde noſſe ſatis habent cordati Medici, qui nihil præter negotium agunt, nec volunt altius ſapere, quæruntve curoſius rimari, quæ inſcrutabilia ſunt, ut inter alia plurima primigeniæ partium elementarium formæ, quibus mixta conſtant.

V. Obſolevit ſenſim, ceu inefficax, hidrotica ſive ſudatoria luis venereæ curandæ therapeia ex decoctis lignorum Guaiaci & Saſſafras, radicumque Chinæ & Sarſæ-parilliæ; ac in locum ſucceſſit omnium ſuffragio uſus Mercurii, qui jam a cunctis habetur certiſſimum luis venereæ Rhizotomum & unicum alexicanum.

VI. Rarius in dies uſurpantur ac in deſuetudinem paulatim abeunt præparata mercurialia, non quod ea quæ nunc in honore ſunt inter Medicos, nocua ſint, ut pleraque quæ ab Agyrtis venditantur; ſed quod rariſſime perſanent ægros, & ſi perſanant aliquando, certe nunquam niſi cum gravi ventriculi roſione, & difficili ejuſdem labe, quæ convaleſcentes diu torquet.

VII. Inde eſt, quod Circulatores & Agyrtæ, quibus artes ſuæ cenſus ſunt, arcana nunc incaſſum, ut plurimum, jactitent, nec ullos deludant fere quam adoleſcentes credulos & fraudibus apertos, ſed parum pecunioſos, a quibus vix ſatis lucelli corradunt, ut pares ſint mercandis pretio impreſſionibus Programmatum monitoriorum, gallice *des Affiches*, quibus amant compita veſtire, & incautis dolos tendere. Sed illorum vicem nedum doleam, ut pervelim potius nebulones ejuſcemodi, ſi non edicto, ut eorum meritum eſſet, fame ſaltem abigi, quos compertiſſimum ſit & Reipublicæ nocere plurimum, cujus ſunt certiſſima pernicies, & Arti Medicæ probrum & dedecus inferre non leve, cujus ſunt ſordes & purgamenta.

VIII. Nuper tamen Planus quidam ex eodem hominum genere, quibus de re nulla dubium eſt ullum, quod in rerum omnium ignoratione verſentur, Lutetiæ conatus fuit renovare Anathymiaſim, ſeu Methodum ſuffitionum pridem antiquitatam; & ut avida eſt novitatis hominum natura, id remedii genus præſtantiſſimum eſſe & certiſſimæ efficaciæ multis perſuaſerat, donec experientia Aretalogum egregie confutavit. Periculis enim palam inſtitutis vanitas propoſitæ methodi aperte patuit, ex quo factum eſt ut ea medicationis ratio

(*a*) *Quaſi ſolſtitialis herba pauliſper fuerit,*
Repente exorta ſit, repentino occiderit.

IX. Igitur nunc uſu receptum eſt apud expertos cautoſque Medicos, ut non alia adhibeatur morbo medicina, præter Hydrargyroſim ſeu methodum illitionum mercurialium, quæ ſi legitime adminiſtrentur juxta leges, quas propoſuimus *Libro IV.* neque ægrotantium ſpes, neque medentium promiſſa unquam fruſtrantur, niſi morbus ex aliqua ſui parte inſanabilis fuerit & deſperatus.

X. Imo abrogatis largioribus & quotidianis illitionibus, quæ ſi a periculo forte, ab infortunio ſaltem nunquam tutæ erant, jam ſolemne eſt, quod olim fuit in votis plerorumque Medicorum, unguentum mercuriale & parciore doſi & longiore intervallo ægris illinere, unde tutiſſima medendi ratio. Utinam liceat aliquando unguenti doſibus, & inunctionum intervallis ita modum adhibere, ut ea medendi methodus, non cæco caſu, ut plerumque ſolet, ſed certo conſilio regatur, & cum jam tutiſſima ſit, efficaciſſima quoque tandem fiat!

SÆCULUM DECIMUM OCTAVUM.

GEORGIUS WOLFFGANGUS, WEDELIUS, Spremberga-Luſatus, de quo ſupra ad *annum* 1682. 1700.

JOHANNES ADOLPHUS STOLLIUS, Zittavia-Luſatus.

Diſſertatio Inauguralis Chimico-Medica de Mercurio dulci, *Præſide* . . . Georgio Wolffgango VVedelio . . . . . *expoſita* a Johanne Adolpho Stollio, *Zittavia-Luſato*, *ad diem* . . . . *Februarii*. MDCC. Jenæ, *literis Chriſtophori Krebſii* in 4.

T. . . . . NEDHAM, Angelus, Chirurgus. 1700.

A Treatiſe of a Conſumption and the Venereal Diſeaſe: *The ſigns or ſymptoms of the*

(*a*) Plaut. *Pſeudol. Act.* I. *Scen.* I.

the venereal infection, *with various methods of Cure. By* T.... Nedham, *Surgeon*. London, *printed for the Author*, 1700. in 12.

Hoc eſt, *Tractatus de Phthiſi & Lue Venerea : Ac de ſignis & ſymptomatibus* luis venereæ, *& diverſis illam curandi methodis. Auctore* T.... Nedham, *Chirurgo*. Londini, *impenſis Auctoris*. 1700. in 12.

Hæc ultima inſcriptionis verba Circulatorem clamitant, quippe quod hominum genus ſuas lucubratiunculas edere ſoleat ære ſuo, quoniam Bibliopolæ ſibi cavent a præſtandis ſumptibus.

1700. JOHANNES ZELLERUS, Tubingenſis, Medicinæ Doctor, Praxeos, Anatomiæ & Chirurgiæ Profeſſor publicus ordinarius in Academia Tubingenſi, Sereniſſimi Wurtemburgenſis Ducis & Oetingenſis Principis Archiatrus.

GEORGIUS FRIDERICUS GMELINUS, Stuttgardienſis.

Diſputatio Inauguralis Medica de gonorrhœa virulenta in utroqne ſexu, *vulgo* Drupper & la Chaudepiſſe, *quam Præſide* .... Johanne Zellero.... *pro Licentia*.... *publice defendet die*.... *Aprilis*, *anno* MDCC. *in Academia* Tubingenſi, Georgius Fridericus Gmelinus, *Stuttgardienſis*. Tubingæ, *Literis Johannis Conradi Reiſii*, in 4.

1700. ANDREAS WRIGHT, Medicus Anglus.

Venus deceived, *or an account of the ſeat and nature of Clap or running of the Reins in Men and Women, with its perfect cure (tho' attended vvith very vvorſt of ſymptoms) in 24. hours time, by external applications only vvithout the leaſt medicine invvardly. As alſo of ſimple Gonorrhœa's Gleets and Weakneſſes in Men and the Vvhites in Vvomen, confirmed by various inſtances, and made obvious to the meaneſt capacity.* By Andrevv Wright, *Phyſician. To vvhich is added an account of ſpecifick Bolus, vvhich cure the confirmed Pox vvith all its ſymptoms by ſeven doſes, and vvhere the caſe is not ſo inveterate by leſſ.* London. 8. Anno nullo adſcripto, ſed tamen ut videtur anno 1700.

Id eſt, Venus decepta, *ſive Tractatus de ſede & natura Gonorrhœæ virulentæ tam in Viris, quam in fœminis: Perfectaque ejuſdem curatio (utcunque inveterata ſit cum peſſimis ſymptomatibus) intra 24. horas, externis tantum applicationibus ſine ullo ullius medicinæ internæ exhibitione: Ut etiam ſimplicis Gonorrhœæ, ſtillicidii ichoroſi & debilitatis vaſorum in Viris, & fluoris albi in fœminis; comprobata variis exemplis, & ad cujuſvis captum accommodata.* Auctore Andrea Vvright, *Medico. Proponitur inſuper Bolus ſpecificus, quo lues venerea confirmata curatur cum omnibus ſymptomatis doſibus ad ſummum ſeptem, imo paucioribus, ſi morbus haud ita inveteratus fuerit*: Londini. *in* 8.

Quid dignum tanto feret hic Promiſſor hiatu?

Quid? Arcana inefficacia; ſi forte, quod pejus eſt, non noxia ſint, quorum venditator & diribitor erat. Sane vere digni ſunt qui decipiantur, quicunque tam ineptis pollicitationibus poſſunt decipi, quæ ſolæ, ſi cetera ſilerent, fraudes apertiſſime demonſtrarent.

1700. FREDERICUS HOFFMANNUS, Hallenſis, natus anno 1660. Profeſſor Medicinæ primarius in Academia Fredericiana ſive Hallenſi, Frederici I. & Frederici II. Regum Boruſſiæ & S. R. I. Electorum, Archiatrus, Societatis Scientiarum Germanicæ, Britannicæ & Pruſſiæ Socius, Vir candidi ingenii, moris antiqui, virtutis vere germanicæ, qui rem medicam egregiis ſuis Operibus jam pridem locupletat, & præclaram non in Germania modo, ſed in tota Europa famam tenet, quam factis, ſcriptiſque in dies auget & amplificat. Utinam diu!

JACOBUS VAN DEN VELDE, Hanovienſis.

Specimen Medicum ſolemne de Mercurio & medicamentis mercurialibus ſelectis, ad expugnandos ſine ſalivatione morbos corporis humani rebelles, *quod*.... *Præſide*.... Friderico Hoffmanno.... *pro gradu Doctoris*.... *exponet & defendet ad diem*... *Julii* MDCC.... Jacobus Van de Velde, *Hanvienſis*, Halæ Magdeburgicæ, *literis Chriſtianis Henckelii*, *Academiæ Typographi*. in 4.

Vide de eodem Frederico Hoffmanno infra ad *annum* 1739.

1700. MATTHÆUS GODOFREDUS PURMANNUS, olim Chirurgus Hemipolitanus, hoc eſt (a) *Halberſtadienſis* in Saxonia, deinde vero (*anno* 1713.) Chirurgus ordinarius Vvratislavienſis in Sileſia, caſtra varia aliquot annos ſecutus eſt, nempe ab anno 1674. ad annum

(a) Vid. Zeiler, *Saxon. inferior. Topograph. Pag.* 119.

annum 1679. Deinde vero variis ſcriptis artem Chirurgicam haud parum illuſtrantibus nomen ſibi fecit.

Scripſit germanico idiomate Tractatum de methodo ſalivationis ad curationem luis venereæ, qui primum prodiit Vvratislaviæ anno 1692. cum hac inſcriptione:

Matthæi Gothofredi Purmanni, Chirurgi *und Stadt-Artztes zu Breſzlau ausfurlicher unterricht und anvveiſung vvie die Salivation-Cur, nach allen umbſtanden und vortheilen auffs beſte und ſicherſte vorzunehmen: Damit der gebuhrende neutzen und gewundſchte Hulffe darauff folgen moge. Allen Vvundartzen, zur fernern aufmunt erung und mehrern Nachricht, an den tag gegeben.* Vvomit einer ſundiget, damit vird er geſtrafft. *Mit Churfurſtl Sachſz Privilegio. In verlag* Michael Rohrlachs, *Buchhande, zur* Liegnitz. Nec anno, aut loco indicato; ſed Epiſtola data eſt *Breſzlau, den* 22.*Mart.an.*1692.

Hoc eſt, Matthæi Gothofredi Purmanni, Chirurgi & Poliatri Vratislavienſis, *Tractatus, in quo fuſe & accurate proponitur & explicatur Methodus ſalivationem adhibendi in omnibus caſibus, ut inde quam maximus fructus percipi poſſit, in lucem datus ad Chirurgos informandos & excitandos*. Quo quis peccat, eodem & punietur. *Cum privilegio Curiæ Electoralis Saxoniæ. Apud* Michaelem Rohrlachs, *Bibliopolam Lignicenſem*.

Liber idem prodiit iterum anno 1700. cum inſcriptione ſequente:

Anvveiſung aur Salivatio Cur. &c. Franckfurt, 1700. *in* 8.

Id eſt, *Explicatio Curationis ſalivatoriæ*, &c. Francofurti, 1700. *in* 8.

Teſtatur Andreas Ottomarus Goelicke, *Hiſtor. Chirurgiæ recentioris*, hunc Purmani Tractatum VII. Capitibus abſolvi.

„ In *Primo*, (*a*) agi de origine luis venereæ.

„ In II. exponi modum, qua nempe ratione Mercurius in humano corpore operetur.

„ In III. diverſas declarari rationes ſalivationem inſtituendi, & indicari quæ ſit „ omnium optima atque tutiſſima methodus, & quomodo unguentum mercuriale præ„ parandum ſit.

„ In IV. cautelas neceſſarias proponi, quæ ſedulo obſervandæ ſunt, priuſquam ſa„ livationis actus a Chirurgo ſuſcipiatur; & in quibus inſuper morbis præter luem ve„ neream locum inveniat.

„ In V. indicari quid Chirurgo in ipſa hac curatione faciendum incumbat, donec „ fluxum ſalivæ ſufficientem obſervet.

„ In VI. indicari quid obſervare eumdem oporteat fluxu ſalivæ durante, & quan„ diu eum continuare conveniat.

„ In VII. denique inſtrui Chirurgum, qua ratione gerere ſeſe debeat, ſi vel flu„ xum ſalivæ ceſſaſſe, vel eumdem nimis diu protractum fuiſſe obſervet; & quomo„ do ſymptomatibus præſentibus ſuccurrere debeat.

„ Ceterum aperte confitetur Auctor certa eſſe damna, quæ ex improvida ſalivatio„ nis mercurialis adminiſtratione reſultant, & quatuor imprimis cauſas allegat infe„ licium talium ſucceſſuum.

„ I. Quod Chirurgi indiſcriminatim, nullo ſimul Medico in conſilium adhibito, „ hoc remedii genus applicent, non perpendentes vel morbi genium, vel diverſam „ ægrotantium conſtitutionem atque temperiem; „ in quo Chirurgi illius modeſtiam „ magnopere equidem miror atque laudo.

„ II. Quod unguenta mercurialia temere intrudant corpori impuro & minus antea „ præparato; „ de qua inconſiderantia, heu quam nimis frequens datur dolendi occaſio.

„ III. Quod præter juncturas artuum extremas, etiam cervicem, ſpinam dorſi, „ ſcapulas, pone aures, aliaque corporis loca inungant; „ circa quæ videtur Auctor ex præconcepta opinione locutus, neque enim obſervavimus unquam damnum ullum illatum fuiſſe ex inunctione mercuriali ſpinæ dorſi aut ſcapularum, imo quoque cervicis, quas Mercurio inungi ſolemne eſt in quacumque ferme hydrargyroſi.

„ IV. Quod dutius quam par eſt, inunctionem continuando ſymptomatibus (nempe „ quæ ſalivatione producuntur, ut ipſe opinor) longiores inducias concedant, neque „ debitis remediis tempeſtive iiſdem ſuccurrant; „ Unde fit, ut ii quibus Mercurius largius aut diuturnius illinitur, & quibus inde altiora ſuccreſcunt in ore ulcera, *capiſtrati* plerumque evadant, hoc eſt, os nequeant diducere. Verum ætate qua vivimus, magis vulga-

(*a*) Ipſiſſima Goelicke verba adduco; neque enim Purmanni Liber in manus hactenus incidit.

vulgare atque commune eſt in contrariam partem peccare, dum nimia curationis præcipitantia tempus atque ſpatium adhibito remedio non conceditur, quod morbifico ſeminio radicitus extirpando ſufficiat.

Ceterum hæc propria eſt Purmanni laus, nempe ſi quis inter Germanos ſalivationis methodum ad curationem luis venereæ accurate tradiderit hactenus cum omnibus cautelis, ipſum Purmannum eſſe.

1700. 1712. Henricus Elias Hundertmarck, Medicinæ Doctor & Poliatros Citzenſis, Tractatum Heinſii de morbo venereo, de quo *ſupra* ad annum 1697. germanice a ſe translatum edendum curavit Lipſiæ, cum hac Inſcriptione:

Die Schmactende Venus. Leipzig. 1700. *in* 8.

Id eſt, *Venus Languens*. Lipſiæ. 1700. *in* 8.

Hundertmarckius ſub finem Libri gloriatur non modo ſibi cognita eſſe remedia Heinſii, & a ſe præparari poſſe, ſed etiam alia multo efficaciora ſibi præ manibus eſſe. Unde factum eſt, ut Heinſio, cui verſio illa parum arridebat, utpote profecta a viro linguæ belgicæ ignaro, aliam libri ejuſdem verſionem ab altero procurare viſum fuerit, quæ prodiit Amſtelodami, anno 1711. ut *infra* narrabitur ſuo loco. Quin imo abſtinere non potuit Ille, quin in Præfatione huic Verſioni præfixa, in Hundertmarckium acrius inveheretur, ac multis uteretur criminationibus, quas hic retundere conatus eſt in Libro germanice ſcripto, quem Lipſiæ edidit anno 1712. *in* 8. & cui titulum ſequentem fecit:

Medicinischen Extract von einem Dutzend der ſchvvechreſten Kranckheiten.

Id eſt, *Medicum Summarium de duodecim graviſſimis morbis*.

1702. Josephus Lanzonus, Ferrarienſis, (*a*) natus anno 1663. in Philoſophia & in Medicina doctorali laurea decoratus fuit in patria Univerſitate ætatis anno vigeſimo; *ad ordinariam Cathedram tum Philoſophiæ, & ſucceſſive Medicinæ evectus eſt anno* 1694. & anno 1727. ad Cathedram primæ ſedis in Academia Ferrarienſi, mortuo Franciſco Maria Nigriſolio. In Leopoldino-Imperialem Curioſorum Germaniæ Societatem adſcriptus fuerat (*b*) anno 1690. *Epicharmi* nomine. Obiit Ferrariæ anno 1730. Scripſit anno 1702. ediditque Ferrariæ

Exercitationem Medico-Phiſico-Anatomicam de ſaliva humana ejuſque natura, uſu, proprietatibus &c.

quæ exſtat Tomo primo Editionis Lauſanenſis Operum Lanzoni, diſtributa in Capita ſex, quorum *quintum* inſcribitur *de morbis ſalivæ, ac de mercuriali ſalivatione*, & in quo pauca de curatione luis venereæ Lanzonus commentatur.

I. Cenſet „ primum ſalivationis mercurialis inventorem, fuiſſe Jacobum Berengarium, *Carpum* a patria dictum, Profuſſorem Chirurgiæ Ticinenſem, qui florebat circa annum 1522. „ quod ut probet, teſtes adducit Gabrielem Falloppium, quem ea in re falſum eſſe ſupra oſtendimus, & Bernardum Ramazzinum cujus auctoritas nullius ponderis eſſe poteſt, cum ducentis poſt carpum annis vixerit.

II. Quatuor proponit unguentorum mercurialium genera; *Primum* ex Pareo, quod proxime quartam tantum Mercurii partem admittit, ſed ſimul admixtam habet partem aliquantulam ſublimati corroſivi: *Alterum* ex Jungkenio, quod componitur ex tertia Mercurii parte: *Tertium*, ex Dolæo, quod recipit ultra duas tertias Mercurii partes: *Ultimum*, ex Nicolao de Blegny, in quo tertia tantum Mercurii pars adeſt.

III. Jubet linimento quodam ex illis quatuor, qualicumque lubuerit, quaſi ſingula ejuſdem efficaciæ eſſent, „ univerſum corpus ungi a pedis planta ad caput, præter abdomen & pectus, ne forte lædantur partes in illis cavitatibus contentæ: Et unaquaque frictione, unguenti uncias quinque vel ſex abſumi.

IV. Fatetur tamen „ in corporibus delicatis prima vice uncias quatuor ſufficere, iiſdemque plantas pedum, crura, femora, nates, & brachia tantum inungenda eſſe.

V. Auctor eſt, ut initio unctio „ quotidie unica ad ſummum vice adhibeatur mane jejuno ſtomacho, vel ſub veſperam duabus horis ante cœnam: Sed ſi poſt tertium illitum ſalivationis nulla appareant indicia, ut bis in die inſtituatur, mane nempe, & veſpere, dummodo æger robuſtus ſit.

VI. Monet „ non ultra ſeptem aut octo illitus progrediendum eſſe, & omnino ab his abſtinendum, ſtatim ac ſalivatio ſeſe exerere incipit; cujus imminentis indicia

ſunt,

(*a*) Ex *Vita Joſephi Lanzoni*, præmiſſa editioni Operum illius omnium, quæ Lauſanæ prodiit, in 4. *Vol.* III. 1738.

(*b*) In Catalogo Collegarum, præfixo *Volumini primo Ephemeridum*.

ſunt, cum caput dolere incipit, gingivæ & lingua intumeſcunt, vultus rubore ſuffunditur, & paucos poſt dies os ulceribus obſidetur, ſputum multum & frequens prodit, exactiſque aliquot diebus os aphthis ſcatet, tunc loquela impedita eſt ob inſignem palati & linguæ ardorem, quæ niſi crebro abluantur tepida, dolores intenſi accidunt, eoque tempore indeſinenter fluit ſaliva, comite intolerando fœtore.

VII. Quæcunque de hydargyroſi memorat Lanzonus, ea tranſcripſit verbis iiſdem ex Tractatu *de morbis venereis* Franciſci Calmette, (*Vid. ſupra* ad annum 1690,) in quo ſi non cæcum, certe non ſatis oculatum ducem adhibuit. Ipſe tamen Franciſco Calmette gravius peccavit, quod ea quæ jam non ſatis recta erant anno 1690, minime tolerabilia fuerint anno 1701, quo ſcribebat ille, & quo omnia quæ ad hydrargyroſim pertinent, magis comperta erant. Unde fit, ut ſuſpicio oriatur nec inanis hydrargyroſin Lanzono intentatam & inexpertam fuiſſe: Sin enim aliter, exitio multorum utiliora perdoctus, infauſtam methodum quam proponit, brevi dedidiciſſet, nedum ſuo approbaviſſet ſuffragio. At porro, ſi vere conjecerim, quam inſanabili debuit ille teneri ſcribendi cacoethe, quem non puduit aliena fide illitionem mercurialium therapeiam explicandam aggredi, cujus ſe nullum uſum habere ſibi ipſe conſcius erat.

VIII. Ex eodem Franciſco Calmette cetera quoque furatus eſt Lanzonus, quæ affert de externo ſuffumigiorum, emplaſtrorum & ceratorum mercurialium uſu; ſed quibus tam contradictoria variorum Auctorum judicia miſcuit, ut non liqueat quid ipſe ſentiat; maximo ſane argumento nihil illi hac de re ſua experientia conſtitiſſe. Sic ſuffitiones laudat cum Sylvio de le Boe, damnatque cum Wedelio, in *Amœnit. Mater. Med. Lib. II. Sect. II. Cap.* 16; „ admonetque Medicos, ut abſtineant a tali Mercurii ſuffitu, quia hoc „ pacto fumus magis pulmonem ferit, quam partes extimas afficiat. „ Sic emplaſtra, cingulaque mercurialia improbat cum Minderero & Philippo Hœchſtettero, approbatque cum Friderico Hoffmanno, *Clav. in Schroder.* & Petreo, *in Noſolog. Harmon. Tom. I.*

IX. Narrat demum Lanzonus „ multos Mercurio ore aſſumpto ſalivationem ſollicitare, „ quatenus Mercurium præcipitatum, album aut rubrum ore aſſumptum, ad quantitatem duodecim aut quindecim granorum per ſex, octo, aut duodecim dies exhibent, „ donec prodeat ſalivalis excretio; „ quæ ex eodem Franciſco Calmette deſcripta ſunt, ſed ſuppreſſa cenſura, qua viſum fuerat illi tam periculoſam methodum notare, & quæ a Lanzono non debuiſſet omitti.

X. Tandem cetera non moror, quæ ille addit de fauſtis, infauſtiſve hydrargyroſeos ſucceſſibus, ex variis Auctoribus collecta, tum quod plerumque in allatis Obſervationibus ea medicatio ad morbos adhibita fuerit, contra quos nihil facit, niſi a ſeminio venereo ortum ducant, de quo tunc non conſtabat, tum quod nunquam ſatis caute adminiſtrata fuiſſe videatur.

Porro omiſſam nolo Obſervationem, quam Lanzonus ad Auctores Ephemeridum Germanicarum tranſmiſit anno 1696. & quæ in Actis anni IV. Decuriæ III. legitur inſerta *No. LXXI.* Ait nempe „ pulverem gloſſopetræ calcinatæ ad pondus ℈ j. mane jejuno ſtomacho, in juſculo, in quo bullita ſit parva quantitas ſalſæ pariſſæ & aniſum, ſumptum a lue venerea affectis, non levem ferre operam: „ Sed credat hoc Judæus apella. 1702.

Nicolaus Boirel, Argentanenſis, Doctor Medicus.

Nouvelles Obſervations ſur les Maladies Vénériennes. A Paris, 1702. *in* 12.

Libellus exiguus, in quo *Capitibus duodecim* breviſſime agitur de morbis venereis, & in quo neque novi, neque obſervatione digni quidquam occurrit.

Prodiit iterum Tractatus idem Lutetiæ apud Laurentium d'Houry anno 1711, auctior Diſſertatione inſcripta, *Diſſertation ſur la Vérole & la Panacée mercurielle*, & dedicatus Tributorum Exactoribus Argentanenſibus, vulgo *les Receveurs des Tailles*, hominum generi, cui vix puto ullum alium unquam librum nuncupatum fuiſſe. 1703.

Anonymus ſcripſit batavice ſequentem Tractatum.

(a) *Genees en heelkonſtige Redenhoering ober de Spaanſche Pokken.* Amſteldam. 1703. *in* 8.

Id eſt, *Explicatio erudita remediorum, quæ valent ad Hiſpanicas Variolas.* Amſtelodami, 1703. *in* 8.

Anonymus germanicum fecit Tractatum *de Morbo Venereo*, a Samuele Janſonio batavice ſcriptum, ac Dreſdæ in Saxonia edendum curavit cum hac inſcriptione. 1703.

 Flagel-

(a) Bibliotheca Hulſiana, *Tom.* 4. *Part.* 2. *pag.* 87.

Flagellum Veneris, *oder abhandlung von der Venus Kranckheit, ins hochteutſcher uberſetzet*. Dreſden, 1703. *in* 8.

Id eſt, Flagellum Veneris, *ſeu Tractatus de Morbo Gallico, germanice tranſlatus*. Dreſdæ, 1703. *in* 8.

1704. JOHANNES HADRIANUS SLEVOGTIUS, Jenenſis, (*a*) natus anno 1653, ſummos in Medicina honores aſſecutus eſt anno 1681, & anno 1695 conſtitutus eſt Anatomiæ, Chirurgiæ atque Botanices Profeſſor publicus ordinarius in Academia Jenenſi. (*b*) Obiit 29 Auguſti, anno 1726, ætatis 73.

De Gonorrhæa virulenta. Jenæ. 1704. *in* 4.

1704. JOHANNES JACOBUS BAYERUS, (*c*) Jenenſis, natus anno 1677 Doctoris inſignia conſecutus eſt in Academia patria anno 1700. Profeſſor in Academia Altorfina conſtitutus anno 1704, inter Collegas Academiæ Germanicæ Naturæ Curioſorum cooptatus anno 1708, *Eugeniani* nomine, & Academiæ Præſes (*d*) electus eſt anno 1730, in locum mortui Lucæ Schrockii, Auguſtani.

JOHANNES PETRUS ROSELIUS, Hersbrucco-Noricus.

De Mercurii crudi uſu interno *Specimen circulare ſub præſidio* .... Johannis Jacobi Bayeri ... *exponet ad diem* 15. *Novembris A. C. MDCCIV*, Johannes Petrus Roſelius, *Herſbrucco-Noricus*. Altdorffii, *typis Henrici Mayeri*. in 4.

1705. JOSEPHUS JACKSON, Anglus, Chimiatros.

1697. *Enchiridion Medicum Theoretico practicum, ſive Tractatus de Morborum Theoria & Praxi, (cui ſubnectitur Appendix* de lue venerea*) in quo omnium morborum humano generi officientium nomina, natura, cauſa, ſigna & prognoſtica, una cum eorumdem curatione, breviter & perſpicue delineantur*. Amſtelodami, 1697. & Bruxellis 1705. *in* 12.

Quæcumque ad luem veneream ſpectant, viginti pagellis brevioris formæ abſolvuntur. Artem medicam longam eſſe jure dixit Hippocrates, ſed nuſquam longiorem eſſe opinor, quam in Enchiridiis Medicis iſtiuſmodi.

1705. ANONYMUS quidam germanica fecit Opera Heydendrykii Overcamp, de quo *ſupra* ad annum 1694, & Lipſiæ edidit anno 1705.

D. Heydenreich Overcamps Medic*iniſche und* Chirurg*iſche ſchriffeten, nehmlich* I. Oeconomia animalis, *oder unterricht von der Geburt, Nahrung und Vvachſtun des Menſchen*. II. *Neu erfundene Heilkunſt, oder* Chirurgia. III. *Von denen* Spaſ*elben Cur, alles auf* Carteſia*niſche lehr ſarze gegrundet*. Leipſig, *bey Thomas Fritſch*. 1705. in 4.

Id eſt, Heydenreich Overcampii *Opera Medica & Chirurgica, nempe* I. *Oeconomia animalis, ſive de Generatione, Nutritione, & Incremento hominis*: II. *Chirurgia nova*: III. *De Puſtulis Hiſpanicis, ſeu Lue Gallica, ejuſdemque cura; omnia ad principia Carteſiana accomodata ſunt*. Lipſiæ, *apud Thomam Fritſch*, 1705. in 4.

LAURENTIUS ROBERQ, Medicus.

De fœda Lue, dicta Venerea. Upſaliæ. 1705. *in* 4.

1705. GEORGIUS RAST.

De Salivatione mercuriali, Regiomonti, 1705. *in* 4.

1705. GUALTERUS HARRIS, Anglus, Collegii Medicorum Londinenſum Socius, Medicinam Londini faciebat cum laude ante annum 1683. Scripſit hortante Sydenhamio Tractatum *de morbis acutis Infantum*, quem Londini edidit anno 1689. Vulgavit ibidem anno 1721. *Diſſertationes de Peſte & de Inoculatione Variolarum*, & anno 1725. *Diſſertationes Medicas & Chirurgicas, quas in Amphitheatro Collegii regalis Medicorum Londinenſium habuerat*. In vita etiamnum erat menſe Octobri anni 1731, ſed jam mortem obierat menſe eodem anni ſubſequentis 1732, ut conſtat ex Actis Collegii Medicorum Londinenſium.

Fuerat olim (*e*) ab anno 1683 Medicus ordinarius Caroli II. Regis Angliæ. Teſtatur autem ipſe (*f*) ſe deinde Medicum fuiſſe Guillelmi Naſſovii, Principis Arauſiaci & Regis

(*a*) Zeumerus, *in Vitis Medicorum Jenenſium*.
And. Ottom. Goelicke, in *Hiſtor. Chirurgiæ*, *Pag.* 347.
(*b*) Bibliotheque Germanique, *Tom.* XIII *Pag.* 221.
(*c*) Ex ejus vita ab ipſo conſcripta & addita *Biographiæ Profeſſorum Altorfinorum*.
(*d*) Bibliotheque Germanique, *Tom.* XXI. *pag.* 223.
(*e*) Ex Inſcriptione *Pharmacologiæ Anti Empiricæ* ab illo editæ anno 1683.
(*f*) *De morbis acutis Infantium*, Lib. II. Obſervat. 7.

Regis Magnæ Britanniæ, ac illi (*a*) *anno* 1693. *ad imperandas fœderatas in Belgio copias proficiſcenti primum ſerviiſſe*.

Videtur Auctor ille aniliter ſuperſtitioſus, cum putat (*b*) *infantulum ſex tantum menſes natum*, qui *paulo poſt obitum Caroli II. Hiſpaniarum Regis, veſpera Feſtum Chriſti Natalitium præcedente* anni 1700, *a paroxyſmo convulſivo liberatus per quartam horæ partem nunc* O Deus, *nunc* O Jeſus, *clare ac diſtincte exclamavit, miſerias cladeſque forte præſenſiſſe impendentes* a bello internecino, cui Regis illius interitu locus datus eſt.

Liber, quem de morbis acutis Infantum ſcripſerat, prodiit iterum Londini anno 1705, auctior Diſſertatione *de lue venerea* ad calcem adjecta, ut ex inſcriptione patet.

De Morbis acutis Infantum, Editio ſecunda priore auctior. Cui acceſſit Liber Obſervationes de morbis aliquot gravioribus medicas complectens. Annexis etiam quibuſdam de Luis Venereæ origine, natura & curatione. *Auctore* Gualtero Harris, &c. Londini, *impenſis S. Smith & B. Walford.* 1705. in 8°.

In hac ultima Diſſertatione, quæ 25. paginis *in* 12. comprehenditur, Auctor obiter docet,

I. Morbum a *promiſcua & vaga ſcortatione* ortum habere, unde colligit in orbe noſtro antiquum eſſe, in cujus rei fidem adducit varia Hippocratis loca ex 3°. *Epidemiorum*, de quibus ſupra *Lib. I. Cap.* 3. abunde diximus.

II. *Morbi naturam eſſe aliam atque aliam . . . . ſecundum regiones magis ad Septentrionem aut Meridiem poſitas . . . . . . Et morbum, qui in Hiſpania & Luſitania mitis eſt, ... ferocem & immanem tyrannidem exercere* in Anglia.

III. Hallucinari, qui arbitrantur luem fractis & attritis ſenio viribus tyrannidem ſuam ferme omnem jam depoſuiſſe *& ad interitum ſuum cum ſenecta demum vergere*: Contra potius conſtare experientia, ut ipſe quidem putat, crudeliſſime etiamnum ſævire, dubiumque eſſe *utrum Mars, an Venus plures ex numero viventium tollat*.

IV. *Salivationem*, cujus moleſtias tamen verbis amplificat, *eſſe omnium methodorum, quas hactenus excogitavit peritia medica, maxime expeditam atque efficacem ad virus illud venereum valde obtundendum, & malignitatem ejus pernicioſam abunde frangendam, ſi minus ea valeat non raro ad venenum iſtud penitus delendum*. Unde videtur Auctor in eam inclinare opinionem, nempe luem veneream radicitus exſtirpari vix unquam poſſe.

V. *Ligna exſiccantia, gummi, corticem & lignum Guaiaci, lignum Saſſafras, atque radices Salſa-parilla & China . . . . . ex ſe nunquam apud Anglos ſcopum attingere hydrargyro prætermiſſo, venenumque venereum non poſſe penitus delere & extinguere: Tamen robur nativum erigere & fovere, palloremque huic morbo congenitum in vividum ac ſanum colorem certo certius immutare, ... unde tantum fere emolumenti naturæ humanæ conferunt, & debilitate ſuppetias ſalutares præbent, quantum damni & nocumenti hydrargyrum corpori infligit*, ut illi videtur.

VI. *Impoſtores illos imperitos, turpiſſimos lucriones ac nebulones vulgares, qui ſine Mercurio, ſine quacunque moleſtia, & neſcio quibus Arcanis inſulſis curationem breviſſimam nec non infallibilem omnibus lue infectis cum inſigni impudentia publice pollicentur, argumento bacillino quam Medici digniores eſſe, & faſcibus Magiſtratuum aut colliſtrigio, prout Veteratores perfidos, potius caſtigandos eſſe, quam diſceptationibus aut ullis rationum momentis accipiendos*.

VII. Demum in Anglia *ab ignaro vulgo* credi *lue infectos, ſi cum ſana muliere mutuis amplexibus ſeſe commiſcuerint, a labe omni venerea confeſtim fore immunes, ex quo ſtupido & pernicioſo errore virgines innocuæ quamplurimæ periere*. Idem quoque & in Italiæ olim creditum fuiſſe ſupra notavimus *Pag.* 899. ubi de Hercule Saxonia.

CONRADUS JOHRENIUS, (*c*) Philoſophiæ & Medicinæ Doctor & Profeſſor publicus. 1706.

De Lue Venerea. Francofurti ad Viadrum, 1706. *in* 4°.

Hæc Diſſertatio Academica laudatur a Paulo Gottlieb Werlhof in erudita *Diſquiſitione de Variolis & Anthracibus*, *Pag.* 56. in annotatione. 1706.

GEORGIUS ERNESTUS STAHLIUS, Hallenſis, Profeſſor publicus ordinarius Medicinæ in Academia Hallenſi, Friderici, Regis Boruſſiæ, Conſiliarius Aulicus & Archiatrus, Academiæ Cæſareæ Naturæ Curioſorum aggregatus anno 1700. (*d*) Obiit anno 1734. ætatis ſuæ 75.

GEORGIUS DANIEL THEBESIUS, Haynovienſis Sileſius.

(*a*) *Ibidem*, Obſervat. 2.
(*b*) *Ibidem*. in Præfatione.
(*c*) Miſcellanea Berolinenſia. *Continuatio* II. Pag. 66.
(*d*) *In Catalog. Academic. defunct.* præfixo Vol. IV. *Ephemerid German.*

Diſſertatio Medica Inauguralis de ſcorbuti & venereæ luis diverſis ſignis & medicinis, *quam . . . ſub præſidio . . .* Georgii Erneſti Stahlii . . . *die 26. Martii* MDCCVI . . . *examini ſubmittit* Georgius Daniel Thebeſius, *Haynovienſis Sileſius*. Halæ Magdeburgicæ, *literis Chriſtiani Henckelii*. in 4.

1706. ANONYMUS Librum Nicolai Heinſii de lue venerea batavice ſcriptum, editumque anno 1697, gallice interpretatus eſt, edidítque anno 1706 cum hoc titulo.

Nouvelle Méthode pour guérir les Maladies Vénériennes, où il eſt traité de certains remedes juſqu' ici inconnus, par leſquels les malades ſe peuvent ſecretement guérir eux meſmes, ſans l' aſſiſtance d' aucun Medecin, ſans aucun épuiſement de forces, & ſans eſtre preſque obligez de garder la chambre, ou de negliger leurs affaires. Avec un Appendice de plusieurs Obſervations touchant les malades, qui ont eſté gueris par leſdits remedes. Par Nicolas Heins, *Conſeiller Aulique & Premier Medecin de ſon Alteſſe, le Duc de Saxe Cobourg, demeurant a Culenbourg en Hollande. Nouvellement traduit du Hollandois.* A Amſterdam, *aux depens d' Eſtienne Roger*. 1706. in 8.

Suſpicio eſt Librum hunc Heinſii ab Heinſio ipſo gallice verſum eſſe, argumento quod ipſe Heinſius verſionem illam dedicaverit Helvetio, ac nuncupatoriæ Epiſtolæ Culenburgo datæ die XII Julii, anno 1705, nomen ſuum ſubſcripſerit. Sed hæc de Verſione ſatis. *Vid. ſupra* ad annum 1697, quid de Libro ipſo ſentiendum eſſe videatur.

1706. 1708. JOHANNES LINDER, (*a*) *VVermlandia Suecus, Doctor Medicus, in celebri Suecorum Academia Upſalenſi, anno 1706, & qui in inclito Geldriæ Hardereyvicenſi Athenæo, non longo abinde tempore*, Medicinæ ſtudio operam dederat, ut ipſe teſtatur.

In Academia Upſalenſi *Diſſertationem publicam* propugnavit *de venerea luis virulentia*, quæ utrum in lucem exierit, nondum compertum habeo. In Hardevvicenſi vero Athenæo *Theſes inaugurales, de venenis breviter & generatim* propoſuit, quæ additamentis amplificatas edendas curavit cum hac inſcriptione:

De Venenis in genere & in ſpecie, Exercitatio. Lugduni Batavorum *in* 12. 1708.

Liquet ex illo Tractatu Johannem Linder opiniones vere ſingulares tenuiſſe de luis venereæ origine, & de mercurialis therapeiæ effectibus, quas pauciſſimis quidem verbis attingit in hoc Opere, ſed quas credibile eſt plenius tractaviſſe in Diſſertatione altera *de luis venereæ virulentia*.

Sic 1°. Refert Ille, *Exercitationis de Venenis Cap. I. Pag.* 5. ſe in Diſputatione Upſalenſi „ luis venereæ originem inter Americanos, Sodomiæ homines inter & Cercopithecos magnos ſive Veterum Satiros aliquando exercitæ audacter forte vindicaviſſe; “ ſed ait alibi, *Ibid. Cap.* 10. *Pag.* 222. “ ſe tanto jam confidentius in ea ſententia perſiſtere, quanto jam bene liquere arbitratur . . ., animalia diverſa, morſu aut punctu externo, vel commercio aliunde in corpus humanum facto, pro vario naturæ ſuæ & alimentorum habitu, indeque ſub æſtivis ſolibus arrepta humorum varia putrilagine, excitare in corpore vivo læſo ſymptomata varia, varioque ſchemate ludentia, Canes Hydrophobiam, Tarantulam ſaltandi deſiderium, & quæ ſunt reliqua, producere. „ Sed hæc fabula, cum nulla nitatur obſervatione, imo cum a nemine nec dicta nec unquam cogitata fuerit, inter anilia figmenta, ſeu potius vigilantium ſomnia, connumeranda videtur.

Sic 2°. Statuit Idem, *Cap.* 10. *Pag.* 230. „ ſterilitatem ex lue venerea redundare in familias, non tantum per morbi virulentiam in partes genitales exercitam, “ (ut interdum accidere fatendum eſt) “ ſed quoque ex mercurialium frequenti uſu excitari. Cum enim, *pergit Ille*, jam ſatis ad oculum demonſtrari poſſit per microſcopia ad acuratiſſima, maſculinam genituram fœcundam (quod notandum) vermiculis ſcatere caudatis, cerebro & medulla inſtructis ſpinali, in modum parvularum ranularum, vero faciundæ prolis primordio, ovumque, futurum jam vermiculo alimentum, in ipſo orgaſmo venereo per Falloppianam tubam ex ovarii pedunculo glanduloſo in uterum delapſum, ingredientibus; nullumque adhuc . . . . potentius ſit inventum anthelminticum præter Mercurium; non incredibile apparebit ex occiſis per mercurialia vermiculis ſeminis ſterilitatem ſequi & generandi impotentiam: „ Quæ criminatio plane nova in Mercurium, non modo nulla confirmatur experientia, ſed potius quotidiana ut & certiſſima experientia refellitur.

HYA-

(*a*) Sic ipſe narrat in prœmio Diſſertationis ſuæ *de Venenis*, Pagg. 5. & 6.

HYACINTHUS CESTONUS, Anconitanus, natus anno 1637 in viculo, cui nomen *Sancta Maria in Giorgio*; Pharmacopolium Liburni habuit, ac Naturalis Hiſtoriæ ſtudio ſe totum dedit. Obiit ex calculo anno 1718, annos natus 80. & quod excurrit. 1708.

Vere Condizioni della Salſa-pariglia, del modo di conoſcere la vera, e di darla, come venga adulterata, ed in quali mali convenga ed in quale maniera più efficace. Lettera ſcritta dal Signor Giacinto Ceſtoni al Signor Giovanni Ingliſch *a Roma, e participata ad* Antonio Valliſnieri, *pubblico Profeſſore di Medicina nello ſtudio di Padova.*

Exſtat hæc Epiſtola in Diario Italico, cui titulus eſt *La Galleria di Minerva*, Tom. VI. *Part. III. Pag.* 56. In illa docet Ceſtonus

I. Optimam eam eſſe Salſam-parilliam, quæ craſſa, & lævis, cui nervus ligneus tenuior, cui pulpa multa, mollis, & farinacea, qualem ait devehi ex Hondura Americæ provincia; contra vero peſſimam, quæ ſtrigoſa, exilis, rugata, cui nervus craſſior & lignoſior, cui pulpa pauca & dura, qualis ſolet ex Hiſpania nova plerumque apportari.

II. Salſam-parilliam, quæ vitioſa eſt, mangonio adulterari, nempe ſingulas radices enodari abraſis capillamentis, ut læves; in aqua tepente aliquandiu infundi, ut craſſæ; exſiccatas vapori accenſi ſulfuris exponi, ut candidæ fiant.

III. Adhiberi Salſam-parilliam ratione triplici, in decocto, in pulvere, & in extracto.

IV. Decoctum duplex præparari, fortius alterum, alterum debilius, Fortius ſic conficitur:

℞. *Radicum Salſæ-parilliæ electur.* ℥ jv.

Fruſtatim inciſæ contundantur in mortario, & deinde in *Lib.* jv. aquæ communis coquantur ad medias, diligenter cavendo ne ſupereffundatur ſpuma, quam multam ſalſa-parillia ſolet agere, dum coquitur.

Libræ duæ Decocti, quæ ſuperſunt, intra biduum quatuor hauſtibus mane & ſero epotandæ.

Decoctum debilius, quod in potum ordinarium uſurpatur, fit cum eadem ſalſa-parillia jam decocta, quæ addita una aut altera novæ ſalſæ-parilliæ uncia decoquitur ad medias in libris aquæ viij vel x.

V. In pulverem ſalſam-parilliam extenuari arte vulgari, ſi radices optimæ & pulpoſæ in fruſta diſſectæ in mortario conterantur, addita una aut altera amygdala, ne tenuiſſimus pollen in aerem diſſipetur, & ſi contritæ ſetaceo cribro ſeccernantur. Solet addi cuilibet decocti fortioris hauſtui plenum cochlear illius pulveris, qui poteſt etiam in quovis alio liquore dilui & exſorberi.

VI. Extractum obtineri, ſi lenta evaporatione decoctum fortius paulatim inſpiſſetur in magma, cujus poteſt drachma una in liquore quovis idoneo diſſolvi, & bis in die exhiberi.

VII. Multis modis peccari in exhibenda ſalſa-parillia,

1°. Quod habeatur exſiccans remedium, & ideo præſcribatur doſi parciore & breviore tempore.

2°. Quod decoquatur in vino, cum Ligno ſancto, China, Saſſafras, & aliis multis ſpeciebus, quibus ejus virtus infringitur vel pervertitur.

3°. Quod æger, cui exhibetur ſalſæ-parilliæ decoctum, exſiccanti diætæ damnetur perpetuo, cum diæta refrigerans potius præſcribenda eſſet.

4°. Quod ægri toto curationis ſtudio domi arctius contineantur, cum magis expediret eos exeundi licentia uti, quoties cœlum ſerenum & temperatum eſſet.

VIII. Ceterum affirmat Ceſtonus ſolo uſu Decocti ſalſæ-parilliæ, modo caute & per tres menſes exhibeatur, non modo recentem, ſed inveteratam quoque luem radicitus exſtirpari, & exſtirpari certius quam Mercurio, quavis ratione adhibito. *Con la ſemplice Decozione della ſalſa-pariglia*, . . . inquit Ceſtonus, *mi è riuſcito ſempre d' eſtirpare* . . . . *la Lue venerea* . . . *molto più felicemente, che con il Mercurio, o ſia in unzione, o per ſuffumigii, o per empiaſtri, o per bocca in qualſivoglia modo preparato*; cujus rei fides ſit penes Ceſtonum, ſi tamen ille hac in re poſſit eſſe Auctor idoneus.

JOANNES MARTEN, Chirurgus Anglus.

A treatiſe of all the degrees and ſymptoms of the Venereal Diſeaſe *in both Sexes.* & cetera quæ paginam complent. *By* John Marten, *Chirurgeon. The ſixth Edition corrected and enlarged.* London, *by S. Crouch.* in 8. anno non adſcripto, ſed quem annum 1708. fuiſſe conſtat ex Epiſtola præfixa, cui adſcribitur. 1708. 1709.

Hoc eſt, *Tractatus de omnibus gradibus & ſymptomatibus* Morbi Venerei *in utroque ſexu* &c. &c. *Auctore* Johanne Marten, *Chirurgi.* Editio ſexta aucta & correcta. *Londini, apud S. Crotich.* in 8.

Idem appendicis inſtar vulgavit anno ſequente ſequentem Librum. Gonoſologium novum, *or a nevv Syſtem of all the ſecret Infirmities' and Diſeaſes natural, accidental, and* venereal *in Mere and VVomen* &c. &c. By John Marten, *Chirurgeon. VVritten by vvay of Appendix to the ſixth Edition of his Book of the* Venereal Diſeaſe. London. *by N. Crouch.* 1709. *in* 8°.

Hoc eſt, Gonoſologium novum, *ſive Novum Syſtema omnium ſecretarum infirmitatum & affectionum naturalium, accidentalium &* venerearum *in viris & in fœminis*, &c. &c. *Auctore* Johanne Marten, *Chirurgo. Scriptum per modum Appendicis ad Editionem ſextam Libri illius* de Morbo Venereo. Londini, *apud N. Crouch.* 1709. in 8.

Hic Auctor, quiſquis ille ſit, veterator fuit & egregius fraudium artifex, qui Circulatorum more in Librum ſuum ſimulatas Epiſtolas, caſuſque morborum commentitios infarſit, ut ſibi ſuoque arcano famam conficeret, & imperitum vulgus ludificaretur.

1709. JOHANNES SINTELAER, Anglus, Practicus Medicinæ.

The Scourge of Venus and Mercury, *repreſented in a Treatiſe of the* Venereal Diſeaſe; (cetera, quæ verboſe garrit, omitto plurima) *By* John Sintelaer, *Practitioner in Phyſick.* London, *by G. Harris.* 1709. in 8°.

Hoc eſt, *Flagellum* Veneris & Mercurii, *exhibitum in hoc Tractatu de* morbis venereis &c. &c. *Auctore* Johanne Sintelaer, *Practico Medicinæ.* Londini, *apud G. Harris.* 1709. *in* 8°.

Circulator ille in Mercurium ſtulte declamat, ſtultiuſque gloriatur de ſuis arcanis, non anti-venereis modo, quæ lui venereæ medeantur ſed etiam anti.mercurialibus, quæ damna a Mercurio illata emendent; Ex quo fit ut Librum ſuum inſcripſerit *Flagellum Veneris & Mercurii*. Sed hæ ad populum phaleræ.

1709. JOHANNES SPINKE, Anglus, qui non modo ſe Medicum, ſed Medicum quo-
1711. que Londinenſem vocabat in Librorum ſuorum fronte, quamquam ipſius nomen nullibi
1710. occurrat in Catalogis Collegii Medicorum Londinenſium, neque tanquam *Aggregati*, ne-
1717. que tanquam *Permiſſi*.

Quackery unmask'd, or Reflexions on the ſixth Edition of M. Martin's Treatiſe of the venereal diſeaſes, and its appendix, *ande the Pamphelt call'd* the Charitable Surgeon &c. (reſecto non pauco vaniloquo) *By* J. Spinke, *Licenſed Practitioner in Phyſick and Surgery.* London, *by D. Brovvn.* 1708. in 8°.

Id eſt, *Fraus Circulatoria detecta, ſive Animadverſiones in ſextam Editionem Tractatus Johannis Martin* (vel Marten) de morbo venereo, ac in additam appendicem, *& in Libellum, cui titulus eſt* Chirurgus miſericors, &c. &c. *Auctore* J. Spinke, *Practico Medicinæ & Chirurgiæ permiſſo.* Londini, *apud D. Brovvn.* 1709. in 8°.

Liber ille iterum editus eſt anno 1711 cum hac inſcriptione.

Quackery unmask'd in three parts &c. *The ſecond Edition enlarg'd.* Authore J. Spinke, Med. Lond. *London, ſold by the Author.* 1711. in 8.

Id eſt, *Fraus Circulatoria detecta in tres partes* &c. *Editio altera auctior*, Auctore J. Spinke, Med. Lond. *Londini. Veneunt in domo Auctoris.* 1711. in 8°.

In utroque litigat Auctor cum Johanne Marten, de quo ſupra ad *annum* 1705, & cum Auctore anonymo Libelli, qui inſcribitur *Chirurgus miſericors*, hoc eſt, Circulator cum Circulatoribus duobus, qui ipſo nihilo magis futiles ſunt, aut magis vaniloqui.

Ejuſdem ſunt etiam Libri duo ſequentes, qui ad inſtitutum noſtrum ſpectant.

I. *London's Medicinal Informer, containing* 1. *A brif enquiry into the ancient ſtate of the Practices of Phyſick and Surgery in the Vvorld.* 2. *The preſent ſtate of thoſe Profeſſions in London.* 3. *Quacks rightly diſtinguish'd from other Practicers, characteris'd and chaſtiz'd.* 4. The Venereal Diſeaſe in its cauſe, nature, ſigns, dangerous effects; beſt, moſt cheape, ſafe and private methods of cure, truly repreſented, *in order to prevent peoples being ruin'd either by that Diſeaſe, or by unskilfull Pretenders to its cure.* By a London Phiſician. *London, by B. Bragge.* 1710. in 8°.

Id eſt, *Monitor Medicinalis Londinenſis, in quo* 1. *Breviter inquiritur de antiquo ſtatu Praxeos Medicinæ & Chirurgiæ in orbe.* 2. *Exponitur præſens ſtatus Profeſſionis utriuſque Londini.* 3. *Agyrtæ a ceteris Practicis recte diſtinguntur, deſcribuntur, & caſtigantur.* 4. Cauſa, natura, ſigna, effectus periculoſi luis venereæ, ſimul

ſimul vero optima, minime cara, tuta & privata methodus illi medendi vere exhibentur, *eo conſilio, ut ægrotantes ſibi cavere poſſint, ne peſſundentur & a morbo ipſo, & ab imperitis qui audent ſibi aſſumere, ut illum curent.* Auctore Medico Londinenſi, *Londini, apud B. Bragge.* 1710. in 8°.

II. *The venereal Patient's Refuge, or the ſecret Diſeaſe in all its ſtages, degrees and circumſtances plainly deſcrib'd, &c. By* John Spinke, *M. D.* London, *by J. Baker.* 1717. in 8°.

Ideſt, *Syphiliticorum Refugium, ſive Morbus ſecretus, una cum ſymptomatibus, ſpeciebus, circumſtantiis omnibus, aperte deſcriptus, &c. &c.* A Johanne Spinke, *M. D.* Londini, *apud J. Baker.* 1717. in 8°.

ADRIANUS HELVETIUS, Batavus, medicinam Pariſiis exercuit cum laude famamque ſibi fecit uſu radicis Hipecacuanhæ, quam fors bona illi caſu obtulerat, qua de re vide *Le Dictionnaire des Drogues de Nicolas Lemery*, in verbo *Ipecacuanha*. Locum habuit inter Medicos ordinarios Philippi Ducis Aurelianenſis, Fratris Ludovici Magni. Obiit Lutetiæ Pariſiorum anno 1727. die 20. menſis Februarii, anno ætatis 65. 1710.

Méthode pour traiter la Vérole par les frictions & par les ſueurs.

A la Haye, *chez Adrien Moetjens* 1710. *in* 12.

Auctor præmiſſa præparatione parum methodica, jubet ægrum inungi unguento mercuriali, prima quidem frictione a ſummis pedibus uſque ad genua, & a pugnis uſque ad cubita. Altero vel tertio die inunctionem iterari, & ſi nulla inde appareant inſtantis ptyaliſmi indicia, tertium repeti, ita ut tribus frictionibus res tota conficiatur. Deinde auctor eſt, ut adhibitis frictionibus & ſaliva probe effluente ſudor excitetur ſemel vel bis in die per dies 10. vel 12. Quæ ſingulæ cautiones a methodo, quæ nunc uſu recepta eſt, non parum abludunt.

ANONYMUS Anglus. 1710.

The Tom of Venus, or a plain and certain Method, by vvhich all people, that ever labour'd under any venereal diſtemper, may infallibly knovv vvhether they are cured or not. Vvith effectual remedies to eradicate all noxious remainders, as vvel of the medicines applied, as the Diſeaſe itſelf. By a foreign Phyſician. London, *printed for the Auctor, an ſold by Bernard Lintot.* 1710. in 8°.

Ideſt, *Tumulus Veneris, ſive perfecta certaque Methodus, cujus ope quicunque olim ex morbo ullo venereo ægrotaverunt, poſſunt certo dignoſcere an perſanati ſint necne. Proponuntur ſimul remedia, quæ efficaciter valent ad extirpandas noxias reliquias tum remediorum, quæ prius adhibita ſunt, tum morbi ipſius. Auctore* Medico extraneo. Londini, *ſumptibus Auctoris, ſed veneunt apud Bernardum Lintot.* 1710. in 8°.

Quicumque ille fuerit, Circulator fuit, & artibus circulatoriis uſus eſt, ut qui arcana, quæ celat tanquam myſteria, magnifice oſtentaverit, ac dividenda curaverit a ſuo Bibliopola Bernardo Lintot.

THEODORUS ZUINGERUS, Baſileenſis, ex familia literatorum feraci, natus eſt anno 1658. Doctoris Medici gradum aſſecutus eſt in Academia patria anno 1680, atque deinde Eloquentiæ, anno 1684; Philoſophiæ Naturalis, anno 1687; Anatomiæ & Botanices, anno 1704; Medicinæ Theoreticæ, anno 1711; ac demum Medicinæ Practicæ, anno eodem ſucceſſive creatus eſt Profeſſor. In Academiam Cæſaream Naturæ Curioſorum aggregatus fuerat anno 1685. Obiit Baſileæ ex nephritide anno 1724. ætatis anno 67. 1710.

Præter Opera alia edidit Zuingerus *Baſileæ, in* 8°. *anno* 1710, *Diſſertationes Medicas ſelectiores XII*, quæ in Academia propugnatæ fuerant, & quibus *Faſciculi* titulum appoſuit. Inter illas *numero* VI. proſtat.

Diſſertatio de Hydrargyri natura, viribus & uſu,

quam ait Auctor propugnatam fuiſſe, a Gaſparo Oerio, Tigurino.

Hujus Diſſertationis ſunt Capita VII, quorum I. Quæſtio eſt *de Hydrargyri etymologia & homonymia & quam-plurimis ejuſdem ſynonymis, præprimis apud Alchimiſtas.*

II. *De Hydrargyri deſcriptione, ſpecie, loco natali, ac principiis materialibus.*

III. *De Principiis ſive Elementis Hydrargyri; de ejus generatione, & de minera, in qua hoſpitium ſuum habet.*

IV. *De Forma Hydrargyri, de ejuſdem colore, conſiſtentia, fluiditate, volatilitate, gravitate ſive ponderoſitate, & cauſa efficiente.*

V. *De Hydrargyri virtutibus & proprietatibus, quas in humano corpore exerit.*

In illo ab Auctore paucis probatur hydrargyrum pollere vi 1°. Attenuandi & reſolvendi, 2°. Diſcutiendi & abſorbendi, 3°. Enecandi vermes, 4°. Salivationem movendi.

VI. *De Hydrargyri proprietatibus & commodis extra corpus humanum* nempe *in operibus mecanicis.*

VII. *De medicamentis ex Hydrargyro paratis variis.*

Auctor enumerat inter cetera Æthiopem mineralem; Anti-quartium Riverii; Arcanum Corallinum Theophraſti; Cinnabarim multiplicem; Mercurium dulcem; Mercurium dulcem rubicundum; Mercurium ſublimatum corroſivum; Herculem Bovii; Mercurium præcipitatum album, flavum, rubrum per ſe & cum additione, viridem; Turpethum minerale, &c. quorum ſingulorum præparandorum proceſſus repeti poſſunt vel ab Auctoris Diatriba, vel a Chimicorum Libris.

Porro hinc liquet hanc Zuingeri Diſſertationem a noſtro inſtituto ſatis alienam eſſe, atque potius inter Opera Chimica, quam Medico-practica, & præſertim Aphrodiſiaca recenſendam eſſe.

Georgius Ernestus Stahlius, Hallenſis, de quo ſupra ad *annum* 1706.

1710. Johannes Daniel Isaac, Gorlicenſis Hexapolitanus.

> *Diſſertatio Inauguralis Medico-practica* de ſalivatione mercuriali, aliis præter luem
> 1711. veneream morbis rebellibus exſtirpandis pari, *quam* . . . . *ſub præſidio* . . . .
> 1725. Georgii Erneſti Stahlii . . . . . *die* . . . . . *Februarii MDCCX. exponet* Johan-
> 1730. nes Daniel Iſaac, *Gorlicenſis Hexapolitanus.* Hale Magdeburgicæ, *literis Chriſtiani Henckelii.* in 4°.

Johannes Devaux, Chirurgus Pariſienſis, natus Lutetiæ Pariſiornm (*a*) anno 1649. Chirurgiæ operam dedit, ac præcipuos honores Corporis ſeu Communitatis Chirurgorum adeptus eſt. Vir fuit nec ſine ingenio, nec ſine literis, ſed qui fuiſſet laudabilior, ſi ſeſe noviſſet ipſe melius, nec unquam viribus majora auſus eſſet. Obiit Lutetiæ anno 1729. pluſquam octogenarius.

De Chirurgia, imo etiam de Medicina Libros aliquot ſcripſit, ſed multo plures tranſlatos edidit, ex quibus hic eos tantum commemorare par eſt, qui ad præſentem de Morbis venereis quæſtionem ſpectant.

Primo. Librum IV. *Trutinæ Chirurgicæ* Caroli Muſitani, ubi de lue venerea agitur, gallice reddidit, egregiis adnotationibus auxit & illuſtravit, ac Trivultii typis excudendum curavit anno 1711. *in* 12. Tomis duobus cum inſcriptione ſequente.

> *Traité de la Maladie Vénérienne & des remedes qui conviennent a ſa gueriſon, de Charles Muſitan, Médécin de Naples, nouvellement traduit avec des Remarques, par Monſieur D. V. . . . . Maître Chirurgien Juré de Paris.*

Ille quidem in adnotationibus ſuis Muſitani errores emendat non ſemel nec indocte, vitiaque therapeiæ, quam Muſitanus proponit, ſæpe corrigit & plerumque recte: At vero ipſemet ibidem in errorem geminum incidit ſuapte culpa.

I. Videtur (*b*) aſſentiri opinioni ſeu potius fabulæ ab Helmontio propoſitæ de Æthiope illo, Pamphili de Narvaez mancipio, a quo venerea lues in Zempoalanos, ac inde in ceteros novæ Hiſpaniæ populos traducta dicitur anno 1519. Jam quidem abunde probatum eſt ſupra (*c*) ea de lue venerea nunquam dicta fuiſſe, ſed de Variolis tantum, in cujus rei fidem adduximus apertiſſima teſtimonia ex Hiſtoricis Libris *Bernardi Diaz del Caſtillo*, Scriptoris coætanei, & Ferdinandi Corteſii Commilitonis, *Franciſci Lopez de Gomara*, Capellani Ferdinandi Corteſii, & *Antonii de Herrera.* At vero, quod prima fronte admirationem moturum eſt, hunc eundem Herreræ locum ultimo laudatum affert ipſe Devaux in contrariam partem, quaſi velit inde arguere luem veneream in Hiſpaniam novam ab illo Æthiope devectam fuiſſe. Verum facile cognoſcitur quid ſit quamobrem tam turpiter erraverit: Nempe cum hiſpanici ſermonis ignarus eſſet, gallicam Herreræ interpretationem uſurpavit, ut ipſe quidem confitetur, quæ olim prodierat opera cujuſdam Johannis de la Coſte, in qua vox illa hiſpanica *Las Viruelas*, quam Herrera in enarranda illa Hiſtoria adhibuit, quæ *Variolas* tantum ſignificat, qua conſtat ab Herrera *Variolas* tantum intellectas eſſe, gallice redditur *la Vérole*, quo vocabulo non luem veneream, ſed variolas olim ſignificari (*d*) ſupra dictum eſt. Sed cum antiqua vocis illius *la*

(*a*) Memoires de Litterature & d'Hiſtoire, *Tom. VII. Part. I.*
(*b*) In Adnotation. 5. *ad Cap.* 3. *Lib.* 1. *Pag.* 49. *Tom. I.*
(*c*) Ad ann. 1644. *Pagg.* 930. 931.
(*d*) Lib. I. Cap. 9. *Pag.* 64.

La Vérole acceptio a Johanne Devaux ignoraretur, inde factum eſt ut fidenti quidem animo, ſed temere, crediderit hanc Herreræ hiſtoriam de lue venerea accipiendam eſſe: qua de re vide, quæ de Helmontio alibi monuimus.

II. Objicit idem, (*a*) ut contra communem opinionem pugnet, veneream luem nec Indigenis Inſulæ Hiſpaniolæ, nec Hiſpanis advenis prius innotuiſse, quam anno 1503, auctore ipſo, ut ille putat, Antonio Herrera, diligente rerum Indicarum Scriptore; unde colligit luem hanc ab Inſula Hiſpaniola, ubi nondum nota erat, Neapolim in Gallorum exercitum traduci non potuiſſe anno 1494, ut vulgaris fert opinio.

Locus autem Antonii Herreræ, quem adducit, depromptus eſt ex *Capite* 11. *Lib. V. Hiſtoriæ Generalis Indiarum*, ut ille quidem ait, ſed debuiſſet addere ex *Decade* I. cum ea Herreræ Hiſtoria in Decade IV. diſtributa ſit. Ceterum laudato illo loco Herrera brevem quatuor primorum Operis Librorum velut anacephalæoſin inſtituit, multaque ſummatim refert de moribus Indigenarum Inſulæ Haiti, quæ licet negotiis quibuſdam ad annum 1503. referendis ordine poſtponantur, tempore tamen multo priore fuerant.

Nempe 1°. (*b*) Cum Indi in advenarum odium ſementem nullam feciſſent, Hiſpanos inedia eo redactos eſſe, ut eſcas inſalubres & ſtomacho plane alienas ad cibos admiſerint, quod arquatum morbum tam intenſum illis attulit, ut crocei viderentur.

2°. Simul etiam uſu rei venereæ cum indigenis mulieribus morbum alterum ab iiſdem contractum fuiſſe difficiliorem, graviorem, diuturniorem, contagioſum, notiſque remediis majorem, uno verbo luem veneream, quæ inter Indos quidem familiaris, ſed Caſtellanis ad illud tempus ignota erat: Suborta eſſe ſcilicet in corporis habitu tubercula dura, renitentia, cum doloribus atrocibus, ex quo factum, ut ſpe futuri ad bonam valetudinem recurſus in cœlo natali multi in patriam reverſi ſint, in quam morbum eumdem una ſecum importavere.

3°. Sed tandem divino beneficio conceſſum eſſe, ut aliquanto poſt intervallo remedium ibidem reperiretur, ubi morbus repertus fuerat mulieris Indæ, Caſtellani cujuſdam uxoris, indicio quæ uſum Ligni Sancti, ab incolis *Guaiacan* dicti, patefecit adverſus id morbi genus efficacem, unde non levis acceſſit remiſſio.

Sed horum omnium nihil quidquam eſt, quod ad annum 1503. referendum ſit. 1°. Non fames, quæ morbos inter Hiſpanos vulgavit; conſtat enim illam eveniſſe anno 1495. 2°. Non deprehenſio ignoratæ efficaciæ, qua pollebat Lignum Sanctum adverſus morbos venereos: conſtat enim lignum hoc ab Hiſpanis in Inſula Hiſpaniola in uſum vix prius vocatum fuiſſe, quam anno (*c*) 1508. 3°. Denique non ingreſſus luis venereæ inter Hiſpanos; conſtat enim certa Hiſtoricorum fide id morbi genus primo Chriſtophori Columbi ad Hiſpaniolam appulſu, atque adeo anno 1492, cum Hiſpanis uſu veneris communicatum fuiſſe ab indigenis mulieribus, apud quas antiquitus endemia erat; qua de re vide ſupra, *Lib. I. Capp.* 10. & 11.

Sed nec Herrera hac de re diſſentit ullomodo, ut qui contra expreſſe *ibidem* teſtetur (*d*) luem veneream in Inſula Hiſpaniola antiquitus FAMILIAREM fuiſſe: In Caſtellanos, quibus IGNOTA erat, manaviſſe CONTUBERNIO cum mulieribus indigenis: Ac demum ab iis, qui in Caſtiliam rediere, TRADUCTAM fuiſſe in Hiſpaniam; quæ ſingula fictam & commentitiam Johannis Devaux fabulam funditus convellunt, cauſamque nobis adjudicant apertiſſime.

Secun-

(*a*) Ibid. *in Adnotat.* 4. & 5. *Pagg.* 42. & 46. *Tom.* I.

(*b*) La falta de vitualla, que huvo en la Eſpanola, el comer los Caſtellanos muchas baſcoſidades, y lo que padecieron los Indios por cauſa de no ſembrar, como atras queda referido, causò en todos nuevas enfermedades: Puſieronſe primero tam amarillos, quæ parecian acafranados, y eſto que les durò muchos dias: Con la CONVERSACION de las mugeres ſe les vino à pegar un mal ORDINARIO entre los Indios, y entre los Caſtellanos no CONOCIDO, que les dava mucho trabajo. Eran unos granos, que nacian per el cuerpo con dolores intenſos, y era contagioſo, y ſin remedio ninguno, de que morian rabiando: y por eſto ſe bolvieron muchos à Caſtilla penſando ſanar cum mundanca del ayre natural, y PEGARON el mal. Pero quiſo Dios que adonde ſe hallò el mal, ſe hallaſſe el remedio, porque alcun tiempo deſpues una India muger de un Caſtellano moſtrò el Palo Sancto, que llaman *Guayacan*, con que commencaron à tener algun deſcanſo. *Hiſtoria general de los Hechos de los Caſtellanos en las Islas y Tierra firme del mar Oceano. Eſcrita por el Antonio Herrera, Coroniſta mayor de las Indias.* *Decad.* 1. Lib. V. *Cap. XI.*

(*c*) Vide *ſupra* Lib. V. ad annum 1529. ubi de *Franciſco Delgado*.

(*d*) Hæc omnia omiſſa ſunt in interpretatione loci illius *Herreræ*, quàm Johannes Devaux adducit *laudati Tractatus* Pag. 42. Sed omiſſionis culpa refundenda videtur non tam in illum, quam in Johannem de la Coſte, a quo Herreræ Opus gallice redditum fuerat, & cujus interpretatio a Johanne Devaux optima fide profertur.

Secundo. Gallice vertit idem Devaux aliquot alia diverſorum Auctorum Opera *de Morbis Venereis*, ſed pleraque multis modis contaminavit, ac *male vertendo ex latinis bonis fecit galica non bona*, ut

1°. *Diſſertationem de Morbis Venereis* Antonii Deidier, celebris Profeſſoris in Facultate Medica Monſpeſſulana, de quo *infra ad annum* 1723, quæ gallice reddita prodiit Lutetiæ, *anno* 1725.

2°. *Tractatum de luis venereæ origine, natura & curatione* Gualteri Harris, Angli, de quo ſupra *ad annum* 1705, qui gallice redditus publici juris factus eſt Lutetiæ *anno* 1730. poſt mortem Johannis Devaux.

3°. *Tetrabiblion de pudendorum Morbis & Lue Venerea* Jacobi Vercelloni, Pedemontani, de quo *infra ad annum* 1716, quod gallice translatum editum eſt Lutetiæ *anno* eodem 1730.

4°. *Tractatum de virulentæ gonorrhææ ſymptomatis, natura, cauſis, & curatione* Guillelmi Cockburn, Angli, de quo *infra ad annum* 1717, qui gallice verſus typis excuſus eſt Lutetiæ *anno* eodem 1730.

1711. JOHANNES JOHACHIMUS LA GRUE, Doctor Medicus, & Chirurgus Amſtelodamenſis.

Korte reden over de nuttigheid en noodzakelykheid der Salivatie, en hoe men dezelve veiliger als voorheen zal bevorderen en voorzetten, in't geneezen der gevaarlykſte Venuſziekten, en van verſcheide zwaare kwaalen, van de meeſte Genesheeren en Heelmeeſters voor ongenezelyk gehouden. Als mede verſcheide nutte leſſen en dienſtige aanmerkingen, over hat behandelen en geneezen van een reeks van Venus kwaalen die dagelyks voorvallen. Mitſgaders een Byvoegſeltja aangaande't gebruik en deugdvan twee zeer conſiderabele Geneeſmiddelen, 't eerſte tot zwaare Pletteringen en Woonden, inzonderheid dees Hoofts, or daar Zenuwen en Vliezen gequetit zyn, en het twede tegen't Podagra, euz. Door Joann: Joach: La Grue. M. D. on Stadt-Chirurgyn tot Amſterdam. *Te Amſterdam*, Gedruktvoor den Auteur, en zyn te becommen *by Nicolaas ten Hoorn*. 1711. in 8°.

Ideſt, *Tractatus de utilitate & neceſſitate* Salivationis, *& de modo quo cieri debeat ad curandos morbos venereos, morboſque alios non paucos, qui a pleriſque Medicis & Chirurgis deſperati habentur. Accedunt Conſiderationes aliquot exituum, in quos erumpunt morbi venerei: Necnon Diſſertatio de uſu & efficacia duorum remediorum præcipuorum, alterius ad ecchymoſim, Cephalæam, & contuſiones nervorum vel membranarum, alterius ad podagram.* Auctore Johanne Joachimo La Grue. *D. M. & Chirurgo Urbis Amſtelodamenſis.* Amſtelodami, *Typis excuſus ſumptibus Auctoris. Venit apud Nicolaum ten Hoorn*. 1711. in 8°.

Librum hunc nec uſurpavi, nec uſurpare curo. Ipſius enim Inſcriptionis circuitiones circulatorias ſtrophas olent, ac inſidas Agyrtarum pollicitationes clamitant.

1711. ELIAS CAMERARIUS, Eliæ Rudolphi filius, Profeſſor Medicinæ ordinarius in Academia Tubingenſi, Archiatros Wurtenbergicus, in Academiam Cæſaream Naturæ Curioſorum cooptatus anno 1692. (*a*) Obiit anno 1634. ætatis 61.

De ſalivatione ſine ſalivatione. Tubingæ, 1711. *in* 4°.

1711. PETRUS PAXTON, Anglus, Medicus Doctor.

Specimen Medico-phyſicum de corpore humano & ejus morbis, *or an Eſſay concerning the knowledge and cure of moſt Diſeaſes afflicting human bodies. To which is annex'd a short account of* Salivation, and the uſe of Mercury. *By* P. Paxton, *M. D.* London, *for W. Innys*, 1711. in 8°.

Hoc eſt, Specimen Medico-phyſicum de corpore humano & ejus morbis, ſive *Tentamen pertinens ad notitiam & curationem plurimarum affectionum, quibus corpus humanum affligitur. Adjecta eſt brevis Diſſertatio* de Salivatione & de uſu Mercurii. *Auctore* P. Paxton, *M. D.* Londini, *Apud W. Innys*. 1711. in 8°.

Liber ille poſthumus eſt, cujus *Capite VI. & ultimo* diſſeritur de ſalivatione *paginis undecim*. En quo recidunt magnifica Inſcriptionis promiſſa!

1711. ANONYMUS Tractatum Heinſii de lue venerea batavice ſcriptum, de quo *ſupra* ad annum 1697, germanice vertit & edendum curavit ſequente inſcriptione:

N. He-

(*a*) Catalog. Academicorum defunctorum, qui præfixus eſt Voluminí IV. Ephemerid. Germanicarum.

N. Heinſii *germarterter Venus Prieſter, oder verhandelung von der Venus Krankeit*, Amſterdam 1711, *in* 8°.

Ideſt, *Veneris afflictæ Sacerdos, ſive Curatio Morbi Venerei*. Amſtelodami, 1711. in 8°.

Præfixit verſioni Heinſius Præfationem, in qua ſatis acriter inſectatur Hunderemarckium, ſed de his vide, quæ ſuperius dicta ſunt, ubi de Hundermarckio.

LULLIUS HILARIUS, Medicinæ Doctor. 1711.

Oratiuncula Panegyrica, ſeu Laus Gonorrhœæ. *Auctore* Lullio Hilario, *Medicinæ Doctore*. Haganopoli, *anno a felici Gonorrhœæ adventu in Europam CCXIX.* in 8°. hoc eſt, anno 1711, ſi calculus ducatur ab anno 1492, quo Auctor cenſet gonorrhœam in Europam inductam eſse.

En tertium Scriptorem cui lubitum eſt, ſi non luem ipſam veneream, ut Martino Dorcheſino, de quo ſupra ad *annum* 1539, & Jacobo Plutacrio de quo ad *annum* 1683. At certe unum ex præcipuis luis venereæ ſymptomatibus, ſcilicet Gonorrhœam, ludicra Oratione concelebrare, vel potius ironice confodere.

Ceterum errat ille, cum opinatur Gonorrhœam in Europam inductam fuiſſe anno 1492 eodem quo lues ipſa, cum conſtet non ſuperveniſſe niſi tardius, qua de re *Vid.* ſupra *Libri I. Cap.* 13.

GEORGIUS WARREN, Cantabrigienſis, Chirurgiam in urbe patria fecit aliquan 1711. diu cum laude, ſed inde demum migravit Londinum, ubi in curandis morbis venereis 1734. dicitur inclaruiſſe. Obiit poſt annum 1711, ſed ante annum 1734.

A new Method of curing without internal Medecines, that Degree of the venereal diſeaſe call'd a Gonorrhœa or Clap, deduced from a mechanical account of the original, ſeat and nature of that Diſtemper, (according to the Opinion of (*a*) *Dr. Drake, Mr. Cowper &c.) And conformed by Inſtances of the Author's ſucceſs in this Practice. By* George Warren, *Surgeon. The ſecond Edition.* London, *for J. Baker.* 1711. in 8°.

Hoc eſt, *Nova Methodus curandi ſine ullis internis medicinis eam morbi venerei ſpeciem, quæ* Gonorrhœa *vocatur, deducta ab expoſitione mechanica originis, ſedis & naturæ illius affectus, (juxta opinionem Doctoris Drake, Domini Cowper &c.) & confirmata proſperis ſucceſſibus, quos Auctor habuit in praxi. Auctore* Georgio Warren, *Chirurgo. Editio altera.* Londini, *ſumptibus J. Baker.* 1711. in 8°.

Eſt in manibus tertia ejuſdem Libri editio poſthuma anni 1734. cujus inſcriptio eadem eſt quæ allata, ſi ea recidas, quæ uncinis comprehenſa ſunt, ſed cui præfixa eſt admonitio, qua Lectoribus indicantur remedia in Libro deſcripta, ab obitu Georgii Warren venalia proſtare apud Pharmacopolam quemdam Londinenſem, nomine *Stuart*, & ab eo fide ſumma componi juxta Auctoris præſcripta, quorum copiam Vidua fecerat.

Liber ille Georgii *Warren Capita novem* continet, quorum I. De nomine & origine Gonorrhœæ: II. De gonorrhœa in genere: III. De variis variorum Auctorum opinionibus de ſede gonorrhœæ: IV. De copioſiore inquiſitione ſedis gonorrhœæ: V. De cauſis gonorrhœæ: VI. De ceteris ſpeciebus morborum venereorum, & in quo differant a gonorrhœa virulenta: VII. De methodis curatoriis recentium Medicorum, quæ ſunt omnes ægrotis & nimium tædioſæ & nimium exitiales: VIII. De argumentis, quibus probatur gonorrhœam externis tantum remediis curandam eſſe: IX. De exemplis aliquot felicium exituum, quos Auctor habuit ea methodo. Sed ne longus fiam, hæc eſt omnis Libri ſubſtantia.

I. Gonorrhœam (*b*) virulentam affectum antiquum eſſe, & veneri pandemiæ ſeu vulgivagæ, cujus ſoboles eſt, coævum; quam opinionem ut probet, laudat Hippocratem, *Epidemior. III. Sect.* 2. Davidiſque & Tiberii exempla producit, quem utrumque lue venerea infectum fuiſſe opinatur. Sed quam vana ea ſint, jam ſæpius demonſtratum fuit.

II. Tres (*c*) eſſe gonorrhœæ ſedes in viris, Proſtatas, veſiculas ſeminales, & glandulas mucoſas Cowperi, quod optime: Tres itidem in mulieribus gonorrhœæ ſedes eſſe, uterum, cervicem uteri, & vaginam, quod minus recte.

III. Veri-

(*a*) Auctor in definiendis gonorrhœæ ſedibus opinionem ſequitur Jacobi Drake, Doctoris Medici, in *Antrhopologia nova* Londini edita anno 1707., & ſtudio atque opera Guilielmi Cowperi, Chirurgi, multis Obſervationibus aucta.

(*b*) Cap. I.

(*c*) Capp. 3. & 4.

III. Veriſimillimam (*a*) eſſe opinionem Nicolai de Blegny & (*b*) Gervaſii Ucay; qui volunt venenum ſeu virus, quo gonorrhœa producitur, ex diverſo ſemine una commixto & computreſcente generari; Quod commentum Auctor non admittit modo, ſed conatur etiam ratiunculis, ſeu potius cavillationibus quibuſdam, confirmare.

IV. Auctori (*c*) improbandas videri methodos omnes medendi gonorrhœæ, quæ ætate ſua uſu receptæ erant, ſi qua interna adhibeant remedia: Sed videtur illas tam duriter exploſiſſe, ut utilitas methodi ſuæ mox proponendæ tanto manifeſtius appareret.

V. Ad (*d*) curationem gonorrhœæ, nihil illi probari præter remedia externa, ut indicatur in ipſa fronte Libri, nempe inunctiones pudendorum, & injectiones in urethram in viris, vaginamque in mulieribus. Quod ſi forte quæras curioſius, quænam ſit unguentorum illorum, illarumve injectionum materia vel compoſitio, fruſtra ſperes hæc ab illo in lucem proferri, qui e contra (*e*) monet ſe nihil acrius cavere quam ut ea in occulto lateant, ne ſi vulgarentur, ægrotantibus damno eſſent, quippe qui cum artis medicæ ignari ſint, propoſita remedia perperam temperarent, componerent, adminiſtrarent, unde varia & multiplex detrimentorum ratio, ac nova malorum ſeges.

Utrum perridicula hæc odioſi ſilentii excuſatio riſum, ſtomachumve movere debeat; incertum; at vero certiſſimum eſt Chirurgum illum Circulatorem fuiſſe, qui illito unguento, ut opinor, mercuriali, & injectis ſimul præparatis quibuſdam mercurialibus in idoneo vehiculo diſſolutis curandas ſuſcipiebat gonorrhœas virulentas: qui de ſua methodo, quam tamen vitiis & infortuniis non paucis patere vidimus alibi, præſertim *Lib. III. Cap.* 2. ſentiebat glorioſius, vel ſe ſentire ſimulabat, ut credulos ægrotantium animos ineſcaret; qui Librum, de quo quæſtio eſt, vel conſcripſit, vel conſcribendum locavit, quod Circulatores plerumque ſolent, ut ſerviret quæſtui, & arcano ſuo quod ſtudioſe celabat, famam faceret verbis, quam effectis non poterat.

1713. HENRICUS ALEXANDER NIESERS, Chirurgus Arauſioburgenſis, hoc eſt in *Oranienburg* in Marchia Brandeburgica.

Sicherer Vveg, vermoge einer gevviſſen Medicin, Panacea Tartarea *genannt*, luem veneream, *oder die Frantzoſen ohne ſalivation, nebſt anderen Kranckeiten mehr zu curiren.* Berlin, 1713. in 8.

Id eſt, *Via tutiſſima, qua mediante remedio quodam*, Panacea Tartarea *dicto*, *lues venerea, ſive Morbus Gallicus, cum pluribus aliis morbis, ſine ſalivatione ſanari poteſt.* Berolini, 1713. in 8.

Hæc eſt encheireſis Panaceæ illius Tartareæ ab Auctore propoſitæ.

℞. *Tartari crudi, albi, electi & in pulverem redacti*, Lib. xij.
Ligni Guaiaci, Lib. iiij. ß.
Saſſafras & Salſa-parillæ, ana Lib. j. ß.
Radicis Chinæ, Lib. ß.

Conciſa miſce, indantur retortæ lapideæ, cui recipiens probe lutatus adjungatur, imponatur igni aperto. Fiat Diſtillatio gradatim, donec in recipiente menſura una & dimidia liquoris (circiter *trois Chopines de Paris*) collecta fuerit. Separetur liquor ab oleo fœtido per chartam emporeticam, & rectificetur adjecta panis cruſta per retortam vitream.

Deinde ℞. *Cryſtalli Tartari* ℥ vj.
Raſuræ ligni Guaiaci cum cortice, ana ℥ jv.
Saſſafras, Salſæ-parillæ, Seminis fraxini, ana ℥ j ß.
Cinnamomi electi ℥ ij
Chinæ ℥ j ß.
Santali rubri ℥ ß.

Conciſa vel contuſa indantur cucurbitæ vitreæ, ſuperaffundatur liquor rectificatus, & ſpiritus Vitrioli ʒ iij. Digerantur blande per 12 dies, die qualibet cucurbitam bene agitando, hinc exprimantur ſpecies & Tinctura filtretur.

Tinctura utendum interne a guttis 50 ad 100; oleo vero ſeu, ut Ille vocat, Balſamo fœtido externe ad ulcera. Teſtatur Auctor ſibi dolere, quod ingratiſſimum Balſami illius odorem nulla arte corrigere potuerit.

Huic

(*a*) Cap. 5.
(*b*) Vocat illum ex errore nuperum Bataviæ Scriptorem, *A modern Vvriter in Holand.* ibid.
(*c*) Cap. 7.
(*d*) Cap. 8.
(*e*) Pag. m. 91.

Huic Chirurgo laudi dandum, quod remedia ſua bona fide patefaciat, at vero neque diffitendum eſt nimis credulum videri, ſi revera exiſtimaverit poſſe talibus auxiliis luem Veneream radicitus debellari.

Rudolphus Huberus.

Diſſertatio Inauguralis exhibens doctrinam de glandulis, & tumorem ſcrophuloſum maxillæ inferioris a retropulſa Gonorrhœa virulenta oriundum. Baſileæ 1713. 1713.

Diſſertationem illam nondum vidi, neque adeo illam novi, niſi quia laudatur a Julio Friderico Breyer, in Diſſertatione ſua Inaugurali *de Ophthalmia Venerea*, de qua vide infra *ad annum* 1734. Nullus tamen dubito, quin *ſcrophuloſus ille tumor maxillæ inferioris a retropulſa gonorrhœa virulenta oriundus*, Bubo fuerit venereus in maxillari quadam glandula ſubnatus; ex decubitu materiæ virulentæ a genitalibus repreſſæ, cui ut in hanc glandulam ſpeciatim colligeretur, multa locum facere potuerunt, ut ictus, contuſio, contrectatio frequentior, vel antecedens vitioſa conformatio, aut morboſa diſpoſitio glandis illius.

Richardus Boulton, Anglus, Ceſtrienſis, Oxonii educatus in Collegio *Ænei Naſi* dicto. 1714.

Phyſico-Chirurgical Treatiſes of the Gout, the King's evil, and the Lues Venerea &c. *By* Richard Boulton, *late of Brazen Noſe College Oxon.* London, *printed for Vv. Brand & J. Kent.* 1714. in 8°.

Conſtat hoc Opus tribus Tractatibus, qui ſinguli ſuas habent ſpeciales inſcriptiones: Tertius *v. g.* ſic inſcribitur.

A Treatiſe of the Lues Venerea, *or the Pox, and Gonorrhœa; giving a rational account of their Symptoms and Cauſes: Together vvith the Diagnoſticks, and Prognoſticks, and Method of Cure. By* Richard Boulton &c. *London*, 1713. in 8°.

Hoc eſt, *Tractatus de Lue Venerea & gonorrhœa in quo exponuntur illorum morborum Symptomata & Cauſæ, ſimul cum ſignis Diagnoſticis & Prognoſticis, atque Methodo medendi. Auctore* Richardo Boulton *&c.* Londini, 1713. *in* 8°.

In hocce Tractatu, qui paginis circiter centum abſolvitur, ſcilicet *a pagina* 229. *ad paginam* 327. nihil novi eſt, quod adnotatione dignum ſit. Auctor de ſalivatione, quam probat, agit quidem ſed perfunctorie; ac in eo totus eſſe videtur, ut exponat uſum venæ ſectionis, purgationis, vomitionis, enematum, diaphoreticorum &c. quæ auxilia ſunt quidem præſtantia, ſed ex ſe depellendæ lui venereæ plane imparia.

Gulielmus Hallet, Anglo-Britannus. 1714.

Diſputatio Medica Inauguralis de viribus Argenti vivi, *quam . . . . examini ſubjicit* Gulielmus Hallet, *Anglo-Britannus, ad diem* 17. *Auguſti* 1714. Lugduni-Batavorum, *apud Joh. Arnoldum Langerack.* 1714. in 4°.

Archibaldus Pitcarnius, Edimburgenſis Scotus, ad Medicinam Lugduni Batavorum profitendam ab Academiæ Curatoribus vocatus fuit anno 1692, & Orationem inauguralem habuit eodem anno, die 26. menſis Aprilis; qua oſtendebat *Medicinam ab omni Philoſophorum ſecta eſſe liberam.* (*a*) Sed poſt unum aut alterum annum, cum prælectiones ſuas minus probari ſentiret, nemine ſalutato, nec efflagitata miſſione honeſta, clam abiit, exceſſit, evaſit, ac renavigavit in Scotiam, ubi Medicinam fecit Edimburgi, donec vitam cum morte commutavit, quod quo anno contigerit, compertum non habeo: Sed certe poſt annum 1717. 1714.

Pitcarnius Diſſertationes Medicas aliquot, quas ſeparatim antea vulgaverat, in unum volumen collegit & edendas curavit Amſtelodami *in* 4°. anno 1701, in quibus Ille immodicus ſui æſtimator ſibi plaudit, quaſi Natura ſe nudam dediſſet illi in conſpectum, pateretque ipſi propalam rerum veritas, quæ ceteros alte latet; ſed in quibus, ut veriſſime dicam, aliena non pauca pro ſuis non ſine plagio, ſua omnia pro certis non ſine arrogantia, vulgaria plurima pro miraculis non ſine jactantia, proponit & obtrudit.

Exſtabat inter Diſsertationes ceteras, Diſſertatio quædam *de motu, quo cibi in ventriculo rediguntur ad formam reficiendo ſanguini idoneam*, quæ prodierat ante anno 1693, & in qua omni ope atque opera enitebatur Pitcarnius, ut probaret ciborum concoctionem ſola vi & energia ventriculi cibos couterentis perfici. Renovabat ſcilicet opinionem, quam Antonius LeeuWenhoeckius publici juris fecerat anno 1684. in Diario quodam gallico, *Mercure*

(*a*) Bayle, *Lettre* 181.

Mercure Savant dicto, quod tunc Roterodami excudebatur, ſed illaudato, imo ne nominato quidem Leuwenhoeckio.

Hæc eſt illa explicandæ concoctionis ratio, quam, cum a vero abhorrere videretur, impugnandam olim aggreſſus ſum in Diſſertatione, quæ typis mandata fuit in Monte-peſſulano anno 1710, & quæ auctior iterum prodiit Toloſæ anno 1714, in qua pro virili ſtudebam demonſtrare nec vim ventriculi in contractionem nitentis, etiamſi auxiliaris muſculorum epigraſtricorum & Diaphragmatis energia accederet, comminuendis cibis parem eſſe; nec comminutionem ciborum, quantacunque ſupponeretur, explicandæ concoctioni unquam ſufficere.

Parum mihi quidem tribuo, ut qui mecum habitem, ſed vix poſſum quin mihi videar id, quod contendebam, viciſſe, quoties reputo quam multas mihi, me indignas, neque ſe ſatis dignas contumelias dixerit Pitcarnius in editione altera Diſſertationum ſuarum, quæ Amſtelodami vulgata fuit anno 1714, & quam immerenti dixerit, cum de quæſtione, quæ cadebat in diſceptationem, modeſte diſſeruiſſem, ut virum ingenuum & juniorem Medicum decebat. Sed hæc non modo lubens condonem, verum etiam ſummæ apponam felicitati, ſi qua forte fiducia ſit me tam levi damno, veritatis in re gravi retinendæ auctorem & impulſorem fuiſſe.

Hæc altera Pitcarnii editio anni 1714, de qua mox, exiit auctior aliquot Diſſertationibus, & quod ad inſtitutum proprius facit, Diſſertatiuncula quadam, tribus pagellis comprehenſa, quæ inſcribitur

De ingreſſu morbi, qui Venerea Lues *appellatur vulgo.*

In qua Pitcarnius pro conſuetudine ſequentia autocratice profert, quaſi Medicis & Medicinæ leges figeret, ſed quæ ne cui illudant, appoſitis notis confodere operæ pretium eſſe duxi.

I. „ In India utraque, Africa, & Europa auſtrali, ubi homines deſidioſi & fere barbari, oblitique aut ignari eorum, quæ Moſes præceperat *Levitic. Capp.* 14. & 15. *Libri ſui*, agebant, iis ſordes vel partes exſpirationis Sanctorianæ ſpiſſiores atque graviores premendo vaſa genitali dicata inflammationes, illic & ulcus progignere atque gonorrhœam, aliaque moris mali ſymptomata, qualia ſæpe in canibus, at ſæpius longe in cuniculis obſervavit *Ille*, qui Neapoli nunquam fuiſſent, & ignari Moſaicæ legis laſcivis ſtudiis operam dabant. „

Sed 1°. Non alios *Europa auſtralis* populos novi, præter Græcos, Italos & Hiſpanos, quibus mitior barbariem & deſidiam objici, præſertim ab homine Scoto.

2°. In *auſtrali Europa*, quibuſcunquæ vitæ commoda ſuppetunt, ii cuticulam curant, ſtudentque munditiei corporis, ſi non diligentius, at certe nihilo ſegnius, quam qui in *boreali*, quamquam nullibi ne unus quidem ſit, qui *præcepta a Moſe in Levitico præſcripta* ſervet: At vero quicunque vitam duriter agunt, trahuntque in laboribus, illi delicias iſtiuſmodi facile negligunt in *auſtrali Europa*, ſicut & *in boreali*; ſed nullibi accidit unquam, ut ullus *gonorrhœam* virulentam, *ulcuſve* venereum conceperit ex *ſordibus vel partibus exſpirationis Sanctorianæ* male deterſis, ſine ulla contagione ab infecto alio admiſſa: quamobrem Pitcarnius, qui ſentit aliter unus inter univerſos hujus ævi Medicos, monſtra narrat omnibus inaudita.

3°. Morbi, quem canibus & cuniculis familiarem eſſe dicit Pitcarnius, ipſe memini ſupra *Lib. I. Cap.* 2. at vero ſimul probavi a venereo hominum morbo toto cœlo diſcrepare, neque cum illo ulla poſſe ratione conferri.

II. „ In regionibus auſtralibus exſpirationem plerumque majorem eſſe, quam in ſeptentrione, remque veneream frequentiorem: Quapropter, ſi populi auſtrales negligent Moſaica præcepta ſæpiſſime ſequi (& partes aliquæ animalium non facile morem gerunt, neque ſe rite tractari Medicina Moſaica facile ſinunt) non eſſe mirandum, eos nulla tranſmiſſa a majoribus contage, fœdis iſtis ulceribus venereis infeſtari, ſive Morbo Neapolitano. „

Chorda ſemper oberrat eadem Pitcarnius, dum contra omnium opinionem, imo contra apertiſſimam rei veritatem, affirmat *ſi populi Auſtrales negligant Moſaica præcepta ſæpiſſime ſequi, ... non eſſe mirandum eos nulla tranſmiſſa a majoribus contage* (adde nec ab alio concepta) *fœdis iſtis ulceribus venereis infeſtari, ſive morbo Neapolitano*. Næ imperatoria eſt illa medicinam tractandi ratio, quæ Naturæ ipſi audet ad arbitrium leges dicere.

III. „ Morbum venereum in Auſtralibus tolli uſu ligni Guaiaci, radicis Sarſæ, Oxylapathi, Bardanæ & ſimilium, ex aqua decoctorum. „

Haud

Haud equidem negaverim *Morbum Venereum in auſtralibus tolli* quandoque poſſe dum recens eſt, *uſu ligni Guaiaci*, modo ægrotantis venæ jejunio exinanitæ larga & diutina decocti ex Guaiaco potatione macerentur & perſuantur. Sed negaverim uſquam gentium *tolli uſu radicum Sarſæ, Oxylapathi, Bardanæ & ſimilium, ex aqua decoctorum*, quæ ſunt meræ ludificationes: Et quod majoris momenti eſt, affirmo, & affirmabit mecum quicunque rem uſu exploraverit, hydrargyroſim eſſe ubique gentium medendi rationem ceteris omnibus tutiorem, efficaciorem, breviorem, commodiorem, atque adeo ex omni parte ceteris omnibus anteponendam.

IV. „ Lepram ante famam morbi Neapolitani hydrargyro ceſſiſſe, nomenque nunc „ amiſiſſe. „

Pitcarnius paucis multa peccat: 1°. Hallucinatur, dum pro certo ponit *hydrargyrum ante famam morbi Neapolitani* curandæ Lepræ adhibitum fuiſſe: conſtat quidem multis Arabum & Medicorum teſtimoniis, qui in Europa vixerunt ab Arabum ævo, id remedii genus diu ante natam luem veneream in uſu fuiſſe adverſus pediculos, ſcabiem & herpetes, ut *ſupra* dictum eſt *Lib. II. Cap. 7.* At vero conficiet nunquam Pitcarnius, ne uno quidem Medici cujuſquam teſtimonio, qui ante luis ingreſſum ſcripſerit, idem remedium adverſus Lepram unquam uſurpatum eſſe.

2°. Hallucinatur, dum affirmat *Lepram hydrargyro ceſſiſſe*; referunt (*a*) enim e contrario Medici, qui Lepram ipſi videbant, & quibus Lepræ therapeia comperta erat, hydrargyrum, quoties per analogiam poſt natam luem veneream curandæ Lepræ adhibita fuerit, toties non tam remedio quam nocumento fuiſſe.

3°. Hallucinatur, dum addit *Lepram nomen nunc amiſiſſe*, ſi forte velit, ut verba videntur innuere, Lepram etiamnum ſupereſſe in Europa, ſed *nunc amiſſo nomine* luem veneream jam vocitari; nam ſupra *Lib. I. Cap. 2.* probatum fuit Lepram a lue venerea multum differre natura, cauſa, more, therapeia.

V. „ Si Aurum atteratur (& atteri poteſt) in partes adeo parvas, ut earum ſuperficies, „ habita ratione molis, tantæ ſint quæ reddant partes illas aquæ levitate pares, & in„ natare ſanguini aptas, morbos hos (*venereos*) auro, quam Mercurio tutius atque ci„ tius ſanatum iri. „

Quæ Pitcarnius de Auri efficacia ad curandam luem veneream proponit, non ille experimento didicit, verum opinione commentus eſt, ſed falſa; licet enim Aurum Mercurio præponderet, eoque nomine Mercurio efficacius videri poſſit ad comminuendum cruorem, qui juſto ſpiſſior eſt, multis tamen aliis deſtituitur prærogativis, ex quibus potiſſima dependet in hoc negotio efficacia, nempe Auri particulæ nec læves & globoſæ ſunt, quia figuratione impetus momentum augeatur; nec in minutias indefinite parvas dividi poſſunt pro re nata, ut anguſtiſſima viarum adeant, ſi qua perluſtranda ſint; nec in majores guttas coire aptæ ſunt, ut obices, ſi qui firmiores occurrant, validius dimoveantur & impellantur, quæ ſingula in Mercurii guttis eminent præcipue, & in quibus ſingulis tota continetur Mercurii virtus.

VI. „ Poſt vomitum bis aut ter iteratum, exhibendum eſſe Mercurium per aliquot „ dies, bis die: Cum os inceperit dolere, abſtinendum eſſe a Mercurio per tres aut qua„ tuor dies: Tunc *ægrum* purgandum alternis diebus: Oris dolore ceſſante, interandum „ uſum Mercurii: Et iterandam hanc methodum, donec ſymptomata ceſſarint. „

Cenſet Pitcarnius *Mercurium exibendum eſſe bis die per aliquot dies* ad luem veneream curandam, quod bene eſt, quamquam nimium ſit Mercurium bis exhiberi in die.

Addit Pitcarnius *cum os inceperit dolore, abſtinendum eſſe a Mercurio per tres aut quatuor dies, & tunc purgationem iterandam eſſe alternis diebus*, quod eſt optime, quamquam ea methodus, nedum nova, ſed ab ipſis morbi primordiis in uſum a pleriſque Medicorum recepta fuerit, qua de re vide ſupra *Lib. II. Cap. 7.*

At vero, quod factum male, tacet Pitcarnius de forma qua Mercurium cenſeat adhibendum eſſe, neque ſignificat utrum chimice præparatus ore deglutiendus ſit, quam methodum, ut Empiricis multum, ſic Medicis minime probari video; an vero cum adipe extinctus illitu ſit inungendus, quæ medendi ratio, ut omnium tutiſſima, ſic uſu confirmatiſſima eſt.

Imo etiam, quod factum peſſime, pejorem adhibendi mercurii modum eligit apertiſſime, cum velit Mercurium non illini, quod in unguentum quadraret, ſed *exhiberi*, quod de præparatis tantum mercurialibus poteſt intelligi.

FRAN-

(*a*) Francois Ranchin, *Traite de la Lepre, Sect. 2. Chap. 8.*

1715. FRANCISCUS DE FONSECA HENRIQUEZ, Mirandellenſis Luſitanus, Medicus Johannis V. Regis Luſitaniæ.

* Madeyra illuſtrado. *Methodo de conhecer e curar o morbo gallico, composto pelo Doutor* * Duarte Madeyra Arraez, *Phyſico mor del Rey Dom Joam IV, reformado ao ſentir dos Modernos, illuſtrado com muytos caſos praticos, & enriquecido com varios & efficazes remedios, para extinguitur com facilidade eſte contagio, & para acodir promptamente aos ſeus productos; Pelo Doutor* Franciſco de Fonſeca Henriquez, *natural de Mirandella, Medico do Sereniſſimo Rey de Portugalo Dom Joao V. Com hama Diſſer tagam dos humores naturaes do corpo humano. Obra muyto neceſſaria para boa intelligencia deſtas illuſtragoes.* Liſboa, *na officina de Antonio Pedrozo Galram*, Anno de 1715. in fol.

1716. JACOBUS VERCELLONUS, Pedemontanus, natus anno 1676. Sordevoli (*a*) apud (*b*) Bugellas, Medicinæ operam dedit in Monte-peſſulano definente præterito ſæculo. Inde Romam petiit anno 1699, *ubi in Archiehoſpitali Sancti Jacobi Incurabilium praxim medicam exercuit;* Hinc in patriam redux Medicinam fecit Aſtæ, in urbe Epiſcopali Pedemontii, in qua commorabatur ipſo anno 1724.

Primam manum Operi ſuo de lue venerea admovit anno 1701 (*c*) *ætate paulo junior, & annorum circiter viginti quinque*; ſed, ut ipſe ait, *ſuarum partium eſſe duxit, ut incredibili ferme Syphiliticorum numero opitularetur, qui opem ſuam imploratum veniebant.*

Fidem omnem pene ſuperat id quod ipſe ultro confitetur, ſe nempe tunc temporis ita *ignarum fuiſſe eorum, quæ in Medica Republica hactenus geſta fuerant, ut cenſeret ante ſe neminem exſtitiſſe, qui venereorum morborum cauſas, differentias, ſigna & curationem denique tradidiſſet;* ac ideo ſibi potiſſimo jure Operis ſui editionem urgendam tunc viſam eſſe. Eam tamen aliquot annos ſuppreſſit conſilio Bartholomæi Torini, Archiatri Pedemontani, & Johannis Fantoni, Profeſſoris Taurinenſis. In lucem tandem prodiit Aſtæ anno 1716. *in* 8°. cum ſequenti inſcriptione:

De Pudendorum Morbis & Lue Venerea Tetrabiblion. Aſtæ, *apud Johann. Bapt. de Zangrandis*, 1716. in 4°. Deinde Lugduni Batavorum, *apud Langerack*, 1722. in 8°.

Conſtat Tractatus ille Vercelloni Libris, ſive *Capitibus quatuor*, quorum unumquodque in plures articulos & paragraphos ſubdividitur.

Primo. Conatur probare ex pura venere etiam impuram naſci, ſi peccetur in exceſſu, ac fœmina nimio concubitu exagitetur, præſertim ſi cum multis miſceatur, quorum confuſa ſemina computrefiant. Sed infirma ſunt ea, quæ profert argumenta, & jam a nobis in hoc Opere abunde convulſa *ſupra Lib. I.*

Capite altero diſſerit *de Pudendagra muliebri*, hoc eſt, de gonorrhœa virulenta mulierum, cujus cauſas, differentias, ſymptomata, diagnoſim & prognoſim diſtinctis paragraphis explicat.

Tertio Capite agit *de Mentulagra*, hoc eſt, de porris, verrucis, ulceribus cancroſis, bullis cryſtallinis, phimoſi & paraphimoſi, quæ balano, fræno, præputio, mentulæ in viris accidunt, ſicut etiam de gonorrhœa virulenta virorum.

Demum *Capite quarto* verba facit de bubone inguinali ſeu pano venereo, de rhagadiis & verrucis coxarum, præſertim in mulieribus, de ani criſtis & condylomatis, ac demum de lue venerea, quam *ſi recens & in primo aut ſecundo gradu fuerit*, Guaiaci aut Salſæparillæ decocto *curari* ait; minime vero, *ſi vetus ſit & ad tertium gradum pervenerit*, quo tempore *Mercurio tantum cedit.*

Multa quidem ſunt in hoc Opere, quæ laudi, ut jam dicta ſatis indicant; ſed non pauca etiam, quæ vitio vertenda ſunt. Nam 1°. Multa falſa, omiſſa, perperam explicata, aut negligenter tractata ſunt; 2°. Declamatorius eſt ſtyli tumor, qualis materiei minime convenit, quæ ornari negat contenta doceri: 3°. Abeſt lucidus ille rerum ordo, qui in dogmatica Diſſertatione in primis requiritur: 4°. Demum, quod potiſſimum eſt, curatoriæ methodi nec ea qua par eſſet diligentia expoſitæ ſunt, nec remedia complectuntur tutiſſima, efficaciſſima, uſu maxime comprobata.

1716. JOHANNES GEORGIUS STUSSIUS, Medicinæ Doctor & Practicus.

JOHANNES CASPAR GEMEINHARDT, Lauba Hexapolitanus.

Diſſer-

* De illo Medico, quem Franciſcus de Fonſeca illuſtrandum ſuſcipit, vide ſupra ad annum 1642.

(*a*) Mangetus, *in Bibliothec. Medic.*

(*b*) In Provincia Bugellenſi, gallice *de Biele*.

(*c*) In Præfatione.

Diſſertatio Medica ſiſtens ægrum Pudendagra contracturali laborantem . . . . *publicæ Philiatrorum diſquiſitioni ſubmiſſa*, *Præſide* Johanne Georgio Stuſſio, *Medico Doctore & Practico*, *Reſpondente* Johanne Caſpar Gemeinhardt, *Lauba Hexapolitano*, *ad diem IX. Aprilis*, *anno MDCCXVI.* Jenæ, *ſtanno Werthertano*. in 4.

GUILLELMUS COCKBURN, Scotus, Doctor Medicus, Societatis Regiæ Londinenſis Socius, annis *1696.* & *1697.* Medicus Turmæ cæruleæ in Claſſe Regia, anglice *the Squadron blew*, deinde Collegii Medicorum Londinenſium Permiſſus, ſcripſit anglice Librum de gonorrhœa venerea, quem edendum curavit anno 1713. ſuppreſſo ſuo nomine, cum hac inſcriptione: 1717. 1713.

The ſymptoms, *nature*, *cauſe*, *and cure of a Gonorrhœa*. London, *by John Graves*. 1713. in 8.

Sequentibus tribus aliis ejuſdem Libri editionibus nomen ſuum appoſuit, & auctaria adjecit non pauca, ſicut & quartæ, quæ prodiit anno 1728.

Tractatus ille latine verſus typis impreſſus eſt Lugduni Batavorum, anno 1717. *in* 12. cum hac epigraphe:

Virulentæ Gonorrhœæ ſymptomata, *natura*, *cauſa & curatio*.

ac demum gallice redditus a Johanne Devaux, Chirurgo, Pariſiis in lucem emiſſus eſt anno 1730. ut *ſupra* dictum eſt *Pag.* 1037.

Cnm Liber ille pluries editus paſſim obvius ſit, haud opus eſt ſumma illius Capita ſigillatim explicare. Satis eſt annotaſſe circa duo potiſſimum Auctorem laborare; nempe I. Ut (*a*) ſtatuat in viris gonorrhœæ ſedem nunquam in proſtatis, nec in veſiculis ſeminariis eſſe, ſed in ipſis ſemper glandulis ſive lacunis urethræ, quod cum obſervationibus aperte pugnat.

II. Ut (*b*) approbet uſum cujuſdam injectionis, qua fluentis materiæ acrimoniam citiſſime mitigari, atque adeo gonorrhœæ virulentiam tutiſſime ac ſine ullo periculo compeſci affirmatiſſime aſſeverat.

Verum cum præparationem hujuſce injectionis, quam tot tantiſque laudibus extollit ceu efficaciſſimam & maxime præſentaneam, nullibi explicet, merito culpandus eſſe videtur, ut qui per avaritiam de induſtria ſilentio ſupprimat remedium, quod ipſe ait non gonorrhœæ modo virulentæ, ſed etiam fluori albo utiliter conducere, atque adeo peſſimo conſilio humano generi invideat ſalutiferum auxilium; quod & virum probum & ingenuum Medicum dedecet.

Neque audiendus eſt, dum (*c*) ſilentii ſui odium conatur deprecari, quaſi remedium illud ideo celet, ne vulgus perditorum hominum illius uſu quaſi certo prophylactico a futuræ gonorrhœæ periculo jam ſecurum libidini effrænatius ſe dedat: Quaſi vero, ut a (*d*) Seneca egregie dici memini, *Medicinâ & ſceleratis opem non miniſtraret*, *& compoſitiones remediorum ſuppreſſiſſet ullus* unquam, *ne ſanarentur indigni*.

GERARDUS GORIS, Bomelia-Gelrus, *Medicinæ Doctor* Facultatis Lugduno-Batavæ, in qua (*e*) lauream doctoralem conſecutus eſt anno 1685. (*f*) Fuit deinde *Examinator Chirurgorum & Obſtetricum*, *ac Inſpector Cadaverum vi occiſorum in Rhenolandia*. 1717.

Mercurius triumphator, *continens argenti vivi hiſtoriam*, *indolem*, *prærogativas & noxas in morborum chronicorum*, *præſertim in luis venereæ curatione*. Accedit *nova hunc morbum per ſelectiora ſpecifica curandi methodus* &c. Quibus breviſſime annectitur *de curationibus ſympatheticis Tractatulus*. Lugduni Batavorum, apud Theodorum Haak. 1717. *in* 12.

Tractatus ille mera declarnatio eſt, in qua Auctor remedia ſua ſpecifica, ut arbitratur, venditat, laudes ſuas prædicat, de Medicina male ſentit, ceteroſque Medicos iniquius exagitat. Comprehenditur *Capitibus XIV.* in quorum ſeptem prioribus proponuntur variæ quæſtiones Chimicæ de natura & origine Mercurii, ac multæ narrantur fabulæ de Chryſopœja, ſed quæ non ſunt hujus loci.

Quod ad luem veneream attinet.

I. Arbitratur (*g*) *fœdiſſimum hunc morbum* . . . . *cum hominibus eſſe coævum*, & ab antiquis Scriptoribus, *Plauto*, *Cicerone*, *Juvenale*, *Martiale*, *Valerio Maximo*, cognitum fuiſſe; quos tamen compertum eſt de hujuſmodi affectu, ne per ſomnium quidem cogitaviſſe.

(*a*) Part. 1. Cap. 4. (*b*) Part. 2. Cap. 1. (*c*) Part. 2. Cap. 1.
(*d*) De Beneficiis, *Lib. IV.* Cap. 28. (*e*) Ex Theſi illius Inaugurali *de Diarrhœa*.
(*f*) Hæc tranſcripta ſunt ex inſcriptione Tractatus, de quo mox. (*g*) Cap. 11.

II. *Satis* (*a*) *mirari quorumdam pervicaciam non poteſt, qui hunc morbum primæ demum ſua habuiſſe incunabula ætate Caroli VIII. Galliæ Regis*, *contendunt*. *Tametſi*, pergit ille, *ab eo bello*, *quod Carolus*, *Gallorum Rex*, *cum Alphonſo Rege ad Neapolim geſſit anno* 1493. & 1494. *plurimum ſævierit & tunc primum natus videatur*, ... *multo ante Medicis cognitus exſtitit*, quandoquidem Guillelmus Salicetus, Bernardus Gordonius & Valeſcus Tarantanus, qui diu ante vixerunt, plurima luis venereæ ſymptomata commemoraverunt. O palmarium argumentum, ſed jam centies refutatum, præſertim ſupra *Libro I. Cap. 6.*

III. Colligit inde (*b*) *hunc morbum*, *niſi ſupremus naturæ Arbiter ſua clementia ipſe exſtinguat*, *aut effrænem hominum libidinem temperet*, *numquam extinctum iri;* ſed ea de re vide, quæ in contrarium dicta ſunt *Libro I. Cap.* 14.

IV. Statuit ,, (*c*) hanc luem nulli jam adulto adnaſci, niſi contagio qui ſe poi-
,, luerit, quod in concubitu ſolet evenire.... Hauriri etiam interdum a ſcorto, quod
,, non ſit inquinatum, cum quis cum eo volutatur mox ab alio impuro ſcortatore. ,,

V. Poſthabitis omnibus aliis medicinis, quæ ex decocto Guaiaco præparantur, fatetur (*d*) *nullum hydrargyro hactenus inventum fuiſſe ad morbos venereos præſtantius remedium*.

VI. Attamen (*e*) ,, haudquaquam cenſet hydrargyrum ideo verum eſſe atque ſpe-
,, cificum luis venereæ antidotum, ...quia ptyaliſmum producit, minime gentium:
,, Salivatio enim, *addit ille*, reſolvit tam utiles, quam inutiles humores, eoſque ſub-
,, tiliſatos & fluidiores redditos per glandulas maxillares exterminat. ,,

VII. Contendit vero ,, (*f*) Mercurium ex metallis extractum non inducere ſaliva-
,, tionem, atque ita præſtantiſſimum & ſecuriſſimum ſimul, medentibus vulgaribus
,, penitus ignotum, evadere medicamentum in morbis chronicis, præſertim in mor-
,, bis venereis, polychreſton & ferme catholicum.

VIII. Ait (*g*) ,, adinventam hanc a ſe ad luis venereæ....curationem medicinam
,, comparere in forma Elixiris, Electuarii, Quintæ Eſſentiæ, Pulveris craſſi (vulgo
,, *groſſi*,) Balſami, & Pilularum; quæ medicamenta levi negotio capſulæ vel pyxidi
,, immiſſa ubique locorum & terrarum, veluti nuperrime adhuc in Indias Orientales,
,, devehi queunt. ,, Laudat autem impenſe ſingula illa medicaminum genera, ſed illorum encheireſes nullibi proponit.

IX. Affirmat (*h*) ,, ſe hiſce....labore improbo (quia difficilia, quæ pulcra) nec
,, minoribus impenſis (quia neceſſe eſt facere ſumptum, qui quærit lucrum) tandem
,, potitum eſſe. Interim, *ſubjungit Ille*, veniam prius peto, quod ego, qui triti ſer-
,, mone proverbii, *laudare ſe vani eſt*, vix inſcius eſſe poſſim, tantus meorum ſio
,, encomiaſtes, ſed quis Medicorum hodie non facit idem, & quidem omnium
,, maxime illi, qui apud populum opinionem, famam & exiſtimationem poſſident,
,, licet hoc aliis crimini dare haud vereantur.

X. Confitetur (*i*) ,, ſe meliora ſua remedia (quibus Deo benigne annuente, parvo
,, temporis ſpatio, multos feliciter reſtituit ac in dies curat, etiam in mortis bilance
,, ſubinde verſantes) haud immerito ex hoc ditiſſimo Naturæ Gazophylacio, in præ-
,, mium laboribus propoſitum, nequaquam ignavis, qui melle gaudent aliena opera præ-
,, parato, ſed ſibi ipſi conſervaviſſe.... Quare, *inquit*, nemo mihi hoc vitio vertet,
,, quod noſtrum inventum, qualecunque ſit, cuivis palam facere & invidis nova arma
,, ſubminiſtrare nolim: *Noſtræ enim utilitates nobis omittendæ non ſunt*, *aliiſque traden-*
,, *dæ*, inquit Cicero. 3. Offic. ,,

Ut libere dicam quod de ea quæſtione ſentio, quæ ſæpius recurrit, nulli Medico ingenuo, maxime vero Chriſtiano, auctor eſſe velim, ut remedia a ſe probata, quæ in publica commoda ceſſura ſint, iniquius celet unquam turpis quæſtus cauſa. Quod ſi cui aliter viſum fuerit, ſaltem enitatur ille omni ope atque opera, ut arcanis quæ ſilentio tegit, re & effectis auctoritatem acquirat, non verbis quæ mendacii ſemper ſuſpecta ſunt. Quapropter pudeat illum eo tantum conſilio librum ſcribere & in vulgus ſpargere, ut remedia ſua quorum male comperta eſt utilitas, glorioſius prædicet Circulatorum more, ut credulas ægrotantium mentes ineſcet & deludat magnificis pollicitationibus, ut vaniloquentia lucroſa rem quocunque modo faciat.

Porro

(*a*) Ibidem. (*b*) Ibidem. (*c*) Cap. 11.
(*d*) Cap 8. (*e*) Cap. 7.
(*f*) Ibidem. (*g*) Cap. 12.
(*h*) Ibidem. (*i*) In Præfatione.

Porro autem debuiſſet Gerardus Goris ad hæc tanto diligentius attendere, quod jam ante ipſe monuerat in Libro, quem *de Medicina contempta propter* λογομαχίαν *vel ignorantiam Medicorum* ſcripſit anno 1700. Arcanorum venditatoribus, quos *Myſteriarchas* vocat, (*a*) „ qui ſecreta ſua nemini revelare volunt, non tam ſalutem mortalium, „ quam ut nummos corradant, curæ eſſe: Inter mille a ſuis Auctoribus commenda- „ tiſſima medicamenta vix unum ſe vidiſſe vel audiviſſe, quod ſuis ambitioſis titulis „ atque arrogantibus epigraphis ſatisfecerit: *Attamen* Thraſones illos ſua jactantia non „ ſolummodo ignaris, ſed quod magis dolendum, ſæpe gnaris imponere, vulgaria, „ pro abſtruſis, abſurda pro convenientibus decantantes: Orbi, pro magno pretio, fu- „ mos vendere & ex re vili, ſine ullo labore, diteſcere, ſed expilatorium hunc ac- „ quirendi dominii modum eſſe &c. „

Erratum eſt in eodem Opere circa ſequentia, de quo Lectorem monitum velim, ut ſibi caveat.

Auctor ait (*b*) „ primum omnium, qui ad luis venereæ curationem (poſt famoſam „ illam expeditionem Neapolitanam, cum primævus ac vetuſtiſſimus alias hic morbus „ denuo hoc jam recepto nomine luis venereæ primum inclaruit) hydrargyrum præ- „ ſcripſit, fuiſſe quemdam Jacobum Carpenſem, quo tam feliciter uſus eſt, ut brevi „ ditiſſimus evaſerit, & præter maximam ſupellectilis argenteæ .... copiam, 40000. „ ducatos aureos inſuper ſuis hæredibus teſtamento reliquerit; „ quod a Gabriele Falloppio mutuatus eſt, quem tamen non laudat, ſed quod falſum eſſe abunde liquet ex iis quæ ſupra dicta ſunt ad *annum* 1512. ubi de *Jacobo Berengario Carpo*.

II. Statuit (*c*) „ fratrem Baſilium Valentinum, qui Imperatoris Maximiliani tem- „ pore vixit, luem veneream appellaviſſe *Morbum militarem novum*; quod ex Johanne Hartmanno tranſcripſit, ſuppreſſo tamen illius nomine, ſed quod ab Hartmanno falſo dictum eſſe ſupra probavimus ad *annum* 1630. ubi de *Hartmanno*.

III. Contendit (*d*) „ venæ ſectionem, ſicut in peſte lethalis eſt, ſimiliter in infe- „ ctione venerea eſſe exitialem; „ quod hac ætate noſtra ab uno Gerardo Goris credi arbitror, & quod contra quotidianam Medicorum omnium experientiam repugnat, qui ſanguinis detractionem in ſyphilide adhibent, nec ſine fauſtiſſimo ſucceſſu.

Daniel Turner, Anglus, Chirurgiæ operam juvenis dedit, quam Londini 1717. exercebat anno 1695. cum edidit *Apologiam Chirurgicam* anglice ſcriptam. Sed illi deinde viſum eſt Medicinam ipſam aggredi: Quamobrem Collegio Medicorum Londinenſium ſe probandum obtulit anno 1712. a quo facta prius de more peritiæ ſuæ periclitatione licentiam faciendæ Medicinæ impetravit. Sunt enim Londini duo Medicorum ordines, quorum alii *Socii* ſunt Collegii, alii a Collegio tantum *Permiſſi* ſunt, ſeu *Licentiaté*. Socius nemo, niſi Doctoris gradum in Anglicis Academiis, Oxonienſi vel Cantabrigienſi, obtinuerit. Ceteri omnes, qui in Academiis Scotiæ, Hiberniæ, vel exterarum regionum ad Doctoratus honores promoti ſunt, Licentiatorum tantum nomine a Collegio permittuntur, ſi doctrinam prius periclitatione probaverint. Imo ſuſpicio eſt quoſdam interdum permitti, quod magis miror, qui nulla in Academia Doctoratus inſignia conſecuti ſunt.

Edidit Turnerus ſequentem Tractatum anno 1717.

Syphilis. *A practical Diſſertation on the Venereal Diſeaſe: In vvhich after a short account of its Nature and Original, the Diagnoſtick and Prognoſtick ſigns, vvith the beſt vvays of curing the ſeveral degrees of that Diſtemper, together vvith ſome hiſtorical Obſervations relating to the ſame, are candidly and vvithout reſerve communicated. By* Daniel Turner, *of the College of Phyſicians London.* London, 1717. *in* 8.

Hoc eſt, Syphilis. *Practica Diſſertatio de Morbo Venereo, in quo præmiſſa brevi expoſitione Naturæ & Originis illius, Diagnoſtica & Prognoſtica ſigna, cum optimis methodis curandi ſingulos morbi illius gradus, adjectis quibuſdam hiſtoricis Obſervationibus ad eamdem affectionem ſpectantibus, ingenue & ſine ulla exceptione traduntur & proponuntur. Auctore* Daniele Turner, *e Collegio Medicorum Londinenſium.* Londini, 1717. *in* 8.

Hæc Diſſertatio bipartita eſt: Parte priore potiſſimum *de gonorrhœa*; poſteriore vero de *Lue Venerea*; In utraque de morborum ſingulorum ætiologia & therapeia ſatis

 copio-

(*a*) Cap. IV. (*b*) Cap. VIII.
(*c*) Cap. XI. (*d*) Ibidem.

copioſe diſſeritur, ſed ordine parum compoſito, ſaltem non ea methodo quæ lucem afferat.

I. Statuit hic Auctor cum Guillelmo Becketto, *a Pag.* 12. ad *Pag.* 18. gonorrhœam virulentam & luem veneream ante annum 1494. in Europa, nedum ignotas, ſed vulgo graſſatas fuiſſe; cui opinioni ut fidem faciat, eadem profert teſtimonia, vel pleraque ſaltem, quæ a Becketto adducta ſupra recenſuimus *Lib. I. Cap.*7. Nempe 1. Loca quædam deprompta ex Opere manuſcripto Johannis Ardern, Chirurgi Angli, qui exeunte decimo quarto ſæculo vixiſſe creditur; & ex Collectaneis quibuſdam medicis, quæ ſcripta dicuntur circa annos 1390. & 1440. in quibus *de Arſura* ſive *Incendio*, anglice *Burning*, ſive *Brenning*, mentio eſt, quod morbi genus venere olim contrahebatur, & quod ideo volunt idem fuiſſe ac gonorrhœam virulentam, quæ hodie impura venere concipitur. 2. Integra ſtatuta Lupanaris Londinenſis in ſuburbio *Southvvark* dicto olim proſtantis, quæ anno 1430. ſancita creduntur, & ex quibus articulos aliquot, in quibus *de nefanda ſcortorum infirmitate & de proſtibulis arſura infectis* quæſtio eſt, a Becketto in opinionis ſuæ confirmationem adduci ſupra vidimus.

Sed cum his abunde ſatisfactum fuerit loco ſupra laudato, dum teſtimonia eadem a Becketto adducta diluimus, ne cramben recoquamus, argumento eodem denuo tractando ſuperſedere viſum eſt.

II. Circa propagationis modum Auctor confitetur quidem *Pag.* 54. ſe quondam ſenſiſſe luem veneream contrahi non poſſe, niſi in genitalibus locis morbi quidam locales præluſerint: At vero ait, *a Pag.*55. *ad Pag.*58. ſibi jam ſecus videri; quam opinionem ut probet, ſubjicit *ibidem* unam, alteramque *Pag.* 297. Obſervationem, quas ipſe egregias, firmaſque eſſe putat, ſed quæ meo quidem judicio rem evincunt nullo modo.

III. Curandæ lui venereæ ſalivationem adhibet, *a Pag.* 180. *ad Pag.* 190. quam movet interno præparatorum mercurialium uſu, ſi morbus levis & recens; externo unguenti mercurialis illitu, ſi morbus gravis ſit aut inveteratus. Laudat vero ſuffumigia ex cinnabari ad cariem pudendi, ulcera narium, nodos, gummata, dolores fixos, ceteroſque morbos topicos.

IV. Nimius eſſe videtur in agitandis iis, quæ ad ſe tantum ſpectant & in ſui defenſionem ſcripta ſunt. Iis etenim, etiamſi vera forent ac legitima, cum ad rem plerumque non pertineant, conſtat Lectoribus nauſeam moveri, atque adeo Operis pretium non parum inde elevari.

V. In Circulatores, qui ad curandos morbos venereos audent temere aggredi, paſſim ſtomachatur, nec ſine cauſa, cum id hominum genus, quod & vetabitur ſemper & ſemper retinebitur, cordatis Medicis, artiſque ſuæ amantibus merito inviſum ſit & odioſum. Sed quid tamen opus eſt cum iis ratione tam ſæpe agere, qui carent omni ratione, qui nullis innituntur principiis, quorum varia eſt ac mutabilis praxis, notaque temeritas?

VI. Narrat ille, *Pag.*99., ab Agytta quodam Londinenſi ad gonorrhœæ curationem diebus ſingulis in decocto avenaceo exhibitas fuiſſe guttas x. xij. vel xv. ſolutionis ʒ j. ſublimati corroſivi in alcoholis ſive ſpiritus vini ℥ j. cujus peſſimum facinus, atque gravi pœna animadvertendum exhorreſco quidem, ſed miror nullomodo, ut qui dudum pro comperto habeam Circulatorum imprudentium cum impudentia parem eſſe.

VII. Ad hujuſce Libri calcem proſtant Hiſtoriæ triginta ægrotantium totidem morbis venereis diverſimode infectorum, quos curandos Auctor habuit.

LUDOVICUS WILHELMUS DE KNORR, Medicus, Philoſophus, Chimicus.

1717. Venus a la monde, *das iſt, die anietzo im Schwang gehende Veneriſche moden-Kranckheit, wie ſolche ſo wohl in als auſſerlich in allen ihren ereigenden zufallen gantz ſicher und gewiſs, ohne einigen gran des* Mercurii, *oder Queck-Silber zu curiren, daſs man auch wahrender zeit allen verrichtungen unverhindert obliegen konne, nebſt einem anhang von Chimiſcher mecamenten aus Golden und* Antimonio. Von D. Louis Gilhomme de Knorr, Med. Phil. Chym. Leipzig. *Bey Johann Friedrich Braun.* 1717. in 8.

Id eſt, Venus a la mode, *hoc eſt*, *Methodus morbum venereum hiſce temporibus graſſantem, cum omnibus ſuis ſymptomatibus, tam internis quam externis, tuto, certe, & abſque ullo grano Mercurii ſive Argenti vivi, ſanandi, ita ut æger medicationis tempore ſine impedimento negotiis ſuis vacare poſſit, cum appendice de medicamentis Chimicis ex Auro & Antimonio*. Lipſiæ, *apud Joh. Fridericum Braun.* 1717. *in* 8.

Auctor

Auctor non Medicus eſt, ſed Arcanorum venditator, an fallax, falſuſne viderint Lectores. Remedia, quæ jactat, ſunt Pilulæ anti-venereæ, Tinctura anti-venerea, & Sulfur Philoſophicum, quorum præparationem de induſtria celat. Decoctum autem ſudorificum, cum aqua & vino confectum quod communicat, a vulgari decocto non differt niſi additione radicum Aſari & Hellebori nigri. Auctor omni ope atque opera nititur, ut perſuadeat ſe ſuis remediis per annos decem & ſeptem feliciſſime uſum fuiſſe, quod credat Judæus Apella, non ego.

JOHANNES BAPTISTA FAUSTUS ALLIOT, Pariſinus, & Facultatis Medicæ Pariſienſis Doctor, nepos Petri Alliot, Barro-Ducæi, qui ſua ætate, hoc eſt, circiter anno 1664. inclaruit arcano quodam remedio, quod adverſus Carcinomata venditabat, & quod nihil fuit (*a*). Præter ſulfur quoddam Realgaris ſeu Arſenici rubri, alkalino lixivio ſolutum, & aceto ſaturnino præcipitatum, remedii proinde genus, ut ſemper parum utile, ſic nunquam ſatis tutum. 1717.

Johannes Baptiſta Fauſtus Alliot deceſſit juvenis in Inſula Martinica, in qua conceſſerat, ut Medicinam magis quæſtuoſam faceret.

JOHANNES FRANCISCUS Leaulté, Pariſinus,

Quæſtio Medica quodlibetariis diſputationibus mane diſcutienda .... die Jovis 9. Decembris 1717. *M.* Johanne Baptiſta Fauſto Alliot de Muſſay, *Doctore Medico Præſide.*

An morbus antiquus Syphilis?

Proponebat Johannes Franciſcus Leaulté, *Pariſinus*, *Anno* R. S. H. 1717. *Typis Johann. Quillau*, *Facultatis Medicinæ Typographi.* in 4.

Comprehenditur illa Diſſertatio *pagellis octo*, & in Corollaria *quinque* diſtribuitur, quorum I. Auctor multis exaggerat quot quantiſque morborum generibus miſerum mortalium genus conflictetur.

In II. Probat morbos pleroſque *primo intuitu ſimiles* reipſa tamen diverſos eſſe.

In III. Deſcribit pro modulo varia ſyphilidis ſymptomata, morbumque conatur depingere.

In IV. Loca aliquot Veterum Scriptorum adducit, quæ pro antiquitate luis venereæ facere exiſtimat, atque adeo hoc unum eſt Corollarium, quod ad argumentum pertineat.

In V. Poſt levem velitationem de uſu Guajaci, Sarzæ-parilliæ, aut radicis Chinarum, affirmat Auctor Mercurium *ſacram ſyphilide infectis anchoram eſſe*; *hanc unam ſalutis viam*; *ab hoc uno vinci ſe pati ſuperbiſſimam luem*, *litu*, *non ſuffitu celebrato*, *præmiſſis purgantibus*, *balneis*, *venæ ſectionibus*; ac demum concludit. *Ergo morbum antiquum eſſe Syphilidem.*

Inter Veterum teſtimonia, quæ ab Auctore in confirmationem ſuæ opinionis proferuntur, occurrunt vel indicantur loca illa Horatii, *de morbo Campano*, *& de grege contaminato turpium morbo virorum* Cleopatræ; Juvenalis, *de Mariſcis tumidis*, *quæ cæduntur Medico ridente*; Martialis, *de ficis*, *& de ficoſa Cæciliani familia*; Taciti, *de ulceroſa facie Tiberi*; Suetonii, *de unctionibus & ſudationibus Octaviani Cæſaris*; Luciani, *de Lesbio Morbo*, quæ ſane novimus pro antiquitate luis venereæ vulgo adduci, ſed quæ ſingulatim abunde diſcuſſa ſunt ſupra *Lib.* 1. *Cap.* 3.

Sed præterea opponuntur tria alia Veterum loca, quæ ab ullo objici poſſe vix puto, quæ ſaltem certiſſime ſcio, a nemine unquam objecta fuiſſe.

Primus locus prolatus eſt ex Valerio Maximo, *Memorabil. Lib. III. Cap.* 5. in quo narrat Valerius „ Clodium Pulchrum, qui præter quam quod enervem & frigidam ju„ ventam egit, perdito etiam amore vulgatiſſimæ meretricis infamis fuit, mortis eru„ beſcendo genere conſumptum fuiſſe: Abdomine enim avide devorato, fœdæ ac ſor„ didæ intemperantiæ ſpiritum reddidiſſe.

Probe video *perditum illum amorem vulgatiſſimæ meretricis*, quo *Clodius Pulcher infamis fuiſſe* dicitur, Johannem Baptiſtam Fauſtum Alliot ita illuſiſſe, ut præconcept a opinione inde firmiſſime crediderit *abdomine avide devorato*, de quo Valerius loquitur, *genitalia peſſimo ulcere corroſa*; & *erubeſcendo mortis genere*, quo Clodius *fœdæ & ſordidæ intemperantiæ ſpiritum reddidit*, *pudendam interitus rationem* ex veneno venereo, quod a ſcorto contraxerat, debere intelligi.

Sed mirum quam procul ea ſint a vero loci illius ſenſu. Agitur enim ibi de Clodio Pulchro derepente præfocato ab ampliore fruſto (*b*) abdominis ſuilli ſeu ſuminis, quod

(*a*) *Voyez* le Traité du Cancer par J. B. Alliot. *Paris* 1698. *in* 12.

(*b*) Sumen, ſeu ſuilla cum lacte ſuo mamma, Romanis probabatur in cibis & helluonibus, quibus menſa opima, magno fuit in pretio: *Vide Plinium*, *Hiſtor. natural. Lib.* 8. *Cap.* 51. & *Lib.* 11. *Cap.* 37.

quod dentibus male confectum, & ab helluone feſtinantius deglutitum, hæſit in gutture, vel forte laryngis rimæ infixum fuit; qua de re nobiſcum ſentire neceſſe eſt, quicunque appenderit ſingula Valerii verba, & qua de re nobiſcum facit univerſa Interpretum turba, a quorum nullo, quem noverim, locus ille aliter acceptus eſt.

Fallor ipſe, nam locus idem Valerii Maximi non modo eodem ſenſu jam acceptus a Gerardo Goris, *Cap. XI.* Tractatus medici, cui titulus eſt *Mercurius Triumphator*, & qui Lugduni Batavorum prodiit anno 1717. ſed ad antiquitatem luis veneræ probandam ſimiliter adductus fuerat, a quo proinde videtur hoc argumentum mutuatus Johannes Baptiſta Alliot, non ſine plagii ſuſpicione, & plagii tanto turpioris, quod fabulam furto ſibi propriam fecerit.

Exſtat inter *Hiſtorias anatomicas rariores* Thomæ Bartholini exemplum mortis haud abſimile, quo locus Valerii egregie illuſtratur. „ Sueno Olai, Vardbergenſis, *inquit* „ *ille Centur. I. Obſerv.* 11. juvenis robuſtus, ſed pallido faciei colore, annorum XIX. „ in familia Arnoldi Bernhardi, Scribæ Curiæ Hafnienſis, cum in cœna convivis juſſu hoſpitis inserviret, *hoc eſt*, *miniſtraret*, linguæ bubulæ fruſtulum in patina reſiduum clam & feſtinanter ori injecit, unde ſtatim vox ſublata & reſpiratio, nec caro deglutita conatu ullo, aut vi ulla potuit elici. Antequam advocetur Chirurgus, „ ſtrangulatur. Poſtridie cadaver apertum fuit.... inventumque eſt fruſtulum illud linguæ bubulæ, pondere unciæ unius cum dimidia, inter epiglottida & laryngis rimulam ſe inſinuaſſe, totamque laryngem obturaſſe tam arcte, ut vix manu eximi potuerit, unde mirum non eſt ſubito & vocem ceſſaſſe, & periiſſe reſpirationem.

Locus *alter* adductus eſt ex Lucio Apulejo *Metamorphos. Lib.* 10. in quo narrat Socrates, quidam, quem Apulejus loquentem inducit, ſe cum Lariſſam, urbem Theſſaliæ, peteret, „ a latronibus obſeſſum atque omnibus privatum ad quamdam Cauponam „ Meroen anum, ſed admodum ſcitulam, devortiſſe,.... a qua urigine percita cubili ſuo applicatus fuit: *Addit autem* ſe miſerum, ſtatim ut cum illa acquievit, ab unico congreſſu annoſam ac peſtilentem contraxiſſe.

Fateor illum Apuleji locum vexatiſſimum eſſe; nec me præterit quoſdam eſſe qui cenſeant, non poſſe illum intelligi, niſi de affectione ſeu ægritudine quadam, quam Socrates ille contraxerit a Caupona, concubitu, imo qui audeant Apuleji textui reſtituere vocem illam *contagionem* vel *ægritudinem*, quam volunt excidiſſe librariorum culpa. Sed potior videtur illorum ſententia, qui cum (*a*) Gaſpare Barthio legunt *annoſam peſtilentiam*, quaſi ſenſus eſſet Socratem *ab unico congreſſu* (*b*) *contraxiſſe peſtilentiam annoſam*, hoc eſt, (*c*) diuturnam & multorum annorum peſtiferum ſcilicet amorem, quo incenſus eſt in Cauponam anum; vel quod eodem recidit, qui ipſa Apuleji verba, quorum lectionem ſinceram eſſe putant, ita accipiunt quaſi diceret Socrates ſe ſtatim, ut cum illa acquievit, ab unico congreſſu Cauponam anum charam & amicam ſibi feciſſe. Et vero haud facile rationem reddas alioquin, cur Socrates anum illam *admodum ſcitulam* fuiſſe præmonuerit; cur *lacinias*, *quas boni latrones contegendo ſibi conceſſerant*, *in eam contulerit*, *imo operulas etiam*, *quas adhuc vegetus ſagariam faciens merebat*; tandem cur *voluptatem veneream*, *& ſcortum* illud *ſcorteum*, *lari & liberis* volens *prætulerit*, ut illi ab Ariſtomene amico ſuo, quem caſu obvium habuit, duriter exprobratur.

At vero, utcumque daremus illic agi de affectione ſeu ægritudine quadam, quam Socrates ille contraxiſſet a Caupona concubitu, quid tum porro? Anne continuo locus ille Apuleji vexatiſſimus & obſcuriſſimus par videbitur unus adſtruendæ antiquitati morbi, de quo Veteres alii omnes tacuerunt? Vix credo poſſe id cuiquam probari, maxime cum jam ſæpius oſtenſum ſit præter luem veneream morbos alios fuiſſe non paucos, qui venereo congreſſu concipi poterant, imo quos conſtat venere conceptos fuiſſe; qua de re vide *ſupra Lib. I. Capp. 7. & 8.*

Tertius locus depromptus eſt ex eodem Apulejo, *Metamorphoſ. Lib.* 10. quem adeant, quibus placeat verborum turpitudo & rerum obſcœnitas. Certe vix a me impetrare poſſum, ut paucis referam Lucium, qui fabulæ actor eſt, in aſinum jam verſum induci ibi quaſi *ſæpius mortem ſibi ſua voluerit manu conſciſcere*, *priuſquam ſceleroſæ mulieris*

(*a*) Adverſarior. Lib. 33. *Cap.* 22.
(*b*) Julianus Floridus in *Apulejum*.
(*c*) Locus ille Apuleji ſic gallice redditus eſt a nupero Interprete, cujus verſio Lutetiæ edita fuit in 12. anno 1707. *Depuis ce fatal moment, je me ſuis trouvé enſorcelé par cette malheureuſe, juſq' à lui donner mes habits, que les honnêtes Voleurs avoient bien voulu me laiſſer.*

lieris contagio macularetur, vel infamia publici ſpectaculi depudeſceret. Sed cave putes, ut video Auctorem Theſeos putaviſſe, illic agi de contagione ulla morboſa, quæ a muliere infecta poſſet concipi; ſed perſuaſiſſimum habe quæſtionem tantum eſſe de proboſo contactu mulieris ſceleroſæ, quo infamia credebatur inferri. Sic apud Plinium minorem, *Epiſt.* 11. *Lib.* 4., Cornelia Maximilla, Veſtalis, quæ a Domitiano ince-„ ſti damnata, incertum an innoncens, nocenſne, cum in ſubterraneum cubiculum de-„ mitteretur defodienda, hæſiſſetque deſcendenti ſtola, *dicitur* vertiſſe ſe ac recolle-„ giſſe, manumque, quam ei Carnifex dabat, averſatam eſſe, & reſiliiſſe, fœdumque „ contagium, quaſi plane a caſto puroque corpore noviſſima ſanctitate rejeciſſe.

Johannes Buissiere, Gallo-Anglus,

Diſputatio Medica Inauguralis de Lue Venerea & morborum venereorum Specifico, *quam..... ſubjicit* Johannes Buiſſiere, *Gallo-Anglus, ad d..... Septembris.* Trajecti ad Rhenum, *ex officina Guilielmi Vande Water.* MDCCXVII. in 4. 1717.

J.... F.... Nicholson, Scotus, ait ſe Socium non ita pridem fuiſſe Collegii novi Oxonienſis, & ante Univerſitatis Glaſcuenſis in Scotia. 1718.

The modern Siphyilis, (ſic) *or the true Method of curing every ſtage and ſymptom of the Venereal Diſeaſe, as now practiſed by the moſt eminent Phyſicians ad Surgeons in Europe. With an accurate deſcription of te parts of Generation in both Sexes, as approved by the beſt Anatomiſts. Collected and digeſted by* J.... F.... Nicholſon, *ſometime ſince of new College in Oxford, and late of the Univerſity of Glaſcow in Scotland.* London, *by N... Crouch.* &c. 1718. in 8.

Id eſt, *Nupera* Syphilis, *ſive vera methodus curandi ſingulas ſpecies & ſingula ſymptomata morbi venerei, ut nunc adhibetur a peritiſſimis Medicis & Chirurgis in Europa: Cum accurata deſcriptione partium Generationis in utroque ſexu. Collecta & in ordinem depoſita a* J..... F.... Nicholſon, *non ita pridem Socio Collegii novi Oxonienſis, ante Univerſitatis Glaſcuenſis in Scotia.* Londini, 1718. *in* 8.

Franciscus Chicoyneau, Monſpeſſulanus, Doctoris gradum aſſecutus eſt in Facultate Medica Monſpeſſulana anno *1693.* & anno eodem juſſu & auctoritate Regis deſignatus fuit Patris ſucceſſor, qui Facultatis ejuſdem Profeſſor erat, Judex & Cancellarius. Nunc ab anno *1732.* Archiatrorum Comes, in quo miniſterio ſucceſſit ſocero ſuo Petro Chirac, qui fuerat itidem in Facultate Monſpeſſulana Profeſſor Regius. 1718.

Antonius Pelissery, Maſſilienſis.

Queſtio Medica, eaque Therapeutica, propoſita a... Franciſco Chicoyneau,... *Profeſſore.... & Cancellario.... ſub hac verborum ſerie.*

An ad curandam luem veneream frictiones mercuriales in hunc finem adhibendæ ſint, ut ſalivæ fluxus concitetur?

Quam.... ad primam lauream apollinarem conſequendam propugnabit, in Auguſtiſſimo Monſpellienſi Apollinis Fano, Antonius Peliſſery, *Maſſilienſis, A. L. M. & Medic. ſtudioſus. Die menſis Februarii.* 1718. Monſpelii, *apud Viduam Honorati Pech.* 1718. in 8.

(*a*) Auctor hujuſce Theſeos duo intendit, 1°. (*b*) „ Ptyaliſmum, „ qualis inunctionibus mercurialibus ſolet provocari „ ad curationem luis veneæ prorſus inutile, „ ſemper noxium, non raro periculoſum, & idcirco ſedulo vitandum præſidii genus eſſe: „ Qua de re vide quæ ſupra dicta ſunt. *Lib. II. Cap.* 12. Et *Lib. IV. Cap.* 9. §. 2.

2°. „ (*c*) Idcirco methodum, qua ptyaliſmus promovetur, vulgo receptam penitus ablegandam eſſe, „ hoc eſt, loco plenioris hydrargyroſeos adhibendam hydrargyroſin parciorem & intercalatam, in qua unguentum mercuriale & parcioribus doſibus & longioribus intervallis illinitur; Qua de re, præter loca modo laudata, vide etiam quæ dicta ſunt *Lib. II. Cap.* 7. & *ſeqq.*

Hoc utrumque Theſeos Caput conatur Auctor & multis rationum momentis & multis Obſervationum exemplis confirmare, „ ex quibus, ſi ſedulo revolvantur, *exiſtimat* evi-

Y 4

(*a*) In hac Theſi Reſpondens inducitur loquens ſuo nomine, attamen certum habeo a Præſide Theſim conſcriptam fuiſſe. (*b*) Pag. 7. (*c*) Pag. 6.

,, evidenter innoteſcere hydrargyroſim parciorem pleniore multo tutiorem quoad eventum, ,, leniorem & commodiorem reſpectu ſymptomatum in decurſu curationis evenientium, ,, denique temporis habita ratione breviorem habendam eſſe: ,, Unde concludit,

Frictiones mercuriales, ad curandam luem veneream adhibendas non eſſe in hunc finem, ut ſalivæ fluxus concitetur.

1718. 1720. Guillelmus Beclettus, Anglus, Chirurgus, & e Regia Societate Scientiarum, artem exercuit aliquandiu Londini, ſed hinc jam pridem ſeceſſerat Abindoniam ad Tameſim, in Comitatu Berkiæ, ubi obiit anno 1738. Scripſit Diſſertationes tres anglice de prima morborum venereorum origine, quarum primam Tranſactionum Philoſophicarum Londinenſium Volumini XXX. *anno* 1718. *N*. 357. Alteram Voluminí XXXI. *anno* 1720. *N*. 365. Tertiam Volumini eidem, *N°*. 366. inſerendas curavit.

In *prima* contendit Beckettus gonorrhœam virulentam ſæculis aliquot ante annum 1494. in Anglia graſſatam fuiſſe, notamque nomine *Arſuræ*, vel *Incendii*, anglice *Burning* ſive *Brenning*; quod ut probet multa adducit loca ex antiquis Anglorum Libris, Actis Legibus.

In *altera* conatur probare luem veneream ipſam anno 1494. antiquiorem eſſe, & eo conſilio profert teſtimonium quoddam manuſcriptum Thomæ cujuſdam Goſcoigne, Academiæ Oxonienſis olim Cancellarii, qui obiit anno 1458. & loca quædam ex Operibus manuſcriptis Johannis Ardern, Chirurgi Angli, qui florebat circa annum 1370.

Demum in *tertia* diſſerit de Lepra Arabum, quam putat duplicis generis quondam fuiſſe, alteram quæ vere Lepra eſſet, alteram quæ falſo Lepræ nomine eadem eſſet, quæ lues venerea hodierna.

Sed de his jam ſatis, ſuperque *Lib. I. Cap.* 7. Modo tantum mirari ſubit. 1°. Hæc a Becketto proponi tanquam nova anno 1718. quem latere non debuit potiſſima ex allatis a ſe locis jam olim indicata fuiſſe ab Eruditiſſimo Viro, Equite Hans Sloane, D. M. de re medica & literaria, ſi quis alter, optime merito. *Pag.* 2. *&* 3. Introductionis *Hiſtoriæ Naturalis Jamaicæ* & inſularum aliquot vicinarum, anglice ſcriptæ, quam inſcripſit: *A Voyage to the Islands Madera, Barbados, Nieves, St. Chriſtophers, and Jamaica, with te Natural Hyſtory*, & cujus Tomum I. Londini edendum curavit in *fol.* anno 1707.

2°. Hæc proponi ab eodem fiducia maxima, quem latere non potuit laudatum modo Virum, diſcuſſis prius & expenſis locis iiſdem, definiviſſe morbos in illis deſcriptos a lue, morbiſque ceteris venereis, qui nunc vagantur, diverſos videri; quæ ſententia Viri egregie docti, ſin minus pro judicio decretorio valeret, pro quo nulla cujuſquam ſententia ſatis valet in rebus phyſicis, at certe debuiſſet Beckettum a retractanda eadem materia deterrere, vel inducere ſaltem, ut illam retractaret modeſtius & diffidentius.

1719. Phillippus Short, Anglo-Britannus.

Diſſertatio Medica Inauguralis de medicata Guajaci virtute, *quam .... examini ſubmittit* Philippus Short, *Anglo-Britannus, ad diem* 28. *Julii anni* 1719. Lugduni Batavorum, *apud C. Bouteſteyn & fil.* in 4.

1719. Anonymus, Anglus.

A mechanical Account of the cauſe and cure of a virulent Gonorrhœa in botho Sexes. London, *for F. Jefferies* 1719. in 8.

Hoc eſt, *Mechanica explicatio cauſæ & curationis GonorrhϾ virulentæ in utroque ſexu.* Londini, *apud F. Jefferies*. 1719. in 8.

1720. Hermannus Oosterdyck Schact,
Abrahamus van Loon, Roterodamenſis.

Diſſertatio Medica de ΠΤΥΑΛΙΣΜΩ Artificiali, *quam .... Præſide .... Her*manno Ooſterdick Schact, *placidæ diſquiſitioni ſubmittit* Abrahamus van Loon, *Medic. Candidatus, Roterodamenſis Batavus, Auctor, ad dies* 23. & 26. *Octob.* 1720. Lugduni Batavorum, *apud Iſaacum Severinum*, 1720. in 4.

1720. Franciscus Roncallus, Brixienſis, Philoſophiæ & Medicinæ Doctor.

Exercitatio Medico-Chirurgica agens novam methodum exſtirpandi carunculas, & curandi fiſtulas Urethræ. Brixiæ. MDCXX. *Typis Jo. Mariæ Riccardi.* in 8.

Duæ ſunt hujus Libri partes. Prima eſt *Obſervatio hiſtorica de carunculis in urethra, fiſtula urinæ in perinæo, & febri gallica habituali feliciter curata in Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo N. N.* quæ paginas 101. Altera eſt *Nova Methodus exſtirpandi carunculas, & curandi fiſtulas urethræ*, quæ paginas 62. implet.

In

In *parte priore* narrantur ordine morbi multiplices, ex quibus ægrotabat Æger ille ab antiqua gonorrhœa venerea, & medicamina varia, quæ adhibita ſunt morbis illis curandis.

Sic I. Vitia, quæ ſanguinem contaminabant, emendata ſunt, viruſque venereum, quo infectus erat, debellatum.

1°. Exhibitione diuturna Aquæ deſtillatæ, quæ ſequitur, & quæ primum in uſum vocata fuit per plures dies, cum immineret tabis periculum.

℞. *Sarſæ parillæ* ℥ vj.
Radicis Chinæ ℥ ij.
Medullæ ligni Guaiaci ℥ jv.
Viſci quercini ℥ j.
Santali citrini ℥ i j.
Cinnamomi ℥ j.

Incidantur & contundantur omnia ſ. a. & f. infuſum in *aquar. Cichorii*, *Endiviæ*, *Borraginis ana* Lib. ij. per noctem.

Mane pone in M. B. & addatur
Pullus junior deplumatus & exenteratus,
Ranarum decorticatarum Lib: ij.
Caudarum cancrorum mundatarum Lib. j.
Lactis vaccini Lib. vj.

Diſtillentur omia ſ. a. pro uſu.

2°. Adminiſtratione Decoctorum ſudorificorum ex Guaiaco, Sarſa-parilla, & radice Chinæ quibus uti placuit confirmatis ſemel ægri viribus, ut virus debellaretur efficacius. Doſi cuilibet matutinæ decocti præmittebatur ex conſilio Lealis in Patavino Lyceo Profeſſoris bolus ex granis V Mercurii diaphoretici, unde febris paulatim diſcuſſa tandem evanuit, vireſque ægroti in dies magis inſtauratæ ſunt.

3°. Uſu Lactis aſinini, quem ægere adhibuit per totum autumnum anni 1718, unde perfecte convaluit, remanente tantum *fiſtula in urethra*, *quæ plorabat aliquas urinæ ſtillas occaſione meiendi*, & quæ proximo vere methodo nova Auctoris perſanata fuit.

II. Ad delendas carunculas quæ urethræ inerant, & quarum aliæ calloſæ erant, aliæ dolebant acute ex levi attactu, adhibitæ ſunt 1. Candelæ Cereæ, quibus aptis in locis apponebatur aliquantulum cerati *ex pari quantitate Tuthiæ*, *Plumbi uſti & Præcipitati efformati*, quo remedio intra paucos dies exſtirpatæ ſunt hyperſarcoſes.

2. Deinde injectiones anodynæ ſæpius iteratæ ſunt *ex ſolo lacte aut aqua roſacea*, *ne a continuis medicamentis pars aloquin delicata exaſperaretur*. Qua prudenti remediorum adminiſtratione carunculæ non modo deletæ, & caruncularum radices reſolutæ ſunt, ſed ulcera etiam, quæ poſt exeſas carunculas ſupererant, ad cicatricem brevi perducta ſunt.

Ceterum Auctor dum hæc narrat, multa diſſerit obiter quidem, ſed erudite de variis remediis quæ a Medicis unquam carunculis exſtirpandis adhibita ſunt, & quorum plerorumque vim & efficaciam cathæreticis, & inter cathæretica, Præcipitato rubro referendam eſſe contendit.

In *poſteriore parte* proponitur *Nova Methodus exſtirpandi carunculas*, *& curandi fiſtulas urethræ*, quo tota intra hæc eſt, ut cannula, ſeu, ut ille ait, *Syringa vermicularis* ex tenuiſſima lamina argentea in ſpiram convoluta, veſtiatur ſtricte *funiculo ſerico* (tænia ſerica) *cera & pauca reſina obducto*, *qui per longitudinem ipſius ſyringæ ita conſuatur*, *ut latera funiculi perfecte conjungantur*...... *Quod ſi in ſutura aut mucrone aſpera adeſt inæqualitas*, *penniculo in ceram tincto debet emendari*; *ſi tamen vel manu*, *vel tabula ſupra tabulam in orbem fricabitur*, *omnino lævigata exurget*.

Syringa eo methodo præparata in urethram facile immittitur; commode per dies aliquot geſtatur ſine noxa, cum ſit varie plicatilis; imo ſine moleſtia, donec detrahenda videatur, ut ſordes eluantur; demum vaginula ex funiculo ſerico, qua veſtitur, urinam coercet, ne per latera ac laminæ intercapedines diffluat, ut in cannulis vermicularibus, quæ nudæ ſunt, perpetuum eſt.

Hinc ergo utilitates non paucæ, neque contemnendæ: 1°. Externæ faciei ſyringæ, iis in locis in quibus opus eſt, applicatur ſufficiens quantitas cerati cathæretici, ut carunculæ ſenſim exedi, & ulcera urethræ detergi poſſint.

2°. Ceratum, quod appoſitum fuit, parti calloſæ vel ulceroſæ meatus urinarii hæret pertinacius applicitum, cum a præterfluente lotio non poſſit abſtergi, quod per ſyringam defluit.

3°.

3°. Imo vero neque pars ipſa, quæ ulceroſa eſt, poteſt ab urina attingi, a qua proinde nullum vitium jugiter concipit, quod cicatricem reſpuat.

Proinde haud mirum, ſi ea methodo tutius, citius, commodius, quam ulla alia carunculæ & ulcera urethræ cathæreticis iiſdem remediis perſanentur aliquando. Verum tamen, quod in methodos omnes perinde cadit, in quibus adhibentur cathæretica, neque ea methodus ipſa ſine metu eſt.

1°. Ne interior urethræ tunica, quæ ſenſu pollet exquiſito, cathæreticis admotis laceſſita variis in locis, imo etiam eroſa, ſpaſmodica fibrarum contractione corrugetur, unde non parum decedet de meatus urinarii amplitudine.

2°. Ne cicatrix ulceri inducta ita ſtringat, vel oppleat fiſtulam urinariam, ut novus obex, nec priore minor, urinæ exiturienti opponatur. Sane conſtat hoc utrumque vitium a vulgari cathæreticorum uſu in curandis carunculis vel ulceribus urethræ plerumque impendere, ex quo factum, ut uſus ille jam dudum infametur, locumque fecerit palliativæ earumdem affectionum therapejæ, quæ ſimplici, ſed iterata, virgarum plumbearum in urethram intromiſſione obtinetur, qua de re vide ſupra.

Ceterum in utraque Auctoris Diſſertatione occurrunt non pauca ingenioſe inventa, erudite expoſita, ſapienter animadverſa, quæ illius doctrinam atque peritiam abunde teſtantur, & propter quæ tanto facilius illi condonandum eſſe videtur, ſi quid aut improprie aut parum latine dixerit.

1721 Johannes Bernhardus Oelffen, Wratislavia-Sileſius.

Diſſertatio Medica Inauguralis Theoretico-practica de Lue Venerea ex atomis ſeminalibus oriunda, *quam ..... examini ſubmittit* Johannes Bernhardus Oelffen, *Wratislavia-Sileſius*, *ad diem* 27. *Junii* 1721. Lugduni Batavorum, *apud Conradum Wishoff.* in 4.

Bartholomæus Boschetti, Vicentinus, Philoſophiæ, & Medicinæ Doctor.

1722 *Diſſertatio de Salivatione mercuriali Phyſico-medico-mechanica*. Venetiis, *typis Johannis Radici*, MDCCXXII. in 4.

Hoc Opus in tria Capita dividitur, quorum (*a*) *prius continet Salivæ naturalis examen*, alterum *ejuſdem vitia conſiderat*, tertium *ſalivationem mercurialem exhibet*. Caput iſtud poſtremum, quod fere dimidia totius Operis pars eſt, in ſeptem articulos ſubdividitur.

Agitur in I. *De Indicante & Prohibente generico*.

In II. *De diverſitate remediorum ſalivalium, eorumque uſu & utilitate*, ubi de Sialagogis; Maſticatoriis & Gargariſmatis.

In III. *De mercuriali ſalivatione*, hoc eſt, de ſalivatione prioritata unguentis ſuffumigiis, cingulis, præparatis mercurialibus. Videntur Auctori præparata illa, maxime vero Panacea & Mercurius dulcis, ceteris omnibus palmam præripere; laudat enim (*b*) *Gallos, quod ſaniori conſilio Panaceam venerea lue infectis tutius exhibeant*, ut ille opinatur, ac ipſe *Mercurium dulcem in forma pillulari tanto hoſti* (veneno venereo) *unice parem commendat*.

In IV. *De Mercuriologia*, ubi multa inquirit de natura & facultate Mercurii, ac de Mechaniſmo, quo vim ſuam exerit in debellando venereo ſeminio, ſed quæ jam abunde nota ſunt.

In V. *De morbis per ſalivationem mercurialem curabilibus*, inter quos Auctor præter luem veneream enumerat (*c*) *Colicam diuturnam & pertinacem*, *Epilepſiam*, *Paralyſim*, *Skirrhos tumoreſque ſkirrhoſos viſcerum*, *Scorbutum*, *Amauroſim*, & varias *Hydropis* ſpecies, de quibus omnibus fides ſit penes Auctorem. Videtur ille paulo certius ſtatuiſſe in *Artic.* 3. (*d*) ſalivationem mercurialem nocere in *Carcinomate*, *in Lepra*, *in Tremore nervorum*, & in affectibus omnibus *pulmonariis* & *hæmoptoicis*.

In VI. *De phænomenis ſalivationem comitantibus & conſequentibus*, id eſt, de calore oris; tumefactione gingivarum; ſputatione copioſiore; tumore linguæ, vulvæ, faucium, exulceratione & fœtore oris.

Demum in VII. *De methodo ſalivatoria*, circa quam ſtatuit præmittenda eſſe venæ ſectionem, purgationem; uſumque diluentium & humectantium: deinde Mercurium dulcem ore exhibendum gradariis doſibus, (*e*) *donec ptyaliſmus eo uſque evectus fuerit, ut nycthemeri ſpatio quatuor libras expuat æger*: Quod ſi *tormina ventris & dejectiones mucoſæ*,

(*a*) Ita legitur in *Libri Inſcriptione*. (*b*) Pag. m. 104, 105. (*c*) A. Pag. 143 *ad pag.* 152.
(*d*) A. Pag. 107. *ad pag.* 114. (*e*) Pag. 160.

coſæ, *quaſi dyſentericæ*, *eveniant*, adhibenda *opiata & paregorica pharmaca*, *quouſque hæc ſymptomata penitus evaneſcant*: Demum poſt ſalivationem peractam utendum eſſe diæta analeptica, qua ægri vires inſtaurentur.

Adjectæ ſunt ad Operis calcem *Hiſtoriæ ſeptem* Ægrotantium totidem ex venerea lue, quorum quinque ſalivatione mercuriali uſu Mercurii dulcis concitata feliciter convaluere; ceteri duo morbi vel remedii violentia occubuerunt.

Vix ſatis capio qualis fuerit Auctoris ſcopus in Diſſertatione illa conſcribenda, ut quæ nec ſatis phyſiologica, ubi phyſiologica eſt, nec ſatis therapeutica eſſe videatur, ubi eſt therapeutica. Adde ſtylum, cujus claritati conſulendum eſt, maxime in re dogmatica, ſalebroſum, eſſe per ſinuoſas verborum ambages obſcure procedere, & ut Quintiliani dictum uſurpem, *in plano tumere*.

Jacobus Bouez dictus Sigogne, Corbiniacenſis ex pago Diœceſeos Nivernenſis, natus anno 1683. vir ſine literis, qui (*a*) poſt artes varias, quæ crimine non vacabant omnes, Medicinam Lutetiæ *facere cœpit & venditare falſo antidotum nomine*, ſed cum pœnas dediſſet, quod privatus contra fas & jus artem medicam tractare auſus eſſet, & graviores ſibi metueret, Rhemos in Campania ſe contulit anno 1720. Doctoriſque gradum, annos jam natus 38. conſecutus eſt in Medica illius Civitatis Facultate, quæ (*b*) Candidati doctrinam & eruditionem dicitur admirata. 1722

Non dubitavit novus ille Doctor nomen ſuum adſcribere Libro, qui Lutetiæ prodiit anno 1722. cum hac Inſcriptione:

> *Méthode nouvelle pour guerir les Maladies Vénériennes*, *beaucoup plus ſure & plus aiſée qu'aucune de celles qui ont eſté en uſage juſqu'ici*, *avec une refutation des anciennes hypotheſes touchant les meſmes maladies*. A Paris *chez Laurent d'Houry*. 1722. *in* 12.

& quem tamen ex omnium ſententia a Johanne Depiney Peſchard, Doctore Medico Facultatis Pariſienſis, a quo ſcriptum fuiſſe conſtat, numerata pecunia mercatus fuerat, ut tumens inani ſuperbia poſſet alienis bonis gloriari, cum non liceret ſuis.

Verum tamen Liber ille, quidquid in contrarium obganninant Approbatores, vix dignus eſt, quem ſuum eſſe quiſquam fateatur, quippe qui nihil ſit præter vanam tantum declamationem, in qua Auctor, qualiſcunque ſit,

> (*c*) *Id ſibi negoti credidit ſolum dari*,
> *Populo ut placerent quas feciſſet fabulas*,

& ut arcano cuidam, quod ambitioſe jactitat, & ſtudioſe reticet,

> (*d*) *Verboſis acquireret ſuis famam ſtrophis*.

Ceterum hujus Operis Auctor ad curationem luis venereæ, ceterorumque morborum quorumvis, tribus tantum remediis utitur, atque adeo ægrotis omnibus eamdem methodum adhibet, quo nihil poteſt fingi ineptius 1°. Exhauriri jubet quotidie mane jejuno ventriculo duas libras aquæ, in qua admixtum latet Sal quoddam catharticum Martiale, forte ſal Martis purgans vulgo notum, quo alvus per diem blande ſolvitur. 2°. Exhibet quotidie veſperi in infuſo calido Theæ guttas aliquot *Elixirii*, ut ille vocat rubicundi, quod ipſe conjicio eſſe ſolutionem Cinnabaris Mercurialis, vel Præcipitati rubri in aqua forti edulcorata, qualis adhibetur ad Tincturam, quæ non ita pridem magnifice jactabatur Lutetiæ nomine *Les Gouttes du Général la Motthe*. 3°. Ut alvus efficacius ſubducatur, præbet identidem ſumendam in prandio cum primo offæ cochleario doſim cujuſdam pulveris cathartici, quem ex Rheo & Diagridio componi opinor.

C...... Willoughby, Anglus, Doctor Medicus, Diſſertationem Academicam Franciſci Chicoyneau, Cancellarii Facultatis Medicæ Monſpeſſulanæ, de qua ſupra ad *annum* 1718. anglice vertit, annotationibus illuſtravit, & confirmavit exemplis felicium ſucceſſuum, quos propoſita ab illo Profeſſore Methodus habuit in Anglia, atque Londini edendam curavit, cum hac inſcriptione: 1723

> *The Practice of ſalivating ſhvvon to be of no uſe or efficacy in the cure of Venereal Diſeaſe*, *but greatly prejudicial thereto*; *or the anti-venereal virtue of Mercury prov'd to be independent of any ſalival evacuation*. *With the method of applying it*, *ſo as to obtain its full force and a thorough cure*, *vvithout infinitely*

(*a*) Memoire de Dame Claude Ringueniet, Epouſe du ſieur Bouez de Sigogne, contre ſon Mari.
(*b*) Voyez la Lettre du Doyen de cette Faculté a M. Chirac, dans le Factum du ſieur Sigogne, *pag.* 2. *des pieces juſtificatives*.
(*c*) Terent. *in Prologo Andriæ*.
(*d*) Phædrus, Fab. 24. *Lib.* 1.

tely better than with the torture of a ſalivation. The whole abundantly ſupported from experience and matters of fact by M. Chicoyneau, *Chancellor of the Univerſity of Montpellier. Illuſtrated with notes and obſervations, and confirmed with inſtanſes of the ſucceſs of this method in England. By* C. Willoughby, *M. D.* London, *printed for J. Roberts.* 1723. in 4.

Id eſt, *Tractatus in quo probatur ſalivationem neque utilem, neque efficacem eſſe ad curationem morbi venerei, ſed potius ſumme damnoſam, ſive in quo probatur vim Mercurii anti-veneream nullomodo dependere ab ulla ſalivæ evacuatione: Adjicitur methodus adhibendi Mercurii extrinſecus, ita ut obtineatur virtus illius integra & plena curatio commodiore ratione, quam ſi ſalivatio promoveatur cum cruciatu maximo. Quæ ſingula apertiſſime demonſtrata ſunt experientia a* D. Franciſco Chicoyneau, *Cancellario Univerſitatis Monſpeſſulanæ: Illuſtrata vero adnotationibus & confirmata exemplis felicium ſucceſſuum, quos habuit illa methodus in Anglia, a* C. Willoughby, *D. M.* Londini, *apud J. Robert.* 1723. in 12.

1724 Rogerus Dibon, Chirurgus Pariſienſis.

1725 *Diſſertation ſur les Maladies Vénériennes, avec une Lettre écrite par un ſçavant Phyſiciens Chymiſte ſur la cauſe & la nature des maladies, & ſur la préparation des remédes propres à guérir doucement, promptement, radicalment & ſans danger tous les maux vénériens, quelque invéterez qu'ils puiſſent être.* A Paris, *chez Laurent d'Houry* 1724. *in* 12. Tom. I.

Deſcription de la nature, des cauſes des Maladies Vénériennes, & de pluſieurs remédes propres à les guerir. A Paris, *chez Claude Labottiere.* 1725. in 12. Tome II.

Clamitant ipſi tituli Tractatum hunc meram eſſe Declamationem circulatoriam, & eo conſilio ſcriptam, ut arcano cuidam auctoritas conciliaretur. Ceterum quod de Libro Jacobi Bouez modo diximus ad *annum* 1722. de iſto quoque certum eſt, ſcilicet Opus eſſe non illius cujus nomen præfert, ſed Doctoris Medici cujuſam ex Facultate Pariſienſi, a quo illum venalem Chirurgus habuit, ut palam fuit ex lite Chirurgo a Medico illata exigendi cauſa pactam mercedem, quam ille denegabat. Utrum autem in hoc negotio magis mirer, ambigo, Medicumne, quem non piguit pro Chirurgo Librum ſcribere circulatoriæ fallaciæ plenum? An Chirurgum, quem non puduit a Medico Librum Mercari, ſuo nomine edendum? Quod certiſſime ſcio, hoc unum eſt, me dolere ex animo vulgi vicem, quod probe ſentio, ab altero emptitio, ab altero venalitio libro apertiſſime ludificari.

Proſtant ad hujus Operis calcem aliquot remediorum formulæ ex diverſis Auctoribus conquiſitæ, ſed neque ſatis diligenter ſelectæ, nec ut plurimum ſatis tutæ, & in quibus proinde periculum eſt, ne juniores Chirurgi, rectæ morborum venereorum curationis nondum ſatis gnari, offendant.

Dicunt a Chirurgo illo ad curationem luis venereæ exhiberi mane jejuno ventriculo bolum ex Præcipitato Mercurio albo multiplici lotione mitigato, cum addito grani ſemiſſe pulveris Algarot, ac ſuperibendas præſcribi libras duas ptiſanæ ex levi decocto ſalſæ-parillæ & folliculorum ſennæ. Hinc primis diebus nauſea, vomituritio, imo vero vomitio laborioſa proritatur, ſed deinceps uſu iterato ptiſanæ purgantis omnia per inferiora ita deturbantur, ut nullus vel levis tantum ptyaliſmus ſuperveniat, quo tamen confidit ille luem veneream radicitus exſtirpatum iri.

Verumtamen, cum nunquam ſatis certa ſit arcanorum exploratio, ut quæ dedita opera mille modis fucari ſoleant, ne quid in Chirurgum illum peccemus imprudentes, demus *primum* arcanum, quo gloriatur, a propoſito remedio omnino diverſum, alterius qualiſcumque naturæ eſſe. At certe aliquod unum eſt e præparatis mercurialibus. Demus *iterum* e numero blandiorum eſſe, quorum tuta eſt efficacia. Demus etiam *tertium* rite confectum præparatumque facultatis rodendi omnino expers eſſe. Ea quidem maxima ſunt, necdum tamen ſatis. Demus ergo *quartum* arcanum illud tempeſtive ſemper & caute adhiberi, eaque doſi quæ ægrotantium viribus, ætati temperamento, ſexui, morbo conveniat. Ille ſane æquiorem animum a nemine poſſet expoſcere. Quid inde porro? An ideo futurum eſt curatoria methodus, quam ille adhibet, legitimæ hydrargyroſi præferenda ſit? Nullo modo prorſus: Sed methodus illa, ut de uſu præparatorum mercurialium ſupra dictum eſt, *Lib. II. Cap.* 12. in curanda lue venerea inveterata atque difficili plerumque inefficax erit, & ſi quando ſatis efficax ſit, quod rarum futurum eſt, nihilominus tamen etiam tum longo concedet intervallo legitimæ inunctionum mercurialium adminiſtrationi, ut *ibidem* probatum fuit. Mi-

Michael Alberti, Norimbergenſis, Profeſſor Medicus in Academia Hallenſi, 1724
Academiæ Cæſareæ Curioſorum Naturæ aggregatus anno 1713.

Johannes Havighorst, Rhena-Weſtphalus,

Diſſertatio Inauguralis Medico-practica de ſingulari Mercurii dulcis uſu in deſperatis quibuſdam morbis, *quam* . . . . . . *Præſide* . . . . Michaele Alberti . . . . . . *anno* 1724. die . . . . . *Septembris* . . . . *ventilationi ſubjiciet Reſponſurus Auctor* Johannes Havighorſt, *Rhena-Weſtphalus*. Halæ Magdeburgicæ *typis Johannis Chriſtiani Hendelii*. in 4.

Antonius Deidier, Monſpeſſulanus, Doctoris (*a*) honores aſſecutus eſt in Acade- 1724
mia patria anno 1691. & Regiam Chimiæ Profeſſionem, quæ obitu Arnaldi Fonſorbe vacua erat, obtinuit anno 1697. Nunc primarius eſt Medicus Regius Claſſariorum, qui in Quinqueremibus ſtipendia faciunt. Scripſit *Diſſertationem de morbis venereis*, quæ in Monte-peſſulano anno 1723. in 8. primum edita, Londini iterum impreſſa fuit anno 1724. cum adjuncta Diſſertatione Medico-Chirurgica *de Tumoribus*.

In illa Diſſertatione præcipua rerum capita, methodique curatoriæ paucis, ſed enucleate explicantur. Contendit Auctor morbos venereos referendos eſſe in animalcula numeroſa, minima, agillima, maxime prolifera, quæ ab infectis in ſanos celeri contagione propagentur; quæ loca ubi hærent morſiunculis impetant, imo etiam depaſcantur; atque ea ratione ſymptomata omnia, quæ morborum venereorum propria ſunt, inducant.

Sed hæc quantumvis ſingularia videantur, nova tamen non erant, ut quæ ab (*b*) Auguſto Hauptmanno, anno 1650. (*c*) Chriſtiano Langio, anno 1659. & (*d*) Davide Abercrombyo, anno 1684. indicata; & a Nicolao Hartſoeckero jam dicta eſſent anno 1699. in (*e*) *Epiſtola* ad V. C. Nicolaum Andry *data*. Quibus addi velim & ipſum Domnum Auguſtinum Calmet, Benedictinum e Congregatione SS. Vitoni & Hidulfi, qui in *Diſſertatione de Lepra* gallice ſcripta, ſuo in Leviticum Commentario præfixa, & Lutetiæ Pariſiorum edita anno 1708. contendit Lepram, quam eamdem fuiſſe putat, atque luem veneream, quæ nunc graſſatur, ab inconſpicuis vermiculis cutem depaſcentibus productam fuiſſe, quod multis rationum vel obſervationum momentis conatur confirmare, ſed tamen incaſſum meo quidem judicio. Imo longe prius ſimilia quoque de Peſte commenti fuerant R. P. Athanaſius Kircherus Societatis Jeſu, in *Scrutinio Phyſico-Medico Luis, quæ dicitur Peſtis &c.* edito Romæ anno 1658. & R. P. Johannes Saguens Ordinis Minimorum in *Syſtemate Peſtis Phyſico*, Toloſæ anno 1721. typis edito.

At vero, ut libere dicam, quotcumque & quantivis pretii fuerint Scriptores, qui in eadem opinione Antonio Deidier præluſerunt, profecto mirum eſt (*f*) *hominem ingenioſum dixiſſe id quod ſi neges, probare non poſſit:* Ut enim illa nullo fundamento proferuntur, ſic nullo quoque argumento opus eſt ut refellantur, quemadmodum jam egregie animadverſum eſt a laudato Nicolao Andry, *Génération des Vers*, *Chap.* 4. *Art.* 1.

J..... C....... Doctor Medicus Anglus. 1724

The Pratice of ſalivating vindicated in anſwer to Dr. Willoughby's *Translation of* M. Chicoyneau's *Pamphlet againſt mercurial ſalivations: in which the anti-venereal virtue of Mercury is prov'd to depend on ſalival evacuations* &c. *with the true method of applying Mercury, to as to obtain its full force and thorough cure in all venereal caſes. The whole ſupported from Experience and authority both Ancient, and Modern.* By J.... C... M. D. London, *for J. Peale*, 1724. in 8.

Hoc eſt, *Tractatus, in quo Methodus ſalivatoria propugnatur, in quo refellitur Libellus* a D. Chicoyneau *ſcriptus in ſalivationem mercurialem, & a Doctore* Willoughby *anglice verſus, & in quo probatur vim antivenereum Mercurii dependere ab evacuatione ſalivæ &c. Adjicitur vera Methodus adhibendi Mercurii ut obtineatur integra illius virtus & plena curatio in omnibus morbis venereis: Quæ ſingula demonſtrantur tum experientia, tum auctoritate, tam Veterum quam Recentiorum*, a J.... C..... *Medico Doctore*. Londini *apud J. Peale*, 1724. *in* 8.

An-

(*a*) Ex Actis Facultatis Medicæ Monſpeſſulanæ.
(*b*) In *Epiſtola præliminari* Tractatui *de viva mortis imagine* mox edendo *ſacrata*.
(*c*) In *Præfatione* præfixa *Scrutinio Phyſico Medico peſtis* Athanaſii Kircheri a Langio edito Lipſiæ.
(*d*) In *Tuta ac efficaci luis curandæ Methodo*. Cap. 1.
(*e*) *Dans le Traité de la generation des Vers*.
(*f*) Lactant. *Inſtitutionum divinar. Lib.* 3. *Cap.* 28.

Antonius Benevolus, Florentinus, Chirurgus primarius Noſocomii Florentini
1724. Sanctæ Mariæ novæ.

Nuova propoſizione intorno alla Caruncola dell' Urethra, detta Carnoſità, &c. In Firenze, *nella Stamperia di Giuſeppe Manni*, 1724. in 8.

Auctor ille refellit eos qui putant carunculas urethræ eſſe excreſcentias in urethra ſubortas. Nititur potiſſimum obſervationibus, tum ab aliis, tum a ſe inſtitutis in cadaveribus eorum, qui dum viverent, ſtranguriæ obnoxii erant, & in quibus tamen poſt mortem contendit nullam excreſcentiam unquam repertam fuiſſe.

Statuit ipſe carunculas illas nihil eſſe præter caput gallinaginis, ſeu ut ille dicit, granum hordaceum tumefactum, inflammatum, ſuppuratum, exulceratum; quod etſi ſæpe verum eſſe concedam, inde tamen non ſequitur ut perpetuum ſit, cum certis liqueat Obſervationibus dari aliquando veras excreſcentias; cum præterea certum ſit duriorem urethræ cicatricem, aut skirrhodem proſtatarum tumorem ſtranguriæ habituali locum dare aliquando ſine ulla capitis gallinaginis; de quo vide *Lib. III. Cap.* 4. §. 4.

Ad curationem proponit Benevolus, ut in urethram immittatur candela cerea, vel ſtylus plumbeus ter aut quater in die per 15 aut 20 dies, cujus apex ultimis curationis diebus Cerato diapalmæ obducendus eſt.

P.... R..... Jouneau, Anglus.

1724. *Diſputatio Medica Inauguralis* de Lue Venera, *quam ... examini ſubmittit* P.... R.... Jouneau, *Anglus ad diem* 12. *Septembris* 1724. Lugduni Batavorum, *apud Johannem & Hermannum Verbeek* in 4.

1725. Petrus Violette Du Bois, Chirurgus Pariſienſis.

Nouveau Traité des Maladies Vénériennes, par P. V. du Bois, Maître Chirurgien de Paris, ancien Prevot & Garde de ſa Communauté. A Paris, 1725. *in* 12.

In hoc brevi Tractatu, tum modus uſu vulgo receptus curandi gonorrhœam virulentam, cariem pudendorum, bubones venereos; tum methodus adminiſtrandæ hydrargyroſeos in lue confirmata ita proponuntur, ut Liber utilis quidem eſſe poſſit, quoties omnia ex voto ſuccedunt: Si vero morbi difficultate, medentium incuria, vel ægrotantium culpa infortunia quædam accidant, qualia non raro, uſus plane nullius cum de illis in toto Libello ne verbum quidem ullum fiat. Præterea non deſunt alia, quæ Auctori jure poſſint vitio verti.

Nempe 1. Vana eruditionis oſtentatio, ut, cum Lectorem docet *Pag.* 79. *Cancer.* vocem eſſe æquivocam, quæ accipiatur aliquando *pro animali aquatico*, aliquando *pro ſigno Zodiaci*, aliquando demum *pro morbo quodam*.

2. Temeraria inconſiderantia, qua *Pag.* 199. ſibi plaudit de invento arcano quodam remedio, cujus efficaciam certam eſſe dicit ad Variolarum prophylaxim; quaſi vero vel morbi illius naturam & cauſas, vel remediorum, quæ ad illum valent, utilitatem perſpectas ipſe haberet.

3. Demum circulatoria arcani cujuſdam anti-venerei venditatio, cujus uſum hydrargyroſeos uſui multum præferendum eſſe ait, ceu tutiorem, certiorem, efficaciorem; cui ut famam comparet, de hydrargyroſeos utilitate temere & falſo detrahit; denique cujus gratia Libellus iſte confictus eſſe videtur, quo popularem favorem illi aucuparetur.

1725. Ericus Joachimus Aniſius, Soltquella-Marchicus.

Diſſertatio Medica Inauguralis de Ophthalmia in genere, ejuſque ſpecie venerea dicta, *quam ... examini ſubmittit* Ericus Joachimus Aniſius, *Soltquella-Marchicus, ad diem* 9. *Martii* 1725 Lugd. Batav. *apud Conradum Wishoff.* in 4.

1725. Johannes Wilhelmus Sparmanns, Medicinæ Doctor, & Practicus Dresdenſis.

Anguis in Herba, *oder das bey vielen unbekannte und dennoch an ſeinem leib habende ubel, das iſt,* Natur *und* Cur *aller alten* inveterierten *Saamen-fluſſe beydeley Geſchlechts.* Chemnitz, 1725. in 8.

Id eſt, Anguis in Herba, *ſeu Malum multis incognitum, in proprio tamen corpore latens* hoc eſt, *Natura & Cura Gonnorrhœarum omnium inveteratarum utriuſque ſexus.* Chemnitæ in Saxonia, 1725. *in* 8.

Tractatus ille in eo totus eſt, quod Auctor polliceatur inveteratas quaſcunque Gonorrhœas, de quorum curatione deſperant alii, ſpatio duorum vel trium menſium tolli poſſe ope inſtrumenti cujuſpiam a ſe inventi, & ſpecificorum conducibilium.

Poſt-

Poſtquam de Gonorrhæa benigna & maligna multa præfatus eſt, affirmat tandem inveteratam pendere a callis & carunculis Urethræ, quæ remediis internis tolli nequeant ſed quæ externorum medicaminum uſu debent removeri.

Rejicit autem uſum catheteris, ac omnem cauſticorum appoſitionem catheteris ope; commendat vero inſtrumentum a ſe inventum, quod partem affectam immediate attingit, quod carunculas ſeu excreſcentias ſine incommodo aufert, quod ad applicanda exulceratis locis balſamica & conſolidantia egregie inſervit.

Aſt quando ad rem ventus eſt, fingit inſtrumentum ſuum nec deſcribi, nec depingi poſſe: Opus eſſe, ut conficiatur certis manipulationibus, quæ ſcribi nequeunt: Modum apponendi medicamenta ope ſui inſtrumenti evidenter explicari non poſſe; neque illa medicamenta communicari: Verbo, nihil dicit, ſed vult ut ægri Sparmannum ipſi adeant & ab eo ſolo auxilium promiſſum expectent.

Epiſtolas Dreſda nuper accepi ab ingenuo & egregie erudito Medico, quibus ille mihi ſignificat ſe ægrotos nullos a Sparmanno unquam ſanatus nec vidiſſe, nec audiviſſe.

N. POINTET, Chirurgus, ut ipſe gloriatur, Noſocomiorum Regiorum, ſed revera filius terræ nemini notus. 1725

Remarques & Obſervations très utiles ſur les Maladies Vénériennes, Scorbutiques, & ſur les Dartres, (a) *à un petit Livre intitulé*, Remede très particulier, commode & prompt, dont l' action eſt douce & les effets aſſuurez &c. Paris 1725. *in* 12.

I. Chirurgus ille ſeſe intolerantius jactat de arcano quodam antivenereo, de cujus utilitate mira prædicat, ſed fide ſua. At vero qualecunque ſit arcanum illud, certo certius liquet nihil eſſe præter mercuriale quoddam præparatum, neque ſatis perita manu confectum, neque ſatis tuta methodo adminiſtratum.

II. Ut arcano ſuo velificetur, conatur omni ope atque opera inunctionum mercurialium uſum ſuſpectum & inviſum facere, ceu inefficacem, laborioſum, periculi plenum, in quo non ſine impudentiæ nota audet ille non modo communi Medicorum judicio, ſed quod majus eſt, certæ rei veritati aperte contradicere.

III. Acriter invehitur in Rogerum Dibon, Chirurgum, de quo ſupra ad *annum* 1724, qui & ipſe de ſuo gloriatur arcano, quocum acerbe litigat utrum utri præſtet remedium, an ſuum illius remedio, an remedium illius ſuo. Cæcos duos mihi videre videor, qui de cumulo carbonum effoſſo ſuperbiunt quaſi de invento theſauro, & ad utrum potiore jure pertineat inter ſe decertant.

IV. Doleo equidem ex animo credulum ægrotantium vulgus in hunc modum ludificari; mirorque eos ad quos pertinet harumce rerum curatio & adminiſtratio, in reprimendis ineptiis, vel potius coercendis maleficiis iſtiuſmodi, indormire, quæ neglecta in magnum tum rei medicæ, tum rei publicæ detrimentum recidunt.

JOHANNES GOTTLOBIUS, SIGNITZ.

De erroribus circa ſalivationem mercurialem, Erfrod. 1726. *in* 4. 1726

FRANCISCUS BAILLY, Doctor Medicus.

DESIDERIUS CLAUDIUS FREMONT, Pariſinus.

Quæſtio Medica quodlibetariis diſputationibus mane diſcutienda .... die Jovis 1727
13. *Novembris* 1727. M. Franciſco Bailly, *D. M. Præſide*,
An Hydrargyrus unicum Syphilidis Ἀλεξιφάρμακον?
Concluſio Affirmat.

Proponebat Pariſiis Deſiderius Claudius Fremont, *Pariſinus*. A. R. S. H. MDCCXXVII, *Typis J. Quillau.* in 4. 4. *pag.*

JOHANNES GEORGIUS RAUCH, Wiſbadia-Naſſwicus. 1727

Specimen Inaugurale Chimico-Medicum de Mercurii uſu & abuſu, *quod* (ſine Præſide) ..... *diſquiſitioni ad diem VII Auguſti anni MDCCXXVII ſubmittit* Johannes Georgius Rauch, *Vuisbadia-Naſſwicus*. Marburgi Cattorum, *typis Philippi Caſimiri Mulleri.* in 4.

EDITIO tertia LUGDUNO BATAVA Collectionis Luiſininæ. Utilitas ſumma Collectionis Venetæ ab Aloyſio Luiſino procuratæ, qua in unum volumen cogebantur Opera Auctorum plerorumque, qui de lue venerea ſcripſerant ante annum 1567, Virum Clariſſimum Hermannum Boerhaave, Profeſſorem Medicum Lugduno-Batavum, minime latuit, ideoque cum veterum Editionum exemplaria rariora eſſent, Typographis Batavis, *ut novam Editionem molirentur, auctor fuit*, quæ prodiit Lugduni-Batavorum *in folio* anno 1728

(a) Ita ſcribit Auctor.

anno 1728. & cujus hæc eſt Inſcriptio, eadem ſcilicet quæ legitur in fronte Editionis ſecundæ Venetæ anni 1599.

Aphrodiſiacus, *ſive de Lue venerea, in duos Tomos bipartitus, continens omnia quæcunque hactenus de hac re ſunt ab omnibus Medicis conſcripta. Ubi de Ligno Indico, Salſa-parilla, Radice Chinæ, Argento vivo, ceteriſque rebus omnibus ad hujus luis profligationem inventis, diffuſiſſima tractatio habetur. Opus hac noſtra ætate, qua Morbi Gallici vis paſſim vagatur, apprime neceſſarium, ab Excellentiſſimo Aloyſio Luiſino, Utinenſi, Medico celeberrimo nuperrime collectum.* Apud Joh. Arnoldum Langerak, & Joh. & Hermann. Verbeek. *Tom. II.* in fol.

Dedit Boerhaavius in hac tertia Editione ſedulam operam, 1°. Ut (a) *Impreſſionum vitia, quibus Italicæ Editiones fœdabantur, emendarentur.* 2°. Ut *ex ipſis allegatis Scriptoribus loca reſtituerentur propria.* 3°. Ut *remediorum formulæ, quæque eo faciunt, alio excuderentur charactere.* 4°. Ut *locupletiſſimus Index & uſu vere pulcher ingenti Operi ſubnecteretur.* Imo operi præfixit egregiam & eruditam Præfationem, de qua in *Articulo ſequente*, in qua multis explicat quid ipſe de veneni venerei natura, propagatione, ſede & effectibus ſentiat.

Sed utinam Illi ſatis otii fuiſſet, ut ſuſceptam hanc utiliſſimi Operis Editionem perfecte adornare potuiſſet, & Aloyſii Luiſini peccata emendare, de quibus ſupra *ad annum* 1566. atque in hunc finem,

1°. Auctores, qui in Collectione Veneta exſtant, ordine chronologico diſponere, pro tempore quo ſingulorum Opera ſcripta, vel ſaltem edita ſunt. Quid enim inordinatius, quam omnia ita promiſcua eſſe, ut Nicolaus Leonicenus ſecundum tantum locum occupet, Coradinus Gilinus decimum quartum, imo Gaſpar Torrella viceſimum tertium; cum certum ſit Auctores illos ſcripſiſſe anno 1497. anno ſcilicet tertio poſt ingreſſum morbi, adeoque omnium primos.

2°. Singulis Operibus Præfationes, Epiſtolas nuncupatorias, loca a Collectore reciſa reſtituere, ut redintegrata priſtino nitori redderentur quaſi poſtliminio.

3°. Auctorum Opera, quorum pleraque pro illorum temporum more uno orationis contextu ſcripta ſunt, in Capita, Capitaque ipſa in membra partiri, majoris perſpicuitatis gratia.

4°. Loca ex Auctoribus antiquioribus laudata alio charactere diſtinguere, ut nunc eſt ex uſu, ea ſcilicet cauſa, ut ſi opportunum videatur, prætermiſſis inter legendum iis locis, orationis ſeriei preſſius inſtare liceret.

5°. Peculiari indice, vel appoſitis notulis edocere qui qualeſve fuerint Auctores qui laudantur. Hac enim ætate noſtra Medicorum plurimi Hiſtoriæ Medicæ ſatis gnari non ſunt, atque adeo ne nomine quidem plerique norunt Abolai, Ali Abbatem, Viatium &, Zoar, Azarinum, Iſaacum Ebenaram, Pandectarium, Conciliatorem magnum, Jacobum de Forlivio, Arculanum, Franciſcum de Pedemontio, Baverium de Baveriis, & alios ejuſdem farinæ ſexcentos, in Collectione illa paſſim laudantur.

6°. Demum Collectionem Luiſininam amplificare additione Auctorum, quotcunque de morbis venereis ante annum 1567. ſcripſere, & qui a priore Collectore omiſſi vel ignorati fuerunt, inter quos ipſe numero Joſephum Grundpekium, qui anno 1496. Johannem Salicetum, dictum Weidman & Meichinger, qui anno eodem 1497. Franciſcum de Villalobos, qui anno 1498. Simonem Piſtorem, qui annis 1498. & 1500. Conradum Schelling, qui anno eodem 1500. Martinum Pollichium, qui anno 1501. Angelum Bologninum, qui anno 1507. Johannem Vochs, qui anno 1508. Bartholomæum Sileber, qui anno 1525. Jacobum a Bethencourt, qui anno 1627. Franciſcum Delgado, qui anno 1529. Johannem Antonium Roverellum, qui anno 1537. Thomam Rangonum Philologum, qui anno 1538. Remaclum Fuchſium, qui anno 1541. Michaelem Angelum Blondum, qui anno 1542. Vidum Vidium, qui anno 1550. Rodericum Diaz de Iſſa, qui anno 1555. ac tandem Hieronymum Montuum, qui anno 1558. ſcripſerunt.

1728. Hermannus Boerhaave, Voorhoutenſis, ex pago qui a Lugduno Batavorum non longe abeſt, natus anno 1668. die 31. Decembris; Medicinæ Doctor & Profeſſor; Socius Academiæ Pariſienſis & Societatis Londinenſis; Obiit die 23. Septembris anni 1738. proxime Septuagenarius; Vir de re medica optime meritus ac ſcriptis ſuis egregiis Orbi literario notiſſimus, qui quandiu vixit, maximam famam in Academia Lugduno-Batava ſuſtinuit, fama tamen ipſe major.

Scri-

(a) Boerhaave *in Præfatione.*

Scripſit anno 1737. Diatribam de lue venerea, quæ Præfationis loco præfixa fuit Editioni Lugduno-Batavæ Collectionis Luſininæ anno 1728. & quæ gallice verſa Lutetiæ prodiit anno 1735. Multa quidem ibi reperire eſt acute cogitata, graphice deſcripta, uno verbo Auctore ſuo digniſſima, quibus recenſendis ideo ſuperſedeo, quod ſit hoc Opuſculum in omnium manibus. At vero, ut libere & ingenue dicam, duo quoque occurrunt ibidem, quæ dicta nollem, alterum in Theoria, in Therapeia alterum.

Primo. Quod ad prius attinet, exiſtimat Boerhaavius veneni venerei ſedem eſſe *in illo humore pingui corporis humani, qui naturaliter in bene ſanis replet eam partem, quam* adipoſum panniculum *Veteres*, *Hodierni &* celluloſam membranam *vocant*: ...... *Ita ut ſi contagioſa labes per poros epidermidis ingreſſa trans cutis vaſcula uſque ad cellulas membranæ adipoſæ pervenerit, ibidemque occurrenti pingui permiſcuerit ſe, ... calore, motu, mora, aſſiduo magis magiſque incendatur, cutim & cuticulam ſuperpoſitas rodat, corrumpat, interimque ſub his circumfuſas per ambitum cellulas oleoſas contaminet, unde ſemper latior plaga in panniculo adipoſo corrupta reperitur, quam ſupra in cute ſuperpoſita perdita & exeſa eſt.*

Sed ea opinio contra notam veneni ſeu ſeminii venerei indolem, facultatem, invadendi & progrediendi rationem videtur repugnare.

Nam I. In ipſa veneni venerei ingreſſione, quo tempore, ſi unquam alias, facillimum eſt dignoſcere quaſnam potiſſimum ſedes affectet, obſervantur plerumque, ceu prima invadentis morbi indicia, gonorrhœa, panus ſive bubo, porri & verrucæ, quorum nullum in adipoſa membrana inſidet. Cognitum enim compertumque eſt ſedem eſſe 1°. (*a*) Gonorrhœæ in conceptaculis, quæ ſemini vel ſeminali fluido ſecernendo vel continendo vacant, nimirum in Viris quidem in proſtatis, veſiculis ſeminariis, glandulis Covvperianis, & urethræ cellulis, in fœminis vero in proſtatis, glandulis Covvperianis, & botryformibus vaginæ glandulis: 2°. (*b*) Pani ſeu bubonis in conglobatis ſive lymphaticis inguinum glandulis: 3°. (*c*) Porrorum & verrucarum in papillis nerveis, quæ in Viris balanum, frænum, præputium; quæ in fœminis labia pudendi, vulvam, nymphas, clitoridem numeroſe obſident.

II. Neque diſpar eſſe videtur conditio ipſorummet ulcuſculorum venereorum, vulgo *Chancres*. Ea quidem Boerhaavius ab eroſis adipoſis cellulis deducenda putat diſertiſſimis verbis. *Hoc mali genus*, inquit, (cancrum *ſuo indiotiſmo Chirurgi vocare ſolent*) *ſemper inveni ſedere in illo humore pingui corporis humani, qui naturaliter in bene ſanis replet eam partem, quam* adipoſum Panniculum *Veteres*, *Hodierni &* celluloſam membranam *vocant*. Sed multa concurrunt veriſimilia, quæ in contrarium pugnent & quæ ſuadeant ulcuſcula iſtiuſmodi non ſubter tegumentum, quod cutis loco eſt, & in adipoſa membrana, quæ ſane nulla proſtat in iis partibus, quæ ab ulcuſculis venereis maxime infeſtantur; ſed in ipſo integumento, quod cutem ſupplet, ſedem habere, nimirum in vaſculis illis ſebaceis, quibus in Viris balanus, balani corona, præputium & frænum; in mulieribus vero, cadurda, vulva, pterygia, clitoris, & vaginæ oſtium conſita ſunt. Et ſane, ut cetera omittam quæ (*d*) alibi dicta ſunt, id opinor abunde argui ex ipſo ulcuſculorum ſitu, ut quibus ea tantum loca obſideantur, in quibus vaſcula iſtiuſmodi obvia ſunt; ex orbiculari eorumdem forma, quæ cum vaſculorum figura apprime congruit; ac tandem ex cicatrice nulla poſt curata ulcera ſuperſtite, vel tenuiſſima tantum & ferme inconſpicua, quod proinde cutaneum integumentum ſuperficiarie ad ſummum, funditus vero minime eroſum fuiſſe demonſtrat: Quæ de puſtulis venereis debent quoque intelligi, quarum ſedes eſt in ſebaceis vaſculis ſive lacunis per cutem ſparſis.

III. Neque ſuam indolem deponit virus venereum, dum inveteraſcit. Tunc quidem contaminato ſanguine humores, qui a ſanguine ſcaturiunt, contaminari neceſſum eſt, non promiſcue tamen & indiſcriminatim, ſed ordine certo, & plerumque ſecundum ſcalam affinitatum ſupra (*e*) propoſitam: Nempe commiſcetur 1. Cum humoribus ſeminalibus; unde pudendorum morbi, tumor teſtium, bubo, porri, verrucæ, ulcuſcula: 2. Cum humoribus cutis tum ſebaceo, tum mucoſo; unde vitia cutis, herpes, maculæ, rhagades, alopecia, puſtulæ: 3. Cum humoribus mucoſis oris, faucium, & narium; unde ulcera gingivarum, palati, faucium, nariumque: 4. Cum ſynovia tum articula-

(*a*) Supra, *Lib.* III. *Cap.* 1. §. 2.
(*b*) Supra, *Lib.* III. *Cap.* 5. §. 1. & 2.
(*c*) Supra, *Lib.* III. *Cap.* 9 §. 1. & 2.
(*d*) Supra, *Lib.* III. *Cap.* 7. §. 1. & 2.
(*e*) Lib. IV. Cap. 2.

ri, tum muſculari; unde dolores arthritici, rheumatici, iſchidiaci: 5. Cum medullari oſſium adipe; unde oſſium exoſtoſis, hyperoſtoſis, caries, oſteoſarcoſis: 6. Cum lympha, unde tumores glanduloſi, aut cyſtici, ut meliceride, atheromata, ſteatomata: 7. Demum cum humoribus, qui oculorum auriumve proprii ſunt, unde multiplices earumdem partium affectiones, ſed in iis omnibus conſtat experimento nec adipoſam membranam, nec ullas membranæ illius lacinias affici, lædi, peſſumdari, neque adeo adipoſam pinguedinem, qua turgent illius cellulæ, ullo modo vitiari.

IV. Verum tamen non nego labem membranæ eidem aliquoties inferri, ſi puſtulæ venereæ, vel quod pejus eſt, ulcera ejuſdem moris cutem depaſcentia ſibi diutius permittantur, & per media ſuffoſſæ cutis ſtamina ad ſubjectam adipem agant cuniculos; ſi tubercula aut ganglia ſuppurata ſubcutaneos abſceſſus generent; imo vero ſi virus venereum cum adipoſa pinguedine ſponte commiſceatur, quam ejus virulentiæ inacceſſam eſſe nequaquam puto. Sed hæc nedum quotidiana ſint, inter inſolentia luis ſymptomata referenda ſunt, in ſyphiliticis, ſi unquam, certe tarde & raro obvia, unde videtur egregie refelli opinio de ſede morbi in adipoſa membrana.

V. Fateor cum Boerhaavio, dum adipoſa membrana caſu quocunque computreſcit in hunc modum, *muſculos nudatos viviſſimos pulcherrimoſque apparere*, *ulceraque ſolam tantum pinguem tunicam depaſci*, *nec cuti nocere*, *niſi quatenus conſumptis vaſis cuti ſuppoſitis*, *ſubducto pabulo*, *hæc ipſa quoque tandem perit*. Sed id commune habet ſuppuratio, quam lues venerea in adipoſa membrana poteſt aliquando efficere, cum ſuppuratione, putrefactione, gangræna quacunque membranæ ejuſdem a cauſa quavis alia; neque adeo id inde repetendum videtur, quod venereum virus adipoſam membranam afſectet ſingulari modo, ſedemque in illa propriam habeat; ſed potius quod peculiaris adipoſæ membranæ conditio locum det mali incrementis opportuniorem. Nempe mollis eſt & laxi contextus, tenuiſſimis ac præteneris cellulis tota conſtat, perpetuo turget congeſto ſucco adipoſo, qui tardiſſime circulatur, ac in loco eodem idem hæret diutiſſime. Inde fit ergo, ut conſociata cauſarum efficacia ab adipe, ſi vitio qualicunque corrumpatur, facile labem ſentiat celerem ac longe & late diffuſam, ſentiatque ſola intactis & illæſis tum ſubjectis muſculis, tum cute ſuperjecta, quod partes illæ, cum denſiore & firmiore textura polleant, impetentium cauſarum energiæ minus pateant, hærentes humores fortius expellant elaterio inſito, noxioſque facilius renovent, ac proinde multiplici nomine ab imminentibus injuriis ſeſe diutius & efficacius immunes tuentur.

VI. Ceterum hæc opinio de ſede luis venereæ in adipoſa membrana, cujuſcunque pretii videatur, ſi non perfecte expreſſa, at ſaltem non obſcure olim adumbrata fuit, quod ſcione Boerhaavio quidem ſuboluiſſe ceteroquin eruditiſſimo, cum ipſe prior & ultro non indicaverit. Conſtat tamen temporibus Antonii Saportæ, quondam in Academia Monſpeſſulana Medicinæ Profeſſoris, hoc eſt, ante annum 1570. exſtitiſſe nonnullos, qui non adipoſum, ut Boerhaavio viſum eſt, ſed *carnoſum panniculum in univerſo corpore diffuſum*, *illudque tegentem conſtituerent*, *a quo pernicioſæ hujus labis* (venereæ) *ſcaturiginem emanare* crederent, quos refellendos ſuſcepit Saporta *Tractatus de Tumoribus præter naturam Lib. III. Cap.* 50. Uſque adeo & de opinionibus quoque vere dici poteſt, quod de vocibus ab Horatio dictum eſt, *multas* nempe *renaſci*, *quæ ceciderant*, & multas *caſuras eſſe*, *quæ nunc ſunt in honore*.

Secundo. Circa poſterius, quod ad Therapeiam pertinet, haud diffitetur quidem Boerhaavius *Mercurium ad expugnandum hoc malum efficacem* merito haberi. At vero contendit ſimul *medicatam ejus poteſtatem haud valere corrigere venereum tabum*, *quando ille figitur in locis*, *ad quæ actio cordis & arteriarum vix pertingit*: *Hinc* Mercurio *cariem diploes cranii non ſanari*: ...... *Inde & oſſium medullam inquinatam hoc malo vix repurgari*: *Gonorrhœas in ſola celluloſa penis fabrica hærentes*..... *nunquam ſanari*: ...... *Oſſicula tenerrima*, *ſolis tenuibus tecta membranis*, ... *ſervari non poſſe ne excidant*; ...... Unde concludit ille tunc *ubi deficit Mercurius*, *juvare* decoctum Guaiaci Huteniana methodo exhibitum; quod cum argumentis, tum obſervationibus conatur confirmare. Sed de his jam diffuſe ſupra diximus *Lib. II. Cap.* 11. quod conſuli poteſt.

1728. Georgius Daniel Coschwitz, Anatomiæ, Chirurgiæ ac Botanices Profeſſor ordinarius in Academia Fridericiana Halenſi, Academiæ Imperialis Leopoldinæ Caroli-

næ Naturæ Curioſorum Collega cooptatus anno 1724. (*a*) Obiit anno 1731. ætatis ſuæ 56.

Organiſmus & Mechaniſmus in homine vivo obvius & ſtabilitus, ſeu hominis vivi conſideratio Phyſiologica, ex veris Naturæ principiis eruta, & reliquis Medicinæ, tam theoreticæ, quam practicæ partibus fundamenti loco præmiſſa. Lipſiæ, 1728. in 4.

Organiſmus & Mechaniſmus in homine vivo obvius, deſtructus & labefactatus, ſeu hominis vivi conſideratio Pathologica, ex veris Naturæ principiis eruta ad mechaniſmi & organiſmi leges ordine concinno deducta, methodo plana ac demonſtrativa expoſita. Lipſiæ, 1728. in 4.

Hujus Operis *Parte II. Sect. 2. Cap. 3.* agitur *de Lue Venerea cum adnexis*, hoc eſt, cum *gonorrhœa*, & *fluore albo venereo*, ſeu gonorrhœa virulenta, in fœminis; ac præcipua de hoc argumento theorica dogmata breviſſime referuntur; Inter quæ ut nihil novi, ſic quoque nihil quod a certiſſimis Naturæ legibus abhorreat, reperire eſt.

Id unum animadverſione dignum videtur, ab Auctore credi (*b*) *muceſcentiam*, ut ille ait, veneream, *quæ ad ſanguinem uſque penetrat, in ſumme infectis ſe haud raro manifeſtare ſub venæ-ſectione, quando illorum ſanguis refrigeratus non modo ſpecialem lentorem in genere monſtrat, ſed portiones viſcoſas albidas ſingulariter collectus monſtrat.*

Vidimus ſupra, opinionem illam de manifeſtis vitiis ſanguinis, qui e Syphiliticis educitur, apud vulgus jam pridem invaluiſſe, cauſaſque ſimul indicavimus, unde videatur profluxiſſe. Sed ejuſdem falſitatem ibidem jam ſatis arguimus, quocirca ne crambem eamdem videamur recoquere, conſulatur, ſi lubet, locus laudatus.

LAURENTIUS HEISTERUS, Francofurtenſis, Medicinæ Doctor, aliquandiu Medicinam publice profeſſus eſt in Academia Altorfina, unde a Principibus Brunſvico-Luneburgenſibus evocatus fuit ad publice docendam Anatomiam, Phyſiologiam & Chirurgiam in Academia Julia, ſive Helmſtadienſi, quod munus adiit anno 1720. Academiæ Cæſareæ Naturæ Curioſorum jam aggregatus erat ab anno 1715. ac deinde in regiam Berolinenſem Scientiarum Societatem adſcitus fuit. Orbi literario doctrina dudum innotuit, famamque quam Libris editis ſibi conciliavit, ſcriptis novis tuetur & in dies amplificat. 1728

JOHANNES JACOBUS SCHMID, Magdeburgenſis.

Diſſertatio Inauguralis Medica de Chirurgorum erroribus in curandis morbis venereis, *quam*..... *Præſide* Laurentio Heiſtero..... *pro gradu Doctoris rite obtinendo publice defendet* Johannes Jacobus Schmid, *Magdeburgenſis, die 23. Auguſti MDCCXXVIII.* Helmſtadii, *Typis Pauli Schnorri Academ. Typographi.* in 4.

Hæc Lucubratiuncula, quæ continetur *paginis* 28. & quæ in Corollaria ſeu Articulos 35. diſtribuitur, eximia eſt & Heiſtero vere digna, a quo ſcriptam eſſe puto, quamquam Reſpondens loquens inducatur.

In hac Auctor primum memorat (*c*),, inter illos Empiricos, qui ſine debita, imo ,, ſæpe ſine ulla medica doctrina, atque ſine omnibus artis hujus præſtantiſſimæ fun- ,, damentis eam hinc inde, pro dolor! hodie frequentius quam unquam alias faciunt, fal- ,, cemque ſuam in alienam meſſem ingerunt, potiſſimum eſſe raſores, balneatores, atque ,, vulgares ita vulgo dictos Chirurgos. Hinc de horum erroribus, quos ex ignorantia ,, Medicinæ in curandis morbis, ſive in praxi, ut vocant, medica ſæpe committunt, ſe ,, in hac inaugurali diſſertatione agere conſtituiſſe: ..... (*d*) Quoniam vero prolixus fieri ,, coactus eſſet, tandem *de nonnullis dumtaxat erroribus, quos Chirurgi in cura luis ve-* ,, *nereæ* vulgo committere ſolent, paucis agere decreviſſe.

,, (*e*) Monet autem *ſuum ſermonem hic non de omnibus in univerſum Chirurgis eſſe* ,, *intelligendum:* ſe enim noviſſe nonnullos egregios, vereque genuinos Chirurgos, ac ,, viros, qui non in tonſtrina ſuam, ut plerique facere ſolent, ſcientiam hauſerunt, ,, quæ profecto nonniſi valde exigua eſſe poteſt: ..... Verum qui vel magno ſtudio atque ,, lectione, vel apud Chirurgos expertiſſimos in bello, urbibus & noſocomiis magnis, ,, itineribus variis, vel etiam apud Medicos & Profeſſores idoneos in Academiis aut ,, aliis locis, vel in omnibus ſimul, artem ſuam quam profitentur, recte didicerunt: .... ,, Sed eos tantum ſe redarguere hic velle, ... qui in morbis quibuſcunque & præſer-

(*a*) In *Catalogo Academicorum defunctorum*, qui præfixus eſt Volumini IV. *Ephemerid. Germanicorum.*
(*b*) Pag. *m* 354.
(*c*) Corollar. III.
(*d*) Corollar. IV.
(*e*) Corollar. V.

„ tim etiam in lue venerea .... ſua ignorantia multos ægros vel miſere interficiunt „ vel in graviſſima mala conjicitur, quemadmodum triſtium eventuum ingenti numero „ ſatis compertum habetur, & quamplurimi ſuo damno experti ſunt.

Porro, ut probet plerorumque Chirurgorum ignorantiam, paucis exponit qualis ſit Chirurgorum inſtitutio. (*a*) „ Nam quomodo, quæſo, *inquit Ille*, pleraque Chirurgorum „ noſtrorum pars ad ſolidam ſcientiam Chirurgicam, nedum Medicam, pervenire po- „ teſt, ſi educationem atque inſtructionem eorum paulo intimius conſideramus. Adeat „ enim quis, qui mihi credere non vult, tonſtrinas ſive Chirurgorum noſtrorum ta- „ bernas, & primo pleroſque ita dictos Magiſtros, ſi eos rite extus & intus intueatur, „ exiguam admodum ſcientiam anatomicam, chirurgicam, pharmaceuticam, medicam- „ ve illos poſſidere comperiet: Huic committuntur tyrones, qui plerumque vix recte „ legere ac ſcribere poſſunt. Hos deinde Magiſter docet tondere barbam, novaculam „ vel ſcalpellum renovare, capilloſque in ordinem redigere atque ornare, utpote qua „ ex re Magiſtro maximum & ſperandum lucrum: Poſtea quomodo emplaſtrum linteo „ ſit obducendum pro vulnere aut ulcere, quod quandoque deligandum occurrit, obte- „ gendo: ..... Deinde quomodo vena brachii & pedis ſit incidenda, atque poſtea ite- „ rum rudi atque inepto ſæpe ſatis modo obliganda demonſtrat. Quæ poſtquam tyro „ cognovit, Magiſter tantum laboris ipſi facit cum barba radenda, capillis reficiendis, „ aliiſque domeſticis negotiis peragendis, ut de aliis rebus ad artem Chirurgicam, mul- „ to minus medicam pertinentibus Magiſter ne cogitet quidem, tyro vero ob labores „ modo indicatos cogitare non poſſit, imo ut ſæpe ne lectioni quidem alicujus Libri „ aut boni Auctoris tempus ipſi ullum ſuperſit.

Auctor idem argumentum multis ſubinde proſequitur, & multa alia ingerit rationum momenta haud leviora, ſed quibus ſuperſedeo, quoniam res aperta eſt. Hinc autem concludit ille (*b*), „ bonos Chirurgos in ſiniſtram partem illi non verſuros eſſe, quod malos „ atque ineptos hic redarguat, ac ſicut par eſt, perſtringat. Bene meritis enim, qui ſtu- „ dium atque operam in arte ſua addiſcenda rite collocarunt, nihil detractum ſe velle „ *profitetur*, *additque* eos etiam eſſe, qui minime omnium Medicinæ ſe immiſcent, aut „ falcem ſuam in alienam meſſem immittunt.

„ (*c*) Cum igitur, *pergit Ille*, certum ſit Chirurgos noſtros (*Germanos*) pleroſque „ (nam Pariſiis, ubi alias abundare creduntur, vix quatuor aut quinque veri (*d*) nume- „ rantur Chirurgi) præſertim qui in pagis aut parvis urbibus habitant, aut quibus ma- „ nipulus militum concreditus eſt (Compagnie *Feldſcherer*) neque anatomen ſatis noſſe, „ neque medicamentorum vires aut præſtantiam, neque cauſſas plerorumque morborum, „ eorumque ſymptomatum didiciſſe, judicari jam facile poteſt an hi, qui rectam me- „ dendi methodum haud callent, ad curandos tam graves morbos (*venereos nempe*) idonei „ eſſe queant, ut tam ſæpe Medicis præſtantiſſimis ab ægris præferantur, & an hi „ non magno periculo temere ſe exponant, qui ejuſmodi hominibus ſe curandos, hoc eſt, ſalutem & vitam concredunt. *Adjicit autem* „ inde eſſe ut tam multi reperian- „ tur qui gonorrhœa inveterata teſtibus ſcirrhoſis aut cancroſis, impotentia, defectu uvu- „ læ vel palati vel ſepti naſi, imo defectu membri virilis laborant, vel qui paralyſi „ vel loquela corrupta, carie oſſium præſertim cranii aut palati, aliiſque innumeris „ malis affliguntur.

„ I. (*e*) Generalibus hiſce præmiſſis, ſpecialioribus exemplis Chirurgorum errores vulga- „ res demonſtrat Auctor, curatione gonorrhœæ, morbi utpote venereorum frequentiſſi- „ mi, primum in medium producta.

Aſſerit itaque 1°. Gonorrhœam „ a Chirurgis quam plurimis mox adſtringentibus, „ ſive externis (quæ per urethram injiciunt) tractari, ut alumine, ſaccharo Saturnino, „ vitriolaceis, lapide hæmatite, terra japonica, oſſe ſepiæ, opio &c. eiſque exitum mate- „ riæ venenatæ venereæ, ulceriſque purgationem impediri, ... unde fons & origo mul- „ torum aliorum affectuum peſſimorum, *inter quos Auctor enumerat* (*e*) bubones ſumme „ dolorificos, præſertim in inguinibus; teſticulos venereos pugni magnitudinem aliquan- „ do ſuperantes, cum maxima haud raro totius ſcroti inflammatione ac dolore; „ difficultatem urinam excernendi, vel ejuſdem integram ſuppreſſionem, quod ma- lum

(a) Corollar. VI.
(b) Corollar. VIII.
(c) Corollar. IX.
(c) Corollar. X.
(d) Corollar. XI.

„ lum vulgo *carunculas urethræ* appellare ſolent; phimoſim aut paraphimoſim cum priapiſmo moleſtiſſimo; ulcera in præputio, glande vel pene ipſo; eaque integrum penem aliquando depaſcentia, quale ſpectaculum Helmeſtadii in militum Præfecto D. Præſes, Reſpondens vero in Studioſo vidit, qui ab imperitis ejuſmodi Chirurgis diu male miſereque vexati fuerant. Aliud exemplum, ubi ab ulceribus venereis in muliere tota vulva undequaque prorſus exeſa fuit, alias quoque vidit D. Præſes..... Imo tandem (*a*) in multis ipſam luem veneream, cum ſuis ſatellitibus „ hoc eſt, ſymptomatibus omnibus.

„ 2°. (*b*) Aliorum imperitorum Chirurgorum morem eſſe, ut.... mox in principio gonorrhœæ, ubi inflammatio adeſt, calidiſſima balſamica, & nominatim quidem Terebinthinam aut Oleum ejuſdem, Balſamum ſulphuris, Peruvianum, vel Oleum & Eſſentiam Succini, ... intempeſtive ægris propinent, eaque, quia veram doſim horum medicamentorum ignorant, in nimia atque incongrua quantitate exhibeant,.... quibus calidiſſimis medicamentis neceſſario inflammatio atque dolor augentur, teſticuli ſimul inflammantur, febris accenditur, variaque peſſima ſymptomata modo recenſita, aliaque plura concitantur.

3°. (*c*) Alium atque novum Chirurgi Pariſini gonorrhœam curandi modum haud pridem a Nobili quodam ex Gallia recens reverſo cum Clar. Præſide communicatum eſſe, ubi Chirurgus haud infimæ notæ Pariſienſis ægris multum ſpiritus vini camphorati, ex certa quantitate aquæ ſimplicis, quotidie propinat, ita ut ægri, quemadmodum Nobilis ille aſſeveravit, ſenſim aliquando inebrientur...... Quam methodum præter alias rationes etiam inde damnandam judicavit D. Præſes, quia ille Nobilis, licet de alio quidem gravi ſymptomate non conquereretur, tamen a gonorrhœa, cujus gratia eo remedio diu uſus erat, nondum liberatus erat, adeoque, *pergit Auctor*, & mihi empiricum ac ſine ratione excogitatum remedium videtur.

„ 4°. (*d*) Chirurgorum alios cantharidibus ad curandam gonorrhœam mox uti, iiſque propterea quia forte audiverunt vel legerunt eas eſſe egregium diureticum, virtutemque poſſidere, ut urinam bene pellant, atque ſimul purulentam veneream materiam ex corpore expellant & eliminent. Sed quoniam cantharides, quicquid nonnulli reclament, medicamentum ſunt vehementiſſimum, in renes & veſicam tanta ferocia agentes, ut non ſolum ardorem urinæ acerbiſſimum facillime & brevi ſæpe ſuſcitent, verum ipſum etiam ſanguinem expellant, atque ſic mictum cruentum inducant, facile judicari poteſt quam periculoſum ſit Chirurgis ſe concredere, qui medicamenta, eorumque vires ac doſes, præſertim ejuſmodi draſticorum, neque rite cognoſcunt, neque recte moderari valent.

„ 5°. (*e*) Multos eſſe Chirurgorum, qui per decocta lignorum, aliaque *fortia ſudorifera* gonorrhœam curandam aggrediuntur...... Quem in finem non ſolum decocta lignorum fortia, ſive valde ſaturata cum eſſentiis ejuſdem naturæ, ægris larga copia, eaque ſæpius propinant, & vel ſtragulis eos multis cooperiunt, vel prorſus in ergaſtulum ſudatorium immittunt; ..... qua methodo virus quod ex ſanguine expellere intendunt, in eumdem potius impellunt; fervorem & ſpiſſitudinem ſanguini conciliant noxiam, eoque ipſo vel luem veneream ipſam inducunt, vel ſaltem malum longe reddunt pejus, vel alium eumque adhuc graviorem morbum, in primis vero hecticam, phthiſimve, ... excitant.

„ 6°. (*f*) Non paucos eſſe, qui *mercurialibus* ſive medicamentis ex Mercurio præparatis gonorrhœam expugnare contendunt, & fortioribus quidem, infidis, draſticiſque:.... Nonnullos enim uti Mercurio præcipitato albo, alios rubro, alios viridi, quoſdam rupetho minerali ſive arcano corallino, alios mercurio ſublimato, venenorum fere omnium vehementiſſimo; quæ omnia, quia acerrima ſunt & cauſtica ſive corrodentia, vehementes plerumque vomitus, alvi fluxus enormes, choleram, tormina ſumma, ſpaſmos, convulſiones, ipſamque ſæpe mortem, præſertim ſi ægri ſunt teneri, vel in data quantitate etiam vel leviter excedunt, concitant.

„ 7°. (*g*) Quoſdam inter Chirurgos cautiores, qui audiverunt vel didicerunt Mercu-

(*a*) Corollar. XII. (*b*) Corollar. XIII.
(*c*) Corollar. XIV.
(*d*) Corollar. XV.
(*e*) Corollar. XVI.
(*f*) Corollar. XVII.
(*g*) Corollar. XVIII.

„ curium dulcem & Panaceam mercurialem, vel ipſas inunctiones mercuriales modera-
„ tas prioribus illis Præcipitatis & Sublimatis ſecuriores eſſe, hæc ad gonorrhϾ cu-
„ rationem potiſſimum adhibere, iiſque eam tollere intendere. Verum ..... ſi iis ſolis
„ aut potiſſimum ſaltem inſiſtunt, a ſcopo aberrare, morbum, eique junctam inflam-
„ mationem non rite aggredi, & loco citæ atque jucundæ, curationis varia potius æ-
„ gris ſymptomata his ipſis conciliare.

„ 8°. (*a*) Poſtremo ſæpiſſime errare Chirurgos in curatione hujus morbi, quando æ-
„ gris conveniens vitæ regimen & diætam non præſcribunt aut præſcribere non poſ-
„ ſunt: Unde enim illi, qui integram medicinam non didicerunt, ſcient quid in re-
„ bus ita dictis non-naturalibus hoc in morbo ſit noxium, quidque proficuum, quid
„ faciendum aut quid evitandum.

„ Quod ſi qui ſunt ejuſmodi Chirurgi, qui altius ſapere contendunt, & diæ-
„ tam ægris præſcribere volunt, tam inepte & præpoſtere ſæpe id agere ut nihil ſu-
„ pra: Concedendo ipſis omnis generis noxia, vinum *v. g.* ſpiritum vini, atque inde
„ præparatas aquas ſpirituoſas, aromaticas, ... variaque alimenta aromatica, ſalſa,
„ acria, ſtimulantia: .... Vel interdicendo utilia maximeque ipſis proficua, ut decocta
„ & juſcula avenacea, hordeacea, & ſimilia aliqua aquoſa, tenuia ac temperantia, ...
„ quemadmodum talia ordinationum chirurgicarum exempla celebrium alias chirurgo-
„ rum, non modo in his, verum & in aliis morbis, nota ſunt.

II. Auctor pari prorſus ordine proponit errores, quos Chirurgi in curandis buboni-
„ bus ſolent committere.

„ 1. (*b*) Quod illos nonnulli in principio per repellentia & refrigerantia curare ten-
„ tant; alii vero per ſanguinis miſſionem, emplaſtra & alia remedia reſolventia, ut
„ alios tumores inflammatorios, reſolvere ſtudeant. Verum incauta horum tumorum re-
„ ſolutione tota maſſa ſanguinea a veneno venereo infici, atque ipſa lues venerea in-
„ duci poteſt, niſi quis artem ſimul probe calleat, qua inter reſolvendum materia ve-
„ nerea per decocta diaphoretica & prudentem uſum mercurialium, interpoſitis laxan-
„ tibus ejuſdem proſapiæ, partim deſtruenda, partim evacuanda ſit, quam artem Chi-
„ rurgi plerique neſciunt.

2°. „ (*c*) Quod hos bubones per ſuppurationem curandos eſſe putent, in quem finem
„ emplaſtris aut cataplaſmatibus attrahentibus, emollientibus, maturantibus, itemque
„ frictionibus duris & cucurbitulis dolorificis bubones .... extrahere allaborent. Quæ
„ methodus, præterquam quod ſit valde longa ..... & valde moleſta atque dolorifica,
„ ad luem veneream inducendam plerumque efficax eſt, niſi ægri convenientibus ſpe-
„ cificis mercurialibus atque diaphoreticis liberentur.

3°. „ (*d*) Quod ſuppuratos bubones non aperiant, aut mature aperire non audeant,
„ ſed vel ſpontaneam rupturam vel ſaltem plenariam ſuppurationem expectant. Unde
„ fit, ut materia noxia non ſolum ſanguinem adeat, eumque inficiat, verum etiam po-
„ ſtea eo ipſo ulcera hæc tam difficulter ſanentur, ut potentiſſima remedia ſæpe vix
„ ſufficiant.

4°. „ (*e*) Denique quod quandoque in aperiendis hiſce bubonibus vas lymphaticum di-
„ ſcindant, quod ingentem lymphæ copiam quotidie aliquando plorat, cujuſque fluxus
„ ab iis, ut Clar. Ruyſchius obſervavit, (*Obſervat. Anatomic. Chirurgic. pag.* 55.) ſæ-
„ pe cohiberi nequit: Quem cohibere tamen promptum eſt ſpleniolis firmiter impoſi-
„ tis, fortique ligatura ſive compreſſione, vel ferro candente, ſi his aliiſve idoneis re-
„ mediis cedere nolit.

III. Secundum Auctorem „ (*f*) errores committunt graves Chirurgi in ulcerum ve-
„ nereorum curatione, quando de cauſa, quæ in ſanguine corrupto hæret, non cogi-
„ tantes, ſolis externis ſuis remediis, unguentis & emplaſtris fidunt, iiſque ulcera hæc
„ conſolidare ſtudent.

IV. Teſtatur Auctor Chirurgos nunquam gravius frequentiuſve peccare, *quam in ipſius luis venereæ curatione*,

1. „ (*g*) Quod illam curandam ſuſcipiant nonnulli ſudoriferis, alii ſalivatione mer-
„ curiali, utrique vero, quia gradus morborum plerumque non intelligunt, „ leviori morbo fortiora & vehementiori leviora remedia temere adhibeant.

2°. (*a*)

(*a*) Corollar. XIX. (*b*) Corollar. XXII.
(*c*) Corollar. XXIII. (*d*) Corollar. XXIV.
(*e*) Corollar. XXVI. (*f*) Corollar. XXV.
(*g*) Corollar. XXIX.

2°. (a) Quod in ſudorifero regimine, graves errores ſæpe committant, „ ſive quia „ ſudores nimium urgent & ſanguinem ſer nimis exhauriunt, ſive „ quia ſudoriferis „ ſolis in hoc morbo debellando fidunt, cum tamen experientia conſtet, niſi ſudoribus „ ſecura mercurialia interponantur, ſudorifera ſola raro, ſi unquam, peſſimam hanc „ luem penitus tollere.

„ 3°. (b) Quod in excitando ſalivæ fluxu interna remedia plerumque adhibeant infida & „ violentiora, ut Mercurium præcipitatum, Arcanum corallinum, vel Mercurium vi„ tæ, quibus gravia ſymptomata aut mortem ipſam ſæpius inducunt; vel ſi ſecurioribus „ utantur mercurialibus, qualis eſt Mercurius dulcis rite præparatus, eum vel in majori „ quam par eſt doſi, vel nimis feſtinanter exhibeant, vel requiſitis cautelis, quas uſus ejus „ poſtulat, neglectis (quæ vulgaribus Chirurgis plerumque incognitæ ſunt.)

„ 4°. (c) Quod ſi externis remediis ſalivationem inducere volunt, ingentem plerum„ que unguenti mercurialis copiam una vice affricent corpori, vel motam ſalivationem „ diutius ſuſtineant, quippe qui plerique non recte ſciant quandiu ad morbi curatio„ nem ſit continuanda. Ideo nemo qui ſapit, *concludit Auctor*, ſub Chirurgi regimine „ ſalivationem ſubeat, niſi de ejus dexteritate atque ſcientia hoc in negotio ſatis ſit „ certus.

Addo a pleriſque Chirurgis ptyaliſmum tam præcipitanter urgeri & ori tam male proſpici, ut ulcera, quibus conſitum eſt, & quæ invaleſcunt & altius ſubeunt, ipſos muſculorum manſoriorum tendines attingant, quos denſant, criſpant, breviant, ex quo efficitur ut ægrotantes miſeri, ob retractam maxillam inferiorem, nequeant os diducere; ſed cogantur reliquo vitæ tempore vivere capiſtrati, triſti quidem fato, ſed jam ineluctabili.

„ 5°. (d) Quod nonnulli, præſertim ex caſtrenſibus, quos vulgo *Feldſcherer* vocamus, „ fere in quocunque morbo difficiliori, vel quem ob ſtudii medici ignorantiam non co„ gnoſcunt, ſalivatione tanquam remedio ipſorum polychreſto utantur, eaque hoſtem „ incognitum per ſalivales vias exturbare intendant..... Quibus vero cum ſucceſſibus „ triſtia exempla ſatis docuerunt, dum in multis ſæpe vel nihil efficiunt, vel ægrum „ pejorem reddunt.

Quæſtionem eamdem vel perſimilem ipſe attigi *alibi*, ac valentiſſimis argumentis, & niſi fallor, decretoriis demonſtravi ſemper utibile eſſe, imo plerumque ægrotantium ſaluti conducere, ut Medicus morborum venereorum curationi, maxime hydrargyroſi, præſit; qua de re vide *Ma quatrième Lettre a M. Delaire, Docteur en Médicine de la Faculté de Montpellier*.

V. Demum quærit Auctor „ (e) cur plerique homines morbis venereis affecti ad Chi„ rurgos potius, & quidem ſæpe miſerrimos atque imperitiſſimos, quam ad bonos Me„ dicos confugiant?

„ Exiſtimat autem duplici potiſſimum ex cauſa hoc provenire, & *primo* quidem quia „ vulgus & alii plurimi, qui medicinam non intelligunt, falſo credunt Chirurgos hos „ morbos optime, imo melius intelligere & curare poſſe, quam Medicos, cum pleroſ„ que ad illos accurrere videant, quod vero falſum eſſe hactenus ſatis demonſtratum. „ Deinde quia pleroſque turpibus his morbis laborantes pudet Medicis, utpote viris ut „ plurimum gravibus & in auctoritate conſtitutis, facinora ſua revelare, metu ne ab „ his ob delicta hæc, ut merentur, ſeverius reprehendantur, id quod vero Chirurgi, „ præſertim vulgares, facere non audent.

Hinc colligo nos noſtra jura efficacius tueri, quam Medicos Germanos; necdum enim Medicinæ auctoritas inter nos eo uſque eviluit, ut ſuus non ſtet illi honos, ſuaque dignitas etiam hac in parte: Sed ut in dirimendis litibus, ſic quoque in curandis morbis venereis tres juriſdictionis gradus videntur eſſe diſtinguendi. Nimirum adoleſcentes inexperti, quibus morbi venerei peculii loco ſunt, ſi qua forte contagione infecti ſunt, tyronibus Chirurgis, quibus genas radendas vel capillos calamiſtro criſpandos, odoratove pulvere conſpergendos præbent, & quos conſiliorum participes habent, ſi non & facinorum ſtimulatores, de ſe primum permittunt. En itaque Judices vicanos ſeu *primi* ordinis. Illi remedia quæcunque compilare poſſunt, adhibent nullo delectu, nec reliqui quidquam faciunt, quod ad ſanationem credant pertinere. Si forte morbus levior ſit, ac remediis quæ ad illis temere adhibentur, evincatur, bene eſt. Sin vero difficilior fuerit & curando ſe impares eſſe porro ſentiant, ipſi ægrotos ad Magiſtros Chi-

Z 4 rurgos

(a) Corollar. XXX. (b) Corollar. XXXI. (c) Corollar. XXXII.
(d) Corollar. XXXIII. (e) Corollar. XXXV.

rurgos deducunt, & ecce Judices alteros ſeu *ſæculi* ordinis. Curationem iſti redintegrant paulo meliore methodo, & nullum non movent lapidem, quo ſe tyronibus doctiores probent, quod aliquando bene atque feliciter ſuccedit. Sin ſecus, cum aqua illis hæret maxime & malum in dies ingraveſcit, tum res ad Medicos vel ab ægrotis vel a Chirurgis ipſis refertur, ceu ad *ſupremos* Judices, a quibus tandem efficax morbo medicina affertur, niſi illius vehementia aut diuturnitate, vel præmedicantium ſocordia aut imperitia noxa inemendabilis concepta fuerit.

1729. HERMANNUS KAAU, Batavus, (*a*) Hermanni Boerhaave nepos ex ſorore.

Diſſertatio Inauguralis de Argento vivo, *quam ..... examini ſubmittit* Hermannus Kaau, *Batavus, ad diem* 20. *Aprilis* 1729. Lugduni Batavorum, *apud Iſaacum Severinum* 1729. in 4.

1729. DANIEL TURNERUS, de quo ſupra ad *annum* 1717. edidit anno 1729. ſequentem Diatribam, quæ *paginis* 62. continetur.

A Diſcourſe concerning Gleets, their Cauſe and Cure, with a prefatory account of Profeſſor Boerhaave's new Comments on the Venereal Diſeaſe, and ſome animadverſions thereon, addreſſed to the Surgeons of the City of London. By Daniel Turner *of the College of Phyſicians London.* London, *printed for John Clarke.* 1729. in 8.

Hoc eſt, *Diatriba de Stillicidiis Gonorrhoicis, illorum cauſa & curatione, cui præmittitur præfationis loco expoſitio novi Commentarii Profeſſoris Boerhaave de Morbo Venereo, cum aliquot in illud animadverſionibus, & quæ inſcribitur Chirurgis Civitatis Londinenſis, a* Daniel Turner *ex Collegio Medicorum Londinenſium.* Londini, *apud Johannem Clarke*, 1729. in 8.

In Præfatione Chirurgis Londinenſibus inſcripta, quæ data fuit 31. Septembris 1728. Turnerus multus eſt in confutando Auctore quodam anonymo, qui Librum de Gonorrhœa, *The Book of the Gonorrhœa*, nuper ediderat, & in exponenda Hermanni Boerhaavii Diſſertatione *de Lue Venerea*, quæ præfixa eſt Editioni Lugduno-Batavæ Collectionis Luiſininæ.

In ipſa vero Diſſertatione, quæ Præfationem vix ſuperat numero paginarum, varia proponit remedia, quæ putat maxime facere adverſus ſtillicidia gonorrhoica, nempe injectiones plures ſtypticas & aſtringentes, potiones balſamicas, balſama varia, tum naturalia, tum factitia.

Hæc Diſſertatio Turneri plerumque proſtat ad calcem quartæ editionis Tractatus *de Syphilide*, quæ Londini prodiit anno 1732.

1730. JOHANNES BAPTISTA THOMAS MARTINENQ, Doctor Medicus.
ANTONIUS NICOLAUS GUENAULT, Pariſinus.

Quæſtio Medico-Chirurgica, quodlibetariis diſputationibus mane diſcutienda.. die Jovis 9. Martii, M. Johanne Baptiſta Thoma Martinenq, D.M. *Præſide*.

Utrum ab Injectionibus directa Gonorrhœæ curatio?

Concluſio affirmat.

Proponebat Antonius Nicolaus Guenault, *Pariſinus*. A.R.S.H. 1730. *Typis* G. F. *Quillau*.

Auctor ſtatuit cum Guillelmo Cockburn, de quo ſupra ad *annum* 1717. non aliam eſſe gonorrhœæ virulentæ ſedem præter Lacunas urethræ, ac proinde contendit cum eodem Injectionibus in urethræ ductum directam gonorrhœæ curationem præſtari; de quo utroque Capite vide ſupra *Lib. III. Cap. I.* Et *Cap. II.*

Ceterum Theſeos Auctor de natura injectionum, quas adhibendas eſſe credit, alte ſilet. „ Quærantur (*b*) *inquit*, medicamina, quibus acido corroſivum hujus morbi virus „ funditus evellatur. Ex his compoſitus liquor ab ineunte gonorrhœa in urethram immit- „ tatur. Affectas canalis hujus .... glandulas immediato contactu recreabit. Radicitus „ domabitur contages. Aucta glandularum vis elaſtica aut ſtimulativa remittet: ..... „ Sicque reſtituetur depravata Lacunarum aut Glandularum functio. Optarent fortaſſe „ nonnulli, ut (*pergit Ille*) a nobis adducerentur in remedium ſolemnes formulæ, „ quibus laudata jam auxilia in uſum venire ſolent ac revocari. Aſt ſatis ſuperque il- „ lorum ſtudiis factum erit, ſi conveniam cum (*c*) Vercellono, qui cenſet *Præſcri-* „ *ptiones Medicorum expedire potius ſilere quam docere*, . . . *quoniam harum occaſione* *factum*

(*a*) Albertus Schultens in Oratione funebri Hermanni Boerhaave, *Pag.* 6.
(*b*) Corollar. V.
(*c*) De *Pudendor. morbis*, *Cap.* 2. *pag.* 45. edition. Lugduno Batavæ 1722.

„ *factum eſt*, *ut barbitonſores*, *unguentarii*, *nugivenduli*, *agyrtæ omnes morborum vene-* „ *reorum curationem ducant ſuam*, *Medicis nihil intereſſe prædicantes externis defluxionibus* „ *providere*, *imo & in hac parte ignaros palam edicentes*. „ Quam ſui ſilentii excuſationem dubito an probaturus ſit æquis & φιλανθρώποις Medicis, quales decet eſſe omnes, quos improba improborum facta dictave nunquam eo adducent, opinor, ut concivibus ſuis, ut humano generi opiferi eſſe nolint, cum illis opiferis eſſe integrum erit.

CAROLUS BARBEIRAC, Cæſariſtenſis apud Gallo-Provinciales, natus ann. 1629. Medicinæ operam dedit in Academia Monſpeſſulana, ubi Doctoris Medici gradum aſſecutus eſt (*a*) anno 1649. Medicinam cum ſumma laude exercuit in eadem Urbe, ubi vitam cum morte commutavit anno 1699. ætatis 70. 1731.

Prodierat olim Lugduni ann. 1684. apud Johann. Certe Liber de re medica ſic inſcriptus.

Traitez noveaux de Medicine, *contenants les maladies de la Poitrine*, *les maladies des Femmes*, *& quelques autres maladies particulieres*, *ſelon les nouvelles Opinions*. A Lyon, *chez Jean Certe*. 1748. in 12.

Liber ille tunc plane anonymus fuit, ac Bibliopola teſtabatur Auctorem ſibi plane ignotum eſſe. Attamen idem Bibliopola, mortuo jam Barbeiracio, ut exemplaria editionis ejuſdem, quæ ſupererant, vendibiliora faceret, novam appoſuit frontem, in qua ultimo inſcriptionis verbo de ſuo addidit *Par M. B.* *** *Docteur de Montpellier*, quibus verbis *Barbeiracium* aperte indicabat.

Inde factum, ut nuper Liber idem aliquot Capitibus auctior Amſtelodami typis recuſus fuerit, expreſſo palam Barbeiracii nomine, ut ex Inſcriptione patet.

Diſſertations nouvelles ſur les Maladies de la Poitrine, *du Cœur de l' Eſtomach*, *des Femmes*, *Vénériennes*, *& quelques Maladies particulieres*, *par M. Barbeirac*, *Docteur en Medicine de Montpellier*, A Amſterdam 1731. *in* 12.

In Tractatu, qui *de morbis venereis* inſcribitur, *paginis* 50. *Capitibus* 7. diſſeritur. 1°. De lue venerea. 2. De gonorrhœa virulenta. 3°. De bubone venereo. 4°. De ulcuſculis cancroſis. 5°. De porris & verrucis. 6. De phimoſi & paraphimoſi. 7°. De hyperſarcoſi in urethra; quæ duo poſtrema Capita huic Amſtelodamenſi editioni addita ſunt.

Ceterum in hoc toto Libro tum de Venereis, tum de ceteris morbis nihil legitur, quod non ſit non modo vulgare, ſed etiam ita mutilum, vitioſum & miſere deturpatum, ut pro certo teneam hoc Opus non Caroli Barbeirac, ſed junioris cujuſdam Scholaſtici fœtum eſſe, rerum medicarum plane ignari. Doleo ſane nomen Practici ſua ætate celeberrimi ab Anonymo Editore tam turpiter traduci, mirorque maleficia iſtiuſmodi tam alte diſſimulari ab iis, quorum intereſt Caroli Barbeirac gloriam ſartam tueri.

Interim caveant Lectores, ne Barbeiracii auctoritate putent ad curandam luem veneream poſſe tuto frictiones quotidie adhiberi, & ad frictionem quamlibet uncias quinque vel ſex unguenti præſcribi, ut in hoc Libello proponitur *Cap. I.* Hac enim temeraria therapeja ægrotos in manifeſtum capitis diſcrimen adducerent. Fateor equidem id olim nonnullis ex uſu fuiſſe Barbeiracii ævo, anno circiter 1680. ſed novi quoque pericula ſumma, quibus id remedii genus tunc infamabatur. Itaque prudentis Editoris fuiſſet praxim jam dudum antiquatam ſupprimere, vel ſaltem non evulgare hac ætate noſtra ſine tota cenſoria.

DANIEL TURNER, de quo ſupra ad *annos* 1717. & 1729. ad calcem Tactatus ſui *de Syphilide*, anglice ſcripti & quartum editi anno 1732. adjecit ſequentem Diſſertationem, quæ an in ulla priorum editionum prodierit nondum mihi compertum eſt. 1732.

Remarcks upon Dr. Vvilloughby's Translation of Mr. Chicoyneau's Method of Cure, *vvhich he entitles*, The Practice of ſalivating ſhewn to be of no uſe or efficacy in te cure of the Venereal Diſeaſe, but greatly prejudicial thereto. *Vvith a Letter from.* Mr. Samuel Palmer *to the Author of the foreſaid Remarcks upon the ſubject abovementioned.*

Hoc eſt, *Animadverſiones in Diſſertationem D. Chicoyneau*, *a Doctore Vvilloughby anglice verſam*, & *quæ inſcribitur*, Tractatus in quo probatur Salivationem neque utilem, neque efficacem eſſe ad curationem morbi venerei, ſed potius ſumme damnoſam. *Adjecta eſt Epiſtola* Samuelis Palmer *ad Auctorem*, *de eodem argumento*.

Nempe Franciſcus Chicoyneau, tunc temporis Profeſſor & Cancellarius Facultatis Medicæ Monſpeſſulanæ, ſcripſerat anno 1718. ut ſupra vidimus, Diſſertationem medicam, in

(*a*) Ex Actis Facultatis Medicinæ Monſpeſſulanæ.

in qua contendebat *ad curandam luem veneream frictiones mercuriales in hunc finem non adhibendas eſſe, ut ſalivæ fluxus concitetur.* Hanc, quam anglicam fecerat C.... Willougby, Doctor Medicus, ac Londini edendam curaverat anno 1723. cum inſcriptione ſupra propoſita, vellicat Turnerus multis animadverſionibus, de quibus Auctorem ipſum adiri velim.

Adjecta eſt Samuelis Palmer Epiſtola ad Turnerum, in qua Methodus a Franciſco Chicoyneau propoſita pariter improbatur.

1732. Thomas Dover, Anglus, Doctor Medicus, ſcripſit ediditque anno 1732. (*a*) ſequentem Tractatum.

The ancient Phyſician's Legacy to his Country, being what he has collected himſelf in forty nine years Practice. By Thomas Dover, *M. D.* London *in* 8. 1732.

Hoc eſt, *Veteris Medici Legatum Patriæ ſuæ, in quo continentur omnia, quæ collegit ipſe, dum medicinam fecit annis quadraginta novem. Auctore* Thoma Dover, *Doctore Medico.* Londini, *in* 8. 1732.

In illo Tractatu proponit Auctor ad pleroſque corporis humani morbos therapeias plane novas, hactenus inauditas, & quæ a vulgo receptis abhorrent interdum longiſſime. Laudat in primis Mercurium crudum & ſincerum quodlibet mane (*b*) ad doſim ℥ j. ore hauriendum, quaſi præſentiſſimum & efficaciſſimum remedium adverſus aſthma, ceteroſque fere omnes pulmonum morbos, calculum renum, nephritidem, ſterilitatem, chloroſim, rheumatiſmum, morbos ventriculi, inteſtinorum, hepatis &c.

Novitas ſane magnum eſt apud pleroſque & potentiſſimum lenocinium. Haud ergo mirum, ſi ea methodus exhibendi Mercurii, quam parvulo ſucceſſu commendatam ajunt, Londini derepente increbuerit præter modum omnem. (*c*) Paſſim in Civitate prope tota videre fuit aliquandiu & ab infirmis & ſanis Mercurium crudum pari ferme ſtudio ſorbillari, ne ægrotarent ab illis ut convaleſcerent. Sed cum caduca & temporaria eſſe ſoleant fere perpetuo, quæcunque ſubitaria ſunt, audio morem illum brevi exoleviſſe. Memini tamen me vidiſſe nuper Anglorum nonnullos, quibus etiamnum ſolemne fuit Mercurium crudum devorare quotidie contra Aſthma vel Rheumatiſmum, ſed parciore atque adeo cautiore doſi, ʒ j. quod remedii genus ſibi prodeſſe aſſeverabant.

Porro interea, dum in Anglia ea methodus in honore fuit, acrius inter Medicos decertatum eſt de illius præſtantia & utilitate, editis ultro citroque libellis plurimis, ad eam vel impugnandam vel defendendam, ſed a quibus curioſius inquirendis abſtinui, quod ad inſtitutum noſtrum vix attingerent.

1732. Polycarpus Gottieb, vel Gottlobius Schacher, (*d*) Lipſienſis, Therapeutices Profeſſor ordinarius, Facultatis Medicæ Decanus. Obiit Lipſiæ, die 4. Martii anni 1737. ætatis anno 63.

Johannes Georgius Ruppius, Fravenſteinio-Miſnicus.

Diſſertatio Medica Inauguralis de ægro ex lue venerea in cephalalgiam chronicam delapſo, *quam.... Præſide* Polycarpo Gottlieb Schachero... *pro Licentia ſummos in arte medica honores rite obtinendi, ad diem II. Maii Anni MDCCXXXII..... publico examini ſubmittit* Johannes Georgius Ruppius, *Fravenſteinio-Miſnicus.* Lipſiæ, in 4.

1732. Johannes Zacharias Platner, Kemnitzius, in Academia Lipſienſi primum (*e*) Anatomiæ & Chirurgiæ anno 1721. deinde (*f*) Phyſiologiæ Profeſſor anno 1728.

Programma de (*g*) *Morbo Campano Horatii*, cum indicebat *Panegyrin Medicam die* 2. *Maii, anno MDCCXXXII. ad conferendos honores Licentiæ Johanni Georgio Ruppio*, (de quo *Artic. præcedente*) Lipſiæ, *ex officina Langenhemia*, in 4. Anno MDCCXXXII.

Auctor, refutatis variis variorum Interpretum opinionibus, cenſet ipſe „ veritati & „ ipſis Horatii verbis magis conſentaneum videri Campanos fœdis laboraſſe verrucis, „ quibus exſectis magnæ cicatrices relictæ fuere, quam ſententiam eo libentius ample- „ ctitur,

(*a*) *Medical Eſſays and Obſervations reviſed and publiſhed by a Soviety in Edimburghi* Vol. 2. Pag. 414.
(*b*) *Ibidem*, Pag. 408.
(*c*) *Ibidem*, Pag. 385.
(*d*) Ex Programmate, quo *Rector Academiæ Lipſienſis Concionem funebrem Polycarpo Gottlieb Schachero indicebat.*
(*e*) Bibliotheque Germanique, *Tomo* III. *Pag.* 306.
(*f*) Ibidem, *Tom.* IX. *Pag* 234. Et *Tom.* XV. *Pag.* 206.
(*g*) Lib. 1. Satir. V. *verſ.* 62.

„ ctitur, quod & veterem Commentatorem, quem (*a*) Jacobus Cruquius adducit, „ conſentientem habeat.

Quærit deinde „ num illæ verrucæ ex luxu & intemperantia ſint natæ, & num ſta- „ tuendum ſit Morbum Campanum fuiſſe illam luem, quam hodie *Veneream* vocamus, „ cujus pariter probrum iis, qui ea laborant, ſæpius objectari ſolet.

„ Prona itaque via delabitur ad controverſiam num ille ipſe Morbus, quem plures „ *Gallicum*, Galli *Neapolitanum* vocant, Veteribus fuerit cognitus: „ Circa quod affirmatiſſime aſſeverat „ omnibus notum eſſe hanc peſtiferam luem graſſari cœpiſſe an- „ no circiter ſæculi decimi quinti, quinto & nonageſimo.

Platnerus tamen, quam ſibi parum conſtaret, colligit deinde ex locis aliquot Guillelmi de Saliceto, Lanfranci, Bernardi Gordonii, & Johannis Anglici, ſive de Gadeſden, quæ indicat, „ extra dubium videri, longe antequam India occidua inventa eſt, ægri- „ tudines fuiſſe obſervatas, quibus nunc venerei, opprimuntur: Imo quod expreſſius eſt, ex iis „ quæ Chirurgus Anglus Beckett commentatus eſt in *Tranſactionibus Anglica-* „ *nis*, probari longe ante Columbi ætatem plures eorum qui vagæ veneri litarunt, mi- „ ſeris ejuſmodi morbis intabuiſſe, quibus hodie improbiſſimæ voluptates mulctari ſolent.

Unde concludit „ ſicut iis, qui lue venerea infecti ſunt, non ſolum in obſcœnis, „ ſed aliis quoque corporis locis frequentius tales fieri excreſcentias notum eſt, ſic et- „ iam verrucas illas, quæ Campanis luxurioſe viventibus in facie naſcebantur, cum „ noſtri ſæculi verrucis aliquam habuiſſe ſimilitudinem.

Nunc ſi ab erudito Viro, quem colo, diſſentire liceat, libere dicam 1°. Nimium urgeri allatum Horatii locum, ut *Morbus Campanus*, quem ſolus Horatius memorat, & de quo apud Scriptores ceteros Latinos altum eſt ſilentium, intelligatur de verrucis faciem deturpantibus, a quibus videntur quid omnino diverſum fuiſſe.

2°. Ex locis aliquot Medicorum, qui ante renatas literas ſcripſerunt, vel ex argumentis Guillelmi Becketti, colligi temere luem veneream in Europa antiquitus viguiſſe, morboſve ullos, qui luis venereæ vere congeneres fuerint.

3°. Licet hanc utramque aſſumptionem daremus, non ſequi illico ut *Morbus Campanus* Horatii, ſeu verrucæ Campanorum cum venereis noſtri ſæculi verrucis ullam habuerint ſimilitudinem multo minus ut eædem fuerint. Sed hæc fuſe ſuperius diſputata ſunt *Lib. I. Capp.* 3. 6. & 7. quæ conſuli poſſunt.

Johannes Honoratus Raiberti, (*b*) *Nicienſis*, *Philoſophiæ & Medicinæ Doctor*, *in Univerſitate Monſpelienſi Baccalaureus*, & *almæ*; hoc eſt, Romanæ *Urbis Profeſſor*. 1723.

Diſſertatio Medica de morbis venereis. Romæ, 1732. *in* 8. Plagulæ tres, ſeu pag. 48.

Scripſerat Auctor hanc Diſſertationem anno 1716. dum in Monſpeſſulana Academia Medicinæ ſtudio operam dabat, ſeu potius deſcripſerat ex ſcriptis Antonii Deidier, celebris in illa Academia Profeſſoris regii, in cujus verba jurare videtur, & Monſpeſſuli anno eodem excudendam curaverat, ut patet ex Epiſtola nuncupatoria, quæ præmittitur, ita ut Editio Romana, quam in manibus habeo, pro editione altera tantum habenda ſit.

I. Fatetur Auctor „ diram hanc luem in orbem Chriſtianum perveniſſe & ſævire „ cœpiſſe anno a Chriſto nato 1493. ſcilicet Neapolim obſidente Carolo VIII. Gallo- „ rum rege: Ex inſignis cujuſdam ſcorti dira impuritate hanc libidinis labem in Gal- „ lorum exercitum irrepſiſſe: Veriſimile interim videri morbum hunc Hiſpanos ex In- „ dia Occidentali in Europam advexiſſe, ceteriſque nationibus in obſidione memorata „ communicaſſe; „ quæ ſi non falſa ſunt, at certe non ſatis ſcrupuloſe narrata.

2°. Dictorum parum memor eos non refellit, „ qui aſſerunt hunc affectum eumdem „ eſſe ac Priſcorum Elephantiaſim, nec ignotum fuiſſe Hippocrati, Avicennæ ac Moy- „ ſi a quibus deſcriptus eſſe videtur; „ ſed quorum loca nulla profert.

3°. Aſſeverat morbum jam remiſſius ſævire quam olim. „ Si pari, *inquit*, atrocita- „ te ac celeritate morbus ille nunc graſſaretur, aut niſi certis, ut nunc fit, medicami- „ nibus profligaretur, actum eſſet intra pauca ſæcula de genere humano, vel ſaltem „ impares forent homines his rebus gerendi, quibus naturaliter continetur humana ſa- „ nitas. Dubium an mutato ſolo patrio, plantarum inſtar, mitigata ſit aut marceſcat. „ Hoc certum eſt eam in dies magis ac magis elangueſcere in Europæo ſolo. Recenter „ ad noſtros tractus ſive advecta, ſive nata, ſi quem aggrediebatur, contaminata mox „ tota ſanguinis maſſa, diris ſymptomatibus miſere cruciabat; „ quæ Auctor ille tran- ſcri-

(*a*) In Comment. in Horatium ann. 1611. Antuerpiæ editis. (*b*) Titulos illos ipſe ſibi adſcribit in fronte Operis.

ſcripſit, vel potius, cum neminem laudet, furatus eſt ex Sydenhamii *Epiſtola II reſponſoria* ad Henricum Paman.

4. Subjungit luem veneream „ a quinquaginta retro annis gonorrhœæ virulentæ ſpe„ cie ſe primum prodidiſſe. „ Næ optime video ea deſumpta eſſe ex eodem Sydenhamio, qui ſcribebat ipſe anno 1680. Luem veneream *gonorrhœæ ſpecie ſe primum oſtendiſſe centum retro annis*, ſcilicet anno 1580. in quo errabat quidem, cum certiſſimis compertum ſit Auctoribus gonorrhœam virulentam lui venereæ primum acceſſiſſe ante annum 1527. ac demum pervulgatam fuiſſe circa annum 1540. ſed non ſatis capio quo conſilio hæc in deterius mutata ſint, maxime ab Auctore qui multo tardius ſcribebat, nempe anno 1732.

5. Cenſet luem veneream vermiculis produci minutiſſimis, agillimis, ſemini & ſanguini innatantibus, quam opinionem ait in Facultate Monſpeſſulana propugnatam fuiſſe die 20. Julii anni 1713. Præſide ſcilicet Profeſſore laudato, qui eam tenebat.

6. Ut quod opinatur pervincat, tria adducit argumenta, „ 1. Quia veri dantur „ vermes venerei ex conſenſu D. Andri & auctoritate D. Hartſoeckeri: 2. Quia po„ ſitis ejuſmodi vermibus omnes venerei morbi multo facilius explicantur, quam in „ quacunque alia hypotheſi ad hunc uſque diem cognita: 3. Quia virus venereum ra„ dicitus extingui nequit, niſi per frictiones mercuriales, quibus omnis verminoſa „ proles funditus evertitur. „ Egregia profecto rationum momenta, quæ vel nullo nituntur fundamento, vel ſi admittantur, morbum quemvis vermiculis induci pari jure probatura ſint.

7. Venereos vermiculos vivos admittit tantum in ſemine virulento, in quo plerumque ſemimortuos eſſe conſtans eſt opinio: negat vero naturali ſemini, quod ceteris verminoſum creditur, ullos ineſſe. Ut hoc autem Paradoxum probet, abutitur obſervatione, ſeu potius conjectura quadam futili Philippi Verheyen, *Anathom. Lib.* 2. *Tract.* 1. *Cap.* 15.

8. Multis deſcribit pro modulo præparata varia mercurialia, quorum proceſſus nullibi non obvius, ut Æthiopem mineralem, Cinnabarin, Mercurium ſublimatum corroſivum, ſublimatum dulcem ſeu Aquilam albam, Panaceam mercurialem, Mercurium præcipitatum luteum ſeu Turpethum minerale &c. ſed hæc in oſtentationem proponi videntur, cum Auctor non cenſeat ea medicamina curandæ lui venereæ adhibenda eſſe.

9. Approbat tantum inunctiones ex unguento mercuriali legitime adminiſtratas: Sed putide adulatur Petro Chirac, qui tunc (anno 1716.) primarius erat Medicus Ducis Aurelianenſis, Procuratoris regni, cum ait „ prudentiſſimum illum Profeſſorem inſti„ tuiſſe, ut inunctiones adhibeantur partiales; imo ut interdum pro ægri ſtatu frictio„ nes intermittantur uno die, pluribuſve: „ Siquidem certo certius eſt utramque illam methodum a primis fere morbi temporibus a pleriſque Medicorum deſcriptam, laudatam, adhibitam fuiſſe. Quapropter deſinant tandem inventæ hujus methodi gloriam varii variis aſſerere, ut hic Johannes Honoratus Raiberti, Petro Chirac; Henricus Haguenot, Franciſco Chicoyneau; Medicus Anglus Anonymus in Epiſtola, quæ prodiit Londini anno 1738. Medicis Monſpeſſulanis in genere; Petrus Deſault, ſibi ipſi, niſi velint aut ignorantiæ aut adulationis, aut quod pejus eſt, utriuſque ſimul notam incurrere.

1732. AUGUSTINUS BELLOSTE, (*a*) Pariſinus, (*b*) natus anno 1654. (*c*) Chi-
1724. rurgiæ ſtudio operam aliquandiu dedit Lutetiæ, & deinde Caſtra ſecutus maximam Chirurgiæ, præſertim vulnerariæ, peritiam conſecutus eſt. In noſocomiis militaribus multis, maxime in iis qui in extremo Delphinatus fine conſtituta erant, primarii ſeu majoris Chirurgi munere cum laude functus fuit. Demum (*d*) anno circiter 1697. accitus a Maria Johanna Baptiſta de Sabaudia ex ramo Nemoſiaco, Duciſſa Sabaudiæ & matre Victoris Amedei, Ducis Sabaudiæ & deinde Regis Sardiniæ, primarii Chirurgi munus in ejus aula tenuit ad annum uſque 1724. quo defuncta eſt. Quo vero anno ipſe obierit nondum mihi compertum.

Chirurgus ille compoſuerat Tractatum chirurgicum, quem *Chirurgum Noſocomicum*, galli-

(*a*) Id ipſe teſtatur in *Præfatione* præfixa *Tom.* I. Chirurgi Noſocomici.

(*b*) Anno 1724. quo primum prodiit *Tomus alter Chirurgi Noſocomici*, ajebat *Pag.* 129. ſe tunc annos 70. natum eſſe. (*c*) In Præfatione *Tom.* I *Chirurgi Noſocomici*.

(*d*) Ait ipſe in *Epiſtola nuncupatoria* ad Victorem Amedeum, Regem Sardiniæ, *data* anno 1734. quæ præfixa eſt *Tom.* II. *Chirurgi Noſocomici*, ſe per annos 26. Sereniſſimæ Matris ejus Chirurgum primarium fuiſſe

gallice *le Chirurgien d' Hopital*, inſcripſit, in quo renovavit opinionem Cæſaris Magati, Ferrarienſis Medici, *de rara vulnerum tractatione, & turundarum abuſu*, quem edendum curavit Pariſiis ann. 1695. *in* 12. & qui ibidem iterum atque iterum impreſſus fuit.

Addidit deinde huic Operi Tomum alterum, cum hac inſcriptione:

> *Suite du Chirurgien d' Hopital*, *contenant differens Traitez*, du Mercure; *des Maladies des yeux & de la Peſte; des tumeurs enkiſtées; des boutons du viſage; des playes de Poytrine; des playes tortueuſes; des injections; du mot d' Eſcarre; de la chute de l' inteſtin dans le ſcrotum, du Sarcocele & Miſerere. Par* Auguſtin Belloſte, *premier Chirurgien de feu Madame Royale, Douairiere de Savoye.*

qui primum Lutetiæ Pariſiorum anno 1724. *in* 12. editus fuit, iterumque ibidem anno 1732. quam alteram editionem manibus verſo.

Diſſertatio, quæ prima occurrit in illo libro, & quæ *De Mercurio* inſcribitur, in eo tota verſatur, ut commendentur Pilulæ quædam mercuriales, quas Auctor venales habebat; quem ad finem tot ac tantas effutit ille ineptias, tot ac tantas congerit tautologias de Mercurio & Mercurii vi, energia, effectibus & agendi modo, ut res ipſa abunde indicet ea in illius intelligentiam minime cadere, & de illo jure dici poſſe *Ne Sutor ultra crepidam*. Abſit ergo ut ipſe velim hujuſce Diſſertationis minutiſſima conſectari; ſatis erit, ſuperque, ſi ſumma rerum capita indicavero.

I. Pilulas ſuas mercuriales affirmatiſſime aſſeverat valere adverſus luem veneream, peſtem, variolas, ſtrumas, carcinomata, rheumatiſmum, tineam, herpetes, ſkirrhos, arthritidem, polypos quoſvis, uno verbo remedium eſſe, ſi quod alterum, vere πάνχρηϛον.

II. Paſſim detrahit, quoad fieri poteſt, de hydrargyroſi, quam videt a pleriſque interno pilularum mercurialium uſui præferri. Vix autem credas quam inanes adhibeat argutias, ut quod molitur, conetur aſſequi: Contendit ſcilicet illitionum methodum ideo repudiandam eſſe.

1°. (*a*) Quod Mercurius, qui cuti illinitur, dum in vaſa ſubit, retrogradum agat ſanguinem, atque verſus cor vi repellat; quod commentum eſt, cum mercuriales atomi per ſpiracula cutis in venas lymphaticas penetrent pari ratione, ac per oſtiola inteſtinorum in lacteas venas, & inde pari prorſus modo devehantur in ſanguinem, cujus motui ſe præbent perinde ſequaces.

2°. (*b*) Quod Mercurius, qui cuti affricatur, nervos obvios pervadat, motumque ſpirituum influentium objecta mole ſufflaminet, unde frequens paralyſis. Quod commentum eſt, nulla nixum Obſervatione, & quod ſi valeret, in Mercurium ore exhibitum nihilominus militaret, quam in Mercurium cuti illitum.

3°. (*c*) Quod, ſicut venenum viperarum ora hauſtum non nocet, nocet vero morſu inſpiratum; ſic Mercurius ore exhibitus innocuus ſit, nocuus vero ſi cuti affricetur; Quod commentum eſt, cum utriuſque conditio plane diſpar ſit, nempe opus eſt venenum viperarum ne noceat, hebetari in ventriculo. At nihil opus eſt hebetari Mercurium, qui veneni expers eſt, judice ipſomet Auguſtino Belloſte: Adde, ſi qua foret in Mercurio virulentia, huic hebetandæ plane imparem futurum ventriculum, ut cujus efficaciam minime ſentiat Mercurius.

4°. (*d*) Quod corroſiva veneni venerei ſpicula cum Mercurio commixta in ſalivatione os inflamment; Quod malum leve eſt, & pro nihilo duci debet, modo tam facili tolerantia ex gravi morbo in ſanitatem venire liceat.

5°. (*e*) Quod Mercurius per cutim admiſſus cum ſanguine lymphave non circulet, neque adeo atterat ſpicula acida, quibus inficiuntur; Quod commentum eſt, ſed quo mirum eſt non advertiſſe Auctorem ſuam Mercurii ore exhibendi rationem non minus labefactari ſi valeret, quam noſtram illinendi Mercurii methodum.

6°. (*f*) Quod Hydrargyroſis probroſa ſit, laborioſa, difficilis, moleſta, periculi plena, qua, ſi urgeatur, veniant ægri in diſcrimen, qua, ſi lenius adhibeatur, non convaleſcant; Sed hæc inflatius amplificantur tum incommoda, tum pericula, omnia in majus augente partium ſtudio, vel præconcepto mentis errore.

7°. Demum (*g*) quod in hydrargyroſi commaculetur os, dum jugi diſtillat ptyaliſmo non ſine turpitudine maxima: Lepidam ſane rationem, quæ ſi valeat, exulabunt in poſte-

(*a*) Pag. 64. (*b*) Ibidem.
(*c*) Pag. 66. (*d*) Pag. 70.
(*e*) Pag. 72. 73. (*f*) Pag. 106.
(*g*) Pag. 107.

poſterum vomitoria omnia, neque jam licitum erit Phthiſicisve pus, vel Hæmoptoicis cruorem excreare, ne oris dignitatem polluere videantur.

III. Probat hæc igitur argumentorum futilitas Auguſtinum Belloſte, ſin minus ad improbandam hydrargyroſim lucelli cupiditate impulſus fuerit, ut vileſcente ea methodo carius venirent pilulæ ſuæ, quem dolum de nemine velim temere ſuſpicari, at ſaltem concepta ſemel opinione ita imbutum fuiſſe, ut veritatem videre non potuerit mente ſatis liquida.

IV. Incaſſum autem ab illo ſperaveris compoſitionem harumce pilularum, quas tam impenſe laudat & ad omnes fere corporis morbos valere ait. Quin potius nihil magis cavet ille, quam ne illam retegat. Sentit quidem ſilentium ſuum ſibi vitio verti poſſe, ſed ut culpam amoliatur vel minuat, inopem familiæ ſuæ conditionem cauſatur, quam iniquitate temporum fortunis omnibus everſam eſſe quæritur, & quam ſperat ſuſtentatum iri pilulas ſuas venditando.

V. Non diffitetur tamen pilulas ſuas ex Mercurio crudo conſtare: Addi vero ſimul cathartica, quæ alvum blande moveant; ex quibus liquet pilulas illas a pilulis Barbaroſſæ, de quibus ſæpius parum abluſiſſe, ſi non & eædem fuerint. Fama eſt, quod tamen ipſe non præſto, compoſitas eſſe ex ſequente formula.

℞. *Mercurii vivi e Cinnabari reviviſcati* ℥ j.
Jalappii tenuiſſime triti j.
Aloes Succotrinæ)
Scammonii) ana ℥ ß.
Extracti Rhei)
Agariſci trochiſcati ʒ ij.

M. *cum ſ. q. mellis Narbonenſis, f. Maſſa dividenda in pilulas* gr. vj. *Doſis a* ℈ j. *ſive pilulis* jv. *ad* ʒ ß, *vel* ℈ ij. *hoc eſt ad pilulas* vj. *vel* vjjj.

VI. At vero qualitercunque compoſitæ fuerint, cave credas promiſſæ impleturas eſſe ullo modo, aut bonos illos habituras eſſe ſucceſſus, de quibus Auctor gloriatur: Quippe compertiſſimum eſt quantum deducendum ſit de magnificis eorum pollicitationibus, qui arcana prædicant venalia, de quibus ſe ipſos fruſtrantur ſæpe, certe de quibus conantur alios ſemper fruſtrari.

VII. Auctore mortuo, væneunt jam eædem pilulæ apud Auctoris hæredes, quaſi Panacea ad omnes corporis affectiones efficax; in quo mirari ſubit quod a cordatis viris pilulæ ædem proponantur nullo diſcrimine ad omnes morbos, & omnes morbi ſpecies, in omni ætate, temperamento, ſexu & omni regionis climate, quo nihil in medicina facienda inconſideratius, damnoſius nihil eſſe reor. Sed quid cum illis agas, quibus *lucri bonus odor ex re qualibet*.

1732. 1736. Franciscus Balthazar von Lindern, Buxovillanus, Medicinæ Doctor & Practicus Argentinenſis,

Speculum Veneris, *oder* Venus *Spiegel*, *vorſtellend wie die* Venus *Kranckheiten uberhaupt*, *wo kein* Medicus, *noch* Chirurgus *zu gegen im fall der noth ein jeder fur ſich ſelbſten curiren auch die ſonſt gewohnliche* Salivations *cur gantz leicht ohne einige gefahr verrichten* kan. Strasburg, 1732. *in* 8.

Id eſt, *Speculum Veneris, indicans methodum qua quiſque in omnibus morbis venereis, in caſu neceſſitatis, abſente & Medico & Chirurgo, ſibimet mederi, & conſuetam curationem ſalivatoriam levi modo & abſque periculo inſtituere poſſit*. Argentorati. 1732. *in* 8.

Poſtquam Auctor Capitibus viginti tribus de affectibus venereis localibus & eorum curatione prolixe egit, tandem duobus poſtremis Capitibus de lue univerſali differit, & quomodo curatione ejuſdem ſudatoria ac ſalivatoria inſtitui debeat exponit.

Hactenus bene, ſed addit tribus ultimis Libri paginis Mercurium ita a ſe præparari, ut ſine diſcrimine ullo omnibus interne exhiberi poſſit tuto, ut qui deinceps vel per blandam ſalivationem, vel per diaphoreſim, vel per diarrhœam tuto operetur. De modo vero illo Mercurium ſuum præparandi altum tenet ſilentium, quod in Auctore vix probare poſſum, utpote quod a vulgatis Circulatorum lenociniis & myſteriis non ſatis abludat.

Dicitur liber ille auctior iterum typis excuſus fuiſſe anno 1736. Argentorati, ſed hanc alteram editionem nondum uſurpare datum eſt.

1732. Jacobus Fourneau, Doctor Medicus.

Otto Casimirus Barfecnecht, Coeslino-Pomeranus.

Quæ-

Quæſtio Medico-Chirurgica, quodlibetariis diſputationibus mane diſcutienda.... die Jovis 6. Martii, MDCCXXXII. M. Jacobo Fourneau, *D.M.Præſide*. An tutiores, frictionibus ex Mercurio, jucundioreſque viæ ſint ad profligandam luem veneream?

Concluſio affirmat; Auctor, exaggeratis in theſeos contextu incommodis & infortuniis hydrargyroſeos, ait „ præmiſſis venæ ſectionibus, balneis, humectantibus, purganti„ bus ex Mercurio arte parato, aliiſque remediis rite adhibitis, venenum tandem de„ poni a ſanguine;.... prædictis ſapienter miniſtratis medicaminibus, junctiſque dia„ phoreticis, & diureticis virus integre extrudi : „ Quod ne de recente quidem lue venerea ſatis verum eſſe puto; quod falſum eſſe puto; quod falſum eſſe ſcio de inveterata.

Proponebat Pariſiis Otto Caſimirus Barfecnecht, *Coeslino-Pomeranus*. A. R. S. H. 1732. *Typis Quillau*.

J.... S.... Anglus Chirurgus. 1732.

A Mechanical Diſſertation on the Lues Venerea, *proving the certainty of curing that Diſeaſe without ſalivation, by J.... S.... Surgeon*, 8°.London.1732.

Id eſt, *Mechanica Diſſertatio de lue venerea, qua probatur certam eſſe morbi illius curationem ſine ſalivatione. A J.... S.... Chirurgo*, in 8. Londini, 1732.

Liber ille in manus meas nondum venit.

PETRUS DESAULT, Arzacenſis in Diœceſi Adurenſi prope Benearnos, in Collegium Medicorum Burdigalenſium aggregatus fuit anno 1704. Abhinc medicinam fecit cum laude Burdigalæ, & illam in Academia ejuſdem Civitatis fiduciario jure profeſſus eſt annis 1711. 1712. & 1713. quandiu locus profeſſorius vacuus fuit. Deceſſit anno 1737. annos natus 62. 1733.

Scripſit, ediditque Burdigalæ anno 1733. Tractatum ſequentem.

Diſſertation ſur les Maladies Vénériennes, contenant une méthode de les guérir ſans flux de bouche, ſans riſque & ſans dépenſe. A Bourdeaux, *chez N. & J. de la Cour*. 1733. *in* 12.

Adjectæ ſunt ad calcem duæ aliæ Diſſertationes, altera *de Rabie*, altera *de Phthiſi*.

Hic Auctor, qui certe valet ingenio, nec indiligens eſt rerum medicarum ſcrutator, videtur tamen in Medicinæ Hiſtoria nimium hoſpes.

1°. (*a*) Contendit luem veneream antiquitus cognitam fuiſſe, & veneri vulgivagæ coævam eſſe, contra quam a plurimis demonſtratum fuit.

2°. (*b*) Conatur aſtruere luem veneream a vermiculis venereis produci, qui partes, in quibus hoſpitantur, rodant & depaſcantur; qua in re vidimus ſupra virum eruditum Antonium Deidier jam illi præluxiſſe, ut Deidierio Abercrombyum.

3°. Demum (*c*) tanquam novam proponit methodum curandorum morborum venereorum hydrargyroſi intercalata, adhibendo ſcilicet inunctiones mercuriales per intervalla, & ptyaliſmum, ſi quis cieatur, cathartico identidem ſupprimendo; quæ tamen methodus a primis morbi venerei temporibus nota fuit. Qua de re vide hujuſce Operis *Lib. II. Cap.* 7.

Paucula hæc in priore hujus Operis editione notaveram de Libro Petri Deſault parce ſane, & niſi me fallo, reſtricte etiam. Iis tamen ille ſe læſum ratus ſcripſit in me plenam amaritudinis epiſtolam, quam affixit ad calcem Diſſertationis Gallicæ *de Calculo renum & veſicæ*, typis impreſſæ Pariſiis anno 1736. & in qua conatur objecta cavillationibus diluere, ſed quod iis, quos rationes deſtituunt, ſemper in promptu eſt, in qua laborat mordacibus dictis me diſtringere. At ſurdo cecinit; neque enim quidquam mutandum aut reponendum eſſe duco: Inde tantum certius concludo, quod jam ſubolfeceram, Auctorem illum, cum de quæſtione medica diſputat, ſimilem iis eſſe, *qui litigant in foro alieno*.

Porro autem, ne quis Auctoris illius ſtylo, qui decretorius eſt & confidens, in errorem inducatur, Lectorem monitum volo, quod de defuncto licere arbitror, quoniam quæ dicturus ſum, illi jam nocere non poſſunt, poſſunt vero iis qui vivunt, prodeſſe, Petrum Deſault, ne in rebus quidem maxime dubiis opinatorem unquam fuiſſe, ut cordatum Medicum plerumque decet; ſed confidenter & affirmatiſſime ſemper locutum eſſe, ut

(*a*) Part. 1. Chap. 3.
(*b*) Part. 2. Chap. 2.
(*c*) Part. 2. Chap. 1. & ſuivans.

ut moris eſt Circulatorum, quorum partes videbatur ille interdum agere, non dolo tamen impulſus, ut ii ſolent, ſed falſa ſcientiæ perſuaſione inductus. Somniabat enim quidquid volebat, ut olim de Sabinis vulgaris parœmia ferebatur, & quidquid ſomniaverat, id habebat illico pro certo & explorato. Hinc ortæ Therapeiæ illæ Hydrophobiæ, Phthiſeos confirmatæ, Calculi renum & veſicæ, Podagræ inveteratæ, Luis venereæ, aliorumque hujuſcemodi monſtrorum morbi, quas celebravit ille quaſi certas, abſolutorias, indubitatæ virtutis, & quas, ſi periculum feceris, nullius efficaciæ experieris.

1734. Henricus Haguenot, Monſpeſſulanus, in Academia patria Doctoris inſignia (a) impetravit anno 1706, Doctor Aggregatus in vicem Patris electus fuit anno 1709, inter Profeſſores locum habuit anno 1715, publici juris fecit Schedulam ſeu Diſſertatiunculam de methodo nova curandæ luis venereæ, cum ſequente inſcriptione:

Mémoire contenant une nouvelle Methode de traiter la Vérole.

A Montpellier, 1734. *Pagg.* 20. in 8.

Huc redit Methodus illa nova, ut balneatio in aqua leviter calida, qualis vulgo ante inunctiones, eadem per ipſam inunctionum adminiſtrationem uſurpetur. Scilicet præmiſſa tantum venæ ſectione & purgatione ad hydrargyroſim properandum eſt; & prima ſtatim die, poſtquam æger e balneo, in quo ſederit per horam integram, egreſſus & exſiccatus fuerit, deſtinata corporis loca more ſolito unguento mercuriali inungenda, quæ ambo altera vel tertia quaque die pari ordine iteranda ſunt per menſem unum & amplius, niſi imminens ſalivatio, vel gravior quidam caſus prohibuerit.

Inde ait Auctor utilitates non leves manare, 1°. Sanguinem dilui & temperari, laxatoque partium ſolidarum tono immodicos erethiſmos præcaveri, nimiamque Mercurii vim retundi.

2°. Perſpirationem per inconſpicua cutis ſpiracula intendi, ut liquet ex *Aphoriſmo* 25. *Midicin. Static. Britannic. Johann. Keill*, unde fit ut non deſint, qui in ipſa variolarum eruptione difficiliore balnei calidi uſum impenſe laudent.

3°. Utroque illo nomine uſu balnei ptyaliſmum efficaciſſime declinari; quin imo ſi jam illatus eſſet, celerrime reprimi; atque adeo propoſitam illam methodum novam antiquiori plurimum præſtare, ut quæ pari ſucceſſu minorique noxa morbo medeatur.

I. At vero dubitari poteſt an ea methodus nova ſit. Certe conſtat uſum balnei tepidi in ipſo hydrargyroſeos ſtadio ab Antiquioribus quibuſdam Scriptoribus pridem indicatum fuiſſe, non modo a Johanne Almenar, Hiſpano, qui in *Tract. de Morbo Gallico*, *Cap.* 4. auctor eſt ut die qualibet loca corporis Mercurio illita decocto radicum althææ tepide foveantur, & a Jacobo Cataneo de Lacu Marcino, qui *Tractat. de Morbo Gallico*, *Cap.* 6. *Balneum, quantum propoſito ſuo conducit, tripliciter* diſtinguit; *Unum præparativum: ... Aliud prohibitivum, ut in hora operationis pharmaci... & in tempore, quo frictiones exercentur: Tertio modo ſumitur balneum ut perficiens, ... cum adminiſtratur poſtquam ceſſavit operatio pharmaci*. Sed expreſſius a Johanne Benedicto, qui *Libelli de Morbo Gallico Capite* 4. jubet ægrum per ſex dies ſyrupum alterantem, ut de fumo terræ, de bugloſſo, de epithymo &c. quotidie *ſumere: tertia die* inungi: ſexta purgari *ſolutiva Medicina ea intentione, ut materia quæ deberet pelli ad os, ne fiat nocumentum in ore, per loca inferiora ducatur*. Deinde interpoſitis nonnullis quæ non ſunt hujus loci, ſic pergit. *Intentio quinta, quæ die ſequenti poſt purgationem, omnibus videlicet ſex diebus reiteranda eſt, fiat cum balneatione aquæ dulcis, in qua bulliant herbæ infra poſitæ aut ſimiles, fumus terræ, lapatium acutum, biſmalva, camomilla, melilotum, roſæ, violæ: Ad hoc ſequetur humectatio, quæ maxime in hoc morbo requiſita eſt*. Demum omnium diſertiſſime a Nicolao Maſſa, qui *Lib.* 4. *de Morbo Neapolitano*, *Cap.* 4. narrat *quoſdam eſſe, qui omnes indifferenter poſt unctionem cum balneo, in quo præcipiunt ægro ſudare, totum corpus lavant*, quod ille contendit *eſſe penitus contra intentionem dictæ curæ, quoniam per unctionem diriguntur humores, qui ſparſi per totum corpus natura regulari non poterant, ad vias proprias evacuationis naturæ notas, quæ quidem evacuatio . . . . . reſolvit virtutem: Et balnei operationes ſunt in primis humores, qui in profundo totius corporis conſiſtunt, per totum corpus liquefacere, & reſiduum caloris ex evacuatione depopulati ſua caliditate reſolvere aut ſpargere, qui poſtea ſunt minus potentes ad cor-*

(a) Ex Actis Facultatis Medicæ Monſpeſſulanæ.

poris operationem. . . . . . Unde concludit *iſtis rationibus ductum ſe nullum poſt unctionem balneum facere, ſed ipſum cum linteamine ſive ſudario abſtergere præcipere*.

II. Sed quid opus eſt in hujuſce methodi antiquitatem anxie inquirere? Si olim uſu recepta fuit, certe jam dudum in deſuetudinem abierat. Profuit ergo eam renovari, ac experimentis iterum confirmari, cum utilitatem minime ſpernendam afferre quandoque poſſit ad curandos ægrotantes illos, qui exſucci, emaciati, bilioſi, melancholici, hypochondriaci ſunt, & in quibus periculum eſt, ne humorum acrimonia, ſtaminumve tendineorum ariditate, immoderati partium eretiſmi, ſanguinis in circulando ataxiæ, aut abnormes humorum decubitus inferantur.

III. Porro tamen cavendum, ne Mercurii vis funditus perdatur, dum reprimi creditur. Scilicet hac ætate plerorumque Medicorum conſilia in id conſpirare videntur, ut modis omnibus caſtrent Mercurii energiam, quam pavidi reformidant, ne dicam horrent; quaſi vero nulli darentur limites, quos infra remedii illius efficacia curandæ lui venereæ impar fieret. Jam minima unguenti mercurialis doſis ad inunctionem unamquamque adhibetur; jam inunctio tertia vel quarta tantum die iteratur; jam data opera extergitur unguentum illitum, quod poſt frictionem in cute ſupereſt; jam admiſſi Mercurii pars interjectis identidem catharticis præpropere eliminatur. Necdum tamen ſatis; Nunc proponitur iterati balnei uſus, quo illiti Mercurii pars maxima a cute detegitur, quo pacato ſanguinis orgaſmo ejuſdem efficacia notabiliter infringitur. Expecto dum accedat alius, a quo narcotica præſcribantur, in quæ ſentio nonnullorum vota inclinare, & quibus conſtat vim Mercurii magis magiſque debilitandam eſſe. Quid inde porro futurum? Nempe ut operoſe nihil agatur, & ut Mercurius, remedium natura efficaciſſimum & potentiſſimum, tot vinculis atque repagulis coercitus, iners tandem fiat ac debellandæ luï venereæ plane ineptus.

IV. Profecto mirari ſubit Medicorum inconſtantiam, & ſi cum Quintiliano loqui liceat, *inconſequentiam*. Norunt illi nec pituitam a ventriculi parietibus emetico excundi poſſe ſine nauſea & cardialgia nec cacochyliam ab inteſtinis cathartico deradi ſine torminibus. Putantne virus venereum, quod natura tam ferum eſt, quod univerſis corporis partibus altiſſime inſedit, quod omnes humores penitiſſime contaminavit, ſine dolore, ſine labore, ſine noxa corrigi, deſtrui, exterminari poſſe?

V. Sunt præterea in eadem Diſſertatione alia quædam, quæ videntur haud ſatis recte dicta.

1°. Credit Auctor *Pag. 2.* Inunctiones *quotidianas*, ſed *partiales*, a Carolo Barbeirac, celebri ætatis ſuæ practico; Et *diſcretas* ac interpoſitis aliquot dierum induciis iterandas a Franciſco Chicoyneau, Archiatrorum Comite, in uſum medicum primo inductas fuiſſe; cum tamen certo conſtet utramque illinendi Mercurii methodum jam a ducentis annis, atque adeo a primo natæ luis venereæ tempore & notam & uſurpatam fuiſſe, qua de re vide ſupra *Lib. II. Caput 7.*

2°. Ait *Pag. 7.* ſalivationem maximum curationi luis venereæ impedimentum afferre, unde in Diſſertatione ſua totus in eo eſt, ut ſalivationi obviam eat. Contra vero ſupra probatum fuit nulla opera certius quam ſalivationis motu cognoſci poſſe, an Mercurius in ſanguinem agat, agatque ea vi, qua opus eſt ad morbi curationem; unde liquet ſalivationem unicam eſſe hydrargyroſeos Cynoſuram, qua duce ad optatum portum appellere valeamus, qua de re vide ſupra *Lib. II. Cap.* 11.

3°. Concedit ægrotantibus, *Pag.* 10. & 11., ut in ipſo hydrargyroſeos ſtadio ſuis fungantur officiis, ac libere divagentur. Haud nego equidem in regionibus calidioribus id aliquoties ſine damno tentatum, at vero nego tentatum unquam ſine periculo. Quocirca nollem abuſum, qui vix unquam diſſimulari debet, in communem normam & præſcriptionem proponi; qua de re vide ſupra *Lib. IV Cap. 9. §. 1.*

4°. Denique putat nec carnium, nec vini uſum ex toto ægrotis circumcidendum eſſe, ne illo quidem tempore, dum alternis diebus inunguntur Mercurio, & lavantur balneo; imo quod maximum eſt, dum utuntur lacte quotidiano. Sane haud inficias ivero hæc omnia ſimul ſine noxa aliquando ab iis tolerari, qui ſtomacho feliciſſime valent: Sed cum rara non ſint artis, facilitatem illam ceu nimiam improbo, ac ſalutarem ſeveritatem deſidero, a qua decet ſedulum Medicum nunquam deſciſcere.

Ceterum exaggeratam illius methodi utilitatem non parum elevat ſequens Obſervatio, quam a Salvatore Morand, Chirurgo peritiſſimo, nuperrime accepi. Ille enim experiundi gratia, ut artis ſuæ ſtudioſiſſimus eſt, militibus ſex lue venerea infectis in Regio

Invalidorum Militum Hoſpitio hydrargyroſim hoc ipſo vere (1736) adhibuit, tribus quidem methodo recentiore quæ ab Haguenotio proponitur, tribus aliis vero antiquiore methodo; ſed ſingulis eodem tempore, eodem unguento mercuriali, eadem unguenti doſi, eodem frictionum numero, eodem temporis intervallo, ut omnia utrimque paria eſſent. Quid tum? Speras forſan ptyaliſmum iis defuiſſe, qui recentiore; adfuiſſe contra iis, qui antiquiore methodo inungebantur, ſed falleris. Ex tribus qui balneationes cum frictionibus alternabant, duo ptyaliſmum & gravem & diuturnum experti ſunt. Ex totidem vero, qui a balneis abſtinebant, unus tantum ptyaliſmum, ſed levem, ſenſit. Ceteroquin omnes perinde convaluere utraque methodo. Adeo verum eſt quod jam centies, necdum tamen ſatis dictum puto, in tam multiplici variarum cauſarum ſyndrome, quæ ſingulæ in diverſis ſuo quæque modo ad ptyaliſmum inducendum efficacitatem conferunt, unum id certum eſſe, *omnia* ſcilicet *eſſe incerta*, atque adeo nulli methodo unquam nimium confidendum eſſe, ſed ut in re ſemper dubia & periculoſæ plena aleæ, Medico qui πωλλῶν ἀντάξιος ἄλλων eſſe cupit, diligentiſſime cavendum atque providendum *Ne quid nimis*.

1734. ALEXANDER CAMERARIUS, Tubingenſis, Rudolphi Jacobi filius, & Eliæ Rudolphi nepos, Medicinæ Doctor, Theoriæ & Praxeos Profeſſor publicus in Academia patria, Academiæ Cæſareæ Naturæ Curioſorum aggregatus.

JULIUS FRIDERICUS BREYER, Stuttgard-Wurtembergenſis.

Diſſertatio Inauguralis Medico-Chirurgica ſiſtens Ophthalmiam veneream, & peculiarem in illa Operationem, *quam* . . . . *Præſide* Alexandro Camerario, ... *pro ſummis in Medicina honoribus & privilegiis doctoralibus legitime capeſſendis publico examini ſubjicit* Auctor, Julius Fridericus Breyer, *Stuttgard-Vvurtembergenſis, die . . . Junii anni MDCCXXXIV.* Tubingæ, *literis Rœbelianis*. in 4.

Theſis illa in duo Capita dividitur: *Primum*, in quo *de Ophthalmia* in genere: *Alterum*, in quo *de Ophthalmia venerea*. Ad argumentum quod tractamus, pertinet poſterius, cujus ideo brevem analyſim proponemus.

Auctor 1°. contendit (*a*) Ophthalmiam veneream ab Aphrodiſiacis Scriptoribus prætermiſſam fuiſſe, " ſi ſequentes excipias Auctores, (*b*) Antonium Muſam Braſſavolam, (*c*) „ Bernhardum Tomitanum, (*d*) Proſperum Borgarucium, (*e*) Alexandrum Trajanum „ Petronium, (*f*) Johannem a Stephane, & recentiorem (*g*) *Sainct Yves*, qui morbum „ vel ſolum nominarunt, vel illum haud exacte deſcripſerunt.

2°. Opinatur (*h*) cum Boerhaavio luem veneream, quæ Ophthalmiæ venereæ cauſa & fomes eſt, " ſedem habere propriam in cellulis membranæ adipoſæ cuti ſubjectæ, in quibus illius virus hæret, obviæ pinguedini immiſcetur, quæ tanquam materia maxime „ viſcida venenum retinet, calore fovet, & mora magis magiſque malignum & quaſi „ corroſivum reddit: „ Quod commentum conatur aſtruere adductis Boerhaavii argumentis, de quibus vide ſupra *ad annum* 1728.

3°. (*i*) Diſtinguit Ophthalmiam veneream, in *Symptomaticam*, & *Metaſtaticam*. *Symptomaticam* appellat „ illam, quæ a morbo venereo tanquam a cauſa producitur, ita tamen ut morbus ipſe & materia virulenta non mutent locum & ſedem: „ De qua actum eſt ſupra *Lib. III. Cap. 3.* §. 3.

4°. (*k*) Cenſet „ non eſſe quod miremur, quod lues venerea Ophthalmiam veneream „ cauſare poſſit, ſi tantum paulo accuratius conſideremus conſenſum illum inter ocu„ los, & abdominis, reliquique corporis viſcera, quam a nervis, eorumque ramificatio„ nibus oriri certum eſt, uti etiam docuerunt (*l*) Georgius Erneſtus Stahl, (*m*) Fri„ dericus Hoffmannus, (*n*) *b. m.* Elias Camerarius, aliique; „ Et quem putat Auctor acceptum referendum eſſe *Nervo Sympathetico magno*, ſeu ut vulgo appellatur, *Nervo Intercoſtali*: Sed cum conſtans ſit Anatomicorum opinio tenuiſſimas nervorum fibrillas, tota longitudine a cerebro ad partes uſque quibus inſeruntur, invicem diſcretas eſſe, & cum probet

(*a*) §. 1.
(*b*) Aphrodiſiaci Luiſini, *Edit. Lugd. Batava*, *Pagg.* 665.
(*c*) *Ibid.* Pag. 1053.
(*d*) *Ibid.* Pag. 1125.
(*e*) *Ibid.* Pag. 1225.
(*f*) Obſervat. Medicar. *Decad. VII. Centur.* 5.
(*g*) Traitè des Maladies des Yeux, *pagg.* 187. & 209.
(*h*) §. 3. & 4.
(*i*) §. 8. (*k*) §. 11.
(*l*) Diſſert. *de conſenſu partium*.
(*m*) Medic. rational. ſyſtem. *Tom.* III. *Sect.* 1. *Cap.* 5.
(*n*) Syſtem. Cautel. Medic. *pag.* 155.

probet experientia partes non paucas, inter quas nulla intercedit nervorum communio; ſympathicas eſſe inter ſe; contra vero alias, qui nervos habent ab eodem trunco, ſympathia omni deſtitui, pronum eſt inde colligere partium ſympathiam non ex nervorum communione repeti poſſe, ſed aliam eſſe illius conſenſionis cauſam, cujus inveſtigandæ non eſt hic locus.

5°. Recte ſentit, (*a*) cum affirmat Ophthalmiam veneream ſymptomaticam non curari, niſi curata prius lue venerea, qua fovetur; ſed circa methodum medendi lui venereæ bis errat a vero: *Semel*, dum putat cum Balthazare de Lindern, Med. Doct. & Practico Argentoratenſi, de quo ſupra *ad annum* 1732, " mercurialia extus applicata peſſima ſæ-,, pe generare ſymptomata: ,, *Iterumque*, dum credit cum Boerhaavio Mercurium non in omnibus luis venereæ ſpeciebus optatum & malo parem edere effectum, maxime in tertio luis venereæ gradu, hoc eſt, cum oſſa carie tentantur, ſed tunc ad methodum Huttenianam exhibendi Decoctum Guaiaci confugiendum eſſe.

6°. (*b*) Definit ,, alteram Ophthalmiæ venereæ ſpeciem Metaſtaticam, materiæ viru-,, lentæ ex partibus genitalibus in oculum tranſpoſitionem & aggregationem, quæ vel ,, *plenaria* eſt, ubi ſcilicet omne virus ex partibus genitalibus in oculum tranſponitur, ,, vel *minus plenaria*, ubi aliqua tantum pars tranſponitur: ,, Unde liquet ab illo, Ophthalmiæ venereæ metaſtaticæ deſcribi Ophtalmiam gonorrhoicam, de qua ſupra fuſe, *Lib. III. Cap.* 3. §. 3.

7°. Vult (*c*) ,, huic metaſtaſi in genere, & in ſpecie ad oculos anſam præbere 1°. ,, Remedia repellentia & adſtringentia præmature & præpoſtere adhibita interne & exter-,, ne: 2°. Oculorum ſtructuram vaſculoſam: 3°. Continuum fere laborem oculorum & ,, omnibus aeris mutationibus expoſitionem: 4°. Frequentes antegreſſas Ophthalmias: ,, & hactenus ſatis recte, ſed quibus addit minus vere *communicationem & concurſum nervorum oculi cum nervo ſympathetico magno*, quam ad illam metaſtaſim nihil prorſus conferre modo dicebamus.

8°. Indicat (*d*) aliquot " exempla metaſtaſeos in gonorrhœa virulenta ad alia præter ,, oculos loca, de quibus ait evolvendos eſſe (*e*) Zacutum Luſitanum, (*f*) Johannem ,, Willis, (*g*) Rudolphum Huberum, (*h*) Fridericum Hoffmannum, alioſque.

9°. Statuit (*i*) morbum " illum eſſe periculi pleniſſimum, quia materia venerea in ,, oculis collecta acrimonia ſua & maligno charactere brevi expanſiones tendineas & ſcle-,, roticam membranam exedit & perforat; . . . . Nec hic morbus tantum temporis per-,, mittit, ut materiam vel corrigas, vel ad alias derives regiones; & niſi feſtinante ma-,, nu Chirurgi ſtagnanti huic veneno exitus paretur, certo certius æger non ſolum amittet ,, viſum, & illius organum, ſed malum latius ſerpens etiam Nervum Opticum invadet, ,, ſicque cephalalgias intolerabiles, abſceſſus cerebri, omnemque tragædiarum ſcenam ,, producet: ,, Quæ prognoſis luctuoſa quidem, ſed vera tamen, protendit, ſi abſceſſus cerebri excipias, quos Ophthalmiæ gonorrhoicæ ſucceſſiſſe nondum obſervatum eſſe ſcio.

10°. Ad curationem (*k*) ait operatione cita opus eſſe, qua " Chirurgus lanceola ,, Chirurgica conjunctivam tunicam propæ corneæ tranſparentis marginem circularem in-,, cidit, & exitum virus parat, quam inciſionem tandiu in circulo quaſi continuat, do-,, nec nulla amplius infarcta hæreat virulenta materia: ,, Quod tamen vix ſufficit in Ophthalmia gonorrhoica graviore, in qua neceſſum eſt conjunctivam morboſam non incidere modo, ſed etiam penitus exſcindere, ut alibi diximus *Lib.* 3. *Cap.* 3. §. 3.

11°. Ad Operis calcem adjectæ ſunt Obſervationes III, quarum duæ priores probant Ægros duos, qui metaſtatica Ophthalmia laborabant, cura & manu N. Helwing, Chirurgi & Ophthalmiatri Argentoratenſis, feliciter perſanatos fuiſſe: In tertia & poſtrema res ceſſit minus proſpere, ægraque viſu orbata fuit, quoniam Chirurgus ille accitus fuit tardius, cum jam nullus opiferæ operationi locus eſſet. Ex quibus liquet N. Helwing & morbi illius naturam, & modum operationis, quæ ad morbum facit, callere, non levi argumento ſuæ in Chirurgia ocularia peritiæ.

(*a*) §. 13. (*b*) §. 16.
(*c*) §. 19. (*d*) §. 20.
(*e*) Praxeos Medic. admirab. *Lib.* 1. *Obſervat.* 105. De aphonia ex retenta gonorrhœa virulenta; Et *Lib. II. Obſerv.* 127.
(*f*) De medicamentorum Operat. *Part.* II. *Sect. I. Cap.* 5.
(*g*) Diſſertatio Inauguralis, de qua ſupra ad *annum* 1713, ubi *de Rudolpho Hubero*.
(*h*) Syſtem. Pract. Medic. *Tom. III. Sect.* I. *Cap.* 8.
(*i*) §. 21.
(*k*) §. 22.

Quod ad ipſum Theſeos Auctorem, probe ſentio illum hac de re ea tantum referre, quæ datum illi fuit obſervare beneficio Chirurgi ocularii, de quo modo; at vero lubens fateor pollere eum & ingenio & eruditione, & meliora, imo optima, quondam ab illo expectanda eſſe, ubi ſemel ſuis edoctus experientiis & obſervationibus, ſuo nomine judicaturus eſt, & auſurus in verba Magiſtrorum minus religioſe jurare.

1735. JULIANUS OFFRAI, dictus DE LA METTRIE, Macloavienſis, Doctor Medicus, Latinam Hermanni Boerhaavii Præfationen *de Morbis Venereis*, quæ *Aphrodiſiaco* præfixa eſt, in Gallicum vertit; huic Diatribam de eodem argumento a ſe conſcriptam, ac Diatribæ ſuæ Antelogium ſive Proloquium præpoſuit, atque tria illa ſchediaſmata in unum collecta excudenda curavit cum inſcriptione ſequente:

Syſtême de Monſieur Herman Boerhaave ſur les Maladies Vénériennes, traduit en François par Monſieur de la Mettrie, *Docteur en Médicine, avec des Notes & une Diſſertation du Traducteur ſur l'origine, la nature & la cure de ces Maladies.* Paris, *in* 12. 1735. Pagg. 213.

Hic quidem omittimus ex toto Præfationem Boerhaavii, cujus mentio ſupra facta eſt De Diatriba vero ab ipſo de la Mettrie ſcripta, & in *Capita IV.* diſtributa afferemus perpauca. In illa ſane occurrunt plurima non inſcite dicta, quorum pleraque tamen ſibi neque conſtant, neque cohærent, ſed inconſequentia & quaſi fortuita eſſe videntur.

Statuit *Cap. I.* ubi de origine morbi inquirit, luem in Europa non prius obſervatam fuiſſe, quam (*a*) exeunte *ſæculo XIV*, ſeu, ut verius diceret, *ſæculo XV*: Primum infeciſſe Hiſpanos, quod verum eſt, & (*b*) *Luſitanos*, quod falſum: in Africa (*c*) *endemiam* eſſe; quod veriſimile videtur, & inde in Americam, unde in Europam dimanavit, (*d*) *mancipiorum deportatione* traductam fuiſſe, quod in apertam rei veritatem pugnat, cum certum ſit ex Africa mancipia nulla in Americam devecta fuiſſe, niſi longo poſt vulgatam in Europa luem veneream intervallo: (*e*) *Van Helmontium* fabulæ de Origine luis venereæ ex coitu Leproſi cum Meretrice *aſſentiri*, quod forſitan de Paracelſo dici poteſt, at de Helmontio minime, quem vidimus ſupra opinionem non minus quidem commentitiam, ſed plane diverſam ſecutum fuiſſe.

Demum *Cap. IV.* ubi de gonorrhœa virulenta in viris, 1°. Rejicit circa illius therapejam (*f*) remedia *temperantia*, *refrigerantia*, *anodyna*; admittit vero tantum purgantia (*g*) *mochlica*; *draſtica*, *hydragoga*, ſæpius iterata, ut Diagridium, Jalappium, Reſinam Jalappii, imo vero (*h*) *Turpethum minerale ad gr.* iv, in quibus peccat ex utraque parte.

2°. Injectiones in urethram a Guillelmo Cockburn decantatas parum ipſe (*i*) approbat, & a Boerhaavio parum approbari ait, qui affirmat Obſervatione compertum eſſe ægros illarum uſu perfecte non convaleſcere.

3°. Quod ſpectat ad curationem luis venereæ confirmatæ, exiſtimat ille (*k*) Decoctum Guaiaci Mercurio efficacia non raro præſtare: Internum mercurialium uſum (*l*) ſemper utilem, tutum, efficacem eſſe: Contra vero (*m*) Hydrargyroſim nunquam non periculoſam & fallacem, ut in qua vix liceat admiſſi Mercurii copiam certo æſtimare: Mercurii (*n*) virtutem in curanda lue a ptyaliſmo totam dependere: Motum (*o*) ptyaliſmum verſus inferiora cathartico deduci non poſſe ſine damno; quæ ſingula a nobis ſæpius impugnata ſunt (*p*) ſupra, nec, ut opinor, infeliciter.

Auctor ille affixit ad calcem Diſſertationis gallice ſcriptæ *de Vertigine*, quam Lutetiæ vulgavit anno 1737. Epiſtolam, in qua queritur loca quædam Libri illius, de quo nunc quæſtio eſt, immerenter a me vellicata fuiſſe, & in qua, ut cordolium levet, dicteria in me dicit. Quapropter monitus, qua ſcripſeram in priore editione, diligenter recognovi, & de querimoniis, quotcunque æquo niti tantiſper viſæ ſunt, illi lubens in hac editione ſatisfacio. Dicteria vero, quibus Epiſtolam ſuam inſperſit, facilis condono.

ANTO-

(*a*) Pag. 11. (*b*) Pag. 33.
(*c*) Pagg. 36. & 37.
(*d*) Pag. 34. (*e*) Pag. 39.
(*f*) Pag. 69. (*g*) Pag. 67.
(*h*) Pag. 84.
(*i*) Pag. 77
(*k*) Diſcours prelimin. Pagg. 5. & 6.
Diſſertat. Pag. 198.
(*l*) Pagg. 100. & 101.
(*m*) Pag. 107.
(*n*) Pagg. 98. & 99.
(*o*) Pag. 99.
(*p*) Vide ſupra *Lib.* II. *Capp.* I. & II. & alibi paſſim.

Antonius Maria Zanini, Veronenſis, Doctor Medicus, operam dedit (*a*) 1735.
Romæ toto triennio tum linguæ Græcæ, tum Medicinæ ſtudio. Narrat ipſe ſe hinc *digreſſum adhuc rudibus annis generalis Illyricorum Soſpitatoris titulo condecoratum fuiſſe*, quibus verbis opinio mihi eſt ab illo indicari ſe auctoritate publica Proto-Medicum in Illyria, quæ Venetæ editionis eſt, conſtitutum fuiſſe. *Hac ſparta glorioſe apud Dalmatas impleta Venetias regreſſus eſt*, ubi medicinam cum laude facit, *nec* ἄδοξος, *nec* ἀκερδὴς ut ipſemet teſtatur.

Curam ille nuper habuit novæ Editionis Operum omnium Guillelmi Ballonii, Doctoris Medici Facultatis Pariſienſis, quæ Venetiis prodiit *apud Angelum Jeremiam*, in 4°. *annis* 1735. & 1736. Vol. *IV*; Græcas voces, quæ in illis interſperſæ ſunt, & quæ *inter legendum lectorem græcæ linguæ imperitum morari poſſent*, *latine interpretatus eſt*: ſuam ſingulis voluminibus interpretationem adjecit, ac interpretationi unicuique præmiſit peculiarem Epiſtolam nuncupatoriam, in *primo* Tomo, *Stephano Berglero*, *Lipſienſi græcarum literarum Profeſſori emerito*; in *ſecundo*, *VVilhelmo Moër*, *M. D. græcarum literarum Groningæ emerito Profeſſori*; In *tertio*, *Thomæ Dover*, *Anglo*, *Doctori Medico*, quem ait celebrem eſſe *& inſignibus curationibus*, *& diuturnis peregrinationibus in Americanis plagis*, & de quo ſupra ad *annum* 1732. Demum in *quarto*, *Johanni Bernardo Illmer*, *Tranſylvano*, *Cæſareæ Legationis in Moſcoviam Medico olim ordinario*.

Duas priores Epiſtolas, quartamque miſſas facio, quæ non ſunt inſtituti noſtri, ſed tertia non videtur tam leviter prætermittenda, cum in illa Mercurius, & ii qui Mercurium in Medicinam adhibent, multis proſcindantur conviciis. Cadunt ea quidem potiſſimum in uſum internum Mercurii crudi ore ſumpti, quem a Thoma Dovero magnifice commendari dictum eſt, & pro quo jam non pugno: Sed in ipſam Hydrargyrum & Hydrargyroſim, ſeu in Mercurium & Methodum illinendi Mercurii recidunt contumeliæ non paucæ, quibus ſupra fidem eſt illam therapeiam, noſtra qua vivimus ætate, etiamnum patere poſſe.

Scribit ergo Antonius Maria Zanini Thomæ Dovero 10. *Octobris*, MDCCXXXV, ,, per ,, omnium Medicorum Theatra, per Gynæcea, per Tonſtrinas, in triviis & angiportis ru- ,, morem raucum factum eſſe illum in Medicum mercurialem evaſiſſe: . . . Argentum vi- ,, vum eſſe univerſale naturæ alexiterium pronuntiaſſe: . . . . Hanc praxim ubique cre- ,, pare, & pediſſequos ſuos edocere: Ubique & in omnibus morbis tanquam præcipitem ,, aurigam circumrapi, veluti invento *Panaces* nomine gloriabundum: ,, ... Demum *ab illo*, *ut puto*, " exiiſſe libellum cum deteſtanda epigraphe, *Encomium argenti vivi*; ,, cui nuperrime proluſerat *Mercurius triumphator*; ,, quod ultimum opinor in Gerhardum Goris, Medicum Batavum, dici, a quo vulgatus fuerat anno 1717 Liber Medicus cum illa inſcriptione.

Addit Zanini ſe ,, ſtatim, tanquam a Pane percuſſum, collapſum eſſe, totum inhor- ,, ruiſſe, notumque medullas intraviſſe calorem, & tremefacta per oſſa cucurriſſe: ſibi ,, maſculam bilem intumuiſſe: extemplo arrepto calamo ſine miſſione digladiaturum in ,, arenam deſcendiſſe ἄσπονδον & inexpugnabilem athletam: . . . . Paucorumque dierum ,, ſpatio & ſibi parvis tabulis ἀντικρύ egerminaviſſe libellum, quem nondum arida pu- ,, mice expolivit, aut ad umbilicum perduxit.

Ait ſe ,, in prima acie, tanquam gnavum & induſtrium Imperatorem πρόμαχον fortiſ- ,, ſimas phalanges opponere, *creperi certamina Martis* intrepide ſubiturum: nempe ſe ,, compilaviſſe *Centuriam* eorum, qui Venetiis, Patavii, Veronæ, atque finitimis locis ,, epoto Mercurio, atque ut feſtive ὀνοματοποιῶ (*b*) Sanctes Hardoynus *De venenis*, *Mercuriopotæ* miſerabiliter interierunt, aut ad incitas redacti ſunt . . . Nonnulli, *inquit*, ,, tanquam præſentaneo veneno propinato, ταχυθάνατοι velociter ad orcum deſcendebant, ,, & ſtolidæ credulitatis pœnas luerunt; Alii lenta febre & languoribus pereſi tandem ,, oppetierunt; Plerique aquam intercutem & malum habitum contraxere; . . . . Multi ,, perpetua moroſi & occultiſſima fatuitate apprehenſi non amplius reſurrexerunt; Qui- ,, dam ſanguinem exſpuentes deleti ſunt; . . . . Animadverterunt nonnulli anaphrodiſia- ,, cos effectos fuiſſe, elumbes & veneris impotentes, infœcundos enervato tono partium ,, ſpermaticarum & reſoluta energia prolifica; Salacitatis expertes, evirati, inertes geni- ,, talia funerata deplorant, per quæ quondam Achilles fuerunt.

(*a*) In Epiſtola *ad Johann. Bernard. Illmer*, quarto Volumini affixa.

(*b*) Perperam adducitur auctoritas Santis de Hardoynis, Piſaurenſis Medici, quippe qui, cum ſcripſerit anno 1326 (Vide *Præfat.* Theodori Zuingeri, præfixam *Editioni* Baſileenſi Santis de Hardoynis, *anni* 1562.) de indole & Virtute Mercurii non judicavit, niſi ex vulgata ſuo ævo, ſed falſa Medicorum opinione.

Memorat exinde quaſdam aliquot Ægrotantium hiſtorias, quos ait epoto Mercurio morte occubuiſſe, ſed illas, dum ſtudet magnifice ſcribere, tam oſcitanter ſcribit, ut neque morbi ratio, nec præparati mercurialis natura, nec modus exhibendi ullatenus explicentur. In unum mihi videor perſpicere, ſcilicet in epotum acrius multo quam in illitum Mercurium illum invehi: Et ſane quamquam ab illo penitus ipſe diſſentiam, inficias minime iverim uſum Mercurii intro adhibiti minus tutum eſſe perpetuo, quam uſum ejuſdem illiti. „ Sed hæc omnia, *inquit*, tanquam ἐν παρόδῳ & in tranſitu. Op- „ portuniori tempore cum ſuis circumſtantiis centum Paradigmata conſpicua fient, ſeve- „ riſſimo judicio enucleabuntur veluti ſub juſtiſſimis Nomothetis, uſque ad diviſionem „ animæ & medullam reſecabuntur.

Inde pollicetur Zanini „ alteram Centuriam, quæ centum Auctores comprehendet, qui „ veluti Myrmillones & Samnites in Saturnalibus Gladiatores uſque ad internecionem „ ἀλληλοφονίαν digladiantes, cominus & adverſis frontibus ſingulari certamine μονόμαχοι „ decertabunt; “ inter quos recenſet Plinium, Naturalis Hiſtoriæ Scriptorem, Dioſcoridem, Johannem Fernelium, & Johannem Baptiſtam Montanum.

Minatur vero Doverum, “ cum ſolo Plinio, Dioſcoride, Fernelio, Montano, illum rem „ non habiturum, ſed centum calamos, centum ora, & centum linguas propediem pro- „ dituras, quæ robuſti carminis offas projicient, & centeno gutture perdeſpuent, & peſ- „ ſundabunt tam peſtilentem Magiſtrum.

Demum hortatur illum, ut „ recantatis tam exitialis metalli encomiis, veluti ex lon- „ go ſomno experrectus ad meliorem frugem redeat; . . . . Hydrargyroſim omnem tradat „ protervis in mare Creticum portare ventis; illas pyxidas mercuriales effringat, prote- „ rat; Spondetque, ſi deditionem paret, ſe arma & calamum projecturum; . . . ut Li- „ bero Patri & lætioribus Diis indulgeat, inter ſcyphos jocoſa & ſeria miſceat ſine ſu- „ percilio, veteriſque pocula Maſſici & Cæcuba *cum illo* exſiccet ſervata centum clavibus.

Allubuit ea paulo fuſius recenſere, ut vel inde palam eſſet quantum bullatis nugis pagina huic Auctori turgeſcat, & quam vere in illum quadret, quod (*a*) ipſe de Ludovico Dureto a Gaſpare Hoffmanno (*b*) dictum approbat, nempe *in affectata illa grandiloquentia involvere ſe, non aliter quam Sepiam atramento ſuo*. Sed miſſis ambagibus nodum paucis expedire facile eſt ſaltem de Hydrargyroſi.

Perſuaſiſſimum habeo Hydrargyroſim huic Auctori nunquam exploratam fuiſſe, & ideo tam aſpere ab illo damnari. Velit ergo tandem rem bona fide periclitari, fauſtos ejus ſucceſſus certus præſtabo, dummodo ad ſingula ex artis legibus diligenter attendat. Quorſum enim abeſſet ei fortuna, quæ abeſt nemini, qui provideat? At vero ſi res bene ceſſerit, recte ſpero fore ut palinodiam, ut dicitur, ille tunc canat, licet ſubturpiculam. Sin vero piaculum ducat hydrargyroſim attentare ullo modo, locum det ultro peritioribus, quibus multis experientiis compertum eſt in ea therapeia, ſi qua in alia, omnia tuta & certa eſſe; finemque faciat conviciandi, nec ingenio abuſus ſuo infortunia objiciat amplius, quæ cautioribus & inviſa & inaudita ſunt, nec quod pejus eſt, Medicinam ad Plinii, Dioſcoridis, Fernelii, Montanive tempora, ad antiqua ſcilicet illorum commenta, quæ dies delevit, revocare conetur peſſimo conſilio.

1735. VINCENTIUS BREST, Chirurgus Gallus, (*c*) ſtudio Chirurgiæ operam dedit in Monte-peſſulano annis 1710 & 1711. Hinc in Angliam conceſſit, ſed incertum quo anno, ubi ſe ad Magiſterium in Chirurgia Londini promotum eſſe, & Cucurbitarium, gallice *Ventoſeur*, Sereniſſimi Walliæ Principis (Frederici Ludovici) diplomate conſtitutum fuiſſe gloriatur. Profectus eſt anno 1732. in Ruſſiam, ut aliquod Chirurgi officium aſſequeretur, in quo rem faceret, ſed ab Archiatro Ruſſiæ, quem penes erat jus & arbitrium eligendi, & de quo multa queritur, male exceptus brevi Londinum renavigavit ante annum 1735. unde audio iter illi fuiſſe in Luſitaniam.

Scripſerat anglice anno 1732 Diſſertationem de morbis venereis, quæ nondum in manus meas venit, ſed cujus deſiderium minuit vel extinguit potius Diſſertatio ejuſdem altera, de argumento eodem gallice ſcripta, quam in vulgus emiſit Londini anno 1735, & cui hanc Inſcriptionem in fronte appoſuit:

Diſſertation ſur l'uſage du Mercure dans les Maladies Vénériennes & autres, & ſur la maniere de s'en ſervir avec ſuccez ſans Salivation. On y a joint une courte

(*a*) In Epiſtola ad VVilhelmum Moor ſcripta.
(*b*) *Lib. XI. De uſu partium, Cap. 3.*
(*c*) Ex Præfatione *Diſſertationis*, de qua mox.

courte relation de l'état de la Médecine en Ruſſie, & de quelques cures fort remarquables, qu'on y a faites en ſuivant la methode propoſée. A Londres. *Chez Godefroi Smith.* MDCCXXXV.

Hic Libellus, qui *paginis* 60. abſolvitur, & cujus vix Paginæ decem & octo ad argumentum ſpectant, eo conſilio editus eſt, ut ſciens eſſet Lector Auctori in manu eſſe Arcanum tutum, certum, efficax, nulli alii notum, quo lui venereæ etiam inveteratæ commode ille mederetur, hoc eſt, ut paucis & vere dicam, Libellus ille Programma monitorium eſt; gallice *une Affiche*, qualia ſolent ab Agyrtis in vulgus ſpargi, ut imperitum vulgus ludificent, & credulos ægrotantium animos vanis ineſcent pollicitationibus.

Auctor, ut propoſitum conetur conſequi, bona pauca fundit malis pluribus mixta.

1°. Luem veneream nullo remedio ſanari poſſe, quam Mercurio crudo, vel extrinſecus illito forma unguenti, vel intro exhibito pillularum forma.

2°. Se quidem callere rationem præparandi unguenti cujuſdam mercurialis, quam olim in Monte-peſſulano edoctus eſt, ſed quam opera & induſtria ſua multo meliorem ipſe fecit.

3°. Hoc unguento ſuo legitime adminiſtrato ſe uſum fuiſſe plures annos, nec infeliciter, donec tandem excogitavit viam ita præparandi Mercurii, ut intus exhiberi poſſit non minori ſucceſſu, ſed minori periculo, quam ſi foris illinatur.

4°. Non igne, non acidis corroſivis præparationem ſuam confici, quem utrumque proceſſum præparandi Mercurii damnat: Illa tamen Mercurium tam diligenter exſtingui, ut ad priſtinam formam difficillime redeat, certe difficilius quam ſi ulla alia ratione exſtinctus eſſet.

5°. Ea quæ de Mercurio ſuo aſſeverat, non animo ſe finxiſſe, ſed experimento explorata habere, quippe qui Mercurium ſua methodo exſtinctum data opera maceraverit ſeorſum aqua frigida, aqua bulliente, ſpiritu vini, & ſucco Citriorum, & diu infuſum leni calore exſiccaverit, quibus torturis pluries iteratis ne minima quidem Mercurii vivi atomus conſpicua facta eſt.

6°. Pari diligentia Mercurii ſui efficaciam ſe periclitatum eſſe in cane quodam, cui intra dies 30 uncias duas Mercurii ſui partitis vicibus exhibuit; qui ſalivam ab ore multam emiſit per dies quatuor minxitque ubertim per decem dies ultimos, quæ binæ evacuationes arguunt inſignem remedii vim in ſanguinem; & cujus fæces omnes diligenter collectæ grana tantum viginti Mercurii crudi reddidere inſtituta analyſi, unde colligit reliquum Mercurium in ſanguinem ſubiiſſe.

7°. Ea Mercurii præparatione, ſed cujus proceſſum de induſtria celat, ſe diu feliciter uſum eſſe, donec compertum ipſi fuit ægros nulla unquam via certius convaleſcere quam diaphoreſi & diureſi, ex quo in id omni ope atque opera incubuit, ut Mercurio ſuo diaphoreticam & diureticam facultatem ſuperadderet, quod labore ſuo tandem obtinuit, ſed de qua ἐγχειρήσει alte ſilet.

8°. Abhinc pronum ſibi eſſe & expeditum luem veneream omnem, etiam maxime inveteratam, radicitus exſtirpare, non inunctionibus, ſed pilulis mercurialibus; non ptyaliſmo, ſed diaphoreſi & diureſi; & ut dictis fidem aſtruat exempla adducit aliquot, ſed in populi fæce inſtituta, cui fumos vendere facile eſt.

Hactenus ille, quem patienter auſcultavimus: Nunc tempus eſt ut viciſſim ipſi reponamus, ſed paucis.

I. Mercurium crudum, quacunque via in ſanguinem ſubeat, tanto majore efficacia agere, quanto majore copia ceteris paribus introgreſſus, & quanto celerius nativam formam, quæ globoſa eſt, & a qua dependet ejus virtus, adeptus fuerit, de quibus vide *Lib. II. Cap.* 10.

II. Mercurium illitum copioſius commodiuſque per poros cutis in ſanguinem intromitti, quam per venas lacteas devoratum; & priore via admiſſum nativæ formæ citius faciliuſque reſtitui, de quibus vide *Lib. II. Cap.* 10.

III. Inde confici ſemper tutiorem eſſe & efficaciorem medendi methodum, ſi Mercurius crudus unguenti forma illinatur, quam ſi exſtinctus in pulverem quovis modo exhibeatur devorandus: Ac proinde errare tota via Chirurgum illum, dum ait affirmatiſſime pilularum ſuarum uſum methodo illitionum mercurialium præponendum eſſe.

IV. Nunc autem, ſi quando lubitum ſit Mercurium intro exhibere, quod parum probo, neceſſe eſſe ut prius exſtinguatur in pulverem: Conducere vero ſi exſtinguatur ſine

acidis ullis corroſivis, atque inde eſſe quod Æthiopes minerales ceteris Mercurii præparatis plurimum præſtent.

V. Cavendum tantum, ne mercuriales atomi male coercitæ æquo promptius in ventriculo reviviſcant vi caloris, atque ideo ne præcipites directo deorſum ferantur inſalutatis venis lacteis, non ſine ægrotantium fruſtratione, ut de Æthiope illo minerali ſuſpicio eſt, qui ſolo tritu præparatur.

VI. Verum enimvero cavendum ſimul quoque, ne atomi illæ mercuriales nimis coerceantur, ita ut ne in ipſo quidem ſanguine a compedibus liberari, & depoſita larva ad naturam redire poſſint, ex quo evanida futura eſſet illarum efficacia, ut quæ globoſæ ipſarum formæ accepta referenda ſit, judice Chirurgo illo ipſomet, *Pag.* 3.

VII. Itaque modum eſſe in rebus, certoſque fines, quos ultra citraque nequeat rectum conſiſtere, quos neſcire videtur Auctor, & quos ideo prætergreditur, dum nimiam exſtincti ſui Mercurii fixitatem jactitat, quaſi palmariam.

VIII. Sane ſi quid inde fructus foret, nihil eſſe negotii Mercurio eam fixitatem inducere, de qua gloriatur ille, ſi exſtinguatur cum reſina quavis, quam pro arbitrio licet ex catharticarum, diaphoreticarum, aut diureticarum familia ſeligere, ut ſupra dictum eſt *Pag.* 363. ubi de multiplici Æthiopum mineralium præparatione; & in quo Arcanum, quod Auctor celat, totum conſiſtere multa ſuadent & perſuadent: Imo vero poſſe multo fixiorem, ſi opus fuerit, Mercurium præſtari, addito ad doſim quantulamcumque metallo quovis, *v. g.* auro, ſtannove, quocum fiat amalgama.

IX. Mercurium quidem alterutro modo exſtinctum ad nativam formam non reduci nec aqua frigida, nec aqua bulliente, nec ſpiritu Vini, nec ſucco Citriorum, & adverſus tentata ab illo experimenta perinde invictum permanere: Inde tamen, nedum efficacior ſit ad debellandum virus, ſed potius longe inefficaciorem eſſe, quoniam ſtrictius coercitæ atomi mercuriales nec in venas lacteas pari copia introgredi poſſunt, nec ſanguinem celeritate eadem pervadere, aut eodem momento atterere valent.

X. Fruſtra ab illo opponi, ut Mercurium ſuum penetrabilem eſſe probet, ex unciis duabus Mercurii exſtincti, cani exhibitis intra dies 30, grana tantum viginti e fœcibus collectis analyſi educta fuiſſe; nam præterquam quod difficilis ſit ea periclitatio, cui vix illum parem eſſe putem, non nego mendacii ſuſpicionem in illos facile cadere, quibus mendacium prodeſſe poteſt, & ſervire quæſtui.

XI. Ceterum Auctor ille non audiendus eſt, cum ſalivationem damnat, ac illius tædia & pericula exaggerat, nam quo illa ſpectent, nemo non videt. Potuiſſent ea forſan olim objici in ſalivationem præcipitem, tumultuariam, immodicam, quam nimiis & frequentioribus illitionibus proritare ſolemne erat, & quæ ſola videtur Auctori nota, quippe qui (*a*) putet neceſſe eſſe, ut emiſſæ ſalivæ copia intra nycthemerum tres quatuorve *pintas*, hoc eſt, libras ſex vel octo æquet per viginti vel triginta dies continuos. Sed eadem opponi nullo jure poſſunt in moderatum, lenem, pacatum, gradarium ptyaliſmum, quo intra viginti quatuor horas una aut altera libra, ad ſummum tres libræ ſalivæ ejicientur, & qualem ſemper adhibendum eſſe cenſemus, quoties adhibendus eſt.

NICOLAUS ROBINSON, Anglus, Doctor Medicus, artem medicam cum laude facit Londini, a Collegio Medicorum Londinenſium permiſſus.

A nevv Treatiſe of the Venereal Diſeaſe, *in three parts, compriſing the moſt effectual Methods to reſtore the tone and vigour of the ſeveral affected Organs, through every branch and ſtage of the Diſeaſe, &c. By* Nicolas Robinſon, *M. D.* London, 1736. *in* 8°.

Hoc eſt, *Novus Tractatus* de morbo venereo *in tres partes diſtributus, quo continentur methodi maxime efficaces reſtituendi tonum & robur diverſorum Organorum, quæ affecta ſunt in ſingulis ſpeciebus & gradibus morbi venerei, &c. Auctore* Nicolao Robinſon, *Doctore Medico.* Londini, 1736. *in* 8°.

Liber ille accuratus eſt, clare, dilucide, methodoque facili & recta ſcriptus. Diſtribuitur in tres Partes: In *prima* agitur *Capitibus quatuor prioribus* de luis venereæ origine, natura, ſignis, contagione & contagionis modis; ac deinde *Capitibus* 11. ſequentibus de natura, ſede, ſignis tum diagnoſticis, tum prognoſticis, & curatione gonorrhœæ virulentæ, quæ luem veneream plerumque antecedit.

In *altera* diſſeritur *Capitibus* 11. de variis luis venereæ ſymptomatibus, nempe de bubone;

(*a*) Pag. 7.

ne; puſtulis; ulceribus naſi, palati, faucium; gummatis; nodis: tophis; exoſtoſi, carie oſſium; doloribus nocturnis artuum; phthiſi, ſcorbuto, arthritide venereis &c.

Demum in *tertia Capitibus* 12. quæſtio eſt in genere de methodo edomandi virus venereum, a quo dependent illa ſymptomata; & in ſpecie de methodo medendi ſingulis ſymptomatibus ſupra memoratis.

Ne longus ſim, in ejus Auctoris laude ponendum eſt. 1°. Quod omni aſſeveratione affirmet luem veneream morbum eſſe in Europa novum, ab Hiſpanis devectum anno 1493 ex inſula Hiſpaniola, ubi endemius erat ab omni ævo.

2°. Quod præſtigias & captiones Guillelmi Becketti, adductis aliquot veterum Scriptorum locis novitatem luis venereæ aperte impugnantis, egregie refellat.

3°. Quod in primigenia veneni venerei forma parum curioſus, quippe quæ inſcrutabilis ſit, & ad medicinam morbo faciendam nullius uſus, optime tamen confutet illorum opinionem, qui volunt vim omnem veneni illius repetendam eſſe a vermiculorum pullitie.

4°. Quod ſummam Mercurii efficaciam in curanda lue venerea palam agnoſcat, quem ſpecificum hujus morbi rhizotomum eſſe confitetur.

Verum, ut dicam ex animo quod ſentio, nollem ab eodem 1°. Proponi ad curationem gonorrhœæ remedia draſtica & phlogiſtica, quibus cautius eſt abſtinere in affectione inflammatoria.

2°. Negligi hydrargyroſim ſeu methodum illitionum mercurialium, qua nullam præſtantiorem, imo cui nullam parem eſſe exploratum eſt.

3°. Damnari paſſim ſalivationem omnem in curanda lue venerea, ceu pernicioſam, quæ quidem, ſi moderata ſit, qualem ſemper decet eſſe, parum importuna, quæ vero alteri methodo efficacia præſtat longo intervallo; ſed de his vide, quæ ſupra pluries dicta ſunt.

DANIEL TURNER, de quo ſupra ad *annum* 1717, 1729, & 1732, Opera omnia, quæ continentur in Collectione Veneta ſeu Luiſinina anni 1567, in epitomen contraxit, quam anglice ſcriptam Londini edidit anno 1736. ſic inſcriptam. 1736.

Aphrodiſiacus, *containing a Summary of the Ancient VVriters on the Venereal Diſeaſe, under the follovving heads*: I. *Of its Original*; II. *Of the Symptoms*; III. *Of the various Methods of Cure*. London. *Printed for John Clarke*, MDCCXXXVI. *in* 8°.

Ideſt, Aphrodiſiacus, *continens epitomem Antiquorum Scriptorum de lue venerea*, *circa ſequentia Capita*. I. *De illius Origine*; II. *De Symptomatibus*; III. *De diverſis medendi Methodis*. Londini, *apud Johannem Clarke*. 1736. *in* 8°.

Laudo utique conſilium Turneri, quod ad accuratiorem morborum venereorum ſcientiam ita conferre dudum ratus ſum, ut argumentum idem vel non diſſimile Turnero prior ipſemet tractaverim: At vero non poſſum quin fatear videri Turnerum in perficiendo conſilio interdum peccaviſſe;

1°. Quod ex Auctoribus, qui de lue venerea ſcripſerunt ante annum 1567, illos ſolos recenſeat, & in compendium illos ſolos cogat, qui proſtant in Collectione Luiſinina; quaſi præter illos in tractanda eadem materia non verſati fuerint per idem tempus Scriptores alii æque boni, vel ſaltem nihilo pejores, ut Angelus Bologninus anno 1507; Jacobus a Bethencourt anno 1727; Franciſcus Delgado anno 1529; Theophraſtus Paracelſus anno 1536; Johannes Antonius Roverellus anno 1537; Thomas Rangonus anno 1538; Michael Angelus Blondus anno 1542, Andreas Lacuna anno 1551; Theodericus de Hery anno 1552; Victor Trincavellius anno 1553; Rodericus Diaz de Isla anno 1555: &c.

II. Quod Auctores nullos anno 1567. recentiores enumeret, deſcribatve, quaſi ab anno 1567. de morbis venereis ſcripſerit nemo, nulloſve abhinc Medicina progreſſus fecerit in curanda lue venerea, cum tamen res medica ab illo tempore tot Tractatibus eximiis aucta fuerit de hoc argumento ſcriptis a Vido Vidio, Georgio Dordono, Juliano Palmario, Johanne Wiero, Johanne Cratone, Johanne Zecchio, Hieronymo Capivaccio, Aurelio Minadoo, Hercule Saxonia, Alexandro Maſſaria, Andrea Cæſalpino, Euſtachio Rudio &c. ut recentiores Auctores nunc omittam.

Culpam quidem viſus eſt agnoſcere Turnerus, & ut illam amoliretur ad calcem Libri ſui Catalogum adjunxit Auctorum omnium Aphrodiſiacorum, quos in priore iſtius Operis editione, quæ tunc vulgata fuit, ipſe digeſſeram, & quos in compendium contraxeram. Sed hæc culpam, nedum elevant, ſed potius augent, quippe quæ probant ſuſcepti laboris partem & maximam & utiliſſimam ab illo ſciente prætermiſſam fuiſſe.

III. Quod

III. Quod in recenſendis Auctoribus Collectionis Luiſininæ inſiſtat ordini; quo in Collectione illa ſinguli occurrunt, qui tamen cum in Chronologiæ leges paſſim peccet, merito damnatus eſt, ut ſupra demonſtratum fuit.

Haud me fugit Turnero hanc in diligentiam defendi *Præfationis ſuæ Pag.* 4. quaſi vitio verti non poſſit; ſed vel invitus fateatur neceſſe eſt in repræſentanda progreſſuum ſerie, quibus Medicina hac in parte amplificata fuit, & quæ progrediente ætate ſubinde ſucceſſerunt, tenebras offundi maximas τῷ ὑστέρῳ προτέρῳ iſtiuſmodi, quo paſſim Auctor recentior antiquiori præponitur.

IV. Quod plerumque hallucinetur, quoties viſum eſt annum adſcribere, quo Auctorum Opera prodierunt; ut cum Matthiolum refert in annum 1598, qui ad annum 1535; Loberam in annum 1566, qui ad annum 1544; Ferrum in annum 1566, qui ad annum 1537; Torrellam in annum 1521, qui ad annum 1497, vel ut tardiſſime, 1500; Leonhartum Fuchſium in annum 1548, qui ad annum 1542; Fernelium in annum 1579, qui ad annum 1548, vel 1554; Macchellum in annum 1608, qui ad annum 1555; Cardanum in annum 1559, qui ad annum 1548; Calmeteum in annum 1567, qui ad annum 1560; Ferrerium, in annum 1564, qui ad annum 1553; Rondeletium in annum 1583, qui ut tardiſſime, ad annum 1560, Johannem Sylvium in annum 1565, qui ad annum 1557. pertinet. In quo mirari ſubit Opera quorumdam ex illis Auctoribus in annum a Turnero referri, qui poſterior ſit editione Luiſinina, in qua occurrunt, imo in annum, quo jam dudum fato functi erant, quod de Macchello, Fernelio, Rondeletio patet.

V. Quod ſæpe corrumpat nomina patriæ, unde Auctores illi oriundi erant: ut cum Georgium Vellam, qui *Brixienſis* erat, hoc eſt, e *Brixia*, urbe Galliæ Transſpadanæ, nunc in ditione Venetorum, vulgo *Breſcia*; *Bruxellenſem* in Ducatu Brabantiæ, *of Bruſſels*; Johannem Paſchalem, qui *Sueſſanus* erat, hoc eſt, ex *Sueſſa*, urbe Campaniæ, vulgo *Seſſa* in regno Neapolitano, *Suecum*, *a Svved*; Johannem Langium, qui *Lembergius* erat, hoc eſt, ex *Leobergia* urbe Sileſiæ in Ducatu Javaurienſi, *Limburgium*, *of Limburg*, ex *Limburgo* quod Caput eſt Ducatus Limburgenſis; Michaelem Johannem Paſchalem, qui *Caſtellonenſis Valentinus* erat, hoc eſt, ex oppido, cui nomen *Caſtellon de la Plana* in regno Valentino; *Valentianum* in Comitatu Hannoniæ, *of Valenciennes*, &c. facit.

Sed de his ſatis ſuperque, neque enim vacat nugis diutius immorari: Monuiſſe tantum juvat Danielem Turnerum, qui in ſuo Tractatu *de Syphilide*, anno 1717. primum edito, & iterum excuſo anno 1732, affirmatiſſime aſſeverabat luem veneream ab omni ævo in Europa graſſatum fuiſſe, in hoc Opere veritate adductum ultro ipſummet jam confiteri *Præfationis Pag.* 4. Auctores fere omnes, qui in Collectione Luiſinina proſtant, teſtari uno ore morbum illum in Europa novum eſſe, & in illam invectum fuiſſe circa annos 1492. vel 1494, *exeunte*, ut ille ait, *ſæculo decimo quarto, at the cloſe of te fourteenth Century*, ſeu, ut verius dixiſſet & ad Chronologiæ leges magis accomodate, *exeunte ſæculo decimo quinto*.

1737. WILLELMUS BARROWBY, Londinenſis, Medicinæ Baccalaureus mox Doctoris honores conſecuturus, & Collegio Medicorum Londinenſium aggregandus, in quo Pater ejus ſpectatum locum obtinet, prioris hujuſce Operis editionem, quæ in lucem emiſſa fuit anno MDCCXXXVI, anglicam fecit, & Londini edendam curavit anno MDCCXXXVII. cum hac inſcriptione:

A Treatiſe of the Venereal Diſeaſe, in ſix Books, containing an account of the original, propagation, and contagion of this Diſtemper in general, as alſo of the Nature, Cauſe and Cure of all Venereal Diſorders in particular, vvhether local, or univerſal. VVritten originally in Latin by John Aſtruc *&c. and novv tranſlated into Engliſh by* William Barrowby. *M. B.* London, MDCCXXXVII. *in* 8°. Vol. *II.*

Hoc eſt, *Tractatus de lue venerea ſex Libris comprehenſus, in quo explicantur tum origo, propagatio, & contagio illius morbi in genere, tum natura, cauſa, & curatio omnium ſymptomatum venereorum in particulari, ſive localia, ſive univerſalia ſint. Latine primum ſcriptus a* Johanne Aſtruc *&c. & nuper anglice verſus a* Willelmo Barrowby, *M. B.* Londini, MDCCXXXVII. *in* 8°. Vol. *II.*

Huic Auctori maximam gratiam me debere lubens agnoſco, & maximam ago, quod Librum huncce meum putaverit tanti, ubi primum prodit, ut in illo anglice reddendo multum laboris & operæ ponere non dedignatus ſit. Sane ſi gratum eſt, ut ait Tullius,

Epiſto-

Epiſtolar. Lib. XV. Epiſtol. 6. laudari a laudato Viro, inficias non ivero mihi gratiſſimum fuiſſe ab erudito Viro Opus meum converti.

JOHANNES ARMSTRONG, Scotus, (*a*) Doctoris honores & privilegia conſecutus eſt Edimburgi anno 1732. 1737.

A Synopſis of the Hiſtory and Cure of the Venereal Diſeaſe. By J. Armſtrong, *D. M.* London, *for A. Millar.* 1737. in 8°.

Ideſt, *Synopſis Hiſtoriæ & Curationis Luis Venereæ, Auctore* J. Armſtrong, *D. M.* Londini, *apud A. Millar.* 1737. *in* 8°.

Auctor ille Tertius eſt, qui eodem circiter tempore ad Scriptores Aphrodiſiacos in compendium contrahendos aggreſſus ſit, majore ſane diligentia, quam aut Ego, aut Turnerus, & plerumque ſcrupuloſiore & nimia ſedulitate, cum in pleriſque Antiquorum Libris de hoc argumento ſcriptis, ſi paucula excipias, quæ ad morbi hiſtoriam pertinent, & in quibus quæſtio eſt de morbi origine aut de ſymptomatum natura, quibus Auctorum illorum ætate morbus ſucceſſive conſpicuus fuit, nihil ſit ſatis certi in therapeia, quod in exemplum tuto duci poſſit, & quod in curando morbo liceat unquam ex omni parte imitari.

Porro quaſi quædam fuiſſet conſilii ſocietas, eadem plerumque peccavit quæ Turnerus ipſe, dum eamdem tractavit materiam;

1°. Quippe qui ex Scriptoribus Aphrodiſiacis, quorum Opera ante annum 1566. prodierant, illos tantum recenſeat, qui in Collectione Luiſinina proſtant, prætermiſſis aliis non paucis ejuſdem ætatis & nihilo pejoribus.

2°. Quippe qui de Scriptore nullo mentionem faciat, ſi me unum excipias, qui de lue venerea ſcripſerit ab anno 1567, cum tamen certum ſit abhinc & egregios libros vulgatos, & eximios in curandis morbis venereis factos eſſe progreſſus.

3°. Quippe qui in recenſendis Auctoribus Aphrodiſiacis ordini eidem inſiſtat, quo in Collectione Luiſinina ſinguli referuntur, quem tamen merito nec ſemel damnavimus. Vid. ſupra Senſit quidem ipſe ſe ideo in culpa eſſe, & ut peccatum elevaret in ipſo libri ſui principio Indice Chronologicum appoſuit Scriptorum omnium, quorum mentionem facit, quem ex priore hujus Operis editione mutuatus eſt. Sed vix puto eam diligentiam parem eſſe diſcutiendis tenebris, quas offundit rerum narrationi præpoſterus ordo, quæ ſinguli Auctores in ipſo Opere digeſti ſunt.

4°. Quippe qui corrumpat pleraque nomina patriæ, unde Auctores Aphrodiſiaci, de quibus diſſerit, oriundi erant, in quo ad eumdem lapidem plerumque offendit, ad quem Turnerum offendiſſe *ſupra* vidimus. In hoc tamen Turnero diligentior fuit, quod Auctoribus ſingulis annum præfigat, quo illorum Opera in lucem primum emiſſa fuerunt, & plerumque ſatis appoſite. Quod ſi quandoque conjectura aberraverit, ut aberraſſe ſæpius palam eſt, in me qui exemplo ipſi prævivi, & quem ille viæ ducem ſequi non dubitavit, culpa tota reſidet, quam non defugio: Abnuere enim & nolo, & nequeo multos in priore hujus Operis editione, unde ille ſuam tranſcripſit Chronologiam, occurrere Anacroniſmos, quos ut corrigerem in hac altera editione curæ mihi fuit, primas Librorum editiones jam diligentius perſcrutato, & ab eruditis viris meliora monito.

Ceterum hic Auctor, ut modo indicabam, priorem Operis hujuſce editionem in epitomen contraxit diligenter & magna cum cura, in quo gratiam habeo; ac in tranſcurſu loca aliquot virgula notavit cenſoria, in quo gratiam quoque habeo; nam (*b*) *homo ſum, humani nihil a me alienum puto*: Nec mirum proinde ſi ſæpius dormitaverim in Opere tam longo. Quocirca cenſuræ patientem aurem commodavi, perlectiſque locis omnibus, quæ reprehenſa ſunt, quæcunque corrigenda duxi, correxi ſedulo; de ceteris, in quibus de mendo mihi non liquet, judicium Lectori permitto.

JOHANNES DOUGLAS, Scotus, ex regia Scientiarum Societate Londinenſi, Chirurgus, artem exercet Londini cum Laude, editis Operibus aliquot nomen ſibi fecit in republica literaria, ſcripſitque nuper tres ſequentes Diſſertationes. 1737. 1739.

I. *A Diſſertation on the Venereal Diſeaſe, vvherein a Method of curing all the ſtages of that Diſtemper vvill be communicated and confirmed by ſeveral inſtances of ſucceſs from the leaſt to the greateſt degree of Infection; vvithout the help of an any mercurial drenches, vomits or Fumigations; vvithout Injections or Aſtringents of any ſort; vvithout Eſcharoticks, Cauſticks, hot Irons; ſo ſolemnly*

(*a*) Medical eſſays and obſervations by a Society in Edinburgh. *Vol.* I. *Artic.* XXXVIII.
(*b*) Terent. in *Heautontimoroumeno.* 1, 1.

lemnly recommended by many Authors ; and above all, that Opprobrium Chirurgorum , a Salivation *vvill in all Caſes be avoided. By* John Douglas, *Surgeon, F. R. S* London, *printed for and ſold by the Author.* MDCCXXXVII. in 8°.

Hoc eſt, *Diſſertatio de Lue Venerea , in qua Methodus medendi omnibus hujuſce morbi gradibus proponitur , & confirmatur variis exemplis ſucceſſuum , quos illa medicatio habuit in ſanandis ſingulis illius affectus gradibus a minimo ad maximum , ſine ſalivatione ulla mercuriali , ullave vomitione vel ſuffumigatione ; ſine Injectionibus aut Aſtringentibus ullius ſpeciei ; ſine Eſcharoticis , Cauſticis , Cauteriis ; quæ tantopere celebrantur a variis Auctoribus ; & quod præcipuum eſt , in qua* Salivatio, illud Chirurgorum opprobrium , *in omni caſu declinatur. Auctore* Johanne Douglas , *Chirurgo , Socio Regiæ Societatis.* Londini , *ſumptibus Auctoris , apud quem væneunt exemplaria.* MDCCXXXVII. *in* 8°. *Pag.* 38.

Inſcribitur Pars illa prima Thomæ Pellet , D. M. Præſidi Collegii Medicorum Londinenſium , & Socio Regiæ Societatis, ac inſcriptioni aſcribitur dies 30. Aprilis anni 1737.

II. *A Diſſertation on the Venereal Diſeaſe , vvherein the opinions of the Antient VVriters , about the uſe of mercurial Friction , are examined , the objections againſt them , both Antient and Modern , anſvvered ; and their ſafety , eaſineſs , and ſurpriſing ſucceſs , in all the ſtage of this diſtemper , nay even after repeated ſalivations have failed , farther confirmed by a great variety of Caſes.* Part. II. *By* John Douglas , *Surgeon , F. R. S.* London. *Printed for and ſold by the Author.* MDCCXXXVII. *in* 8°.

Hoc eſt, *Diſſertatio de Lue Venerea , in qua ſententiæ Veterum Scriptorum de uſu mercurialium inunctionum expenduntur ; Objecta tum antiqua , tum recentia , diluuntur , & illas tutas eſſe facileſque , atque facilem ſucceſſum habere in omni morbi gradu , etiam poſtquam iteratus ptyaliſmus ſpem fruſtratus fuerit , ulterius confirmatur multis variiſque exemplis.* Pars II. *Auctore* Johanne Douglas, *Chirurgo , Regiæ Societatis Socio.* Londini , *ſumptibus Auctoris apud quem exemplaria væneunt.* MDCCXXXVII. *in* 8°. *Pag.* 47.

Pars hæc altera inſcribitur Richard Mead , D. M. & inſcriptioni affigitur dies 30. Novembris anni 1737.

III. *A Diſſertation on the Venereal Diſeaſe , vvherein the ſafety and ſurpriſing good effects of our Method (vvhen managed vvith judgement) not only in all the ſtages of this Diſtemper , but alſo in the Gout , Leproſy , Scald heads , Stiff Joints &c. vvill be fartherm'd by many rare and remarkable Caſes ; the conſtant danger and frequent back conſequences of ſtrong mercurial Purges , racking Vomits &c. vvill be yet more fully explain'd ; and the too frequent practice of hurrying People into a ſalivation for trifles exp-ſed* &c.

In Anſvver to the bitter Invectives , falſe Inſinuations , and groſs Miſrepreſentations of our ſalutary Proceſs &c. *contain'd in a late virulent Pamphlet ſign'd by Dr. T - - - r (* Turner *) for ſelf and Company.* Part. III. *By* John Douglas , *Surgeon , F. R. S.* London , *Printed for the Author* &c. in 8°.

Hoc eſt, *Diſſertatio de lue venerea in qua confirmatur ulterius multis exemplis raris & notatione dignis methodum noſtram ſalutarem eſſe , & ſtupendos habere ſucceſſus , non modo in omnibus hujus morbi gradibus , ſed etiam in arthritide , lepra , tinea , retractatione articulorum &c. In qua fuſius probatur draſtica purgantia mercurialia , & mochlica vomitoria ſemper periculi plena eſſe & ægros in grave diſcrimen plerumque adducere : Et in qua improbatur Methodus nimium frequens ægros quovis levi de cauſa , incendiaria ſalivatione exhauriendi.*

Pro reſponſione ad acerba convitia , falſas inſinuationes & plenas erroris animadverſiones in ſalutarem noſtram methodum , quæ leguntur in virulento nupero Libello , cui ſubſcripſit Doctor T - - - r pro ſe & Societate ſua. Pars III. *Auctore* Johanne Douglas , *Chirurgo , Socio regiæ Societatis.* Londini , *ſumptibus Auctoris* &c. in 8°. *Pagg.* 157.

Hæc Tertia pars inſcribitur Franciſco Sandys, Obſtetricio & Medico extraordinario Annæ, uxoris Guillelmi Caroli Henrici Frizonis Principis Naſſovii Arauſiaci , & inſcriptioni apponitur dies 30. menſ. Apr. an. 1739.

Tres

Tres illæ Johannis Douglaſſii Diſſertationes eo ſpectant omnes, 1°. Ut Hydrargyroſi primæ deferantur in curanda lue venerea, quod optime; 2°. Quod minus bene, ut Hydrargyroſis illa tantum probetur, in qua unguentum quidem mercuriale ſatis magnis doſibus illinitur, ſed ſimul exhibentur identidem cathartica, ut mota a Mercurio materia, quæ ad os tenderet verſus interiora deducatur.

Auctor autem ultro confitetur ſe ſcire methodum illam medendi luis venereæ ex Petro Delault, Medico Burdigalenſi, a quo primum inventam fuiſſe putat. Porro ut opinioni, quam amplexus eſt, ſuffragetur, adducit in *priore* Diſſertatione exempla aliquot felicium exituum, quos habere ſibi viſa eſt; tentatque in *altera* ea diluere argumenta, quæ in illam ipſe objeci in priore editione; ſed utrumque, vere ut dicam, majori præſtat ſtudio, quam ſucceſſu.

Haud animus eſt cramben eamdem recoquere, aut de quæſtione amplius rixari quam deciſam exiſtimo. Juvat tantum, ſed paucis & ſummatim, tria perquirere: 1°. Quis ſit illius methodi verus Auctor, quod Hiſtoricum: 2°. Quæ ſit utilitas illius methodi, ſi ad ceteras conferatur: 3°. Et quo loco ea methodus a prudente Medico habenda ſit, quod utrumque Medicum eſt & Therapeuticum.

I. Mirum quanta controverſia ſit apud aliquos de Auctore illius methodi, qua ſalivatio declinatur. Hanc (*a*) Honoratus Raiberti Petro Chirac; Hanc (*b*) Henricus Haguenot Franciſco Chicoyneau: Hanc (*c*) Anonymus Anglus, Medicis Monſpeſſulanis ſine ullius deſignatione; Hanc (*d*) Petrus Delault, cui fidem habet Douglaſſius, ſibi; Hanc ſibi quoque (*e*) Petrus de Rotundis, Medicus Romanus, inventam referunt. Novi & alios quoſdam Medicos, quorum nominibus parco, qui de inventa a ſe eadem methodo gloriatur. Inde ſane ſi cetera deſint, ſatis eſſet argumenti inventionis illius gloriam ad nullum competitorum jure merito pertinere, cum tam multis pari jure adſcribatur. Sed id multo certius concludas, ſi attendas ad numeroſa & diſertiſſima teſtimonia, quæ *Lib. II Cap.* 7. & alibi paſſim adducta ſunt, quibus evidenter probatur hancce methodum tum Mercurii parcius rariuſque illinendi, tum reprimendæ illius ferociæ iterata ſæpius catharticorum exhibitione, nulli recentiorum attribui poſſe, quippe quæ nova non ſit, noviterve reperta, ſed a primis naſcentis morbi temporibus propoſita, commendata, adhibita a pleriſque Medicorum, contra quod nemo niti poteſt, niſi qui ſit in rebus medicis πάνυ ἀνιςόρητος.

II. In ſumma quatuor ſunt Hydrargyroſeos ſpecies, in quibus Mercurius ratione nonnihil diſpari ſolet adminiſtrari. In *Prima*, quotidianis & largioribus illitionibus Salivatio cietur ſubitanea, tumultuaria, fræni impatiens, immodica, in qua ſalivales glandulæ valde tument, oris interiora inflammantur, plura & profunda ulcuſcula in ore enaſcuntur, ſaliva ad libras octo, novem, decem defluit intra nycthemerum. Hæc Hydrargyroſis jam fere obſolevit, quia moleſtiſſima ſalivationis tædio, ulcerum fœditate & dolore, difficultate loquendi & deglutiendi; quia periculoſa ob capitis inflationem, hæmoſtaſiam in cerebro, oris inflammationem, metumque gangrænæ, hæmorrhagiæ, capiſtrationis; demum quia interdum parum efficax, quoties ſymptomatum quæ advocat, vehementia cogit curationem ante diem comprimere vel coercere.

In *Altera*, rarioribus & parcioribus illitionibus, quæ poſſunt breviori vel longiori dierum intervallo repeti, cum uſus poſcit, movetur quidem ſalivatio, ut in præcedente, ſed placida, moderata, remiſſa, regi facilis, quæ ori inflammationem nullam vel levem, quæ ulcera pauca & ſuperficiaria inferat, quæ unam aut alteram, vel ad ſummum tres ſalivæ libras inter horas viginti quatuor ſuggerat. Hæc Hydrargyroſis ad patiendum tolerandumque non difficilis, ſimul vero ſumme tuta & omnium efficaciſſima, quod in illa, cum maniſeſti ſint Mercurii effectus ex ſalivationis modo, promptum ſit pro re nata ejuſdem in ſanguinem vim & momentum vel compeſcere abſtinendo ab illitione, vel intendere illitione iterata, donec optato effectui compar eſſe comperiatur, ita ut ſalivatio ſit inſtar fili cujuſdam Ariadnei, quo datur per errores hujuſce Labyrinthi alioquin inobſervabiles curſum dirigere.

In *Tertia*, parciores adhuc & rariores illitiones adhibentur, ita caute ut omnis declinetur ſalivatio, nec ulla alia moveatur vacuatio, quæ ſenſibus pateat, præter diureſim, quæ etiam perpetua non eſt. Hæc Hydrargyroſis, quam jam paſſim commendari video, quod omni

(*a*) Vid. ad *annum* 1732. (*b*) Vid. ad *annum* 1734.
(*c*) Vid. ad *annum* 1738.
(*d*) Vid. ad *annum* 1733.
(*e*) Vid. ad *annum* 1739.

omni vacet moleſtia, plerumque ſufficit ſanandæ lui venereæ recenti, levi, quæ partibus ſolidis nondum inſedit, ſed contra graviorem, inveteratam, ſolidas corporis partes jam depaſtam ſæpius inefficax eſt: Profecto nunquam ſatis certa, cum nullo conſtet in illa indicio an ſatis magna copia Mercurius in ſanguinem ſubeat, ſatiſve diu in illo reſtitet, ut vim in illum idoneam exerat, qua poſſit virus venereum exſtirpari, unde fit ut ii, qui ea ratione lui venereæ medentur, pugnent in tenebris perpetuo Andabatarum more, ſimileſque ſint navigantibus in mari ſcopuloſo & infeſto ſine pyxide & ſine cynoſura.

Demum in *Quarta*, ne medicina impar ſit, ut in præcedente, largiores & frequentiores adhibentur illitiones, quæ ptyaliſmum vel moveant, vel proxime moturæ ſint; at vero ſimul exituriens vel imminens ſalivatio exhibitis catharticis ſedulo reprimitur, motaque materia, quæ ad os tendit, verſus inferiora arte detruditur. Hanc Hydrargyroſin laudant Petrus Deſault & Johannes Douglaſſius, hanc & alii uſurpant non pauci. Sed quicunque ea methodo ſolent procedere, incidunt in Scyllam, dum cupiunt vitare Charybdim, neque certius medentur morbo, ad quem ſanandum ſpatium non dant remedio; ſiquidem quantum Mercurii inſtillant ſanguini illinendo, purgando tantumdem continuo educunt, ut olim fingebant Poetæ Danaides operam ludere in pertuſum dolium aquam ingerendo; unde tantumdem efflueret, quantum infundebatur.

III. Tametſi quatuor illæ Hydrargyroſeos ſpecies efficacia, moleſtia, periculo diſpares ſint, quamquam compertum habeam ſecundam ceteris omnibus præſtare & longo quidem intervallo, quia tutior eſt & efficacior, nullam tamen excludendam duco: Non *primam*, quam agnoſco quidem ſemper mochlicam & plerumque periculoſam eſſe, ſed quæ locum habere poteſt aliquando in validis ægrotantibus, ſi morbus gravior ſit & negotia recuſent ceterarum moras; imo etiam in imbecillioribus, ſi quod appareat premens ſymptoma, quod induciarum impatiens celerem & efficacem medicinam poſtulet: Non *quartam*, quam tamen omnium maxime inefficacem, quam plerumque nugatoriam eſſe expertus ſcio, quippe quæ adhiberi poſſit aliquando leviori & recenti lui venereæ, ſi qua juſta cauſa fuerit celandi curationis rationem: Non *tertiam*, quæ adverſus luem recentem, levem, humoribus tantum inhærentem plerumque ſatis efficax eſt, quam, licet graviorem luem vincere raro poſſit, adhibere tamen expedit, quoties æger infirmior eſt, ut mitigata aliquantulum morbi vehementia vires recolligantur, & pleniori Hydrargyroſi tolerandæ pares fiant. Proinde, ut diverſæ ſunt Purgantium, quibus utimur, naturæ, ut diverſæ ſunt Alimentorum, quibus veſcimur, qualitates; ſic diverſæ illæ omnes Hydrargyroſeos ſpecies ſub cenſu medico retinendæ, ut quæ lubuerit, adhiberi poſſit pro varia morbi facie, prout obvenerit occaſio, uſuſve poſcere videbitur prudenti & perito Medico; qua in re diſſentire neminem poſſe puto, niſi qui cogitet præter æquum & bonum de Medicina inope facienda, & remediis, quibus maxime nititur, ad pauciorem numerum redigendis.

IV. Demum in *Tertia* Diſſertatione Douglaſſius cum Daniele Turnero rixatur, ſeu verius digladiatur, a quo methodum ſuam illitiones mercuriales adhibendi ſine ptyaliſmo temere impugnatam fuiſſe contendit. Sed de his viderint, quibus vacat,

Non noſtrum hos inter tantas componere lites.

1737. JOHANNES TIMMIUS, in Germanicum idioma tranſtulit *Boerhaavii Diſſertationem*, præmiſſam Editioni Lugduno-Batavæ Collectionis Luiſininæ, atque Tractatum Ulrichi de Hutten, *De Guaiaci Medicina & Morbo Gallico*; & utrumque Opus ſimul edidit Bremæ, in 8°. anno 1737. cum Præfatione, in qua nihil ineſt novi.

1737. JOSEPHUS ANTONIUS PUJATUS, Sacilenſis.

Decas rariorum Obſervationum medicarum theoricis, practicíſque animadverſionibus illuſtratarum. Venetiis. 1737. in 4°.

Auctor inter alias Obſervationes, binas refert, quæ ad argumentum noſtrum ſpectant: *Alteram* de Bubonibus & Ficis gallicis, ſine Chirurgiæ præſidiis feliciter perſanatis: *Alteram* de Lue Venerea graviori, ſine ſalivatione curata.

1738. MICHAEL PEAGET, Doctor Medicus.

CAROLUS DIONIS, Pariſinus.

Quæſtio Medica quodlibetariis Diſputationibus mane diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis nona menſis Januarii, MDCCXXXVIII. Michaele Peaget, *Præſide.*

An luis venereæ curationi per frictum, potius quam per ſuffitum, faveant medicæ Obſervationes?

Concluſio affirmat:

Propo-

Proponebat Pariſiis Carolus Dionis, *Pariſinus*, A. R. S. H. 1738.

JOHANNES RODOLPHUS, IM-HOFF, Bibliopola & Typographus Baſileenſis, priorem hujus Operis editionem, quæ Pariſis prodierat anno 1736, Baſileæ æmulatus eſt literis non inelegantibus, ſed forma Libri contractiore, & nigriore charta, ac eamdem inſcriptionem præfixit, quæ in priore editione legebatur.

De Morbis Venereis Libri ſex, in quibus diſſeritur tum de origine, propagatione & contagione horumce affectuum in genere, tum de ſingulorum natura, ætiologia, & therapeia, cum brevi analyſi & epicriſi Operum plerorumque, quæ de eodem argumento ſcripta ſunt. Auctore Johanne Aſtruc &c. *Pariſiis*, ſuppreſſo Bibliopolæ nomine, MDCCXXXVIII. *in* 4°.

Id forte doluit Bibliopolæ Pariſienſi, a quo prior editio vulgata fuit, ſi ſenſerit aliquid de ſuo compendio inde deceſſiſſe; ſed ipſe, quem cura iſtiuſmodi non ſollicitat, fateor in hoc me lætatum fuiſſe, quod intellexerim Librum huncce meum, quamquam vitioſum, necdum mendis, ut par erat, purgatum, publici ſaporis ſatis viſum fuiſſe, ut Librarius ille exemplaria nova, quæ in vulgus ſparſurus erat, ſe diſtracturum, & commodo quidem ſuo, non deſperaverit. Si quid ergo mihi doluit, id unum, quod in hanc adulterinam editionem menda irrepſerint plurima, quæ nec mea ſunt, nec typothetarum prioris editionis, & quibus Librum meum deturpari mihi nonnihil moleſtum fuit.

ANONYMUS Anglus. 1738.

Lettre from a Phyſician abroad to a Gentleman in London, proving both by Facts and Reaſon, that the Montpellier Method bids fairer for the Cure of the Pox, than the common way by Salivation. London. *Printed in the year* MDCCXXXVIII. *in* 8°. *Pag.* 16, ſive Plagula unica.

Hoc eſt, *Epiſtola Medici cujuſdam exteri ad amicum ſuum Londinenſem, in qua probatur tum exemplis, tum argumentis Methodum Monſpeſſulanam faciliorem eſſe communi ſalivationis methodo in curanda lue venerea.* Londini, MDCCXXXVIII. *in* 8°. *Pag.* 16.

De ea quæſtione vide quæ alibi dicta ſunt *Lib. II. Cap.* 12. & *Lib. IX.* ad annum 1737. ubi de Johanne Douglas.

FREDERICUS HOFFMANNUS, Hallenſis, de quo ſupra ad *annum* 1700. 1739.

Edidit nuperrime *Partem quintam Tomi IV. Medicinæ* ſuæ *rationalis ſyſtematicæ*, cui ad exemplum ceterarum partium ſequentem appoſuit inſcriptionem:

Medicina rationalis ſyſtemaca Tomi quarti, quo ſpecialis morborum pathologia, & huic ſuperſtructa ſolida therapeia, cum medendi methodo, cautelis, clinicis, & morborum enarrationibus adjuncta epicriſi exhibentur, Pars quinta *doctrinam morborum ac vitiorum externas potiſſimum partes affligentium perſpicua, & demonſtrativa methodo tradens.* Halæ Magdeburgicæ. MDCCXXXIX, *ex officina Rengeriana* in 4°.

Liber ille Capitibus ſeptem abſolvitur, quorum *quartum*, quod inſcriptum eſt *de Lue Venerea*, ad inſtitutum noſtrum pertinet. Hujuſce Capitis, more ceterorum omnium totius Libri, Partes ſunt quatuor, I. quæ *Theſes Pathologicas* ſive Corollaria XIII; II, quæ *Theſes Therapeuticas*, ſive Corollaria XI; III, quæ *cautelas & monita practica* XV; Et IV, quæ *Obſervationes* VII, cum adjunctis *Conſiliis* totidem *medicis* continet.

Parte I. Fatetur (*a*) Hoffmannus „ communem Auctorum opinionem eſſe luem venere„ ream in India Occidentali endemiam, eo demum tempore in Europam eſſe advectam, „ & per ſingulas ejus regiones diſſeminatam, cum Chriſtophorus Columbus inſulam Hi„ ſpaniolam anno 1492. detexit.

(*b*) Concedit tamen „ citra ullum contagii virus, ... ex diverſi ſeminis ſtagna„ tione & corruptionem, quæ ſcortatione ſequitur . . . . . morbum lui Americanæ „ ſimilem generari poſſe; „ quod tamen certa nulla liquet obſervatione. Sed addit „ ne„ gari minime poſſe, quin allata ex America contagio majoribus ſtipata ſit ſymptoma„ tibus, longeque vehementius & malignius, quam malum ex vaga ſcortatione ortum, „ ſæviat. „

Deinde expoſitis definitione, diagnoſi & contagione morbi, cenſet (*c*) veneni illius „ contagioſi indolem in tenuiſſimo fluido ſulfureo, ſive phlogiſto æthereo & fermentativo „ principio conſiſtere, quod ulterius diffuſum reliquos corporis humani ſuccos eadem „ labe contaminata: „ Quod putat poſſe colligi 1°. Ex eo quod „ fluidum ſulfureo-æthe„ reum,

(*a*) Theſi I. (*b*) Theſi IX. (*c*) Ibid.

„ reum, ſeu oleoſum, ſi ullum aliud, ſtupenda ratione poſſit dividi, diſſipari, & multiplicari: „ 2°. Ex eo quod „ fermentum ſulfureæ & oleoſæ naturæ pinguedini involutum difficilius extricetur, nec tam prompte cum aliis ſuccis commiſceatur; „ unde opinatur commodiſſime explicari, cur „ virus venereum . . . . . . per plures menſes, „ imo annos occultum latere poſſit, antequam perniciem corpori intendat: „ 3°. Ex eo „ quod (*a*) „ cetera venena peſtis, variolarum, morbillorum, petechiarum &c. ſint, „ ut ille quidem ait, „ putridæ ſulfureæ indolis: Quæ tria argumenta vel non ſatis vera, vel ſi vera eſſent, ad probandum non ſatis firma eſſe videntur.

Proinde conſentit Auctor cum Boerhaavio, quem laudat, non modo de indole ſulfurea veneni venerei, ſed etiam de illius ſede. Credit (*b*) enim „ membranam adipoſam, non „ modo præcipuum ſeminii venerei receptaculum conſtituere, verum etiam infecto jam „ ſanguine, morboque vigente, eamdem præcipue affici. Sed de his vide ſupra.

Demum de Prognoſi diſſerit, quam diverſam eſſe (*c*) ait „ ſecundum ſubjecta, & „ ſecundum gradus morbi. „ Interim confitetur multos ex Germania in Galliam con„ cedentes facilius a malo liberari, non quod in Gallia omnes præſtantiores ſint Me„ dici, ſed potiſſimum quod ibidem regnans temperata cœli temperies curationi quam „ maxime faveat: „ Quod totidem fere verbis legi meminimus apud Sydenhamium, ut ſupra dictum fuit.

Parte II. affirmat (*d*) „ duos uſque eo innotuiſſe modos, quorum beneficio tota hu„ morum inquinatorum colluvies ex intimis partium ſolidarum latibulis ejici & expur„ gari poſſit, videlicet per largiorem, pauloque diutius durantem ſudorem, & per co„ pioſum debito tempore inſtitutum ſalivæ profluvium.

Ad ſudores movendos laudat (*e*) Decocta ligni Guaiaci, radicum Salſæ-parillæ, chi„ næ, ligni ſaſſafras, & ex noſtris regionibus ligni juniperi, radicis cichorei, ſapona„ riæ, bardanæ, glycyrrhizæ & aliorum; „ docetque qua ratione præparanda, & qui„ bus cautionibus exhibenda ſint.

Vult (*f*) „ alteram luis venereæ curationem, quæ mediante ſalivatione perficitur, lo„ cum tam invenire, cum malum altius infixum nec ſtricta diæta, nec cura jam lauda„ ta ſudorifera evelli poteſt. Addit (*g*) Veteres per ſuffimenta, Mercurium in vapores „ reſolvendo, curationem morbi peragere contendiſſe, ſed minus commode, quia craſſi „ denſique hi vapores nervoſo generi ſunt inimici.

Agnoſcit (*h*) „ tutiorem, eumque frequentiorem eſſe uſum per unguenta, quibus „ argentum vivum probe ſubactum corpori applicare ſolent. Atque hæc methodus, *per*„ *git ille*, in Gallia maxime hactenus obtinuit, & a Chirurgis ibidem degentibus hac „ potiſſimum ratione inſtituitur. Unguentum roſatum & pomatum, æquali ad unciam „ portione ſumptum cum uncia Mercurii vivi, in ſ. q. terebinthinæ extincti, intime „ miſcetur, additis pro lubitu olei lavendulæ guttis X, & dimidia balſami Peruviani „ drachma, quo unguento juncturæ, pedumque malleoli, & genua quoque, ſi opus eſt, „ matutino tempore & ventriculo a cibis vacuo, ad fornacem per tres quatuorve dies „ probe inunguntur, donec ſalivæ ſequatur profluvium, non omiſſo interea decocti li„ gnorum temperatioris uſu. „ Ex quibus liquet, ſi cum iis, quæ a nobis tradita ſunt, conferantur, Hoffmannum unguenti mercurialis præparandi & adminiſtrandi methodum, quæ nunc in Gallia uſu receptiſſima eſt, non ſatis probe compertam habuiſſe.

Tandem adjungit (*i*) „ eſſe ex Medicis & Chirurgis periocioribus nonnullos, qui ſali„ vationis cura per inunctionem ſepoſita, in rebelliori malo tutiorem exiſtimant modum „ per mercurialia interne ſumpta ſalivæ fluxum promovendi. . . . . Quod ſi vero . . . . „ non ex voto ſuccedit operatio, tum per aliquot dierum ſpatium ſubjungitur externa „ Mercurii inunctio, unde ſaliva tam largo prodit flumine, ut ſæpe ad duas vel tres „ menſuras ejus accedat quantitas. „

Parte III. ſigillatim. ſed paucis explicat (*k*) „ cautiones aliquot obſervandas, ante „ ſalivationem, in ſubjectis ſcorbuticis aut macilentioribus; ſub ſalivatione, circa oris vi„ tia, dentium lapſum, dolores inteſtinorum & vigilias, poſt ſalivationem, circa affe„ ctus multos, „ qui eluſa Mercuri efficacia ſuperſtites eſſe ſolent.

Proponit

(*a*) Theſi X. (*b*) Theſi XI.
(*c*) Theſi XII. (*d*) Theſi I.
(*e*) Theſi IV. (*f*) Theſi VIII.
(*g*) Theſi IX.
(*h*) Theſi eadem. (*i*) Theſi X.
(k) A Theſi I. ad XIII. uſque.

Proponit (*a*) „ ſingularem luis venereæ curationem, quæ ſua methodo & experientia „ per medicamenta quidem mercurialia, ſed eadem valde correcta, & virtute diaphoretica exaltata, ſine largiori ſalivæ ad aliquot hebdomades durante profluvio perficitur. „ „ ..... Horum medicamentorum (*b*) „ alterum eſt Mercurius diaphoreticus, qui ex amalgamate Mercurii & Stanni ita conficitur, ut deſuper abſtracta aqua forti edulcoratio cum aqua fiat : Alterum vero ex commixtione Mercurii, Auri & æquali portione Reguli Antimonii, quod deſuper abſtracta aqua Regis, itidemque facta edulcoratione „ præparatur.

Ait autem medicamentum poſterius, *auri in primis combinatione præparatum*, efficacius eſſe, quod (*c*) „ mane & veſperi..... vel in conſerva roſarum, vel in forma pilularum „ ad ſcrupulum unum per aliquot dierum ſpatium offeratur, poſtero die mane ſuperbibendo decoctum lignorum temperatum cum regimine diaphoretico .... Monetque ſimul „ tutiorem eſſe hanc medendi methodum, ſi peracta ciborum digeſtione circa horam pomeridianam quintam vel ſextam æger quotidie per menſem in balneum deſcendat, & „ cubitum iturus medicamentum dicto modo ſumat.

Demum *Parte IV* recenſet Hiſtorias VII ægrotantium ex lue venerea, vel ex venereo quodam morbo, additque ſingulis ſingulas therapeias quas adhiberi juſſit.

Ceterum libere dicam, quia neque ob rem, neque ob invidiam dico, videri ex iis, quæ ab Hoffmanno, Viro pereruditо & in rebus medicis exercitatiſſimo, nuperrime ſcripta ſunt, poſſe concludi Hydrargyroſeos methodum, uſum, utilitatem, ſummamque præ ceteris omnibus methodis curatoriis præſtantiam in Germania necdum ſatis perſpecta, exploratаque eſſe, unde poſſet quis nec immerito forſan ſuſpicari infectos lue venerea, *qui ex Germania in Galliam concedunt, non ideo ſolum a malo facilius illic liberari, quod regnans temperata cœli temperies curationi quam maxime faveat.*

JULIANUS OFFRAI dictus DE LA METTRIE, de quo ſupra ad *annum* 1736, Diſſertationem *de morbis venereis*, quam Præfationi Hermanni Boerhaavii a ſe gallice verſæ præfixerat, recognovit, emendavit, auxit, & Lutetiæ Pariſiorum iterum vulgavit cum hac inſcriptione: 1739.

Nouveau Traité des Maladies Vénériennes. Par M. de la Mettrie, *Docteur en Médecine.* Paris, *chez Huart & Briaſſon.* 1739. *in* 12.

Auctor in hoc Libro multa de me honorifice prædicat, quæ ſane video meriti modum longe excedere: Sed ut dicteriis non tangor, quibus epiſtolam olim aſperſit in me ſcriptam, quam ſuæ *de Vertigine* Diatribæ affixit, ſic nec encomiis capior immodicis, quibus alteram hanc Diſſertationem referſit; atque adeo plane vacuus ab amicitia & ab odio ſingula quæque ex veritate æſtimaturus ſum.

Decem ſunt omnino hujus Diſſertationis Capita: Major pars Libri continetur *Primo*, in quo inquiritur in originem luis venereæ, & *Secundo*, in quo exhibetur Index alphabeticus Scriptorum Aphrodiſiacorum, quæ ambo confitetur Auctor ex Libro meo ſummatim tranſcripta eſſe. In ceteris *Octo* quæ ſequuntur, diſſeritur, 1°. De natura: 2°. De ſede veneni venerei: 3°. De Gonorrhœa in viris; 4°. De Gonorrhœa in mulieribus: 5°. De curatione gonorrhœæ: 6° De prophylaxi gonorrhœæ: 7°. De verrucis venereis, phimoſi & paraphimoſi: 8°. De tumoribus venereis teſtium, de bubonibus, de ulcuſculis cancroſis ſeu carie pudendi, & de methodis curatoriis luis venereæ; ſed de ſingulis perpaucis & curſim, adeo ut ad Librum meum Lectores paſſim relegentur ab Auctore. 1735.

I. Generatim ſunt in illo Libro multa egregie & erudite dicta, quæ debent Auctori laudi dari; ſunt non pauca candide emendata, quæ veritatis amicum Auctoris animum oſtendunt; ut cum aperte & ingenue improbat (*Pagg.* 185. 188.) hydragoga & mochlica cathartica, ceu nociva in curanda gonorrhœa virulenta, quæ tamen a Boerhaavio laudari viderat, quæ laudaverat ipſe effuſe in priore editione, ſed quibus jam fatetur ſe uſum fuiſſe improſpere.

II. Sunt nonnulla, quæ abhorrent a vero, & in quibus illum ideo erraſſe ſentio, quod addictior eſſet jurare in verba Boerhaavii, ut cum opinatur, *Pagg.* 225. 226, Guaiaci decocto luem veneream melius nonnunquam perſanari, quam hydrargyroſi etiam legitima; quod ut probet, Boerhaavii veſtigiis inſiſtens adducit auctoritatem & exemplum Ulrichi Hutteni, ut qui teſtetur ipſe (*d*) *ſe undecies curationem mercurialem expertum fuiſſe* in-

(*a*) Theſi XIV. (*b*) Theſi XV.
(*c*) Ibidem.
(*d*) De Morbi Gallici curatione per adminiſtrationem ligni Guaiaci, *Cap.* 5.

incaſſum ac demum (*a*) *præſentius remedium habuiſſe ex Guaiaco*, cujus uſu *depulſa omni in valitudine ita vires recepit, ut de novo factus ac renatus homo videretur*.

Nolo in præſenti quærere utrum repetita illa hydrargyroſis fuerit Hutteno ex legibus artis adminiſtrata, quod vix credo, quod ne credam facit ipſa Hutteni narratio, ætatiſque, qua vixit, ratio: At pro certo habeo Huttenum, ut ut de ſanitate ſua confiſus fuerit, ex decocto Guaiaci perfecte non convaluiſſe, quod poteſt magnis evinci auctoribus; 1°. Deſiderio Eraſmo, qui in (*b*) Epiſtola ad Philippum Melanchtonem data menſe ſeptembri anni 1524, narrat *a ſe ideo Huttenum*, cum Baſileam petiit, ubi Eraſmus commorabatur, *colloquio excluſum fuiſſe* anno 1522, atque adeo annis tribus poſt adhibitam Guaiaci medicinam, *quod ſibi glorioſus ille Miles in ædes recipiendus fuiſſet cum ſua ſcabie*, hoc eſt, cum ſua lue venerea, quam ab Eraſmo *Scabiem* vocari ſupra vidimus ad *annum* 1524, ubi de *Eraſmo*.

2°. Melchiore Adamo, qui cum refert, *in Vita Ulrichi Hutteni inter Juriſconſultos Germanos*, Baſilea, quo confugerat anno 1522, in Uffnaugiam, Inſulam lacus Tigurini, ſe recepiſſe *apud Johannem Schecķium*, *felicem paralyſeos curatorem*, indicare videtur eo conſilio ad illum divertiſſe, ut abalienata morbo membra illius opera reſtituerentur, unde ſequi videtur priſtini ſeminii vim vel non abolitam, vel jam redivivam fuiſſe.

3°. Conrado Geſnero, qui *in Bibliotheca*, *fol.* 342, in verbo *Huldricus Huttenus*, ſcribit affirmatiſſime Huttenum *morbo conſumptum* fuiſſe *gallico*, & ſane conſtat illum immatura morte præreptum vix annos 36 expleviſſe; quæ viſum eſt idcirco paulo fuſius diſquirere, ut hinc pateret, quam ficulneo nitantur argumento, quicunque ut Guaiaco primas deferant in curanda lue, Hutteni exemplum ſolent obtrudere.

III. Sunt quædam, quæ videntur oſcitanti Auctori excidiſſe: 1°. Ut cum ſcribit, *Pag.* 10. Tiberium, Divi Auguſti filium, Cæſarem III, *Mentagram* in facie *ſenſiſſe*, quæ morbi ſpecies *in Italiam* non prius *irrepſit*, teſte Plinio, *Hiſtor. Natural. Lib. XXVI. Cap.* 1. quam *Tiberii Claudii*, Druſi filii, *Cæſaris* V. *principatu medio*.

2°. Ut cum vult, *Pag.* 11. puſtulas Tiberii unguentis illitas fuiſſe a Galeno, quem nemo neſcit infra Tiberium fuiſſe longo intervallo, quippe (*c*) natum anno 14 principatus Hadriani, & qui ſane *unguentum ad Herpetas Tiberii*, de quo mentionem facit *Lib. V. Cap.* 12. *De compoſitione medicamentorum ſecundum genera*, non tanquam ſuum, ſed tanquam ab alio acceptum, deſcribit.

3. Ut cum Petronio Arbitrio attribuit, *Pag.* 35. verſum hunc notiſſimum de Meſſalina, uxore Claudii,

Et laſſata viris, nec dum ſatiata receſſit,

quem nemo neſcit Juvenalis eſſe, *Satir.* 6.

4°. Ut cum objicit, *Pag.* 29, 30. me negaviſſe (*d*) Lepram Judæorum contagioſam fuiſſe, cum affirmem tantum laudato loco Lepram non contagione ſolum diſſeminatam fuiſſe, ſed interdum ſpontaneo quoque vitio conceptam. Aio enim totidem verbis *Lepram ſine contagio ullo*, *ſed ſolo diæta errore plerumque contractam fuiſſe*; unde colligo a lue venerea, quæ nunc graſſatur, diverſam fuiſſe, quippe quæ *diæta vitio nunquam producatur*, *ſed ſola contagione propagetur*, quorum neutrum in dubium vocari poſſe, quorum utrumque certo certius eſſe puto.

Ne plura. Eſt in illo Auctore ingenium & literatura, eſt facilis, ornata, compoſita elocutio; at vero videtur properaviſſe de iis ſcribere, quæ nondum ſatis meditatus fuerit;
1739. quamobrem non mirum ſi minus accurrate interdum ſcripſerit, nam verum illud verbum eſt, vulgo quod dici ſolet, *Canem feſtinantem cæcos parere catulos*.

PETRUS DE ROTUNDIS, Medicus Romanus, ſcripſit Tractatum ſequentem vere doctum, quem Romæ edidit, ac ignoto mihi dono miſit, quo me ſibi devinxit beneficio.

De Victus ratione in febre acuta continua: Opus in tres partes diſtributum, vulgatumque tyronum gratia, unde nempe quoddam veluti ſpecimen miniſtrandi, adhibendæque continenti febri curationis ii ſibi capiant. Authore Petro de Rotundis. *Romæ, Typis Antonii de Rubeis*. 1739. in 4.

Nihil eſt in illo Opere, quod ad argumentum præſens pertineat, præter pauca quæ leguntur *Pagg.* 23. 24. & 25. *Præfationis*, & quæ notatione digna ſunt.

Re-

(*a*) In *Epiſtola dedicatoria* Libro præfixa.
(*b*) Hæc Epiſtola. CXIII. eſt Libri XIX.
(*c*) Philippus Labe e Societate Jeſu, in *Vita Galeni*.
(*d*) Pagina 11. *prioris editionis*; Pagina vero 8 *hujuſce*.

Refert Auctor ille ,, ſe nonnulla de contumaci , fœdaque illa lue , quam vocant , *ve-*
,, *nerea*, obſervando experiendoque collegiſſe ; & de hac aliquid tradere meditari , quo u-
,, niverſam illius hiſtoriam , curationemque complectetur , ,, quod ne diutius arti medi-
,, cæ, Collegiſque ſuis invideat , rogo & obteſtor.

,, Poſt cognitum morbum ,, *inquit Auctor*, ſcrutandæ quoque argenti vivi naturæ , agen-
,, dique rationi non incurioſam impendi operam , quo tute uterer atque apte , cum com-
,, pertum alias haberem veneream luem, maxime quæ incidit in vetuſtatem , nulla re alia
,, æque ac illo, vinci radicitus. Quapropter, *pergit Ille*, haud inutilia de execrabili mor-
,, bo, ejuſque curatione me ſcripturum confido : Eoque magis ad id invitari me ſentio ,
,, quod cogitatum quoddam ea de re meum vix a me olim dimiſi , cum haud diu pere-
,, grinatum comperi (quippe quod neſcio qua novitatis gratia commendaretur) liberali
,, ac ſtabili exceptum, imo interceptum hoſpitio fuiſſe.

Rem paucis ſic narrat. ,, Anno decimo octavo ſupra milleſimum ſeptincenteſimum tranſ-
,, ſmiſi Lutetiam , (*a*) (quod ſic eſſet occaſio) ut inde ad Monſpelienſes Medicos remit-
,, teretur , Conſilium quoddam meum , quo adumbrabam *Luis Venereæ per illitionem ar-*
,, *genti vivi curationem* , quam tamen *nullum ſalivationis* (quod eatenus factum erat) *ta-*
,, *dium* conſequeretur . Docebam rei rationem modumque, addebamque nonnulla , quibus
,, agilitatis effectuumque fluentis metalli neceſſitatem ob oculos proponebam.

,, Quam vicem illud meum Conſilium ſua in peregrinatione pateretur reſciſſe tum non
,, licuit ; nec ipſe de eo , quæ mea eſt propriis in rebus incuria , deinceps ultra cogita-
,, vi. Verum biennio poſt (*proinde* anno 1720) novam Luis Venereæ curandæ rationem
,, illitu vivi argenti, unde ſalivatio non moveatur, (*b*) a Monſpelienſi quodam Medico
,, repertam , ſcriptoque vulgatam rumor circumtulit.

,, Equidem me id ſcriptum nondum legiſſe , & quomodo ſe res vere habuerit , fateor
,, etiamdum ignorare , qui reputem non penſi habendum a quo quidpiam repertum ſit ,
,, ſed quid inde acceſſerit ad bonum publicum ; quinque idem ſciam quotidianum eſſe u-
,, nam eamdemque rem a pluribus cogitari . Nihilo tamen minus illiuſmodi ſcriptum
,, (tametſi (*c*) præferre aiunt in fronte fuiſſe ſe editum neſcio quot annis ante id tem
,, poris , quod ego memoro) nuſquam *ante id temporis* viſum lectumque eſt : Novum in-
,, ventum non *ante id temporis* innotuit hominibus : Non *ante id temporis* in Monſpelienſi
,, Schola propoſitum propugnatumque eſt . Quomodo autem cumque ſe res habuerit, lau-
,, do beneficum Scriptoris ingenium , habendaſque ei gratias cenſeo , quod properaverit
,, de Repubiica bene mereri . Is enim demum credendus eſt reperiſſe rem, qui eam uſui
,, publico proponit , non qui negligit.

,, Utinam vero hac nova via id totum aſſequeremur quod a ſalivando obtinemus . Sed
,, (*d*) in vetuſtatis caſu non plus ab hujuſmodi curatione ſperandum eſt , quam ab ea
,, quæ fit a Chimicis ingeſto Mercurio, quem vocant , dulci . Quamvis commodior lon-
,, ge ſit hæc noſtra, eo ſaltem nomine quod non adeo ſtomachum lædimus , quodque ra-
,, tionem inire facile poſſumus vivi argenti , quidquid illevimus , id quod facere Chi-
,, mici male poſſent. De cetero una eademque curatio utraque eſt, Idem enim præſtat ar-
,, gentum vivum intro ſumptum, ac extrinſecus illitum, eademque omnino ratione cathar-
,, tica nunc tertia, nunc quarta, quintave quaque die intercalamus, pro modo ſeu poti ,
,, ſeu illiti remedii , ut ſcilicet motam materiam infra derivando ſalivationem prohibea-
,, mus. Quod commodum de nova hac via me monuit, mirabarque, & adhuc miror per
,, tot retro annos non fuiſſe id animadverſum , cum (nota altera curatione, quæ familia-
,, riſſima eſt) adeo obvium atque in promptu ſit.

(*a*) Poſſet aliquid lucis huic hiſtoriæ accedere , ſi conſtaret cuinam Lutetiam miſſum fuerit Conſilium de quo quæſtio eſt , ut ad Monſpelienſes Medicos remitteretur, ſed nomen ab Auctore non profertur.

(*b*) Videtur hic ſubnotari Franciſcus Chicoyneau , quaſi Theſim , quam in Academia Monſpeſſulana propoſuit anno 1718 *de ſananda ſine ptyaliſmo lue venerea* , ex illo Auctoris Conſilio furatus eſſet , certe nullam aliam Theſim novi de hoc argumento ſcriptam , quæ in Monte-peſſulano circa illa tempora propoſita aut typis vulgata fuerit. Sed compertiſſimum habeo ab omni tam turpis palagii ſuſpicione Franciſcum Chicoyneau vacuum eſſe.

(*c*) Hic aquam mihi hærere fateor ; neque enim legitur *in fronte* Theſeos , quæ a Franciſco Chicoyneau propoſita fuit anno 17 8 , hanc *aliquot* annis ante editam fuiſſe . Quocirca videtur Auctor ea quæ narrat, falſis auditionibus comperiſſe.

(*d*) Recte monet Auctor eam Hydrargyroſeos ſpeciem , quam proponit , valere quidem adverſus recentem luem , at vero ſatis efficacem non eſſe contra inveteratam , atque adeo vir illam præſtare exhibitioni Mercurii dulcis , cum neutra methodo morbus gravior exſtirpetur , ſed mitigetur tantum , quod plerumque veriſſimum eſt. Vide ſupra.

Hactenus Petrus de Rotundis, cujus narrationem animadverſionibus ullis interpolare religio fuit, ideoque ſatius viſum eſt illas ad oram libri rejicere. Nunc id unum addam, ſpem mihi fore ut Auctor ille non *miretur* in poſterum cur ea illinendi Mercurii *via*, quam proponit, novamque eſſe opinatur, *per tot retro annos non fuerit animadverſa*, ſi ad ea velit attendere quæ ſupra diſputata ſunt *Lib. II. Cap.* 7. & hoc *Lib. IX.* ad annum 1737, ubi de Johanne Douglas, ex quibus liquet eamdem adminiſtrandi Mercurii methodum ab ipſo morbi ingreſſu ad noſtra tempora a pleriſque Medicorum propoſitam, laudatam, adhibitam fuiſſe.

1739. DANIEL TURNER, Anglus, de quo ſupra *ad annos* 1717, 1727, 1732, & 1736, & qui *fuit mihi ſæpe vocandus ad partes*, ſcripſit ediditque Londini anno 1739. ſequentem Tractatum:

Syphilis, *The ſecond Part, containing ſome farther Obſervations on the Venereal Diſeaſe in two Commentaries, the one upon the Practice of Dr.* Aſtruc *at Paris; the other on that of Dr.* Deſault *at Bordeaux, whith a Preface, in which the Author's Vindication of his firſt Part or Practical Diſſertation from the cenſure paſt thereon by the former of theſe Gentlemen, in his Sixth Book of Venereal Diſeaſes. By* Daniel Turner, *of the College of Phyſicians in London.* London, *for John Clarke*, M DCC XXXIX. in 8°.

Hoc eſt, Syphilis, *Pars altera, qua continentur aliquot aliæ Obſervationes de Lue Venerea, in Commentariis duobus; altero in Praxim Doctoris* Aſtruc, *qui Pariſiis; altero in Praxim Doctoris* Deſaul, *qui Burdigalæ Medicinam facit: cum Præfatione, in qua Auctor priorem ſuæ Syphilidis Partem, ſive Practicam Diſſertationem vindicat a cenſura, qua notatur a priore illorum Medicorum in ſuo ſexto Libro* De Morbis Venereis. *Auctore* Daniele Turner, *e Collegio Medicorum Londinenſium*. Londini, M DCC XXXIX. *in* 8°.

Liquet vel ex ipſo titulo Librum hunc in me ſcriptum fuiſſe: In illo contendit nervis omnibus Turnerus, ut medendi methodum, quam in hoc Opere protuli, carpat aſpere, ſed videtur ei tenebras obduxiſſe nimia & impotens reprobandi cupiditas Haud deerant, credo, quæ vere potuiſſent objici, ſed ut ſpero, levia & ſatis facile condonanda in Opere longo: Ne ab eo vix quidquam vere objectum fuerit, in cauſa fuit bilis, qua motus levia neglexit, dum graviora quæſivit objicere. Cum ea vero non ſuppeterent ex ſententia, loca quæcunque in deteriorem partem rapi poſſe credidit, arripuit, corrupitque multis modis perperam interpretando, & ut

(*a*) *Nihil eſt, quin male narrando poſſit depravari,*
Id quod boni eſt excerpſit, dixit quod poteſt
In vitium verti.

Hæc autem paucis obiter indicanda cenſui ordinis gratia, ne quid ſilentio mala fide prætermiſſum videatur, ſed nullo ſane amaritudinis ſenſu, nec ullo litigandi animo: Tricis enim & apinis iſtiuſmodi immorari, Lectorumque aures inani vitilitigio obtundere nec vacat, nec libet, nec expedit. Quod ſi quis e Lectoribus otioſior de lite illa, ſeu potius rixa cognoſcere ſuſtineat, rogo illum atque obteſtor, ut quæ ſunt æqui judicis partes, velit Librum hunc meum prius legere; caſtigata a Turnero loca, ut in Libro jacent, expendere; cum cenſura qua notantur, ſingula conferre; atque tum demum, re ex utraque parte audita, judicium facere, cui me non refragaturum certus ſpondeo.

Sed ea porro levia, quia mihi tantum; quæ ſequuntur graviora multo, quia Medicinæ injurioſa ſunt. Chirurgis Turnerus inſcripſit anno 1717. Tractatum ſuum *de Syphilide*; Inſcripſit anno 1727. Tractatum *de Stillicidiis gonorrhoicis*: Inſcripſit anno 1732. quartam Syphilidis ſuæ editionem novis aliquot Diſſertationibus auctam: Inſcripſit anno 1739. hanc alteram *ſuæ Syphilidis* partem: Demum ſciſcitaturus anno 1738. ut procederet methodus hydrargyroſeos a Petro Deſault propoſita, Chirurgum Burdigalæ, Lutetiæ Chirurgum conſulendum curavit, Medicum nullibi: Quæ ſane indicio ſunt manifeſto Chirurgos Turnero videri in ea medendi parte arbitros eſſe. Sed quid indiciis opus, cum illum non pudeat aperte contendere in *Præfatione* Diſſertationi *de Stillicidiis gonorrhoicis* præfixa, curatione morborum venereorum ad Chirurgos potiſſimum pertinere; quod ab ullo vix dici poſſe reor, cui prima medicationis illius elementa, arctaque connexio, quam cum difficillimis totius Medicinæ quæſtionibus habent, perfecta fuerint, ſed quod vel ideo tanto magis annotare operæ pretium viſum eſt, ut

(*a*) Terent. in *Phorm. Act.* 4. *Scen.* 4.

ut inde liqueret evidentius, quam magnifice ſentiat Turnerus de Chirurgis, a quorum tamen ſocietate amavit refugere, & quam demiſſe ſentiat de Medicis, quorum ſocietatem ambit, & inter quos vult connumerari.

Sed videre videor quæ fuerint Turnero conſilia, & quæ conſiliorum cauſæ. 1º. Si Chirurgis favet ultra modum, Medicis parum æquus, ideo nempe quod mens errorem, quo ſemel eſt imbuta recens, ſervet diu, ut odorem teſta, atque adeo Medicus ille ex Chirurgo repente factus hujus felis ſimilis ſit, quæ fingitur in fœminam mutata, ſed non mutatis moribus. 2º. Si me diſtringit mordacius, ideo nempe quod a me in Librum a ſe editum *de Syphilide* liberius dictum fuiſſe putet, quanquam aliter dicere nulla ratione potuerim, quia

(*a*) *Mentiri neſcio, Librum*
Si malus eſt, nequeo laudare.

PETRUS GUISARD, Occitanus, ex Diœceſi Aleſienſi, ad Doctoris gradum promotus fuit anno 1725 in Facultate medica Monſpeſſulana, a quo tempore Medicinam cum laude facit in Monte-peſſulano. Scripſit nuperrime ſequentem Diſſertationem: 1740.

Eſſais ſur les Maladies Vénériennes, contenant avec les ſignes qui les caractériſent, un détail exact de la maniere dont on les traite à Montpellier, les inconveniens qui ſuivent le flux de bouche, les raiſons qu'on a eues de le proſcrire des Pays Meridionaux, & les avantages qui reviennent d'une Methode beaucoup plus douce, plus ſimple & infiniment plus aſſurée, confirmée par une pratique conſtante, & des obſervations particulieres; Mis au jour par Monſieur Guiſard, *Médecin de la même Ville.* A la Haye, *chez Pierre Poppy*, c'eſt à dire, a Montpellier. 1740. *in* 8. *Pagg.* 140.

Duæ ſunt hujus Libri Sectiones: In *altera*, quæ potiſſima eſt Operis pars, & cujus gratia Liber ſcriptus fuit, Auctor improbat affirmatiſſime Hydrargyroſim σιαλώδη qualemcunque, in qua ptyaliſmus ullus eliciatur, etiam blandus, lentus, moderatus, facile tractabilis, nullatenus vel parum ulceroſus, & quam ait, ſed ut videtur temere, ex regionibus auſtralibus exulare juſſam eſſe. Contendit vero omni ope atque opera eam tantum utilem & efficacem eſſe, quæ ἀσιαλώδης eſt, & ſine ſalivatione adminiſtratur. Sed de his ad ſatietatem jam ſæpius dictum eſt, maxime *Lib. II. Cap* 12. & *Lib. IX.* ad *annum* 1737, ubi *de Johanne Douglas*, quæ loca adeat velim, quiſquis meum de re illa judicium exquiret.

In hoc autem ſatis mirari non eſt, quam vana ſint & diverſa hominum ingenia. Dum pugnat hic acriter in Monte-peſſulano pro Hydrargyroſi ſimplice ſeu parciore, in qua Mercurium modice & raro illinendo cavetur, ne ſalivatio ulla moveatur, Londini pugnat nihilo ſegnius Johannes Douglas pro Hydrargyroſi plena, in qua largiter & frequenter illinitur Mercurius, ſed in qua iterata purgantium exhibitione ſalivatio alioqui futura caute comprimitur. At vero ambo, cetera diſcordes, conſpirant pari ſtudio ad improbandam Hydrargyroſim ſemiplenam, quæ inter duas illas alias veluti media, quæ utraque tutior, certior, efficacior, quæ neutra pilo difficilior eſt aut moleſtior. In quo opinioni ſuæ uterque peſſime conſulit; nam cum ambo, quaſi ex condicto pugnant acrius contra hanc unam hydrargyroſeos ſpeciem, videntur tacite confiteri hanc unam eſſe quæ obſtet ne methodi, quibus favent, admittantur; unam quæ nunc ſit in honore; unam quæ communibus Medicorum ſuffragiis ornetur, atque ea ratione inſcientes vel inviti præſtantiam ejuſdem methodi agnoſcere, quam temere illudunt & cavillantur.

AUGUSTINUS FRANCISCUS JAULT, Orgeletanus Sequanus, e Diœceſi Veſontionenſi, cui gratiam refero, ut æquum eſt pro labore ſuſcepto in Opere alieno, concinne, & quod in re dogmatica præcipuum eſt, ſumma fide gallicos fecit quatuor primos hujuſce Tractatus Libros, quales proſtant in priore editione. Ideo vero a ceteris duobus manum ſe abſtinuiſſe ait, *Præfat. Pag. XXVII.* quod Philologia & Bibliographia, qua pleni ſunt, Chirurgis ad quos ea deſtinabatur ex latinis converſio, parum utilis ſibi viſa ſit, ſaltem parum neceſſaria; ut quibus informandis abunde ſufficeret Index Chronologicus Scriptorum Aphrodiſiacorum, quem appoſuit & quem ex omiſſis duobus Libris tranſcripſit. 1740.

Hæc autem Interpretatio gallica Lutetiæ prodiit vertente anno, inſcripta, ut ſequitur.

(*a*) Juvenalis *Satira* 3.

Traité des Maladies Vénériennes, où aprés avoir expliqué l'origine, la propagation, & la communication de ces maladies en général, en décrit la nature, les cauſes & la curation de chacune en particulier. Traduit du latin de M. Aſtruc *&c. A Paris*, chez G. Cavelier. *MDCCXL.* in 12. Volum. III.

Sic evenit ergo rara felicitate & ſupra ſpem omnem meam, ut hocce Opus intra quatuor annos ter editum ſit, Pariſiis bis, ſemel Baſileæ; & bis ex latinis converſum fuerit, anglice Londini, Lutetiæ gallice. Accedit inſuper, ut nuperrime accepi, quod Viri omni doctrina ornatiſſimi, & a quibus Reſpublica literaria poſſet meliora repoſcere, germanicam Lipſiæ, italicam Taurini ejuſdem interpretationem meditentur. Mentiar, niſi fateor hæc mihi lætitiam facere, tum quod indicio ſint Opus hocce Viris doctis probari, tum maxime quod ſpem dare videantur ægris mortalibus proficuum fore, quod ut ſtudiorum meorum finis, ſic votorum omnium ſumma ſemper futurum eſt.

FINIS.

DISSER-

DISSERTATIO II.

De Deſideratis ad pleniorem Scriptorum Aphrodiſiacorum notitiam.

QUADRUPLEX eſt Deſideratorum genus, quoniam quadruplex eſt Ordo Librorum, in quibus ita hæreo, licet omnia & ubique perſcrutatus, ut opus mihi ſit amica & ſubſidiaria Eruditorum ope, qui dubia, obſcura, ignota, aperire, illuſtrare, patefacere velint.

§. I.

De Libris hactenus irrepertis, ſed de quorum prima editione conſtat.

I. Sunt Libri aliquot, de quorum prima editione certo liquet ex unanimi Bibliographorum teſtimonio, ſed qui adhuc irreperti nec in manus venerunt meas, nec ab ullo, quem percontatus ſim, uſurpati fuerunt, ita ut nihil compertum hactenus habere potuerim, nec de Capitibus quæ in illis tractantur, nec de Modo quo tractantur illa Capita. Hujus ordinis ſunt.

Franciſci de Villalobos, *Hiſpani*,
Tratado de la Enfermedad de las bubas. Salmanticæ, 1498 *in fol.*

Conradi Schelling, *Heidelbergenſis*,
Conſilium ad Puſtulas malas, morbum quem Malum de Francia *vulgus appellat.* Heidelbergæ. 1500. *in* 4.

Martini Pollichii, *Mellerſtadii*,
Reſponſio in ſuperadditos errores Simonis Piſtorii de Malo Franco. *Lipſiæ, apud Marcum Brandt.* 1501. *in* 4.

Bartholomæi Sileber.
Præcautio luis venereæ. Viennæ, 1525. *in* 4.

Johannis Antonii Roverelli, *Bolognini*,
Tractatus de Morbo Paturſa, *affectu qui vulgo* Gallicus *appellatur*, Cypris *impreſſus* anno 1537. *in* 8.

Johannis Eliſii *vel* Elyſii, *Neapolitani*,
De Curatione Morbi Gallici contra Barbaros & vulgares Empiricos.

Jacobi Cornicii, *Embdani*,
Liber de Morbi Gallici remedio per radicem Chinam.

Chriſtophori a Vega, *Complutenſis*,
De Curatione Caruncularum. Salmanticæ. 1552.

Roderici Diaz de Isla, *Baecenſis*,
Tratado contra las Bubas. Hiſpali. *in* 4.

Petri Ariæ de Benavidez, *Taurenſis*,
Secretos de Chirurgia, eſpecial de las enfermedades de morbo gallico, y lamparones, y mirrarchia, y la manera como ſe curan los Indios de llagas y heridas, con otros ſecretos haſta agora no eſcritos. Valladolid. 1567. *in* 8.

Johannis de Fogueda, *Hiſpani*,
De Puſtulis, quæ Saaphati *nominantur.*

Ludovici Isla, *Luſitani*,
Tractatus de Morbo Gallico.

Franciſci Campi, *Lucenſis*,
Liber de Morbo Gallico.

Alphonſi Lopez, *Coreolani*,
De Morbo Puſtulato Liber unus. Valentiæ, 1581. *in* 4.

Gerardi Columbæ, *Meſſanenſis*,

Tractatus de lue venerea. Francofurti, 1609. in 8.

Eitel Joachimi Kruppelii.

De Morbo Gallico 1616. in 8.

Quod ad illos Libros rogo atque obteſtor Eruditos omnes, ſi quem illorum penes ſe habeant, ne illius notitiam mihi, & quod pluris intereſt, Reipublicæ Medicæ & Literariæ invideant,, ſed ſi quid illis otii ſit. 1°. Ut Tractatus raritate mirabilis epitomen ſeu analyſim conficiant, annotando quidem paucis quot Libris Tractatus abſolvatur, quot Capita Liber unuſquiſque contineat, quænam ſint ſingulorum Capitum ſummaria, ſpecialius vere exponendo quid Auctor ſentiat de morbi venerei origine, de contagione & contagionis modis, de gradu vehementiæ, qua lues ſuo tempore ſæviebat, collatæ ad ferociam primitivam, demum quod rei caput eſt, de variis morbi remediis, Guaiaco, Saſſafras, radice Chinæ, Sarſa-parilla, Mercurio &c.

2°. Ut brevem Auctoris, a quo Tractatus ille ſcriptus eſt, hiſtoriam adjiciant, ſi ipſis nota fuerit, nempe quo anno & qua in Urbe natus, in qua Academia Medicinæ ſtudio operam dederit, graduſque Doctoris conſecutus fuerit, ubinam medicinam fecerit, ad quos honores pervenerit, quo anno deceſſerit &c.

3°. Ut Diatribam utramque pro ſuo in rem medicam & literariam ſtudio mecum communicare benigne velint.

Facile conjicio nonnullos ex memoratis Tractatibus & perexiguas ſchedulas fuiſſe, Theſium inſtar, & in vulgus primum ſparſos eſſe pauco numero, unde fieri potuit, ut aliqui interciderint temporis diuturnitate. At ſi de ullo vere auguror, eo tolerabilior jactura futura eſt, quod ſcriptis aliis ejuſdem temporis poſſit commode reſarciri vel ſuppleri.

§. II.

De Libris facile obviis, ſed de quibus non liquet, quo anno primum editi fuerint.

II. Sunt aliquot alii Libri, qui non raro obvii ſunt, & quos ideo legi & perlegi; ſed de quorum prima editione mihi nondum conſtat.

Iſtius ordinis ſunt,

Coradini Gilini.

Opuſculum de Morbo Gallico.

Natalis Monteſauri, *Veronenſis*,

Libellus de Epidemia, quam vulgares Mal Franzoſo *appellant*.

Sebaſtiani Aquilani,

De Morbo Gallico Tractatus, cujus curationes omnes quibus hactenus uſi ex hoc Auctore mutuati ſunt Medici.

Jacobi Catanei de Lacu Marcino, *Genuenſis*,

Tractatus de Morbo Gallico.

Angeli Bolognini, *e Plebe Sacci*,

Libellus de Unguentis, quæ communis habet Practicantium in ſoluta unionis medela, de quorum numero nonnulla in Morbum Gallicum inſerta ſunt, non debilibus tamen rationibus incidentaliter approbata.

Georgii Vellæ, *Brixienſis*,

Conſilium Medicum de Morbo Gallico.

Johannis Almenar, *Hiſpani*,

Libellus de morbo Gallico.

Johannis de Vigo, *Genuenſis*,

Practica Copioſa in arte Chirurgica.

Marini Brocardi, *Veneti*,

Diſſertatio de Morbo Gallico.

Petri Maynardi, *Veronenſis*,

Tractatus duo de Morbo Gallico.

Joſephi

Joſephi Struthii, *Poſnanienſis Poloni*,
Artis Sphygmicæ jam mille ducentos annos deperditæ Libri V. Baſileæ *in* 8°.

Omnes Bibliographi primam editionem prodiiſſe aiunt anno 1540. ſed incertum an vere aiant: Multa enim perſuadent editionem anni 1555 primam eſſe.

Johannis Fernelii, *Ambiani*,
De luis venereæ curatione perfectiſſima Liber.
Guillelmi Rondeletii, *Monſpeſſulanii*,
De Morbo Italico Liber unus.

Percuperem certo noſſe quo anno, qua forma, quo in loco, a quo Typographo Libri illi primum excuſi, fuerint ideoque Eruditos rogo & obſecro, quibus prima editio alicujus ex illis Libris nota fuerit, ut mihi indicare non dedignentur, quæ reſcire aveo: Addant ſimul, quæſo, an in prima illa editione occurrat quidquam ſupra vel infra editionem, quam ipſe cognitam habeo, & quam in hoc Opere ſuo loco indicavi.

§. III.

De Libris Anonymis & Pſeudonymis.

III. Inter Libros, qui de Morbis venereis ſcripti ſunt, occurrunt non pauci Anonymi, de quibus ſingulis ſuo loco dictum eſt, ut occaſio fuit, & quos omnes una collectos & indicatos reperire eſt in Indice Auctorum Alphabetico, in verbo *Anonymus*: Occurrunt Tres, quorum Auctores primo, ſeu ut aiunt, initiali tantum nominis elemento deſignantur, nempe L. . . . S. . . . . Anglus, *anno* 1673; J. . . . C. . . . Anglus, *anno* 1724. & J. . . . S. . . . Anglus, *anno* 1731: Occurrunt Tres Pſeudonymi, quorum primus recenſetur *anno* 1539, nomine MARTINI DORCHESINI; alter *anno* 1683. nomine JACOBI PLUTACRII; & tertius *anno* 1711, nomine LULLII HILARII.

Si quis quid reſcierit de nomine Auctoris Libri ullius anonymi, de nomine alicujus inter Auctores, qui initiales tantum nominis literas Libri fronti appoſuerunt, aut de vero nomine Auctoris Libri cujuſdam ex pſeudonymis, enixe illum precor & obteſtor ut me vel potius rem literariam juvet hac in parte, larvam detrahendo qua Pſeudonymi ſe occultant, tenebraſve diſcutiendo, in quibus ſe celant Anonymi & illi qui initialibus tantum literis nomen deſignant.

§. IV.

De Libris forſan omiſſis, quia nullo indicio cogniti.

IV. Sunt Libri forſan aliquot alii, ne inſcriptione quidem, Auctoriſve nomine mihi noti, & qui me forte præterierunt: licet ut diligentiſſime potui, omnia ſcrutatum, quod tamen de latino ullo Tractatu vix opinor, credo vero potius de Libris, qui idiomate quovis alio vernaculo, Italico, Germanico, Batavico, Anglico, Hiſpanico, imo Gallico conſcripti ſint.

Eruditos, ſi quem Librum iſtiuſmodi noverint a me omiſſum, qui non ſit omnino nullius pretii, oro pariter & precor, ut mecum communicare velint quæcunque de Auctore & Auctoris vita, de Libro & Libri materia compertum habuerint juxta methodum propoſitam *Artic.* I.

Ceterum ſpondeo, polliceor, fidem do me cum debita honoris reverentia candide declaraturum quid ab unoquoque propoſitum, commonſtratumve mihi fuerit, & cuinam pro indicata prima Libri cujuſdam editione, vel quod utilius erit, pro Libro quodam rariore ſummatim explicato gratia ſit referenda.

Nullam

Nullam improbo viam mihi ſcribendi, quæ ſcribentibus opportuna videatur, ſive per juniores Medicos, qui quotannis Lutetiam undique confluunt; ſive per interpoſitos amicos, aut argentarios; ſive per publicos Principum Legatos, qui hic in Aula Regis Chriſtianiſſimi verſantur, & quos omnes literarum & literatorum fautores benevolos expertus ſum; ſed quæ maxime commoda & compendiaria via eſt, velim ut Epiſtolæ Curſoribus publicis dentur ad me tranferendæ, niſi forte ſolitam Epiſtolarum molem nimium excedant; tunc enim monitus de via alia quadam minus diſpendioſa ipſe providebo.

INDEX LIBRORUM ET CAPITUM.

TOMI II.

LIBER QUINTUS. Index Chronologicus Auctorum, qui de lue venerea, vel luis venereæ remediis, ſcripſerunt ab ingreſſu morbi ad annum quinquageſimum ſæculi XVI. cum brevi plerorumque Operum Analyſi & Epicriſi.

SÆCULUM DECIMUM QUINTUM.

Proloquium. 3. 4

1475.

Johannes Mullerus, de Regiomonte. 5

1487.

Paulus Almanus, de Middelburgo. 5

1495.

Marcellus Cumanus. 7

1496.

Sebaſtianus Brant, Argentinenſis. 8

Joſephus Grundpeckius, de Burkchauſen. 11

1497.

Nicolaus Leonicenus, Vicentinus. 14

Coradinus Gilinus. 14

Johannes Vvidman ſive *Vveidman*, dictus etiam *Salicetus*, & *Meichinger*. 16

Alexander Benedictus, Veronenſis. 21

Gaſpar Torella, Valentinus ap. Hiſpanos. 24

1498.

Natalis Monteſaurus, Veronenſis. 29

Antonius Scanarolus, Mutinenſis. 29

Franciſcus de Villalobos, Toletanus. 29

Simon Piſtor, Lipſienſis. 30

Sebaſtianus Aquilanus. 31

Jacobus Romerus. 32

1499.

Johannes Geppingenſis. 33

Bartholomæus Montagnana, Patavinus. 33

SÆCULUM XVI.

1500.

Conradus Schelling, Heidelbergenſis. 35

Petrus Riccius, vulgo *Crinitus*, Florentinus. 35

Franciſcus Circellus. 37

1501.

Martinus Pollichius, Mellerſtadius. 37

Anonymus, 37

1502.

Antonius Benivenius, Florentinus. 40

Vvendelinus Hock, de Brackenaw. 41

1505.

Jacobus Cataneus de Lacu Marcho, Genuenſis. 43

Clementius Clementinus, Amerinus. 45

1506.

Petrus Trapolinus, Patavinus. 45

1507.

Angelus Bolognius, e Plebe Sacci. 47

Johannes Vochs, Colonienſis. 51

1508.

Georgius Vella, Brixienſis. 52

1510.

Johannes Benedictus, Germanus. 53

1512.

Johannes Almenar, Hiſpanus. 55

Johannes Droyn, Ambianus. 56

Jacobus Berengarius, Carpenſis. 57

1514.

Johannes de Vigo, Genuenſis. 59

1516.

Collectio Papienſis, *quæ omnium* Prima. 61

Marinus Brocardus, Venetus. 62

1517.

Nicolaus Poll, Germanus. 62

1518.

Petrus Mainardus, Veronenſis. 63

Leonardus Schmaus, Saliſburgenſis. 63

1519.

Ulrichus de Hutten, Germanus. 64

Johannes Cheradame, Sagienſis. 66

1520.

Johannes Mainardus, Ferrarienſis. 66

Johannes le Maire, Belga. 68

1524.

Deſiderius Eraſmus, Roterodamus. 69

1525.

Bartholomæus Silebet. 70
Nicolaus Godin. 70

1527.

Jacobus a Bethencourt, Rothomagenſis. 70

1529.

Franciſcus Delgado, vel *Delicado*, Cordubenſis. 72

1530.

Nicolaus Leonicus Thomæus, Venetus. 73
Hieronymus Fracaſtorius, Veronenſis. 74

1532.

Laurentius Phriſius, vel *Friſius*, Germanus. 75
Nicolaus Maſſa, Venetus. 76
Collectio Secunda, *quæ videtur eſſe* Veneta. 80

1534.

Johannes Paſchalis, Sueſſanus. 80
Auguſtinus Niphus, dictus *Eutychus Philotheus*, Jopolitanus Calaber. 82

1535.

Gundiſalvus Hernandez de Oviedo, Madritenſis. 83
Petrus Andreas Matthiolus, Senenſis. 83
Collectio prima Veneta, *quæ* Tertia. 84

1536

Collectio Baſileenſis, ſive Quarta. 84
Collectio Lugdunenſis, ſive Quinta. 85
Aureolus Philippus Theophraſtus Paracelſus Bombaſt ab Hohenheim, Eremita. 85
Anonymus, Germanus. 89

1537.

Sebaſtianus Montuus, Allobrox. 89
Johannes Antonius Roverellus, Bologninus. 90
Alfonſus Ferrus, vel *Ferrius*, Neapolitanus. 90
Johannes Eychman, dictus *Dryander*, Veteranus Haſſus. 92
Cheiredinus vel *Cheiradinus*, dictus *Barbaroſſa*, Mitylenæus. 92

1538.

Thomas Rangonus, dictus *Philologus*, Ravennas. 94

1539.

Martinus Dorcheſino. 99
Jacobus Sylvius, Ambianus. 100

1540.

Joſephus Struthius, Poſnanienſis Polonus. 102
Dionyſius Fontanonus, Monſpeſſulanus. 104
Nicolaus Michel, Pictavienſis. 104
Antonius Gallus, Pariſinus. 105

1541.

Remaclus Fuchſius, Limburgus. 106
Gualtherus Hermannus Ryff, Argentoratenſis. 106

1542.

Leonarthus Fuchſius, Rhætus. 107
Michael Angelus Blondus, Italus. 107

1544.

Aloyſius Lobera, Abulanus. 108

1546.

Andreas Veſalius, Bruxellenſis. 109
Benedictus Rinius, Venetus. 112

1548.

Hieronymus Cardanus, Mediolanenſis. 113

1549.

Guillelmus Brunellus, 114
Petrus Deſchamps, Pariſinus. 114

LIBER VI. Index Chronologicus Auctorum, qui de lue venerea, vel luis venereæ remediis, ſcripſerunt ab anno quinquageſimo ſæculi XVI. ad exitum ejuſdem ſæculi, cum brevi plerorumque Operum Analyſi & Epicriſi.

1550.

Johannes Baptiſta Montanus, Veronenſis. 116
Vidus Vidius, Florentinus. 117
Bartholomæus Maggius, Bononienſis. 121
Johannes Eliſius, vel *Elyſius*, Neapolitanus. 121.

1551.

Benedictus Victorius, Faventinus. 121
Antonius Muſa Braſſavolus, Ferrarienſis. 123
Andreas Lacuna, Segovienſis. 124
Jacobus Cornicius, Embdanus. 125

1552.

Philippus, Luſitanus. 126
Chriſtophorus a Vega, Complutenſis. 127
Theodoricus de Hery, Pariſinus. 127

1553.

Augerius Ferrerius, Toloſas. 129
Hercules Bonacoſſus, Ferrarienſis. 132
Victor Trincavellius, Venetus. 132

1554.

Johannes Rodericus Amatus de Caſtello albo, Luſitanus. 134
Johannes Langius, Lembergius. 137
Petrus Haſchardus, vel *Haſſardus*, Inſulanus, *vel* Armenterius, Flander. 138

1555.

Nicolaus Macchellus, Mutinenſis. 139
Michael Johannes Paſchalis, Valentinus Caſtellonenſis. 139
Rodericus Diaz de Isla, Baecenſis. 140
Gabriel Falloppius, Mutinenſis. 140

1556.

Johannes Fernelius, Ambianus. 143
Petrus Roſtinius, Italus. 144

1557.

Petrus de Bayro, Taurinenſis. 145

Johan-

Johannes Sylvius, Inſulanus in Flandria. 146
Julius Cæſar Scaliger, Veronenſis. 146
1558.
Petrus Laurus, Italus. 148
Laurentius Hielius, VVeſalienſis. 148
Franciſcus Friſimelica, vel *Frigimelica*, Patavinus. 148
Hieronymus Montuus, Allobrox. 149
Franciſcus Renners, Noribergenſis. 150
1560.
Reinerus Solenander, Budericenſis. 150
Petrus, Gallus. 150
Anonymus, Nemauſenſis. 151
Guillelmus Rondeletius, Monſpeſſulanus. 152
Antonius Chalmetheus. Vergeſacus apud Anicienſes. 152
1562.
Dominicus Leonus, Lunenſis de Zuccano. 153
1563.
Bernardinus Tomitanus, Patavinus. 154
Leonardus Botallus, Aſtenſis. 155
1564.
Johannes Heſſus, Noribergenſis. 157
Antonius Fracancianus, Vicentinus. 157
1565.
Alexander Trajanus Petronius, Citta-Caſtellanus. 159
1566.
Proſper Borgaruccius, Urbinas. 160
Collectio Sexta, ſeu *Veneta* Secunda, & *forte* Tertia. 161 1567.
Aloyſius Luiſinus, Utinenſis. 164
Petrus Arias de Benavidez, Taurenſis. 164
1568.
Georgius Dordonus, Placentinus. 164
1569.
Henricus Brucæus, Aloſtanus. 166
Carolus Battus. 167
1570.
Henricus Goldlius, Tigurinus. 167
Johannes de Fogueda, Hiſpanus. 168
Antonius Saporta, Monſpeſſulanus. 168
Ludovicus Iſla, Luſitanus. 169
Anonymus. 169 1572.
Nicolaus de Cormeilles. 169
Jacobus Jovencel, Granopolitanus. 169
1573.
Albertus Belfortis, Rhætus. 169
1574.
Johannes Planerius, Quintianus. 169
Sulpitius Rigault. 171
Johannes Riolanus, Ambianus. 171
1575.
Andreas Alcaçar, vel *Alcazar*, Guadalaxarenſis. 171
Guillelmus Luſſon. 172
Franciſcus Mombel, Pedemontanus. 172
Ambroſius Pareus, Lavallenſis. 172
VVillelmus Clovves, Anglus. 173
Georgius Baker, Anglus. 174
1576.
Stephanus Manialdus, Burdigalenſis. 175
1577.
Laurentius Joubertus, Valentinus Delphinas. 175
1578.
Julianus Palmarius, Conſtantienſis Normannus. 175
Thomas Jordanus, a Clauſoburgo. 176
1579.
Victor Giſelinus, Sandfurtenſis. 177
Petrus Paulus Pereda, Setebenſis. 177
Gualtherus Bruele, alias *Brant*. 178
1580.
Johannes Schenckius, a Graffenberg. 179
Johannes VVierus, Gravienſis. 179
Johannes Crato a Crafftheim, Uratislavienſis. 181
Franciſcus Campus, Lucenſis. 182
Annibal Brigantius, Marrucinus. 184
Cyriacus Lucius, a Claf. 184
1581.
Alphonſus Lopez, Coreolanus Navarrus. 185
Rembertus Dodonæus, Machlinienſis. 185
1582.
Petrus Monavius, Uratislavienſis. 185
1584.
Gotofredus Giannati, Italus. 187
1586.
Johannes Zecchius, Bononienſis. 188
1587.
Hieronymus Mercurialis, Forolivienſis. 189
Andreas Laurentius, Arelatenſis. 190
Gabriel Beatus, Bononienſis. 191
Gabriel Minutius, Ruthenus. 191
1588.
Franciſcus Diaz, Hiſpanus. 192
1589.
Lucas Ghinus, Bononienſis. 192
1590.
Hieronymus Capivaccius vel *Capo di Vacca*, Patavinus. 192
Johannes Vittichius, Vinarienſis. 193
1591.
Felicianus Beterra, Brixianus. 193
Jacobus Marant. 194
Jacobus Couſinot, Pariſinus. 194
1592.
Johannes Calvo, Valentinus. 195
1593.
Hieronymus Minettus, Aretinus. 196
Ludovicus Roſellus, Foro-Sempronienſis. 196
1594.
Livonius Rectorius, Senenſis. 197
1596.
Petrus Foreſtus, Alcmarianus. 197
Antonius Quiquebœuf. 197
Petrus Paulmier, Conſtantienſis Normannus. 197

Petrus

Petrus Lovve, Scotus Arellianus. 198
Aurelius Minadous, Rhodiginus. 200
1 5 9 7.
Hercules Saxonia, Patavinus. 201
Guillelmus Arragoſius, Toloſas. 202
1 5 9 8.
Alexander Maſſarias, Vicentinus. 204
Andreas Chioccus, Veronenſis. 206
Petrus Seguyn.
Antonius Rabault, Blancius Bituricenſis. 206
1 5 9 9.
Editio altera Collectionis Venetæ ſecundæ. 206
Andreas Baſtellus, Melphitanus. 206

LIBER VII. Index Chronologicus Auctorum, qui de lue venerea, vel luis venereæ remediis, ſcripſerunt ab anno primo ad quinquageſimum ſæculi decimi ſeptimi, cum brevi plerorumque Operum Analyſi & Epicriſi.

SÆCULUM XVII.

Proloquium. 208
1 6 0 0.
Horatius Augenius, a Monte-Sancto. 209
Johannes Saporta, Monſpeſſulanus. 210
Petrus Torrez, Darocenſis in Aragonia. 210
1 6 0 1.
Johannes Baptiſta Silvaticus, Mediolanenſis. 211
1 6 0 2.
Sextilius Picolomineus, Romanus. 211
Cinthius Clemens, Corinaltenſis. 212
Andreas Caſalpinus, Aretinus. 212
Demetrius Canevarius, Genuenſis. 215
1 6 0 3.
Joſephus Quercetanus, Armeniacus. 216
Marſilius Cagnatus, Veronenſis. 216
1 6 0 4.
Euſtachius Rudius, Bellunenſis. 217
Mundinus Mundinius, Vicentinus. 217
Fabius Pacius, Vicentinus. 221
Æmilius Campolongus, Patavinus. 221
1 6 0 5.
Ludovicus Mercatus, Valliſoletanus. 222
Andreas de Leon, Hiſpanus. 222
Bartholomæus Perdulcis, Helvius, *ſeu* Vivarienſis. 223
Julius Cæſar Claudinus, Bononienſis. 223
1 6 0 6.
Petrus Pigray, Pariſinus. 226
Johannes de Renou, ſive *Renodæus*, Nortmannus. 227
Georgius Zrbaud, Provincialis Alpenſis. 227
1 6 0 8.
Felix Platerus, Baſileenſis. 227
1 6 0 9.
Gerhardus Columba, Meſſanenſis. 228
1 6 1 0.
Johannes Varandæus, Nemauſenſis. 228
Henningus Arniſæus, Halberſtadienſis. 229
Martinus Goski, Lignicenſis Sileſius. 229
Sebaſtianus Cortilio, Ariminenſis.
1 6 1 1.
Tanequinus Guillaumet, Nemauſenſis. 230
Johannes Hartmannus, Ambergenſis. 230
Johannes Keilius, Bresla-Sileſius. 230
1 6 1 3.
Horatius Guarguantus, Soncinenſis. 232
Claudius Charles, Pariſinus. 234
1 6 1 4.
Sigiſmundus Schillingius, Frankenſteina-Sileſius. 234
Ludovicus Septalius, Mediolanenſis. 234
Simon Pietre. 236
Nicolaus Rouſſeau, Trecenſis. 236
Georgius Cornuty. 236
Johannes Mannoir, Romorantinus. 236
1 6 1 5.
Victor Manggus, Schrattenthalenſis. 236
Ludovicus Guyon, Dolenſis. 237
1 6 1 6.
Johannes Macollo, Scotus. 238
Eitel Joachimus Kruppelius. 238
Johannes Gaultier, Montalbanenſis. 238
1 6 1 7.
Hieronymus Fabricius, ab Aquapendente. 238
Guillelmus Loiſeau, Bergeracenſis. 239
1 6 2 0.
Franciſcus Ranchinus, Monſpeſſulanus. 241
Daniel Sennertus, Uratislavienſis. 242
Matthias Untzerus, Hallenſis. 242
Tobias Knoblochius, Marco-Brettanus. 242
1 6 2 1.
Johannes Colle, Bellunenſis. 243
Epiphanius Ferdinandus, Meſſapienſis. 246
1 6 2 3.
David de Planiſcampy. 247
1 6 2 4.
Johannes Junckerus, Germanus. 248
1 6 2 6.
Ludovicus Hornigck, Germanus. 248
Arnoldus VVeickardus, Germanus. 249
1 6 2 7.
Johannes Neander, Bremanus. 249
1 6 2 8.
Johannes Baptiſta Sori, Italus. 249

Gre-

Gregorius Horſtius, Torgenſis. 249
Guido Patinus, Houdanenſis Bellovacus. 251
1629.
Zacutus, Luſitanus Olyſipponenſis. 252
Johannes Baptiſta Lalli, Nurſienſis. 253
Claudius Seguin, Pariſinus. 253
Jacobus Regnault, Pariſinus. 253
1630.
Johannes Antonides Vanderlinden, Enchuſanus. 253
Aldreghettus Aldreghettius, Patavinus. 253
Dionyſius Allain. 253
Guillelmus Guerin, Pariſinus. 253
1631.
Antonius Boxbarterus, Auguſta-Vindelicus. 253
1632.
Marcus Aurelius Severinus, Tarſienſis. 254
1633.
Bartholomæus Galeſius, Bononienſis. 256
Michael le Long, Provinenſis. 256
1635.
Pius de Marra, Caſſinenſis. 256
1637.
Nicolaus Colletet. 257
Martinus Akakia, Pariſinus. 257
1639.
Nicolaus Matthieu. 257
Petrus Bourdelot, Senonicus. 257
Petrus Haguenot, Monſpeſſulanus. 258
1640.
Paulus von Flemming, Germanus Variſcus *vel* Nariſcus. 258
Thomas Brovvne, Anglus. 258
Albertus Kyperus, Pruſſo-Regiomontanus. 258
1641.
Cyprianus Majora vel *Maroxa*, Hiſpanus. 258
1642.
Paulus Marquardus Slegelius, Hamburgenſis. 259
Robertus VVright, Anglus. 259
Duarte Madeira Arrais, Luſitanus. 259
1643.
Johannes VValæus, Lugduno Batavus. 259
Johannes Scavart, Breda-Brabantius. 259
1644.
Johannes Baptiſta Van Helmont, Bruxellenſis. 259
1645.
Petrus Sartorius, Argentinenſis. 263
1649.
Franciſcus Boujonier. 263
Robertus Patin, Pariſinus.

LIBER VIII. Index Chronologicus Auctorum, qui de lue venerea, vel luis venereæ remediis, ſcripſerunt ab anno quinquageſimo decimi-ſeptimi ſæculi ad exitum ejuſdem, cum brevi plerorumque Operum Analyſi & Epicriſi.

1650.
Theodorus Turquet de Mayierne, Genevenſis. 265
1652.
Petrus Caſtellus, Romanus. 267
Franciſcus Pona, Veronenſis. 267
1653.
Joſephus Galeanus, Panormitanus. 268
1654.
Henricus Ryſendeech, Lugduno-Batavus. 268
Joſephus Schmidts. 268
Johannes Jacobus Vietor. 269
1656.
Johannes Rodolphus Salzmannus, Argentoratenſis. 269
Conrandus Klein, Argentinenſis. 269
Guernerus Rolfincius, Hamburgenſis. 269
Zacharias Nicolaus Gotzius, Cygneus. 269
Carolus Boralis. 269
Nicolaus Lienard, Pariſinus. 269
1657.
Andreas Vetranus, Panormitanus. 270
Johannes Lippins, Sluſa-Flander. 270
1658.
Antonius Bigorre, Albienſis. 270
1659.
Gaſpardus Feſquet, Monſpeſſulanus. 270
Petrus Benoiſt, Carcaſſonenſis. 270
Johannes Vigerius, Caſtrenſis. 270
1660.
Simon Pauli, Roſtochienſis. 271
N. . . . *Culpeper*, Anglus. 272
Johannes VVinel, Anglus. 272
1661.
Antonius Everhaers, ſive *Everhardi*, Medioburgenſis. 272
Tobias VVithaker, Anglus. 274
1662.
Richardus Bunvvorth, Anglus. 274
Albertus Otto Faber. 274
Johannes Kauffman, Anglus. 274
Johannes Vauloue, Genabicus. 274
Melchior Sebizius, Argentoratenſis. 274
Johannes Ulricus Oeler, Lindavienſis. 274
1663.
Michael Heilandus. 275
Georgius Cretzſchmar, Teja-Variſcus. 275
VVilhelmus Barbor, Anglo-Britannus. 275
1665.
Johannes Bergerus, Amſtelodamenſis. 275
Jo: Arnoldus Fridericus, Altemburgenſis. 275
Johannes Georgius Keyſer, Altemburgenſis. 275
Fridericus Monavius, Stettinenſis. 275
1666.

1666.
Guernerus Rolfincius, Hamburgenſis. 275
Martinus Willichius, Amburgenſis. 275
Gedeon Harvey, Anglus. 275
1668.
Johannes Georgius Triumphus, Goslarienſis. 276
Bernardus Chriſtianus Capelle, Dethmoldienſis. 276
Paulus Mattot. 277
Claudius Guerin, Pariſinus. 277
Edmundus Morphœus, Lymbricenſis, Hibernus. 277
Andreas Brunel, Santponenſis, Occitanus. 278
Laurentius Loſſ, Iſnacenſis. 278
1669.
Juſtinus Wigandus. 278
Johannes Baptiſta Sitonus, Mediolanenſis. 278
1670.
Nicolaus Brayer. 278
Cladius Puylon, Pariſinus. 278
Anonymus. 279
1672.
Franciſcus de le Boe, Sylvius, Hanovienſis. 279
1673.
Everardus Maynvvaring, Anglus. 279
Nicolaus de Blegny, Pariſinus. 280
Irenæus Vehr, Francofurtenſis ad Viadrum. 282
Johannes Petrus Albrecht, Hildeshemienſis. 282
Johannes Daniel Major, Wratislavienſis. 282
Johannes Nicolaus Schippel, Smalcaldenſis. 282
Johannes Gaſparus Sparr. 284
L.... S.... Anglus. 284
Claudius Reynaud, Lugdunenſis. 284
1674.
Irenæus Vehr, Francofurtenſis ad Viadrum. 284
Giſelinus van Tol. 284
Ludovicus von Hammen, Gedanenſis. 284
1675.
Anonymus. 285
1676.
Richardus Wiſeman, Anglus. 285
Bernardinus Chriſtinus, a Juvellina, Cyrnæus, *hoc eſt*, Corſicenſis. 285
Gualterus Harris, Anglus. 287
Anonymus. 287
... *Guide*, Gallus. 287
1677.
Antonius Menjotius, Pariſinus. 288
1678.
Carolus Peter, Anglus. 288
1679.
Theophilus Bonetus, Genevenſis. 289
Michael Sennertus, Wittembergenſis. 289
Humfredus Ridley, Anglus. 289
1680.
Thomas Sydenham, Anglus. 289
Samuel Janſonius, Batavus. 289
Paulus de Sorbait, Hiſpano-Belga. 290
1682.
Johannes Michault, e Villa Noxa in Bria. 291
Georgius Wolfgangus Wedelius, Spremberga-Luſatus. 291
Andreas Lovv, Sempronienſis Hungarus. 291
Henricus Meibomius, Helmſtadienſis. 293
Andreas Wilhelmus Fiſchbeck, Goslarienſis. 293
1683.
Jacobus Plutacrius. 293
Jeremias Loſſius, Bornenſis Miſnicus. 293
Johannes Georgius Rebentroſt, Drebachio-Miſnicus. 293
1684.
David Abercrombyus, Anglus. 295
Carolus Thuillier, Rothomagenſis. 296
Stephanus Blancardus, Batavus. 296
Martinus Fridericus Frieſſ. 299
Johannes Fridericus Ortlob, Olſna-Sileſius. 299
1686.
Johannes Petrus Fiſcher, Coburgo-Francus. 300
1687.
Gulielmus Douglas, Scotus. 300
Carolus Patinus, Pariſinus. 301
1688.
Anonymus, Gallus. 301
Willelmus Willis. 302
1689.
L.... Le Monnier. 302
Bernardus VVeiſſ, ſive *Albinus*, Deſſavienſis. 302
Georgius Conradus de Horn, Brunſvicenſis. 302
Theodorus Craanen, Batavus. 304
Anonymus. 304
1690.
G. B. de Sainct Romain. 304
Franciſcus Calmette, Ruthenenſis. 304
Georgius Francus de Franckenau, Naumburgenſis. 306
Daniel Hake, K.... S.... 306
Andreas Petermannus, Lipſienſis. 306
1691.
Johan. Mauritius Hoffmannus, Altorffinus. 306
Adamus Unzelmannus, Delmenhortenſis. 306
Johannes Baptiſta Luſart, Brabantinus. 306
1693.
Gervaſius Ucay, Toloſanus. 306
Anonymus. 307
Joſephus Valliſnerius, Regienſis. 307
1694.
Heydendryk Overcamp, Batavus. 308
Martinus Liſter, Eboracenſis. 309
Nicolaus Maximilianus VVilhelmi, L.... Schvvalbacenſis. 311
1695.
Johannes Fredericus Stadel, Argentoratenſis. 311
Johannes Vierzigmann, Norimbergenſis. 311
1696.
VV... VVal, Anglus. 312
Gulielmus Riviere, Monſpeſſulanus. 312
1697.
Michael Aloyſius Sinapius, Hungarus. 313
Nicolaus Heinſius, Culemborgenſis. 314
Carolus Muſitanus, Caſtrovillarienſis, Calaber. 314

Joſephus Muſitanus, Caſtrovillarienſis, Calaber. 314

1698.

Carolus Dionyſius de Launay. 315

1699.

Petrus Garnier, Lugdunenſis. 315

Guilielmus Vince, Anglus. 315

LIBER IX. Index Chronologicus Auctorum, qui de lue venerea, vel luis venereæ remediis, ſcripſerunt ab anno primo ſæculi decimi octavi ad hanc uſque diem, cum brevi plerorumque Operum Analiſi & Epicriſi.

SÆCULUM XVIII.

Proloquium. 316

1700.

Georgius Vuolffgangus Vuedellus, Spremberga-Luſatus. 317

Johannes Adolphus Stollius, Zittavia-Luſatus. 317

T.... Nedham, Anglus. 317

Johannes Zellerus, Tubingenſis. 318

Georgius Fridericus Gmelinus, Stuttgardienſis. 318

Andreas Vvight, Anglus. 318

Fridericus Hoffmannus, Hallenſis. 318

Jacobus van den Velde, Hanovienſis. 318

Matthaus Godofredus Purmannus, Hemipolitanus. 318

Henricus Elias Hundermarck, Citzenſis. 320

1702.

Joſephus Lanzonus, Ferrarienſis. 320

N. Boirel. 321

1703.

Anonymus, Batavus. 321

Anonymus, Germanus. 321

1704.

Johannes Hadrianus Slevogtius, Jenenſis. 321

Johannes Jacobus Baierus, Jenenſis. 322

Johannes Petrus Roſelius, Hersbrucco-Noricus. 322

1705.

Joſephus Jackson, Anglus. 322

Anonymus. 322

Laurentius Roberq. 322

Georgius Raſt. 322

Gualtherus Harris, Anglus. 322

1706.

Conradus Johrenius. 323

Georgius Erneſtus Stahlius, Hallenſis. 323

Georgius Daniel Thebeſius, Haynovienſis Sileſius. 323

Anonymus. 324

Johannes Linder, Wermlandia-Suecus. 324

1708.

Hyacinthus Ceſtonus, Anconitanus. 325

Johannes Marten, Anglus. 325

1709.

Johannes Sintelaer, Anglus. 326

Johannes Spinke, Anglus. 326

1710.

Adrianus Helvetius, Batavus. 327

Anonymus, Anglus. 327

Theodorus Zuingerus, Baſileenſis. 327

Georgius Erneſtus Stahlius, Gallenſis. 328

Johannes Daniel Iſaac Gorlicenſis, Hexapolitanus. 328

1711.

Johannes Devaux, Pariſinus. 328

Johannes Joachimus La Grue. 330

Elias Camerarius, Tubingenſis. 330

Petrus Paxton, Anglus. 330

Anonymus. 330

Lullius Hilarius. 331

Georgius VVarren, Cantabrigienſis. 331

1713.

Henricus Alexander Niefers, Oranienburgenſis. 332

Rudolphus Huberus. 333

1714.

Richardus Boulton, Anglus Ceſtrienſis. 333

Guillielmus Hallet, Anglo-Britannus. 333

Archibaldus Pitcarnius, Edimburgenſis. 333

1715.

Franciſcus de Fonſeca Henriquez, Mirandelenſis Luſitanus. 336

1716.

Jacobus Vercellonus, Pedemontanus. 336

Johannes Georgius Stuſſius. 336

Johannes Gaſpar Gemeinhardt, Lauba-Hexapolitanus. 336

1717.

Guillelmus Cockburn, Anglus. 337

Gerardus Goris, Batavus. 337

Daniel Turner, Anglus. 339

Ludovicus Vvillelmus de Knorr. 340

Johannes Baptiſta Fauſtus Alliot, Pariſinus. 341

Johannes Franciſcus Leaulte, Pariſinus. 341

Johannes Buiſſiere, Gallo-Anglus. 343

1718.

J.... F.... Nicholſon, Anglus. 343

Franciſcus Chicoyneau, Monſpeſſulanus. 343

Antonius Peliſſery, Maſſilienſis. 343

Guillelmus Beckettus, Anglus. 344

1 7 1 9.

Philippus Short, Anglo-Britannus. 344
Anonymus, Anglus. 344

1 7 2 0.

Hermannus Ooſterdick Schacht. 344
Abrahamus van Loon, Roterodamenſis. 344
Franciſcus Roncallus, Brixienſis. 344

1 7 2 1.

Johannes Bernardus Oelſſen, Wratislavia-Sileſius. 346

1 7 2 2.

Bartholomæus Boſchetti, Vicentinus. 346
Jacobus Bouez, dictus *Sigogne*, Corbiniacenſis. 347

1 7 2 3.

C . . . . *Willoughby*, Anglus. 347

1 7 2 4.

Rogerus Dibon. 348
Michael Alberti, Noribergenſis. 349
Johannes Havighorſt, Rhena-Weſtphalus. 349
Antonius Deidier, Monſpeſſulanus. 349
J . . . . C . . . . Anglus. 349
Antonius Benevolus, Florentinus. 349
P . . . . R . . . . Jouneau, Anglus. 350

1 7 2 5.

Petrus Violette du Bois. 350
Ericus Joachimus Aniſius, Soltquella Marchicus. 350
Johannes Wilhelmus Sparmann, Dreſdenſis. 350
N . . . . Pointet. 351

1 7 2 6.

Johannes Gottlobius Segnitz. 351

1 7 2 7.

Franciſcus Bailly. 351
Deſiderius Claudinus Fremont, Pariſinus. 351
Johannes Georgius Rauch, Wisbadia-Naſſwicus. 351

1 7 2 8.

Editio Lugduno-Batava *Collectionis Venetæ* Secundæ. 351
Hermanus Boerhaave, Voorhoutenſis Batavus. 352
Georgius Daniel Coſchwitz, Germanus. 354
Laurentius Heiſterus, Francofurtenſis. 355
Johannes Jacobus Schmid, Magdeburgenſis. 355

1 7 2 9.

Hermanus Kaau, Batavus. 360
Daniel Turner, Anglus. 360

1 7 3 0.

Johannes Baptiſta Thomas Martinenq. 360
Antonius Nicolaus Guenault, Pariſinus. 360

1 7 3 1.

Carolus Barbeirac, Cæſariſtenſis 361

1 7 3 2.

Daniel Turner, Anglus. 361
Thomas Dover, Anglus. 362
Polycarpus Gottlieb Schacher, Lipſienſis. 362
Johannes Georgius Ruppius, Fravenſteinio-Miſnicus. 362
Johannes Zaccarias Platner, Kemnizius. 362
Johannes Honoratus Ralberti, Nicienſis. 362
Auguſtinus Belloſte, Pariſinus. 362
Franciſcus Balthazar von Lindern, Buxovillanus. 366
Jacobus Fourneau. 366
Otto Caſimirus Barfeknecht, Coeslino-Pomeranus. 366
J . . . . S . . . . Anglus. 367

1 7 3 3.

Petrus Deſault, Burdigalenſis. 367

1 7 3 4.

Henricus Haguenot, Monſpeſſulanus. 368
Alexander Camerarius, Tubingenſis. 370
Julius Fredericus Breyer, Stuttgardienſis. 370

1 7 3 5.

Julianus Offrai, dictus *de la Mettrie*, Malovienſis. 372
Antonius Maria Zanini, Veronenſis. 373
Vincentius Breſt, Gallus. 374

1 7 3 6.

Nicolaus Robinſon, Anglus. 376
Daniel Turner, Anglus. 377

1 7 3 7.

Willelmus Barrowby, Londinenſis. 378
Johannes Armſtrong, Scotus. 379
Johannes Douglas, Scotus. 379
Johannes Timmius, Bremenſis. 382
Joſephus Antonius Pujati, Sacilenſis. 382

1 7 3 8.

Michael Peaget. 382
Carolus Dionis, Pariſinus. 382
Johannes Rodolfus Im-Hoff, Baſileenſis. 383
Anonymus, Anglus. 383

1 7 3 9.

Fridericus Hoffmannus, Hallenſis. 383
Julianus Ofrai, dictus *de la Mettrie*, Malovienſis. 385
Petrus de Rotundis, Italus. 386
Daniel Turner, Anglus. 388

1 7 4 0.

Petrus Guiſard, Occitanus. 389
Auguſtinus Franciſcus Jault, Sequanus. 389

INDEX

INDEX ALPHABETICUS AUCTORUM,

Qui de Morbis Venereis, vel eorumdem remediis, ſpeciales Libros ſcripſerunt.

A

David	Abercrombyus, *Anglus.*	*Pag.* 295
Jacobus	Abethencourt, *Rothomagenſis.*	70
Petrus Angelus	Agathus, *Matheras*, cum Falloppio.	140
Martinus	Akakia, *Pariſinus.*	358
Michael	Alberti, *Noribergenſis.*	348
Bernardus	Albinus, *Deſſavienſis.*	302
Johannes Petrus	Albrecht, *Hildeshemienſis.*	282
Andreas	Alcaçar, *Guadalaxarenſis.*	172
Aldreghettus	Aldreghettius, *Patavinus.*	253
Dionyſius	Allain.	253
Johannes Baptiſta	Alliot, *Pariſinus.*	341
Paulus	Almanus, *de Middelburgo.*	6
Johannes	Almenar, *Hiſpanus.*	55
Johannes Rodericus	Amatus, *Luſitanus.*	134
Ericus Joachimus	Aniſius, *Solzquella-Marchicus.*	350
	Anonymus, *Gallus.*	38
	Anonymus, *Germanus.*	89
	Anonymus, *Nemauſenſis.*	148
	Anonymus, *Anglus.*	169
	Anonymus, *Anglus.*	279
	Anonymus.	285
	Anonymus, *Germanus.*	291
	Anonymus, *Gallus.*	295
	Anonymus, *Gallus.*	304
	Anonymus, *Gallus.*	307
	Anonymus, *Batavus.*	307
	Anonymus, *Germanus.*	307
	Anonymus, *Germanus.*	307
	Anonymus, *Germanus.*	323
	Anonymus, *Anglus,*	327
	Anonymus, *Germanus.*	330
	Anonymus, *Anglus.*	277
	Anonymus, *Anglus.*	382
Hieronymus Fabricius ab	Aquapendente,	238
Sebaſtianus	Aquilanus.	31
Johannes	Armſtrong, *Scotus.*	379
Georgius	Arbaud, *Provincialis Alpenſis.*	227
Henningus	Arniſæus, *Halberſtadienſis.*	229
Guillelmus	Arragoſius, *Toloſas.*	201
Duarte Madeira	Arrais, *Luſitanus.*	259
Horatius	Augenius, *a Monte Sancto.*	210

B

Franciſcus	Bailly,	351

Georgius	Baker, *Anglus*.	174
Carolus	Baralis.	269
Cheiredinus	Barbaroſſa, *Mitylenæus*.	92
Carolus	Barbeirac, *Cæſariſtenſis*.	361
Wilhelmus	Barbor, *Anglo Britannus*.	274
Otto Caſimirus	Barleknecht, *Coeslino-Pomeranus*.	299
Willelmus	Barrovvby, *Londinenſis*.	313
Collectio	Baſileenſis.	84
Andreas	Baſtellus, *Melphitanus*.	206
Editio	Batava Collectionis Luiſininæ.	251
Carolus	Batus.	166
Johannes Jacobus	Bayerus.	322
Petrus de	Bayro, *Taurinenſis*.	144
Gabriel	Beatus, *Bononienſis*,	191
Guillelmus	Beckettus, *Londinenſis*,	344
Albertus	Belfortis, *Rhætus*.	169
Auguſtinus	Belloſte, *Pariſinus*,	364
Petrus Arias de	Benavidez, *Taurenſis*.	1 4
Alexander	Benedictus, *Veronenſis*.	60
Johannes	Benedictus, *Germanus*.	73
Antonius	Benevolus, *Florentinus*,	349
Antonius	Benivenius, *Florentinus*.	40
Petrus	Benoiſt, *Carcaſſonenſis*.	270
Jacobus	Berengarius, *Carpenſis*.	58
Johannes	Bergerus, *Amſtelodamenſis*.	275
Felicianus	Beterra, *Brixianus*.	193
Jacobus a	Bethencourt, *Rothomagenſis*.	70
Antonius	Bigorre, *Albienſis*.	270
Stephanus	Blancardus, *Batavus*.	296
Nicolaus de	Blegny, *Pariſinus*.	281
Michael Angelus	Blondus, *Italus*.	197
Franciſcus de le	Boe Sylvius, *Hanovienſis*.	279
Hermannus	Boerhaave, *Voorhoutenſis*.	253
N......	Boirel.	320
Petrus Violette du	Bois, *Pariſienſis*.	350
Angelus	Bologninus, *è Plebe Sacci*.	46
Phil. Aur. Theoph. Parac.	Bombaſt ab Hoenheim, *Eremita*.	84
Hercules	Bonacoſſus, *Ferrarienſis*.	132
Theophilus	Bonetus, *Genevenſis*.	289
Proſper	Borgarucius, *Urbinas*.	160
Bartholomæus	Boſchetti, *Vicentinus*.	246
Leonardus	Botallus, *Aſtenſis*.	155
Jacobus	Bouez, *dictus* Sigogne, *Corbiniacenſis*.	247
Franciſcus	Boujonnier.	262
Richardus	Boulton, *Anglus*.	333
Petrus	Bourdelot, *Senonicus*.	257
Antonius	Boxbarterus, *Auguſta-Vindelicus*.	253
Sebaſtianus	Brant, *Argentinenſis*.	8
Antonius Muſa	Braſſavolus, *Ferrarienſis*.	123
Nicolaus	Brayer.	278
Vincentius	Breſt, *Gallus*.	374
Julius Fredericus	Breyer, *Stuttgard-Wurtembergenſis*.	270
Annibal	Brigantius, *Marrucinus*.	182
Marinus	Brocardus, *Venetus*.	60
Thomas	Brovvne, *Anglus*.	258
Henricus	Brucæus, *Aloſtanus*.	166
Gualtherus	Bruele, *alias* Brant.	178
Guillelmus	Brunellus.	114

Andreas

Andreas	Brunel, *Scantponenſis Occitanus*.	278
Johannes	Buiſſiere, *Gallo-Anglus*.	343
Richardus	Bunworth, *Anglus*.	274
Julius Cæſar	Burdonus, *Veronenſis*.	145

C

J. . . .	C . . . . . . *Anglus*.	349
Andreas	Cæſalpinus, *Aretinus*.	212
Marſilius	Cagnatus, *Veronenſi*.	216
Franciſcus	Calmette, *Ruthenenſis*.	304
Johannes	Calvo, *Valentinus*.	195
Elias	Camerarius, *Tubingenſis*.	330
Alexander	Camerarius, *Tubingenſis*.	270
Æmilius	Campolongus, *Patavinus*.	221
Franciſcus	Campus, *Lucenſis*.	144
Demetrius	Canevarius, *Genuenſis*.	145
Bernhardus Chriſtianus	Capelle, *Dethmoldienſis*.	276
Hieronymus	Capivaccius, *ſive* Capitaurus, *Patavinus*.	192
Hieronymus	Cardanus, *Mediolanenſis*.	113
Johannes Rodericus de	Caſtello Blanco, *Luſitanus*.	134
Petrus	Caſtellus, *Romanus*.	267
Jacobus	Cataneus de Lacu Marcino, *Genuenſis*.	43
Hyacinthus	Ceſtonus, *Anconitanus*.	325
Antonius	Chalmeteus, *Vergeſacus apud Anicienſes*.	152
Claudius	Charles, *Pariſinus*.	233
	Cheiredinus, *ſive* Barbaroſſa, *Mitylenæus*.	92
Johannes	Cheradame, *Sagienſis*.	66
Franciſcus	Chicoyneau, *Monſpeſſulanus*.	343
Andreas	Chioccus, *Veronenſis*.	206
Bernardinus	Chriſtinus, *a Juvellina*.	285
Franciſcus	Circellus.	37
Julius Cæſar	Claudinus, *Bononienſis*.	223
Cynthius	Clemens, *Romanus*.	211
Clementius	Clementinus, *Amerinus*.	45
Wilhelmus	Clowes, *Anglus*.	174
Guillelmus	Cockburn, *Anglus*.	337
Johannes	Colle, *Bellunenſis*.	242
	Collectio Papienſis, quæ *Prima*.	61
	Secunda.	80
	Veneta I. quæ *Tertia*.	84
	Baſileenſis, quæ *Quarta*.	85
	Lugdunenſis, quæ *Quinta*.	85
	Veneta II, quæ *Sexta*.	161
Nicolaus	Colletet.	257
Gerhardus	Columba, *Meſſanenſis*.	228
Nicolaus de	Cormeilles.	169
Jacobus	Cornicius, *Embdanus*.	126
Georgius	Cornuty.	236
Sebaſtianus	Cortilio, *Ariminenſis*.	229
Georgius Daniel	Coſchwitz, *Germanus*.	355
Jacobus	Couſinot, *Pariſinus*.	194
Theodorus	Craanen.	304
Johannes	Crato a Craffrheim, *Vratislavienſis*.	179
Georgius	Creztſchmar, *Teia-Variſcus*.	274
Petrus	Crinitus, *Florentinus*.	36
N. . . .	Culpeper, *Anglus*.	272
Marcellus	Cumanus.	7

D

Antonius	Deidier, *Monſpeſſulanus.*	349
Franciſcus	Delgado, *Cordubenſis*	72
Petrus	Deſault, *Burdigalenſis.*	367
Petrus	Deſchamps, *Pariſinus.*	114
Johannes	Devaux, *Pariſinus.*	328
Rodericus	Diaz de Iſla, *Baecenſis.*	140
Franciſcus	Diaz, *Hiſpanus.*	191
Rogerus	Dibon.	348
Carolus	Dionis, *Pariſinus.*	383
Rembertus	Dodonæus, *Machlinienſis.*	185
Martinus	Dorcheſino.	99
Georgius	Dordonus, *Placentinus.*	164
Thomas	Dover, *Anglus.*	365
Johannes	Douglas, *Scotus.*	379
Gulielmus	Douglas, *Scotus.*	300
Johannes	Droyn, *Ambianus.*	56
Johannes	Dryander, *Veteranus Haſſus.*	92

E

	Editio *Prima* Veneta Collect. Luiſinin*æ*.	161
	Altera Veneta.	
	Tertia Lugduno Batava.	253
Johannes	Elyſius, *Neapolitanus.*	121
Deſiderius	Eraſmus, *Roterodamus.*	69
Antonius	Everhaers, *Medioburgenſis.*	272
Johannes	Eychman, *Veteranus Haſſus.*	92

F

Alberthus Otto	Faber.	274
Hieronymus	Fabricius, *ab Aquapendente.*	238
Gabriel	Falloppius, *Mutinenſis.*	141
Epiphanius	Ferdinandus, *Meſſapienſis.*	246
Gundiſalvus	Fernandez ab Oviedo, *Madritenſis.*	83
Johannes	Fernelius, *Claromontanus.*	143
Augerius	Ferrerius, *Toloſas.*	129
Alfonſus	Ferrus, *Neapolitanus.*	90
Gaſpardus	Felquet, *Monſpeſſulanus.*	270
Andreas Wilhelmus	Fitchbeck, *Goslarienſis.*	293
Johannes Petrus	Fiſcher, *Coburgo Francus.*	300
Paulus von	Flemming, *Germanus Variſcus.*	258
Johannes de	Fogueda, *Hiſpanus.*	168
Franciſcus da	Fonſeca Heriquez. *Mirandellenſis.*	336
Dionyſius	Fontanonus, *Monſpeſſulanus.*	104
Petrus	Foreſtus, *Alcmarianus.*	197
Jacobus	Fourneau.	266
Antonius	Fracantianus, *Vicentinus.*	157
Hieronymus	Fracaſtorius, *Veronenſis.*	74
Georgius	Francus de Franckenavv, *Nauburgenſis.*	306
Deſiderius Claudius	Fremont, *Pariſinus.*	351
Johannes Arnoldus	Friderici, *Altemburgenſis.*	275
Martinus Fridericus	Frieſſi.	299
Franciſcus	Frigimelica, *Patavinus.*	188
Laurentius	Friſius, *Metenſis.*	75
Remaclus	Fuchſius, *Limburgus.*	106
Leonhartus	Fuchſius, *Rhætus.*	107

Joſephus

Josephus	Galeanus, Panormitanus.	268
Bartholomæus	Galesius, Bononiensis.	126
Antonius	Gallus, Parisinus.	106
Petrus	Garnier, Lugdunensis.	315
Johannes	Gaultier, Montalbanensis.	338
Johannes Caspar	Gemeinhard, Lauba-Hexapolitanus.	337
Johannes	Geppingensis.	35
Lucas	Ghinus, Bononiensis.	192
Gothofredus	Giannatus, Italus.	187
Conradinus	Gilinus.	14
Victor	Giselinus, Sundfurtensis.	77
Georgius Fridericus	Gmelinus, Stuttgardiensis.	318
Nicolaus	Godin.	170
Henricus	Goldlius, Tigurinus.	167
Gerardus	Goris, Batavus.	337
Martinus	Goski, Lignicensis Silesius.	129
Zacharias Nicolaus	Gotzius, Cygnensis.	269
Johannes Joachimus la	Grue, Batavus.	330
Josephus	Grundperkius, de Burkhausen.	111
Antonius Nicolaus	Guenault, Parisinus.	360
Horatius	Guarguantus, Soncinensis.	233
Guillelmus	Guerin, Parisinus.	253
Claudius	Guerin, Parisinus.	277
	Guide, Gallus.	287
Tenequinus	Guilhaumer, Nemausensis.	336
Petrus	Guisard, Occitanus.	389
Ludovicus	Guyon, Dolensis.	336

H.

Petrus	Haguenot, Monspessulanus.	256
Henricus	Haguenot, Monspessulanus.	368
Daniel	Hake, R. . . . . S.	305
Guillelmus	Haller, Anglo-Britannus.	335
Ludovicus von	Hammen, Gedanensis.	284
Gualtherus	Harris, Anglus.	352
Johannes	Hartmannus, Ambergensis.	236
Gedeon	Harvey, Anglus.	275
Johannes	Hassardus, Insulanus.	137
Johannes	Havighorst, Rheno-Vestphalus.	249
Michael	Heilandus.	274
Nicolaus	Heinsius, Culemborgensis.	34
Laurentius	Heisterus, Francofurtensis.	359
Johannes Baptista van	Helmont, Bruxellensis.	259
Adrianus	Helvetius, Batavus.	227
Franciscus de Fonseca	Henriquez, Mirandellensis.	336
Gundisalvus	Hernandez ab Oviedo, Madritensis.	83
Theodoricus de	Hery, Parisinus.	127
Johannes	Hessus, Norimbergensis.	157
Laurentius	Hielius, Vestfaliensis.	155
Lullius	Hilarius.	330
Wendelinus	Hock, de Brackenavv.	41
Ph. Aur. Th. Parac. B. ab	Hoenheim, Eremita.	84
Johannes Mauritius	Hoffmannus, Altorfinus.	306
Fridericus	Hoffmannus, Hallensis.	383
Ludovicus	Hornigek, Germanus.	248
Georgius Conradus de	Horn, Brunsvicensis.	302

Gregorius	Horſtius, *Torgenſis.*	249
Rudolphus	Huberus.	333
Matthæus Godofredus	Hundermarck, *Citzenſis.*	320
Ulricus de	Hutten, *Eques Germanus.*	64

J

Joſephus	Jackſon, *Anglus.*	322
Samuel	Janſonius, *Batavus.*	289
Auguſtinus Franciſcus	Jault, *Sequanus.*	389
Conradus	Johrenius.	323
Thomas	Jordanus, *a Clauſoburgo.*	176
Laurentius	Joubertus, *Valentinus apud Delphinates.*	175
Jacobus	Jovencel, *Granopolitanus.*	169
P . . . . R	Jouneau, *Anglus.*	350
Johannes	Junckerus, *Germanus.*	248

I

Johannes Rodolfus	Im-Hoff, *Baſileenſis.*	383
Johannes Daniel	Iſaac, *Gorlicenſis Hexapolitanus.*	328
Rodericus Dias de	Isla, *Baecenſis.*	140
Ludovicus	Isla, *Luſitanus.*	169

K

Hermannus	Kaau, *Batavus.*	331
Johannes	Kauffman, *Anglus.*	234
Johannes	Keilius, *Bresla-Sileſius.*	230
Johannes Georgius	Keyſer, *Antenburgenſis.*	275
Conradus	Klein, *Argentinenſis.*	269
Tobias	Knoblochius, *Marco-Brettanus.*	242
Ludovicus Guillelmus de	Knorr.	273
Eitel Joachimus	Kruppelius.	238
Albertus	Kyperus, *Pruſſo-Regiomontanus.*	258

L

Andreas	Lacuna, *Segovienſis.*	124
Johannes Joachimus	Lagrue.	330
Johannes Baptiſta	Lalli, *Nurſienſis.*	253
Johannes	Langius, *Lembergius.*	137
Joſephus	Lanzonus, *Ferrarienſis.*	320
Carolus Dionyſius de	Launai.	315
Andreas	Laurentius, *Arelatenſis.*	190
Petrus	Laurus, *Italus.*	148
Johannes Franciſcus	Leaulté.	341
Dominicus	Leo, *Lunenſis de Zuccano.*	153
Andreas de	Leon, *Hiſpanus.*	212
Nicolaus	Leonicenus, *Vicentinus.*	14
Nicolaus	Leonicus, *Venetus.*	73
Nicolaus	Lienard, *Pariſinus.*	269
Johannes Antonius vander	Linden, *Enchuſanus.*	253
Johannes	Linder, *Wermlandia-Suecus.*	314
Franciſcus Balthazar von	Linder, *Buxovillanus.*	366
Johannes	Lippins, *Suſa-Flander.*	270
Martinus	Liſter, *Eboracenſis.*	309
Aloyſius	Lobera, *Abulanus.*	108
Michael le	Long, *Provinenſis.*	256
Abrahamus van	Loon, *Roterodamenſis.*	344
Alphonſus	Lopez, *Coreolanus Navarrus.*	185
Laurentius	Loſs, *Iſnacenſis.*	278

Jere-

Jeremias	Loſſius, *Bornenſis Miſnicus*.	293
Andreas	Low, *Semprovienſis Hungarus*.	291
Petrus	Lowe, *Scotus*.	198
Guillelmus	Loyſeau, *Bergeracenſis*.	239
Cyriacus	Lucius, *a Claſ*.	184
Editio	Lugduno-Batava *Luiſini*.	351
Aloyſius	Luiſinus, *Utinenſis*.	164
Johannes Baptiſta	Luſart, *Brabantinus*.	306
Amatus	Luſitanus.	134
Philippus	Luſitanus.	126
Zacutus	Luſitanus, *Olyſipponenſis*.	252
Guillelmus	Luſſon.	172

M

Nicolaus	Macchellus, *Mutinenſis*.	139
Johannes	Macollo, *Scotus*.	238
Duarte	Madeira Arrais, *Luſitanus*.	259
Bartholomæus	Maggius, *Bononienſis*.	121
Johannes Daniel	Major, *VVratislavienſis*.	284
Johannes le	Maire, *Bagacenſis*.	68
Johannes	Manardus, *Ferrarienſis*.	66
Victor	Mangus, *Schrattenthalenſis*.	236
Stephanus	Manialdus, *Burdigalenſis*.	175
Jacobus	Marant.	194
Cyprianus	Matoxa, *Hiſpanus*.	258
Pius de	Marra, *Caſſinenſis*.	256
Johannes	Marten, *Anglus*.	326
Johannes Bapt. Thomas	Martinenq.	358
Nicolaus	Maſſa, *Venetus*.	76
Alexander	Maſſarias, *Vicentinus*.	204
Nicolaus	Matthieu.	258
Petrus Andreas	Matthiolus, *Senenſis*.	83
Paulus	Mattot.	277
Johannes	Maunoir, *Romorantinus*.	236
Theodorus Turquetus de	Mayerne, *Genevenſis*.	265
Petrus	Maynardus, *Veronenſis*.	63
Eduardus	Maynwaring, *Anglus*.	280
Henricus	Meibomius, *Helmſtadienſis*.	293
Johannes	Maichinger, *Germanus*.	16
Martinus	Mellerſtadius, *Germanus*.	33
Antonius	Menjotius, *Pariſinus*.	288
Ludovicus	Mercatus, *Valliſoletanus*.	222
Hieronymus	Mercurialis, *Forolivienſis*.	189
Scipio ex	Mercuriis, cum Zecchio.	188
Julianus Offrai de la	Mettrie, *Maclovienſis*.	372. 385
Johannes	Michault.	291
Nicolaus	Michel, *Pictavienſis*.	104
Paulus Almanus de	Middelburgo.	6
Aurelius	Minadous, *Rhodiginus*.	200
Hieronymus	Minettus, *Aretinus*.	196
Gabriel	Minutius, *Ruthenus*.	192
Franciſcus	Mombel, *Pedemontanus*.	172
Petrus	Monavius, *Uratislavienſis*.	185
Fridericus	Monavius, *Stettinenſis*.	275
L. . . . le	Monnier.	302
Bartholomæus	Montagnana, *Patavinus*.	33
Johannes Baptiſta	Montanus, *Veronenſis*.	116

Nata-

Natalis	Montefaurius, *Veronenſis*	29
Sebaſtianus	Montuus, *Allobrox*	89
Hieronymus	Montuus, *Allobrox*	149
Edmundus	Morphœus, *Lumbricenſis*	273
Johannes	Mullerus, *de Regiomonte*	3
Mundinus	Mundinius, *Vicentinus*	217
Carolus	Muſitanus, *Calaber*	314
Joſephus	Muſitanus, *Calaber*	314
	N.	
Johannes	Neander, *Bremanus*.	249
T.	Nedham, *Anglus*.	317
J. . . . F.	Nicholſon, *Anglus*.	343
Henricus Alexander	Nieſers, *Oranienburgenſis*.	332
Auguſtinus	Niphus, *Sueſſanus*.	82
	O.	
Johannes Ulricus	Oeler, *Lindavienſis*.	274
Johannes Bernardus	Oelſſen, *VVratiſlavia-Sileſius*.	316
Julianus	Offray de la Mettrie, *Maclovienſis*.	385
Hermannus	Ooſterdick Schacht.	344
Johannes Fridericus	Ortlob, *Olſna-Sileſius*.	299
Heydendryck	Overcamp, *Batavus*.	308
Gonçalez Hernandez de	Oviedo, *Madritenſis*.	85
	P.	
Fabius	Pacius, *Vicentinus*.	27
Julianus	Palmarius, *Conſtantienſis Normannus*.	17
Collectio	Papienſis.	61
Philippus Aur. Theophr.	Paracelſus, *Eremita*.	85
Ambroſius	Pareus, *Lavallenſis apud Cenomanos*.	172
Johannes	Paſchalis, *Sueſſanus*.	10
Michael Johannes	Paſchalis, *Valentinus Caſtellonenſis*.	139
Guido	Patinus, *Houdanenſis Bellovacus*.	252
Robertus	Patinus, *Pariſinus*.	264
Carolus	Patinus, *Pariſinus*.	300
Simon	Pauli, *Roſtochienſis*.	275
Petrus	Paulmier, *Conſtantinus*.	197
Petrus	Paxton, *Anglus*.	339
Michael	Peaget.	282
Antonius	Peliſſery, *Maſſilienſis*.	343
Bartholomæus	Perdulcis, *Helvius, ſive Vivarienſis*.	223
Petrus Paulus	Pereda, *Setabenſis*.	177
Carolus	Peter, *Anglus*.	295
Andreas	Petermannus, *Lipſienſis*.	279
Alexander Trajanus	Petronius, *Citta-Caſtellanus*.	149
	Petrus, *Gallus*.	150
	Philippus, *Luſitanus*.	126
Thomas Rangonus	Philologus, *Ravennas*.	94
Auguſtinus Niphus	Philotheus, *Sueſſanus*.	85
Laurentius	Phriſius, *Metenſis*.	75
Sextillus	Picolominæus, *Romanus*.	210
Simon	Pietre.	236
Petrus	Pigray, *Pariſinus*.	225
Simon	Piſtor, *Lipſienſis*.	30

Archi-

Archibaldus	Pitcarnius, *Edimburgenſis*.	335
Johannes	Planerius, *Quintianus*.	169
Davidde	Planiſcampy.	247
Felix	Platerus, *Baſileenſis*.	217
Johannes Zacharias	Platner, *Kemnitzenſis*.	362
Jacobus	Plutacrius.	293
N.	Pointet.	351
Nicolaus	Poll, *Germanus*.	62
Martinus	Pollichius, *Merleſtadius*.	37
Franciſcus	Pona, *Veronenſis*.	267
Joſephus Antonius	Pujatus, *Savilianſis*.	197
Matthæus Godofredus	Purmannus, *Hemipolitanus*.	318
Claudius	Puylon, *Pariſinus*.	278
	Q	
Joſephus	Quercetanus, *Armeniacus*.	216
Antonius	Quiquebœuf.	197
	R	
Antonius	Rabault, *Blancius Bituricenſis*.	206
Johannes Honoratus	Raiberti, *Nicienſis*.	363
Franciſcus	Ranchinus, *Monſpeſſulanus*.	241
Thomas	Rangonus, *Ravennas*.	94
Georgius	Raſt.	322
Johannes Georgius	Rauch, *VVisbadia-Naſſovicus*.	351
Johannes Georgius	Rebentroſt, *Drebachio-Miſnicus*.	293
Livonius	Rectorius, *Senenſis*.	197
Johannes	Regiomontanus.	5
Jacobus	Regnault, *Pariſinus*.	253
Franciſcus	Renners, *Noribergenſis*.	159
Johannes de	Renou, vel Renodæus, *Normannus*.	227
Claudius	Reynaud, *Lugdunenſis*.	282
Petrus	Riccius, *ſive* Crinitus, *Florentinus*.	37
Humfredus	Ridley, *Anglus*.	289
Sulpitius	Rigault.	171
Benedictus	Rinius, *Venetus*.	255
Johannes	Riolanus, *Ambianus*.	171
Guillelmus	Riviere, *Monſpeſſulanus*.	312
Laurentius	Roberg.	315
Nicolaus	Robinſon, *Scotus*.	376
Johannes	Rodericus, *de Caſtello bianco, Luſitanus*.	134
Guernerus	Rolfincius, *Hamburgenſis*.	269. 275
G. . . B. . . . de Saint	Romain.	304
Jacobus	Romerus, *Germanus*.	32
Franciſcus	Roncallus, *Brixienſis*.	344
Guillelmus	Rondeletius, *Monſpeſſulanus*.	152
Johannes Petrus	Roſelius, *Hersbruco-Noricus*.	322
Ludovicus	Roſellus, *Foroſempronienſis*.	196
Petrus	Roſtinius, *Italus*.	144
Petrus de	Rotundis, *Italus*.	386
Johannes Antonius	Roverellus, *Bologninus*.	93
Nicolaus	Rouſſeau, *Trecenſis*.	236
Euſtachius	Rudius, *Bellunenſis*.	217
Johannes Georgius	Ruppius, *Fravenſtenio Miſnicus*.	362
Gualtherus Hermannus	Ryff, *Argentoratenſis*.	109
Henricus	Ryſendeech, *Lugduno-Batavus*.	268

J . . .

S.

J.	S. . . . . . *Anglus.*	367
L.	S. . . . . . *Anglus.*	284
G. . . B. . . . de	Saint Romain.	304
Johannes	Salicetus, *Meichingerus.*	16
Johannes Rudolphus	Salzmannus, *Argentoratenſis.*	269
Antonius	Saporta, *Monſpeſſulanus.*	167
Johannes	Saporta, *Monſpeſſulanus.*	210
Petrus	Sartorius, *Argentinenſis.*	263
Hercules	Saxonia, *Patavinus.*	201
Polycarpus Gottlobius	Schacher, *Lipſienſis.*	262
Julius Cæſar	Scaliger, *Veronenſis.*	145
Antonius	Scanarolus, *Mutinenſis.*	29
ohannes	Scavart, *Breda-Brabantius.*	259
Conradus	Schelling, *Heidelbergenſis.*	37
Hermannus Ooſterdick	Schact.	344
Johannes	Schenckius, *Graffenbergenſis.*	179
Sigiſmundus	Schillingius, *Frankenſteina Sileſius.*	234
Johannes Nicolaus	Schippel, *Smalcaldenſis.*	282
Leonardus	Schmaus, *Salisburgenſis.*	63
Johannes Jacobus	Schmid, *Magdeburgenſis.*	355
Joſephus	Schmidts.	268
Philippus	Schopfius, cum Capivaccio.	192
Melchior	Sebizius, *Argentoratenſis.*	274
Johannes Gottlobius	Segnitz.	351
Petrus	Seguyn.	206
Claudius	Seguyn, *Pariſinus.*	253
Daniel	Sennertus, *VVratislavienſis.*	243
Michael	Sennertus, *VVittembergenſis.*	289
Ludovicus	Septalius, *Mediolanenſis.*	234
Marcus Aurelius	Severinus, *Tarſienſis.*	253
Philippus	Short, *Anglo-Britannus.*	344
Jacobus Bouez, *dictus*	Sigogne, *Corbiniacenſis.*	347
Bartholomæus	Sileber, *Germanus.*	70
Johannes Baptiſta	Silvaticus, *Mediolanenſis.*	210
Johannes	Sintelaer, *Anglus.*	326
Michael Aloyſius	Sinapius, *Hungarus.*	312
Johannes Baptiſta	Sitonus, *Mediolanenſis.*	278
Paulus Marquardus	Slegelius, *Hamburgenſis.*	259
Johannes Hadrianus	Slevogtius, *Jenenſis.*	322
Reinerus	Solenander, *Budericenſis.*	150
Paulus de	Sorbait, *Hannonienſis Belga.*	290
Johannes Baptiſta	Sori, *Italus.*	249
Johannes Caſparus	Sparr.	283
Johannes Willelmus	Sparrman, *Dreſdenſis.*	350
Johannes	Spinke, *Anglus.*	316
Georgius Erneſtus	Stahlius, *Hallenſis.*	323. 331
Johannes Fredericus	Stædel, *Argentoratenſis.*	323
Johannes Adolphus	Stollius, *Zittavia-Luſatus.*	323
Joſephus	Struthius, *Polonus Poſnanienſis.*	102
Johannes Georgius	Stuſſius.	337
Thomas	Sydenham, *Anglus Dorſetenſis.*	289
Jacobus	Sylvius, *Ambianus.*	100
Johannes	Sylvius, *Inſulanus in Flandria.*	146
Franciſcus	Sylvius de le Boe, *Hanoveranus.*	297

Georgius

T

Georgius Daniel	Thebeſius, *Haynovienſis Sileſius.*	213
Philippus Aureolus	Theophraſtus Paracelſus, *Eremita.*	85
Carolus	Thuillier, *Rothomagenſis.*	295
Johannes	Timmius, *Bremenſis.*	382
Gisbertus van	Tol	284
Bernardinus	Tomitanus, *Patavinus.*	154
Gaſpar	Torrella, *Valentinus apud Hiſpanos.*	24
Petrus de	Torrez, *Darocenſis in Aragonia.*	210
Petrus	Trapolinus, *Patavinus.*	45
Victor	Trincavellius, *Venetus.*	132
Johannes Georgius	Trumphius, *Goslarienſis.*	276
Daniel	Turner, *Anglus.*	*339. 360. 361. 366.* 389
Theodorus	Turquet de Mayerne, *Genevenſis.*	265

V

Joſephus	Valliſnerius, *Regienſis.*	306
Johannes Antonius	Vander Linden, *Enchuſanus.*	253
Johannes Baptiſta	Van Helmont, *Bruxellenſis.*	259
Abrahamus	Van Loon, *Roterodamenſis.*	344
Gisbertus	Van Tol.	284
Jacobus	Van den Velde, *Hanovienſis.*	318
Johannes	Varandæus, *Neumaſenſis.*	228
Johannes	Vauloué, *Genabicus.*	274
Chriſtophorus a	Vega, *Complutenſis.*	127
Irenæus	Vehr, *Francofurtenſis ad Vaidrum.*	284
Jacobus van den	Velde, *Hanovienſis.*	318
Georgius	Vella *Brixienſis.*	52
Collectio	Veneta *Prima.*	84
Collectio	Veneta Aloyſii Luiſini, quæ *Secunda.*	162
Jacobus	Vercellonus, *Pedemontanus.*	335
Andreas	Vetranus, *Panormitanus.*	269
Benedictus	Victorius, *Faventinus.*	121
Vidus	Vidius, *Florentinus.*	117
Johannes	Vierzigmann, *Norimbergenſis.*	311
Johannes Jacobus	Vietor.	269
Johannes	Vigerius, *Caſtrenſis.*	270
Johannes de	Vigo, *Genuenſis.*	59
Franciſcus de	Villalobos, *Hiſpanus.*	29
Guilielmus	Vince, *Anglus.*	315
Petrus	Violette du Bois, *Pariſinus.*	350
Johannes	Vittichius, *Vinarienſis.*	193
Ludovicus	Von Hammen, *Gedanenſis.*	284
Franciſcus Balthazar	Von Lindern, *Buxovillanus.*	366
Johannes	Vochs, *Colonienſis.*	50

U

Gervaſius	Ucay, *Toloſanus.*	306
Matthias	Untzerus, *Hallenſis.*	310
Adamus	Unzelmannus, *Delmenhortenſis.*	306

W

Johannes	Walæus, *Lugduno-Batavus.*	259
W	Wall, *Anglus.*	312
Georgius	Warren, *Cantabrigienſis.*	330
Georgius Wolfgangus	Wedelius, *Spremberga-Luſatus.*	*391.* 317
Arnoldus	Weickardus, *Germanus.*	249
Johannes	Weidmann, *Meichingerus.*	16
Bernardinus	Weiſſ, *Deſſavienſis.*	302
Johannes	Wierus, *Gravienſis.*	179

Juſtinus

Juſtinus	wigandus.	278
Martinus	willichius, *Hamburgenſis.*	275
willelmus	willis,	302
Nicolaus Maximilianus	wilhelmi, *L. Schvvalbacenſis.*	311
C	willoughby, *Anglus.*	347
Johannes	wynell, *Anglus.*	272
Richardus	wiſeman, *Anglus.*	285
Tobias	withaker, *Anglus.*	274
Robertus	wright, *Londino-Anglus.*	259
Andreas	Wright, *Anglus.*	318
	Z	
	Zacutus, *Luſitanus.*	252
Antonius Maria	Zanini, *Veronenſis.*	373
Johannes	Zecchius, *Bononienſis.*	188
Johannes	Zellerus, *Tubingenſis.*	317
Theodorus	Zuingerus, *Baſileenſis.*	327

INDEX RERUM

Quæ continentur Tomo Secundo.

A

ABdomen ſive ſumen, quæ ſuilla erat cum ſuo lacte mamma, a Romanis in cibis probabatur. 332
Abſceſſus in perineo ex Iſchuria habituali, quæ gonorrhoeæ venereæ pediſſequa eſt. 267
Abſceſſus varii in Syphiliticis obſervati. 255
Academiæ Medicæ omnes ſumma diligentia incubuerunt in Philiatris ad morborum venereorum notitiam & therapeiam informandis. 114. & *ſeq.*
Accidentia inunctionum. 45
Propter quæ tamen non debent rejici. *ib.*
Accorambonus (Hieronymus) Eugubinus, gloriabatur *ſe multos curaſſe a morbo gallico* ſyrupo ſolo de Pomis. 170
Acetum naribus ſuppoſitum creditur facere ad præcavendam peſtis contagionem. 38
Adamus (Melchior) ſcripto tradidit Ulrichum Huttenum *ſe recepiſſe in Inſulam lacus Tigurini, apud Johannem Schekium, felicem paralyſeos curatorem*, quod videtur indicare ei ſuperfuiſſe aliquas luis reliquias. 376
Adipoſa membrana ſedes eſt ſeminii venerei juxta Boerhaavium. 343. Et alios quoſdam. 360. 373. 168
Adventitia lues venerea concipitur concubitu, lactatione, ſuctione lactis, oſculo & dormitione cum infectis. 193
Ægrotantes ex lue venerea liberos ſanos procreare non poſſunt juxta Silvaticum. 211
Ægrotantibus, dum unguento mercuriali inunguntur, non licet vagari ſine periculo. 359
Æthiops, Pamphili de Narvaez mancipium non luem venereum, ſed Variolas in novam Hiſpaniam invexit. 374. & *ſeq.* 277. 316. 319
Africa. An inde in Americam lues traducta fuerit? 375. 279. & *ſeq.* 280. 287. 315. 319
Agathus (Petrus Angelus) Matheras, edidit Librum Falloppii *de Morbo Gallico*, ac annotationibus auxit, non raro abſurdis. 142
Primus editor fuit Operis Francanciani. 157
Agyrtarum imperitia & impudentia retegenda eſt. *Præf.* 12
Agyrtæ quomodo excipiendi juxta Borgarucium? 161. Juxta Gualterum Harris? 312. Arcana ſua anti-venerea ſine fructu nunc jactitant, & paucos inveniunt, quos ludificentur. 306
Agyrta quidam Londinenſis audacter ore exhibebat ægrotantibus ex lue venerea guttas aliquot ſublimati corroſivi in ſpiritu vini ſoluti. 330
Albotim Arabum, ſive *Terminthus* Græcorum, non fuit idem ac lues venerea. 142
Albertus, Brandenburgenſis, Archiepiſcopus Moguntinus & Magdeburgenſis, S. R. E. Cardinalis, cui *Ulrichus de Hutten Librum de Morbo Gallico* dedicavit. 60. 61. Non quod *velit illum* remediis antivenereis *uti*, optat potius *ne unquam debeat*; ſed ut in *illius aula* ea remedia *eſſent omnium neceſſitati expoſita*. 62
Alcanna, ſeu potius *Elhanne* Arabum, videtur eadem, quæ *Cypros* Græcorum. 289. Deficit in officinis & ſuppletur radice *Anchuſæ Monſpeliacæ*. *ibid.*
Alderetus, Profeſſor Medicus Salmanticenſis, creditur inveniſſe methodum exſtirpandi cathæreticis carunculas urethræ. 127
Aleiptice ſive Methodus inunctionum mercurialium vulgatiſſima erat in Galliis ætate Sylvii, anno 1539. 102
Alhumere vel *Alchumera*, Variolæ. Idem morbus ac lues venerea juxta Piſtorium. 30
Quod negatur a Manardo. 37
Almanach ſive Prognoſtica ſcribebantur olim a Regiomontano & a Middelburgio. 5. 6. & *ſeq.*
Almanach magnum, ab Aſtrologorum nugis liberum Franciſci Rapardi, Brugenſis Medici. 139
Almanach Petri Bruhezii de tempore phlebotomandi, purgandi & balneandi. *ibid.*
Alſaharadius, ſive *Avenzoar*, obſervavit tuſſim aliquando produci ab animalculis minimis genitis in canna pulmonum. 33. 46. 112
Altar vel potius *Alvar Caravalgii*, Plantæ genus, quæ e Portugallia in Italiam deferebatur ætate Rangoni. 98
Amatus Luſitanus Judæos deridendos propinabat, licet ipſe clam Judæus eſſet. 134
Ammirally (Demetrius) Medicus natione Græcus, ad quem Carolus Thuillier epiſtolas aliquot ſcripſit, vel finxit ſe ſcribere. 286
Anathymiaſis in uſum nuper revocata fuit a Plano quodam, ſed irrito ſucceſſu. 306. 307
Anatomica ſectio cadaveris ſyphilitici a Wendelino Hock. 42. Alexandro Benedicto. 21. Medicis Ferrarienſibus. 53. Nicolao Maſſa. 77. 80. Georgio Dordono. 166. Marco Aurelio Severino. 265. 288. Georgio Wirſungo. *ibid.*
Andreghettus Andreghettius luci dedit Tractatum Saxoniæ *de lue venerea*. 201
Angelus Bologninus, Profeſſor Chirurgiæ celeberrimus in Academia Bononienſi. 49. 50. Quo anno prodierit prima Editio Tractatus ab illo ſcripti *de unguentis?* 47. 50
Anguillæ laudatæ ad curationem luis venereæ. 55
Animalcula, minima, numeroſa, prolifera, quæ partes depaſcuntur, quæ contagione propagantur facillime, ſunt unica cauſa luis venereæ ſecundum Auguſtum Hauptmannum,

anno 1650. Chriſtianum Langium, *anno* 1659. Davidem Abercrombyum, *anno* 1684. Nicolaum Hartſoeckerum, *anno* 1699. Auguſtinum Calmet, *anno* 1708. Antonium Deidier, *anno* 1724. 339. J. Honoratum Raiberti, *anno* 1732. 354. Petrum Deſault, *anno* 1733. 357. Opinio eadem de cauſa Peſtis jam propoſita fuerat ab Athanaſio Kirchero, *anno* 1658. Johanne Saguens, *anno* 1721. 339.

Anni principium a Feſto Paſchatis olim numerabatur in Galliis. 143

Antidota luis venereæ plane inefficacia recenſentur a Minadoo. 201. Cæſalpino. 214. Colle. 244

Antimonium præparatum, ſeu Emeticum, præſcriptum ad curationem luis venereæ. 166. 172. 226. & *ſeq.* Luem nunquam vel rariſſime ſuperat. 193. 219. & *ſeq.*

Antimonialia præparata laudantur contra luem veneream a Chriſtino. 277

Antiquitatem luis venereæ tuentur Natalis Monteſaurus. 29. Sebaſtianus Aquilanus. 32. Theophraſtus Paracelſus. 84. Sebaſtianus Montuus. 87. Michael Angelus Blondus. 43. & *ſeq.* Johannes Langius. 137. Nicolaus Macchellus. 139. Rodericus Diaz de Iſla. 140. Andreas Alcaçar. 171. Rembertus Dodonæus. 185. Fabius Pacius. 221. Andreas de Leon. 222. Johannes Colle. 244. David de Planiſcampy. 247. Guido Patinus. 252. Bartholomæus Galeſius. 256. Paulus Mattot. 277. Edmundus Morphœus. 278. Nicolaus de Blegny. 281. Paulus de Sorbait. 290. Georgius Wolfgangus Wedelius. 291. & *ſeq.* Stephanus Blancardus. 297. 298. Franciſcus Calmette. 205. Gervaſius Ucay. 206. Nicolaus Heinſius. 314. Gualtherus Harris. 323. & *ſeq.* Georgius Warren. 331. Gerardus Gorris. 337. & *ſeq.* Daniel Turner. 339. Johannes Baptiſta Fauſtus Alliot. 341. Guillelmus Beckettus. 344. Johannes Zacharias Platner. 262. Johannes Honoratus Raiberti. 363. Petrus Deſault. 367. Nicolaus Robinſon. 376

Apios. Cujuſnam Plantæ radix illa ſit, & in quo differat a radice Chinæ? 131. 132. Laudatur a quibuſdam adverſus luem veneream. 178.

Apuleii (Lucii) locus unus & alter, qui ad probandam antiquitatem luis venereæ ſolent a nonnullis adduci, explicantur. 242. 243

Aqua diſtillata ex anguibus eximie laudatur a Matthiolo ad curationem luis venereæ. 84

Aquæ Philoſophicæ, ex Guaiaco & aliis ſudorificis diſtillatæ, adverſus luem veneream proponuntur a Petro Andrea Matthiolo. *ib.* Theodorico de Hery. 128. Augerio Ferrerio. 131. & *ſeq.*

Aqua Fernelii adverſus luem veneream, quam *mirificam* dicit. 144. & *ſeq.*

Aquæ flavæ Renneri. Quid fuerint? Quomodo adhiberentur? Quam gravi cenſura notandæ videantur? 150

Aqua di Cazzo, hoc eſt, Aqua Mentulæ, quomodo præpararetur? 181

Aquæ philoſophicæ aut theriacales in curanda lue venerea nullius ſunt virtutis. 238

Aqua philoſophica Matthioli laudatur adverſus luem veneream ab Epiphanio Ferdinando. 247.

Aquam theriacalem magni faciebat Rondeletius in dolore Capitis venereo. *ibid.*

Aqua mercurialis ſudorifera Medici cujuſdam Galli, vere exitialis. 248

Aqua Menthæ Quercetani efficax in gonorrhœa contumaci. 266. 101. & *ſeq.*

Aqua ſudorifica mercurialis Antonii Everhaers. 273.

Aqua mercurialis ex ſoluto ſublimato corroſivo, qua cutis abluitur, ad ſalivationem movendam adhibetur a quibuſdam. 297

Aqua-pendente (Hieronymus ab) affirmabat e dextro ventriculo in ſiniſtrum, ſanguinem per ſeptum interpoſitum tranſudare, ac foraminula quædam adhibito ſpecillo oſtendebat. 185. Quod, & jure quidem, negabat Pigafetta, qui Falloppii Diſcipulus erat. 186

Aquila biceps nigra, teſſera propria Imperatoris: Aquila ſimplex nigra, teſſera Regis Romanorum. 11

Aquila rubra Turqueti de Mayerne. 265

Aquila. Civitas regni Neapolitani, a ruderibus Amiterni haud longe diſſita, fuit patria Sebaſtiani Aquilani. 31

Arabes. Brocardus fuit ſectator acerrimus Medicorum Arabum. 61

Arabicus Pulvis, Vide *Pulvis Arabicus*.

Arcana nulla Capivaccius habuit præter ſuam methodum. 191. Quæ Riverii nomine circumferuntur, an genuina ſint. 285. An liceat Medico, imo Viro probo, arcana utilia celare? 296. 332. & *ſeq.* 337. 360. & *ſeq.* *Præf.* XII. & *ſeq.*

Arcanum anti-venereum Caroli Thuillier, ex quibus compoſitum fuiſſe videatur? 297. & *ſeq.* a Petro Alliot adverſus carcinomata venditatum, quo artificio præparabatur? 241

Archi-Hoſpitale Sancti Jacobi fuit Romæ noſodochium Syphiliticorum. 73

Arcus Parcæ, mortis Deæ, quem Cupido ebrius ſibi aſſumpſerat, juſſu Veneris projicitur in Palatii ſui foſſas, unde factum, ut aquæ hinc ſcaturientes, veneno lethali pollutæ, Veneris aſſeclis, a quibus epotabantur, luem veneream intulerint. 68. & *ſeq.*

Ardern (Johannes) Chirurgus Anglus ſæculi XIV. An loca ex Opere quodam illius deprompta probent antiquitatem luis? 339. 344

Argelata (Petrus de) Quæ ſint primæ editiones Chirurgiæ ab illo ſcriptæ? 7

Argentum vivum ab Arragoſio collectum Monſpeſſuli anno 1551 in ædibus Matronæ cujuſdam juxta puteum. 202 Defluit juxta Arragoſium a fœno recens defalcato. *ibid.* Colligitur ex foliis portulacæ certa ratione præparatis. *ib.*

Argenti vivi Mineræ decem diſtinguuntur ab Arragoſio. 203. Præparandi modum Arragoſius ænigmatice tantum proponit more Chimicorum, in quo merito culpandus. *ibid.*

Argentum vivum valde periculoſum eſt, ſed ſi rite præparetur, cœleſtes virtutes poſſidet. 204.

204. Eſt Antidotum & maxime accommodatum remedium ad morbum Italicum ſecundum Rondeletium. 152
Argumenta, quæ adducuntur ad probandum luem veneream a vermiculis produci, convelluntur. 364
Argumenta, quibus Auguſtinus Belloſte conatur Hydrargyroſim impugnare, refelluntur. 365.
Arietis morbus. Quid eo nomine intelligatur? 182. 183. *& ſeq.*
Arlina, Vide *Radicem Chinæ*.
Armillæ ex emplaſtro mercuriali. 299. *& ſeq.* 203.
Arnaldus de Villanova ſcripſit *Commentum in Regimen Salernitanum*, quod gallice verſum eſt a Medico Monſpeſſulano. 38
Arnoldus (Corradus) Aromatarius Romanus, ex Hollandia accepit anno 1601. lignum quoddam, quod an eſſet lignum Guaiacum verum, diſputatum eſt. 212. 215
Ars medica longa, ſed nuſquam longior quam in Enchiridiis medicis. 322
Arſenicum laudatur adverſus luem veneream a Davide de Planiſcampy, tum externe, tum interne, in quo merito damnandus. 257.
Arſura ſive *Incendium*, quæ olim affectionis ſpecies fuerit, & an eadem quæ gonorrhœa virulenta? 339. 344
Aſaphati Arabum, ſive Tinea ſicca, morbus diverſus a lue venerea. 13. 14. 18. 29. 30. 42. 43. 56. 57. 83. 102. 123. 142. 191. 195. Vide *Saphati*.
Aſari radix. An utilis decocta ad curationem luis venereæ? 341
Aſpectus lunares olim conſiderabantur ad inunctiones, quia credebatur Luna maxime dominari in morbo gallico. 166
Aſtringentia in Urethram injecta improbantur in omni gonorrhœa. 356. Ut quibus affectus graviſſimi inducantur. *ibid.*
Aſtrologiæ vanitas. 27
Aſtrologorum vanitas deridetur a Johanne Vochs. 51
Aſtronomia Medico neceſſaria eſt juxta Simonem Piſtorium. 31
Aſtronomica aliquot Opera a Farnelio olim ſcripta. 143
Atomi mercuriales conſpicuæ ſunt in præparatis mercurialibus, ſi oculis microſcopio armatis inſpiciantur. 200
Averrois opinio *de unico intellectu*, quam tenebat Auguſtinus Niphus, & propter quam in ſuſpicionem venit, quaſi de fide male ſentiret. 82
Aulicæ ægritudines quatuor, & quænam? 108
Aurium tinnitui medetur fumus caryophyllorum infundibulo exceptus. 266
Aurora borealis anni 1575., quæ pridie feſti Divi Michaelis in cœlo viſa eſt, deſcribitur. 179.
Aurum, ſi atteratur, luem ſanaturum eſt tutius atque citius, quam Mercurius juxta Pitcarnium; ſed in hoc Pitcarnius nequaquam audiendus. 204
Aurum diaphoreticum. Qua ratione a Medico quodam Gallo præparabatur? 2.8
Axiomata Medica Montani. 58

B

B*accæ Hederæ* arboreæ in pulverem comminutæ valent adverſus gonorrhœam inveteratam. 266
Bacoczius (Thomas) Archiepiſcopus Strigonienſis, Arbiter regni Hungariæ, & S. R. E. Cardinalis, quo tempore vixerit, & quo anno obierit? 35. Multa ſuadent Conſilium Medicum Montagnanæ pro illo ſcriptum fuiſſe. *ibid.*
Bagacum, gallice *Bavai* in Hannonia. An olim *Belgis* dictum fuerit? 68
Ballade (Une) gallice ſcripta de lue venerea a Johanne Droyn. 57. *& ſeq.*
Balnea inter inunctiones interponebantur a Johanne Benedicto. 55. Et a pluribus aliis. 368
Balnea Campaniæ & totius Ænariæ Inſulæ deſcripta ab Elyſio. 121
Balneatio ante hydrargyroſim, an poſſit omitti ſine damno? 283
Balneatores luem veneream in ſanos ſæpius traduxiſſe creduntur infecto phlebotomo. 250
Balſamica in Gonorrhœa improbantur, quandiu urget inflammatio. 256. ut quibus gravia & periculoſa ſymptomata inferuntur. *ibid.*
Barbaroſſa, Pirata, Rex Algerii, & Solimanni II. Archithalaſſus, pillulas cum Mercurio crudo ſuo nomine inſignes fecit. 92. *& ſeq.* Vide *Pillulas Barbaroſſæ*.
Bartholinus (Thomas) narrat hiſtoriam famuli bubulæ linguæ fruſtulo grandiore præfocati, quod avidius devoraverat. 242
Baſilius Valentinus. An unquam exſtiterit? 231 A quo ſcripta fuerint Opera, quæ ejus nomine circumferuntur? *ibid.* Quo tempore in lucem primum prodierint? *ibid.* Quo nomine lues venerea appelletur in illis Operibus? *ibid.* 339.
Beckettus (Guillelmus) tenet gonorrhœam & luem veneream in Orbe noſtro antiquas eſſe. 340. 344. Loca quædam adducit, ut opinionem ſuam probet, quibus abutitur. *ibid.* Mirari ſubit, quod hæc proponat & tanquam nova, & fiducia maxima, quæ ignorare non potuit jam prius adducta & refutata fuiſſe. 344.
Belilucanæ aquæ (*de Balaruc*) nocent ſyphiliticis juxta Varandæum. 229
Bencius (Franciſcus) Senenſis, Hugonis filius, Aſtrologiæ minime credulus fuit, & in ipſo luminarium coitu catharticum exhibere auſus eſt, reclamantibus ceteris Medicis, ſed felici tamen ſucceſſu, cum æger ea ratione convaluerit. 67
Benivenius (Hieronymus) Antonii fratris ſui librum publicavit. 40

Berengarius Carpus non fuit Chirurgus, ſed Doctor Medicus, & Anatomiæ atque Chirurgiæ Profeſſor in Ticinenſi & in Bononienſi Academia. 57. *& ſeq.* Hiſpanos duos vivos deſtinavit anatomicis demonſtrationibus. *ibid.* Manum admovebat ipſe operationibus Chirurgicis. *ibid.* Non fuit inventor, ſed egregius promotor methodi illitionum mercurialium. 58. *& ſeq.* 320. 339

Bethencourt (Johannes a) Nortmannus primus Europæorum recentiorum Inſulas Canarias reperiit anno 1405. 70.

Bibliotheca Aphrodiſiaca. 1. *& ſeqq.* Quæ Bibliothecæ uſui fuerint in illa amplificanda? *ibid.*

Bickerus. Quid de Paracelſi peregrinationibus finxerit? 85

Bibliothecæ, quæ in amplificanda Bibliotheca Aphrodiſiaca uſui fuere. 4. Regia. Mazarinæa. Collegii Ludovici magni. Cardinalis de Rohan. Sloaniana.

Blacuod (Henricus) fuit ſucceſſor Claudii Charles in regio Franciæ Collegio. 234

Blancardus gloriabatur ſe Carteſianum eſſe, & curationes ſuas niti doctrina acidi & alkali, quod eſt puerile. 299

Bodenſtein (Adamus) interpres aliquot Operum Paracelſi. 89

Bologninus (Angelus) Juriſconſultus Bononienſis, e Plebe Sacci, fuit nepos vel conſanguineus Angeli Bolognini, Doctoris Medici. 49. 50

Bolus Armena contra luem veneream propoſita fuit. 172

Bonacoſſus (Jacobus) Medicus Pauli III. Summi Pontificis. 132

Borbonio (Ludovicus de) filius ſpurius Johannis II. de Borbonio, Comitis Vindocinenſis, fuit Epiſcopus Abrincenſis. 26

Borgia (Cæſar de) filius nothus Alexandri VI., Cardinalis Valentinus. 25. Cardinalitiam dignitatem abdicavit anno 1498. *ibid.* Gonfalonerius erat S. R. E. & deinde Dux Valentinæ anno 1500. 27. A Ludovico XII., Rege Gallorum, adoptatus *au nom & armes de France*. *ibid.* Impenſe & adulatorie laudatur a Torrella. *ibid.*

Borgia (Alfonſus de) nepos ex fratre Alexandri VI., & Johannes de Borgia ejus frater, S. R. E. Cardinalis, occubuerunt ex lue venerea juxta Torrellam. 28

Borgia (Rodericus de) electus fuit Summus Pontifex anno 1492., nomenque *Alexandri VI.* ſibi aſſumpſit. 24

Borgarucius (Proſper) multa comminiſcitur de familia Marchionum Montis, quaſi orta ex regia Borbonum ſtirpe, & de regio Borbonio ſanguine ab anno Chriſti 917. 160

Bouez (Jacobus) dictus *Sigogne*, quænam remedia Syphiliticis adhibeat, ceteriſque omnibus ægrotis, qui de ſe audent illi permittere? 348

Bovius (Hieronymus) Epiſcopus Camerti, Legatus Summi Pontificis ad Poloniarum Regem. 188

Braſſavolus a Joſepho Scaligero inique carpitur, cum vocatur *Cymbalum ineptæ Medicorum plebis*. 124

Braunſchvveig (Hieronymus) Medicus ſua ætate non incelebris. 106

Breſt (Vincentius) multis prædicat ſuam methodum exſtinguendi Mercurium, ita ut ad formam ſuam difficillime redeat, & exſtincto ſuperaddendi diaphoreticam & diureticam facultatem: Sed utramque celat. 374. de Hydrargyroſi, quam maxime poteſt, detrahit. *ibid. & ſeq.* in quo videtur merito improbandus. 376

Brixienſis peſtilentia anni 1577. multis Medicis & Chirurgis fuit exitialis. 194

Broila (Dominus) Nobilis Taurinenſis, a Nicolao Maſſa perfecte ſanatus. 77

Brugenſium Magiſtratus edicto ſancivit, ut *barbi-tonſores omnes ſeſe ſecundum Petri Bruhezii Almanach regerent*. 139. Quod a Gerardo Johanne Voſſio male intelligitur, quaſi *de tempore barbam radendi* ſancitum fuiſſet. *ibid.*

Bruhezius (Petrus) Medicus Eleonoræ Auſtriacæ, Viduæ Franciſci I. ſcripſit Almanach, in quo contendit *tempus phlebotomandi*, *balneandi & purgandi dependere ab Obſervatione ſyderum*. *ibid.* Vide *Rapardum*.

Bryoniæ radices bubonibus maturandis admoventur cum ſucceſſu. 266

Bubas (Las) Sic ab Hiſpanis appellatur lues venerea. 77. 140

Bubones Venerei. Quo primum anno Bubones venerei a Marcello Cumano obſervati fuiſſe videantur? 8. A Thoma Rangono obiter indicantur. 97

Buboni venereo pertinaci admovendum Diachylum cum gummis & ſapone nigro, & cucurbitula alternis diebus affigenda. 238. Conducunt Emplaſtrum Diachylum, Bufo aceto madefactus, Opodeldoch &c. juxta Hartmannum. 232

Bubones in inguinibus quotidianis in lue venerea, raro obvii in alis aut pone aures. 218

Bubo venereus nunquam repellendus, ſed ſemper in pus vertendus & aperiendus juxta Fabricium. 238. Non ſolum in inguine, ſed etiam retro aures & ſub alis apparere poteſt. 252. *& ſeq.*

Bubonis ſeu Pani venerei ſedes. 353

Bubones venerei non repellentibus & refrigerantibus, neque ſuppurantibus curandi; ſed ſi in ſuppuratum abeant, aperiendi ex artis legibus, & detergendi. 358

Bubula caro, fumo indurata & in pulverem contrita, laudatur ad gonorrhœam inveteratam. 266

Bughe, nomen indicum luis venereæ juxta Ferdinandum. 245. Videtnr potius nomen eſſe Hiſpanicum *Buvas* vel *Bubas*, pauliſper detortum & depravatum. *ibid.*

Burdo vel *Burdonus* (Julius Cæſar) An idem ac Julius Cæſar Scaliger? 147

Burning ſive *Brenning*. Vide *Arſuram*.

Butius de Trincis. Medicus erat Sulmone, exeunte

unte ſæculo decimo quinto. 51
Butleri lapis. 260
Buxus noſtras, idem quod Guaiacum juxta Amatum Luſitanum, certe illius ſuccedaneum. 136.

C

Cabalæ deditus erat Thomas Rangonus. 95.
Caballus (Franciſcus) Profeſſor Medicinæ in Academia Patavina, quo tempore Brixiam, in patriam ſuam, ſe recepit. 51
Cadavera ſyphiliticorum diſſecta ab Alexandro Benedicto. 23. & *ſeq.* Medicis Ferrarienſibus. 52. Nicolao Maſſa. 77. 86. Georgio Dordono. 167. Marco Aurelio Severino. 255. 298. Georgio Wirſungo. 298
Calculus magnitudine ovi gallinacei ano ejectus a Franciſco Capivaccio, qui perfecte convaluit. 149
Caletum. Quo anno ab Henrico II., Galliarum Rege, expugnatum fuerit? 143
Cameræ Computorum Monſpelienſis Archetypa anni 1584. interciderunt, neque adeo certo ſciri poteſt, an in illis ea legerentur olim, quæ a Riverio tranſcripta referuntur de Gotofredo Giannato. 188
Campegius (Laurentius) Epiſcopus Bononienſis, & deinde S. R. E. Cardinalis, pro quo exſtat Conſilium Medicum Manardi. 67
Campegius (Symphorianus) edidit Lugduni *Dialexes Medicinales* Sebaſtiani Montui. 90. Luem veneream vocabat *Lichenem*. *ibid.*
Camphora laudatur in gonorrhœa virulenta. 266.
Cancer, vox eſt æquivoca, ſi audiatur Petrus Violette du Bois. 350
Cannulla ex linteo cera oblito, & ex utraque parte pervia, in urethram immiſſa facili artificio ad abſumendas carunculas. 239. In uſum nuper Lutetiæ revocata a non nemine. *ibid.*
Cantharides. An debeant, poſſintve gonorrhϾ curandæ unquam adhiberi? 299. 309. 310. & *ſeq.* 357.
Capnion (Johannes) Phorcigena, *Reuchlinus* nomine proprio, fuit Juriſconſultus. 11. & *ſeq.* Ad illum ſcriptum fuit Poema Sebaſtiani Brant *de Scorra Peſtilentiali*. 8. & *ſeq.*
Capſula ignita ad ſudores movendos nimis violenta eſt, quam ut adhiberi debeat. 211
Caravalgium Alvar, planta quædam, quæ e Portugallia in Italiam deferebatur ætate Thomæ Rangoni. 108
Carbunculus Franciæ. Lues venerea ſic appellata fuit a Johanne Vochs. 352
Carbunculus peſtilens. Egregia Petri de Bayro Obſervatio de carbunculo iſtiuſmodi. 145
Cardanus laudavit ipſe libros ſuos *de morbo gallico*, qui tamen non exſtant, quod ſciam. 148.
Caro bubula, exſiccata & in pulverem contrita, medetur gonorrhϾ inveteratæ. 266
Caroli VIII. ſtatua. An Chirurgus, qui ad illius pedes provolutus oraſſe dicitur, fuerit Theodoricus de Hery, an Magiſter Johannes? 128
Carolus VIII. Rex Galliarum, ab Hiſpanis appellabatur *de la gran Cabeça*, hoc eſt, *Capito*. 223
Carolus V. Imperator, uſus eſt decocto radicis Chinæ. 111. 158. Sed non Sarſæ-parillæ, contra quam narratur a Maſſaria. 205
Carolus, Hiſpaniarum Princeps, cui Petrus Arias de Benavidez Librum dedicavit, erat filius Philippi II. Hiſpaniarum Regis. 164
Carolus IX., Galliarum Rex, male habuit ex caruncula virgæ, quæ ſanata fuiſſe dicitur ab Italo, nomine *Giannato*. 187. Mortem in ſe feſtinaſſe creditur, quod ægrotus cum amica veneri vacaverit. 188. Juvenis ex furtiva venere morbo venereo tentatus fuit. *ibid.*
Carolus a Lotharingia, S. R. E. Cardinalis, Epiſcopus Metenſis, filius erat Caroli III. Ducis Lotharingiæ & Claudiæ a Francia, filiæ Henrici II. Galliarum Regis. 195
Carunculæ urethræ. Quæ fuerit in illis exſtirpandis Methodus. Philippi, Empirici Luſitani. 127. Andreæ Lacunæ. 127. 136. Amati Luſitani. 161. Petri, Empirici Galli. 150. Gotofredi Giannati. 187. Hieronymi Fabricii. 239. Theodori Turqueti de Mayerne. 266. 267. Franciſci Ronealli. 345. 346.
Carunculæ urethræ. An poſſint ſine periculo deradi vel exſecari iis artificiis, quæ Pareus propoſuit? 173. Qua methodo a Guilelmo Loiiſeau in Henrico IV. Gallorum Rege, exſtirpatæ fuerint? 240. Et an ſatis feliciter? 241. An ullæ in urethra unquam ſuccreſcant? 261. Quomodo curandæ. 266. 271. 345. 346
Caruncula urethræ GonorrhϾ venereæ ſupervenit. 92. 126. 127. 271. 272. Quid olim Medici de illa ſenſerint? 92. 126. 127. & *ſeq.* Quibuſnam remediis ad illam exſtirpandam aggreſſi ſint? 91. & *ſeq.* 125. 126. 127. 136. 150. 240.
Caruncula in urethra, graviſſimis ſtipata ſymptomatibus, quomodo curata a Roncallio? 345. 346.
Carunculæ urethræ nunquam ſunt excreſcentiæ in urethra ſubortæ, ſi audiatur Benevolus. 349. Sed ſemper Caput gallinaginis tumefactum, inflammatum, ſuppuratum. *ib.* Quomodo curandæ ſint juxta Chirurgum illum? 350.
Caryophyllorum fumus auribus exceptus facit ad tinnitum aurium. 266
Caſſero, ſeu potius *Ceſſero*. An ſit idem quæ *Caſtra Albigenſium*, num vero potius *Oppidulum Sancti Tiberii*? 271. & *ſeq.*
Caſtellum Durantis in Ducatu Urbini, nunc *Urbanea*. 6
Caſtratio in Elephantiacis ſive Leproſis olim inſtituta, an inveteratæ lui venereæ conducat? 274
Cataclyſmus maximus prædicitur futurus anno 1524. quod anno illo Jupiter & Saturnus coituri eſſent in 10. gradu Piſcium. 84

Catapotia Ægidiana, eadem fere quæ Pillulæ Barbaroſſæ. 102
Calapotia Butyrica, quibus admiſcetur Argentum vivum ſublimatum, improbantur a Montuo. 150
Cataputiæ minoris grana ſeu ſemina N. xij. præſcripta adverſus luem veneream. 165. & ſeq. ad ℥. j. 173 & horum ope multos a ſe ſanatos fuiſſe gloriatur Georgius Dordonus. 166. & ſeq.
Cathæretica ad exſtirpandas carunculas propoſita ab Alfonſo Ferro. 91
Cathartica in Hydrargyroſi nunquam probantur a Theodorico de Hery, in quo a communi Medicorum ſententia temere videtur recedere. 128 Nec ab Andrea Alcacar. 172
Cautelæ ante ſalivationem & tempore ſalivationis. 276 & ſeq. 319
Cautelas quot & quantas ſuadeat Major inunctionum mercurialium tempore. 285 & ſeq. Quas ante ſalivationem, ſub ſalivatione, poſt ſalivationem obſervandas jubeat Hoffmannus? 284 & ſeq.
Cauterium laudatur ad curationem luis venereæ. 16. 219 Adhibetur in doloribus Capitis a lue venerea. 42. & ſeq.
Cellinus (Benevenutus) Aurifex & Sculptor. Quid narret de Jacopo Berengario Carpo? 59
Cephalalgia a morbo gallico. Quomodo curanda ſecundum Fontanonum? 104
Cerata mercurialia illitionum loco probantur a Botallo. 156 Rariſſime luem veneream perſanant. 124
Cercopitheci magni. An lues venerea inter Indos Occidentales ortum habuerit a nefario veneris uſu cum Cercopitheticis? 324
Cheradame (Johannes) Sagienſis, ſe *Hippocratem*, & *ſacrorum Eloquiorum Profeſſorem* vocabat. 66 Gallicum fecit Tractatum *de morbo gallico* Ulrichi de Hutten, Equitis Germani. *ibid.*
Chimiſtæ, quos Paracelſus præceptores habuiſſe gloriatur. 85
Chimicorum antiquorum Opera critico judicio expendenda, ut genuina a ſpuriis diſtinguantur. 89
Chinæ radix in Italiam delata poſt ann. 1537, infauſtos ſtatim habuit ſucceſſus, quia deſperato morbo adhibita, in uſum a Carolo V. advocatur anno 1545., unde brevi inclaruit. 110. & ſeq. Illius uſus parum laudatus a Veſalio, qui huic radici præferenda cenſet noſtratia remedia. 112 Qua de cauſa carpitur ab Amato Luſitano. 136 & ſeq. Hujus Decoctum tentiginem inbibentibus excitat. 112
Chinæ radicis hiſtoria & præparatio. 131 132 142.
Chinæ radix laudatur in cancris exulceratis & in lippitudinibus a Grabiele Falloppio, ſed nullius efficaciæ eſſe dicitur in Morbo Gallico. *ibid.* Appellatur a Minadoo *Regina* in curanda lue venerea. 201
Chinæ radix laudatur ad curationem luis venereæ ab Hieronymo Fracaſtorio. 74. Thoma Rangono. 97. Leonharvo Fuchſio. 107 Aloyſio Lobera. 109 Antonio Muſa Braſſavolo. 124. Amato Luſitano. 136. Michaele Johanne Paſchali. 139. Hieronymo Montuo. 149. Bernardino Tomitano. 154. Alexandro Trajano Petronio. 158. Georgio Dordono. 164. Henrico Broucæo. 166. Andrea Laurentio. 190. Luca Ghino. 192. Andrea Cæſalpino. 212. Demetrio Canevario. 215. Fabio Pacio. 221. Johanne Colle. 244
Chinæ radix efficax adverſus perplures ægritudines. 205. Nullius virtutis in curandis morbis venereis. 156. 158. 205. 220. & ſeqq. Cedit virtute Guaiaco, ſed conducit in atrophia venerea & in aſthmate. 228
Chinæ Decoctum, niſi aſſervetur in loco calido aceſcit juxta Valliſnerium, & quare? 208
China & *Apios* res diverſæ ſunt. 131
Chiriatros. Id nominis barbare attribuitur Petro Pigray, qui Chirurgus erat. 225
Chirurgia ætate Dordoni ad Empiricos & Barbi-tonſores redacta erat, qui *tantum ærugini ſtudebant*. 164. & ſeq.
Chirurgi Sancti Coſmæ. 128. Chirurgi Barbitonſores Sancti Sepulchri. *ibid.* In unum corpus coaluere anno 1656. *ibid.*
Chirurgi juxta Haſchardum, Medico-Chirurgum, *magno detrimento omnium, præcipue juvenum, omnia fere accidentia ad morbum gallicum referunt, miſere hominibus imponentes ut ab ipſis* (ſicut ille opinatur) *plus pecuniæ emungant*. 138
Chirurgi Monſpeſſulani. An uſum cathæreticorum introduxerint ad exſtirpandas carunculas urethræ? 173
Chirurgi & *Barbi-tonſores* juxta Arragoſium *nihil de argenti vivi natura cognoſcunt*, nec melius callent morbi venerei naturam, unde ægrotis valde nocent plerumque. 203
Chirurgi, quæ peccent in adminiſtranda hydrargyroſi juxta Purmannum. 319. Heiſterum. 356
Chirurgi. Cur plerique ſyphilitici ad Chirurgos, & ſæpe imperitiſſimos, confugiant juxta Heiſterum? 358
Chirurgorum ſodalitia duo Pariſiis olim erant: Alterum in Sancti Coſmæ, in Sancti Sepulchri Eccleſia alterum. 128. Quæ demum in unum corpus coaluere, quod appellatur *la Communauté des Maitres Chirurgiens-Barbiers de Saint Coſme*. *ibid.*
Chirurgorum errores juxta Heiſterum in curandis morbis venereis. 355. In curanda gonorrhoea. 356. 357. In curandis bubonibus. *ibid.* & 358. In curandis ulceribus pudendorum. *ibid.* In curanda lue venerea. *ibid.* & 359.
Chirurgorum inſtitutio juxta eumdem Heiſterum. 356
Chirurgus, nomine *Wilhelmus Clovves*, auctor eſt in libro ſuo ægrotantibus, ut de morbis venereis peritos Medicos conſulant, ſi quis nodus inciderit difficilior. 174
Chriſtophorus, Marchio Badenſis, ex Variolis gra-

graviſſime ægrotavit, ſed convaluit opera Johannis Weidman, Meichingeri. 21
Circulatorum imperitia & impudentia retegenda eſt. *Præf.* XII. numerus maximus toto ſæculo decimo ſeptimo. 209
Circulatores, qui arcanis ſuis famam conantur edito libro acquirere. Petrus Lowe. 198. Guilelmus Loyſeau. 240 Johannes Wynell. 272 Carolus Peter. 355. Carolus Thuillier. 296. *& ſeq.* W . . . . Wall. 312. 313. Nicolaus Heinſius. 314. T. . . . Nedham. 317. Andreas Wriglhit. 318. Johannes Marten. 325 Johannes Sintelaer. 326. Johannes Spinke. *ibid.* Anonymus. 327. Georgius Warren. 332. Guillelmus Cockburn. 337. Gerardus Goris. 339. Ludovicus Wilhelmus de Konorr. 340. Jacobus Bouez, *dictus* Sigogne. 347. Rogerus Dibon. 348. Petrus Violette du Bois. 350. Johan. Wilhel. Sparmanus. 351. N. . . Pointet. *ib.* Auguſtinus Belloſte. 366. Franc. Balth. von Lindern. *ibid.* Vicentius Breſt. 374. 375.
Circulatorias artas ſapiunt oſtentatione Johannes Michault. 291. Joſephus Muſitanus. 315 T. . . Nedham. 317. Andreas Wright. 318. Joh. Joach. La Grue. 330.
Circulatores & Agyrtæ arcana ſua nuc incaſſum jactitant, & paucos inveniunt, quos ludificentur. 316. Quomodo depinxerit illos Gerardus Goris, qui tamen ipſemet videtur Circulator? 338
Circulatores, qui ſine Mercurio arcanis ſuis ſe luem veneream curaturo, gloriantur, argumento bacillino caſtigandi auctore Harris. 323. Qui emtitiis libris ſuperbiunt, ut Jacobus Bouez, *dictus* Sigogne. 346. *& ſeqq.* Rogerus Dibon. 348
Circulatores duo inter ſe litigantes de arcanorum ſuorum præſtantia. 351
Circulatio ſanguinis adumbrata a Michaele Serveto anno 1553. 186. 303. Deſcripta ab Andrea Cæſalpino anno 1601., ab utroque ante tempora Harvæi. *ibid.*
Clodius Pulcher non ulcere genitalium conſumptus, ſed fruſto abdominis avide devorato præfocatus interiit. 342. Proſtat ſimilis mortis exemplum apud Th. Bartholinum. *ibid.*
Clyſſus Metallorum Turqueti de Mayerne. 265
Cochenillia. An ſit ſpecificum in curanda gonorrhœa? 311. An faciat adverſus bullam cryſtallinam balani? *ibid.*
Cochiæ Pilullæ ad curationem luis venereæ olim adhibitæ. 166
Cochius (Camillus) alter Editor Operis Franciani. 157
Cœlicola. Mercurius cœlicola, quid ſit apud Angelum Bologninum? 348
Collectio I. Papienſis Scriptorum Aphrodiſiacorum. 61. II. Veneta. 80. III. Veneta. 84. IV. Baſileenſis. *ibid.* V. Lugdunenſis. *ibid.* VI. Veneta tertia ſeu Luiſinina. 161. quæ edita 1. a Ziletto. *ibid.* 2. a Baratio. 206. 3. a Langerak. 350
Collectio Luiſinina Scriptorum Aphrodiſiacorum, quo conſilio compilata fuerit? 161. Quas utilitates habuerit? 163. 177. Quæ peccaverit Editor? *ibid.*
Collegium Franciæ regium. A quo & in quem finem inſtitutum? 117
Colocynthidis pulpa laudatur a Sylvio de le Boe, quaſi efficaciſſima adverſus luem veneream. 280
Colon (Franciſcus) Sic paſſim vocatur Chriſtophorus Columbus a Johanne Calvo. 195. Ex Indiis redux non appulit Neapolim cum viris fœminiſque Indicis, quos adduxerat, ut Regi exhiberentur. *ibid.*
Columba diſciſſa & calens, in quam penis immittitur mox poſt coitum, par eſt præcavendis morbis venereis, ſi Montuus audiatur. 149. 150. aut ſi audiatur Clandinus. 225. *& ſeq.*
Columbus (Chriſtophorus) nihil ſcriptum reliquit. 230
Cometes in cœlis viſus anno 1577. 170
Comitia Turonibus a Jove habentur, in quibus Arcus novus Cupidini traditur, ſed nulla proponitur via, qua lues venerea arcu altero jam inducta reprimi poſſit. 69
Conciliator. Sic appellatus eſt Petrus de Apono. 31
Concoctionem ciborum in ventriculo credidit Leeuwenhoeckius perfici vi & energia ventriculi cibos conterentis. 333. Quam opinionionem renovavit Pitcarnius, illaudato Leeuwenhoeckio. *ibid.* Sed quam mihi videor non infeliciter confutaviſſe, quod iram Pitcarnii in me movit maximam. 334
Confectio Cyphoides Andromachi, recenſetur a Minadoo inter antidota luis venereæ. 201. & a Ferdinando. 247
Conſenſus inter oculos & abdominis viſcera. 371. Sed non ex communione ſola nervorum. *ibid.*
Contagio luis venereæ per uſum venereis nota fuit Coradino Gilino 15. Johanni Weidman. 19. 20. Alexandro Benedicto. 23. Gaſpari Torrellæ. 25. Jacobo Cataneo. 44. Angelo Bolognino. 47. Georgio Vellæ. 53. Johanni Almenar. 55. *& ſeq.* Johanni de Vigo. 59. Jacobo a Bethencourt. 71. Et ſic deinceps omnibus.
Contagionis viæ multiplices. 167. 213. *& ſeq.* 218. 222. 223. 229. 231. 233. 245. 247. 248. 273. 285. 292. 297. 316.
Contagio omnis ſupponit prærequiſitas in patiente diſpoſitiones. 218. 316
Contagio omnium frequentiſſima per uſum Veneris. 233
Contagio luis venereæ. An per ſolam lecti communionem concipiatur? 249. *& ſeq.* 292. An per ſcarificationem cum eodem phlebotomo. 250. An per ſuctricem communem? 273
Contagio luis venereæ triplex eſſe poteſt, per contactum, per fomitem, in diſtans. 158. In diſtans admittitur. 121. 353. rejicitur. 119. 123. Per fomitem admittitur. 155. Parum probatur. 123. 158. 119. 284. *& ſeq.* 292. Per contactum, quæ frequentiſſima, ſi non ſola contagionis via. *ibid.* Etiam levi & momen-

mentaneo attactu penis & muliebrium. 219
Controverſia haud levis Romæ inter Medicos de natura ligni cujuſdam, quod ex Hollandia miſſum fuerat, eſſet ne Guaiacum, necne? 212. 215
Coqueluca, gallice *Coqueluche*, a Thuano deſcripta, qua Anna, uxor Philippi Regis Hiſpaniæ, deceſſit, & Gregorius XIII. Summus Pontifex, periculoſe ægrotavit. 184
Corallatum Paracelſi. 263
Coronationes Imperatorum olim quatuor numerabantur, Aquiſgrani, Arelate, Modoetiæ & Romæ. 10. Nomen Imperatorium non aſſumebatur ab Electo, niſi prius accepta Corona Imperiali Romæ. 11
Corteſius (Ferdinandus) Quot Epiſtolas ſcripſerit? Et quot ejus Epiſtolæ ſuperſint? 261. Non luem veneream, ſed Variolas ab Æthiope quodam, mancipio Pamphili de Narvaez, in Indias Occidentales inductas narrat. *ibid.* Quæ fuerit Helmontio, qui contra ſentit, erroris cauſa? 262
Coſmus I. Thuſcorum Dux, dum infans erat, ab altiſſima feneſtra præceps datus fuit juſſu patris, qui illum in gremio & pallio ſuſcepit, ut illo periculo poſſet conjicere qualis infans futurus eſſet. 112
Cotoneum Lignum, diverſum a ligno Guaiaco, & ipſummet lignum arboris Cydoniæ, ſive mali Cotonei. 185
Couſinot (Jacobus) Comes Archiatrorum Ludovici XIV., anno 1643. 195
Crocavienſis Epiſcopus conſulendum curavit Johannem Manardum. 67
Crinitus (Petrus) male affectus in Gallos. 36
Cryſtallinæ, nomine, quid intellexerit Tanequinus Guillaumet? 230. Quid eodem nomine intellexerit Hartmannus? 232
Cryſtallina, recentiſſimum luis venereæ ſymptoma. 232. 275. Spiritus Tabaci attactu evaneſcit. 232
Cryſtallina. An ſit nova luis venereæ ſpecies? 275.
Cryſtallinus morbus deſcribitur. 245. Idem eſt, ac bulla cryſtallina. *ibid.*
Culmanus (Johannes) Geppingenſis, non confundendus cum Johanne Geppingenſi, Chirurgo Frederici III. Imperatoris. 35
Cumanus. An idem ſit quod *Cumis* in Campania *natus*, an potius quod *Comi* in Ducatu Mediolanenſi? 7
Cupido ebrius arcum commutat cum Atropo, mortis Dea. 68
Curatio luis venereæ per Hydrargyrum ab eo morbo accepta, quem *Malam Scabiem*, ſeu *Malum Mortuum* appellabant. 154. Acerbiſſima, & ſecundum Arragoſium, periculoſiſſima, & in qua adhibenda opus eſt prudenti & exercitato Medico. 203
Cynæ radix virtute cedit Guaiaco juxta Cardanum. 114. Nota fuit Johanni Baptiſtæ Montano, ſed ab eo non uſurpata. 117. Vide *Chinæ radicem*.
Cynarum radix. Qua methodo decoqui & propinari debeat? 135
Cypræ. Duæ erant in Italia Urbes, *Cypræ* appellatæ. 90. Videtur altera, in qua Liber Roverelli impreſſus eſt, appellari hodie *Ripa Tranſona*. *In Addend.* 393

D

Dalenpatius quidam fingit ſibi ope microſcopii in vermiculis ſeminalibus tunica exutis formam hominis conſpicuam fuiſſe. 308. Quis fuerit falſus ille, & fallax Dalenpatius? *ibid.* & *ſeq.*
Dalhemius (Joſquinus) interpres aliquot Operum Paracelſi. 89
Dantiſci experimenta aliquot inſtituta fuere de Transfuſione ſanguinis ad curationem luis venereæ. 292
Danubiana ſodalitas literaria olim in Germania exſtitit ante ſæculum decimum ſextum. 11
De Borbonio (Ludovicus) Epiſcopus Abrincenſis, cui Gaſpar Torrella dedicavit Tractatum *de Pudendagra ſive Morbo Gallico*. 26.
Decocta lignorum Guaiaci & Saſſafras, radicumque Chinæ & Sarſæ-parillæ, qua de cauſa increbuerint? 4
Decoctum Guaiaci in aqua communi multum laudatur ad curationem luis venereæ. 140. 167. In aqua Perſicariæ efficacius eſſe videtur Platero. 227. In vino albo laudatur adverſus luem veneream. 199. Non debet bis in die juxta Silvaticum, ſed ſemel tantum exhiberi. 211. Poteſt potui dari juxta Maſſariam eadem ratione, qua aquæ thermarum, hoc eſt, magna copia quolibet mane. 205. Quomodo acui poſſit & intendi juxta Janſonium? 290
Decocto Guaiaci Hutteniana methodo exhibito nunquam opus eſt poſt legitimam inunctionum adminiſtrationem. 350
Decoctum Sarſæ-parillæ laudatur ad curationem luis venereæ. 140. 159. 167. 176. 191. 192. 214. 221. Quomodo præparandum. *ibid.*
Decoctu Salſæ-parillæ & Chinæ laudatur adverſus eumdem morbum. 199. 214
Decocta Guaiaci & Sarſæ-parillæ ſæpe luem veneream non depellunt, & quare, juxta Trincavellium? 133
Decocta Salſæ, Cinæ, Saſſafras, & Smilacis aſperæ, ceu inefficacia, improbantur ab Horatio Guarguanto. 234. Paulo Mattot. 277. Claudio Reynaud. 282. Gualthero Harris. 323.
Decocta ſudorifico-cathartica impenſe laudantur ad curationem luis venereæ. 290
Decocta ſudorifica non exhibenda poſt hydrargyroſim. 305
Decocta ſudorifica laudantur adverſus luem veneream 227. 231. 241. 245. 256. 280. 284. 287. 292. 293. An præmittenda hydrargyroſi? 283
Decocta ſudorifica improbantur. 277. 282
Decocta ſudorifica fortia improbantur in curatione gonorrhoeæ virulentæ. 257

Decoctum Milii, ſive Syrupus Sancti Ambroſii, laudatur contra luem veneream a Rondeletio. 152
Decoctum ficus indicæ amariſſimum laudatur contra luem veneream. 140
Decoctum ſudorificum Antonii Everhaers. 277
Decoctum ſudorificum Ludovici Wilhelmi de Knorr. 340
Decoloratio faciei. An perpetua in iis, qui hydrargyroſim ſemel paſſi ſunt? 117
Delgado (Franciſcus) Presbyter Hiſpanus, narrat ſe laboraviſſe lue venerea annos 23., & demum convaluiſſe decocto Guaiaci. 72
Dentarola, ſpecies luis venereæ, in qua dentes decidunt. 124
Dentativa, ſic appellatur lues venerea a Rangono. 94. *& ſeq.*
Dentium caſus. Quo primum tempore in lue venerea apparuerit? 97
Depilatio ſive Alopecia. Quo tempore in lue venerea ſupervenerit? 79. *& ſeq.* 97
Deſault (Petrus) ſcripſit in me Epiſtolam amaritudinis plenam, cui nihil videtur reponendum. 267. Confidens erat, & ut ſomniabat quæ volebat, ſic etiam, quæ ſomniaverat pro exploratis habebat. 268. Hinc illæ therapeiæ, quas pro morbis deſperatis confidenter proponit. *ibid.*
Deſiderata ad pleniorem Scriptorum Aphrodiſiacorum notitiam. 391. Libri irreperti, ſed de quorum prima editione conſtat. *ib.* Libri facile obvii, ſed de quibus non liquet quo anno primum editi ſint. *ibid.* Libri Anonymi & Pſeudonymi. 392. Libri omiſſi, quia nec nomine cogniti. 393
Devaux (Theodorus) editor Operum poſthumorum Turqueti de Mayerne. 265
Diæta accurata iis diligenter præſcribenda, qui ægrotant ex Gonorrhœa virulenta. 358. 369.
Dibon (Rogerus) Quo remedio credatur uti vel potius abuti, ut conetur lui venereæ mederi? 348
Diſputationes, ut inſtituebantur in Facultate Medica Monſpeſſulana, cum locus aliquis profeſſorius vacuus erat? 258
Diſſectio Syphilitici cadaveris a Georgio Vella. 52. Nicolao Maſſa. 77. 80. Ceorgio Dordodono. 165. Marco Aurelio Severino. 256. 298. Georgio Wirſungo. 296
Divinum. An ſit aliquid divinum in lue venerea? 171
Divitias ſibi comparaverunt magnas ex curatione luis venereæ Jacobus Carpus. 58. Hieronymus Capivaccius. 192
Doctor in Facultate Chirurgiæ Pariſienſi. Arrogans, vel potius ineptus titulus, quem ſibi ſumit Petrus Lowe. 198
Dogmata nova, quibus Medicina aucta eſt experimentis, quæ in Syphiliticis oblata ſunt. *Præf.* x.
Dolor acerrimus ex ulcere in foſſa naviculari, ſedatus immiſſa fiſtula exigua argentea, per quam urina emittebatur. 249
Dolores muſculorum ex Morbo Gallico ſedantur juxta Petrum de Bayro unguento quodam mercuriali; Decocto Guaiaci cum vino vel aqua; Pillulis mercurialibus. 145
Dordonus (Georgius) lui venereæ curandæ vacavit cum ſucceſſu. 167
Dormitione ſola cum infectis lue venerea, etiam cum linteamina infecta ſunt, raro morbus concipitur. 218
Dornæus (Gerhardus) interpres aliquot Operum Paracelſi. 89

E

E China, Vide *Radicem Chinæ*.
Editio altera Veneta, ſeu *Baretiana* Collectionis Luiſininæ, eadem quæ prima, ſeu *Zilettiana*. 206
Eganum lignum, vulgo *Laburnum*. 214
Einſidlen. latine *Eremus*, viculus Pagi Suitenſis apud Helvetios, patria fuit Paracelſi, unde *Eremita* dictus fuit. 84. *& ſeq.*
Electuarium Petri Lowe adverſus luem veneream, cujus præparationem non indicat. 200
Elephantiaſis. An huic morbo conveniat Hydrargyroſis? 252. *& ſeq.*
Eleonora, Soror Caroli V. Imperatoris, & Vidua Franciſci I. Galliarum Regis. 106
Elogium ludicrum luis venereæ. 99. Gonorrhœæ venereæ. 331
Elſholtius (Johannes Sigiſmundus). Quas obſervationes narret de transfuſione ſanguinis in ſyphiliticis inſtituta? 292
Empirici & Barbi-tonſores credebantur ætate Trapolini Morbum Gallicum melius curare, quam Medici. 46
Empiricorum imperitia, & impudentia retegenda. *Præf.* XII. Quomodo excipiendi juxta Borgarucium & Harris? 161. 213. *& ſeq.* Vide *Agyrtas* & *Circulatores*.
Emplaſtorum mercurialium uſus ad curandam luem veneream a Ferrerio proponitur & laudatur. 131
Emplaſtra mercurialia non improbantur ab Hieronymo Montuo, ſi tolerari non poſſint illitiones. 149. Parum probantur a Pigræo. 227 Vicaria ſunt unctionis, ſed operantur tardius. 246. 249. 300. 304
Enchriſta ſive Unguenta Mercurialia. 149. Vide *Unguenta*.
Epitome Scriptorum Aphrodiſiacorum Collectionis Luiſininæ, a Daniele Turneo. 376. In qua nonnulla ſunt, quæ videntur improbanda. 377. Sed in qua Auctor veritate adductus cogitur fateri luem veneream in Europa novam eſſe. 378. Item a Johanne Armſtrong. 379. In qua Auctor ille eadem fere peccavit, quæ Turnerus. *ibid.*
Eraſmus narrabat anno 1523. Ulrichum Huttenum *ex ſcabie ſua*, hoc eſt, ex lue venerea laborare, quatuor annis poſt aſſumptum ab illo Decoctum Guaiaci. 386
Ermellinum lignum, quale ſit? 214
Errata quædam, quæ Juliano Offrai de la Mettrie exciderunt. 385. *& ſeq.*

Errores varii circa ſalivationem mercurialem. 351. 355

Ettalche, ſive lignum Juniperinum laudatur contra luem veneream. 216. Vide *Hetechen*.

Evacutione, quæ fit venæ-ſectione & expurgantibus pharmacis, curari creditur lues venerea. 158

Evonymus de Remedis Secretis, eſt ipſemet Conradus Geſnerus. 242

Exactoribus Tributorum Argentanenſibus nuncupatur Tractatus Medicus. 321

Exercitium laudatur adverſus luem veneream, quaſi *ejus ſolius beneficio multi ſanati ſint*. 53.

Exercitatio corporis laudatur quaſi efficax ad curationem luis venereæ. 155

F

Faber quidam aurarius ſolius hydrargyri vapore graviſſima ſenſit incommoda juxta Fernelium. 145

Facultates Medicæ culpæ notam ſubeunt, quæ cum nebulonibus & circulatoribus literarios & academicos honores temere communicant. 280. *& ſeq.*

Falloppius (Gabriel) Non ſatis liquet nec de natali, nec de emortuali illius anno. 140. 141. Dum Piſis Anatomiæ Profeſſor erat, hominem, morte damnatum ob crimina, *ſuo modo interficiebat ſibi datum*, quod nefas. 143

Ferdinandus a Cardona, Almirallus Neapolitanus, cui carunculæ ſuccreverant in meatu urinario, curatur a Philippo Luſitano. 126

Fernelius (Johannes) Non liquet nec de illius patria, nec de ætate, nec de anno, menſe aut die emortuali. 143. *& ſeq.* Nimium confidebat antidoto ſuæ alexipharmacæ in curanda lue venerea? 144. *& ſeq.*

Ficus Indicæ decoctum ſive aqua laudatur contra luem veneream. 140

Flores Mercurii laudantur a Vigierio. 271

Fœtus editur aliquando lue venerea infectus, licet mater ſana eſſe videatur. 134

Fonſeca (Rodericus) Qualem methodum curatoriam proponat adverſus luem veneream? 255

Fonticuli in lue venerea mitiganda utiles, ſed parum efficaces ad illius curationem. 200. 273.

Formica Gallica. Quandonam inducta in Germaniam inferiorem? 181. *& ſeq.*

Formulæ remediorum. Qua methodo componendæ? *Præf.* IX

Formulæ variæ ſuffumigiorum mercurialium. 265. 207. 214. 299.

Formulæ variæ unguentorum mercurialium propoſitæ, a Johanne Widman. 20. *& ſeq.* Gaſpare Torrella. 28. Antonio Benivenio. 40. Jacobo Cataneo. 44. Angelo Bolognino. 48. Petro Maynardo. 63. Nicolao Maſſa. 77. Johanne Calvo. 195. Andrea Baſtello. 206. Euſtachio Rudio. 220. Sebaſtiano Cortilione. 229.

Formulæ pillularum mercurialium ſive Barbaroſſæ. 92. 93. 108. 145. 180. 199. Vide *Pillulas*.

Formulæ pillularum mercurialium. 309

Forum novum, Etruriæ oppidum, prope quod Veneti Carolum VIII. Gallorum Regem, prælio laceſſere auſi ſunt, ſed infelici. 7. 36

Fracaſtorii Poema de Syphilide vellicatur a Julio Scaligero, & defenditur a Chiocco. 206.

Franciſcus I. Rex Galliarum. Quid de illo ægrotante dictum fuerit ab Antonio Gallo? 106.

Franciſcus II. Galliarum Rex. An de medio ſublatus fuerit inſtillato in aurem morboſam veneno a Pareo? 172

Frantzos vel *Frantzoſen*, nomen luis venereæ inter Germanos. 75

Fredericus Caſimirus, filius Caſimiri IV. Poloniarum Regis, & S. R. E. Cardinalis, obiit ex Morbo Gallico. 34. Sed tamen non videtur in illius gratiam ſcriptum fuiſſe Conſilium Medicum Montagnanæ. 35

Frictiones mercuriales. An ad curandam luem veneream adhibendæ ſint in hunc finem, ut ſalivæ fluxus non concitetur? 331. 348. 349. An ſint tutiores, jucundioreſque viæ ad profligandam luem veneream? 366

Frizimelica (Franciſcus) ano excrevit calculum ad magnitudinem ovi galinacei. 149

G

Galenus nunquam vidit venam Medinenſem, neque febrem ſeptenam aut novenam, neque lapidem egredientem ab inteſtinis. 33. 46. A Veſalio redarguitur, quaſi nullam humanorum cadaverum ſectionem viderit, ſed tantum animalium. 111

Haleotus Picus II. Comes Mirandulæ, laboravit lue venerea. 121

Gallici Morbi nomen unica *l* ſcribi debet juxta Zecchium, ut inter hoc nomen & adjectivum *Gallicum* diſcrimen ſtatuatur. *ibid.*

Gallicus (Morbus) Sic a Thoma Rangono appellatur Morbus Gallicus, quod illum repetat a *Gallaicis* vel *Gallecis* Hiſpaniæ populis. 227

Gallicus Morbus. Vide *Luem Veneream*.

Gallus (Antonius) Quid ſenſerit de methodo curatoria adhibenda Franciſco I? 106

Gallus quidam Medicus methodum curandæ luis venereæ adhibebat valde improbandam. 250.

Gaſcoigne (Thomas) Cancellarius Academiæ Oxonienſis ineunte ſeculo XV. An ex manuſcripto illius teſtimonio poſſit colligi luem veneream antiquam eſſe? 344

Gelée (Theophilus) editor Opuſculorum Andreæ Laurentii. 190

Gentilis vidit bis lapidem egreſſum ab inteſtinis, & ſemel egreſſum e ſtomacho. 34. 46. 112.

Georgius Henriquez, Medicus Luſitanus, quiſnam fuerit? 127

Germanorum mores acriter caſtigantur a Johanne Vochs. 51

Geſnerus (Conradus) diſerte affirmat Huldricum Huttenum *morbo conſumptum fuiſſe gallico*. 386
Giſelinus (Victor) edidit Tractatum Fernelii *de curatione perfectiſſima Luis Venereæ*. 144
Glandulæ. An ſint ſubjectum luis venereæ? 254. 291. 294.
Gloſſopetra calcinata dicitur a Lanzono mederi lui venereæ, ſi ore ſumatur. 321
Gonorrhœæ laus ludrica ab Auctore pſeudonymo. 330
Gonorrhœa. Quo tempore primum apparuerit in Europa? *ibid.* An antiqua ſit & Veteribus cognita? 331. An ſine ullo contagio ſola ſeminum diverſorum putrefactione induci poſſit? 332. An graſſata fuerit in Anglia ante annum 1494.? 344. An ab Alexandro Benedicto obſervata ſit? 23. An a Jacobo a Bethencourt? 72. An a Theophraſto Paracelſo? 89. Non memoratur a Thoma Rangono in deſcriptione luis venereæ. 99. Sed memoratur a Martino Dorcheſino anno 1539. 100
Gonorrhœæ ſedes in Paraſtatis glandulosis, hoc eſt, Proſtatis. 272. 297. 298. Quænam vera ſit illius ſedes tum in viris, tum in mulieribus? 354
Gonorrhœæ ſedes in viris & in fœminis juxta Georgium Warren. 331. Ad cujus curationem nihil ille probat, præter externa remedia. 332. Nempe Inunctiones & Injectiones, ſed quarum materiam & compoſitionem celat. *ibid.*
Gonorrhœæ ſedes in viris juxta Guillelmum Cockburn. 337. Ad cujus curationem ille prædicat uſum cujuſdam injectionis in urethram, cujus præparationem celat. 338. Et quam ideo celare ait, ne perditi Ganeones libidini effrænatius ſe dedant; quæ excuſatio nequaquam admittenda. *ibid.*
Gonorrhœæ ſedes in lacunis urethræ juxta Johannem Baptiſtam Thomam Martinenq. 360 Quam ideo cenſet curandam eſſe injectionibus. *ibid.* Sed quarum compoſitionem celat, ne Circulatoribus patefiant, quæ cauſa vix probanda. 361
Gonorrhœa venerea. Quomodo curanda juxta Turquetum de Mayerne? 265. 266. An curandæ Gonorrhœæ adhibenda ſint Diuretica? 298. & *ſeq.* An mochlica & draſtica purgantia præſtent temperantibus & anodynis? 372. 377. 385. An injectionibus in urethram a Guillelmo Cockburn laudatis efficaciter curetur? 372. 385. Directa illius curatio per injectiones juxta Joh. Bapt. Thom. Martinenq. 360. Huic efficacius conducunt purgantia blanda, quam mochlica. 297. Inveterata, an comprimenda ſit injectionibus aſtringentibus? 298. 302
Gonorrhœa virulenta non curatur iterato congreſſu cum eadem muliere infecta. 238. Nec cum virgine, ut credidit Saxonia. 202. 245. Nec cum fœmina Æthiope, ut eidem viſum fuit. 202. 245
Gonzaga (Ludovicus) filius quartogenitus Ludovici, Marchionis Mantuæ, Epiſcopus fuit Mantuanus. 31
Gonzaga (Franciſcus) Dux fœderatorum contra Gallos dimicavit ad Tarrum, ſed infeliciter anno 1495. 36. Laudatur tamen a Crinito, quaſi Gallos vicerit. *ibid.*
Goris (Gerardus) miris laudibus celebrat arcana ſua anti-venerea, in quo non pudet illum affirmare ſe ſequi ceterorum Medicorum exempla. 339. Quæ tamen arcana celat, & ut ipſe fatetur, ideo celat, ne utilitates ſuas omittat. *ibid.* Quam ob cauſam merito vapulat. *ibid.*
Gorre, vel *Grande Gorre*. Lues Venerea ſic a Gallis initio vocata fuit. 9. A qua voce Sebaſtianus Brant nomen *Scorræ* deflexit, quod uſurpat. 10
Gorre de Rouen. Sic a Gallis appellata fuit initio lues venerea. 100
Gouttes (Les) *du General la Motthe*. Quodnam remedii genus? 347
Gradus tres diverſi in lue venerea. 223
Granopolis. Sic a quibuſdam legitur in Sidonio, loco *Gratianopolis*. 169. & *ſeq.*
Granum ſuper ſpatulas, ſicut faba, in phthiſico indicat ægrum moriturum eſſe poſt dies quinquaginta, ſecundum Avicennam & Trapolinum. 46
Granum hordeaceum, idem quod Caput gallinaginis. 350
Guaiaci Aqua ſive Decoctum. 133
Guaiacum ſive *Huiacan*. Species arboris, Inſulæ Hiſpaniolæ aut vicinis Inſulis peculiaris. 62. 64. 83. Innotuit Hiſpaniæ anno 1507. 73. Italiæ anno 1517. *ibid.* Germaniæ & reliquæ Europæ anno 1518. *ibid.*
Guaiaci virtus. Quomodo detecta? 72. Decoctum ad multos morbos efficax, qui a lue venerea diverſi ſunt. 91. Parum efficax ad morbos diuturnos, præterquam ubi Morbi Gallici ſit aliqua ſuſpicio. 133
Guaiacum. Quotuplici ratione adminiſtrari poſſit? 64. 65. 67. 72. 83. 124. 131. 133. 142. 167. 248. & *ſeq.* 255. Poteſt decoqui in vino. 107. 295. Non eſt decoquendum in vino. 105
Guaiaci Syphiliticis exhibetur Decoctum. 64. 220. Electuarium. 64. 220. 224. Pulvis. *ib.* & *ſeq.* Oleum arte deſtillatum per deſcenſum. 67. 220. 224. & *ſeq.*
Guaiacum appellatur a Minadoo *Rex* in curanda lue venerea. 201. Eſt luis venereæ Alexipharmacum ſeu Bezoarticum, ſi audiatur Varandæus. 228
Guaiaci ſive Ligni Sancti, an una tantum ſpecies fuerit? 215. Succedanea varia. 112. 135 214. 224.
Guaiacum impenſe laudatur ad curationem luis venereæ a Nicolao Poll. 62. Leonardo Schmao. 63. 64. Ulricho de Hutten. 65. & *ſeq.* Franciſco Delgado. 72. Hieronymo Fracaſtorio. 74. Anonymo Ferro. 90. Jacobo Sylvio. 102. & *ſeq.* Remaclo Fuchſio. 106. Gualthero Hermanno Ryff. 107. Leonharto Fuchſio. *ib.* Hieronymo Cardano. 113. Johanne Baptiſta Montano. 116. Benedicto Victo-

ctorio. 121. Victore Trincavellio. 132. & ſeq. Amato Luſitano. 135. Nicolao Macchello. 139. Gabriele Falloppio. 140. Johanne Fernelio. 143. Bernardino Tomitano. 154. Alexandro Trajano Petronio. 158. Georgio Dordono. 164. & ſeq. Henrico Broucæo. 166. & ſeq. Andrea Laurentio. 190. Andrea Cæſalpino. 212. Horatio Guarguanto. 232. Demetrio Canevario. 215. Julio Cæſare Claudino. 224. Johanne Junckero. 248. Johanne Daniele Majore. 283. & ſeq. Samuele Janſonio. 290. Jeremia Loſſio. 294

Guaiaci decoctum Hydrargyroſi præferendum videtur Alfonſo Ferro. 90. Aloyſio Loberæ. 108. & ſeq. Bartholomæo Maggio. 121. Benedicto Victorio. *ibid.* Gabrieli Falloppio. 140. Johanni Fernelio. 143. & ſeq. Dominico Leono. 153. Antonio Fracanciano. 156. Proſpero Borgarucio. 160. Georgio Dordono. 164. & ſeq. Juliano Palmario. 175. Hieronymo Capivaccio. 192. Alexandro Maſſariæ. 204. Andreæ Baſtello. 206. Franciſco Ranchino. 241. Johanni Junckero. 248. Gaſpardo Feſquet. 270. & ſeq. Nicolao de Blegny. 282. Samueli Janſonio. 290. Jeremiæ Loſſio. 294. David Abercrombyo. 295

Guaiaci decoctum proponitur ad curationem luis venereæ. 149. 156. 159. 166. 167. 197. 204. 206. 214. 221. 241. 243. 248. 273. 282. 290. 294. 303.

Guaiaci decocto parum fidendum eſt in curatione Morbi Gallici, ſecundum Nicolaum Maſſam. 76. Petrum Andream Matthiolum. 87. Theophraſtum Paracelſum. 86. 87. Michaelem Angelum Blondum. 107. Augerium Ferrerium. 129. & ſeq. Joſephum Quercetanum. 216. Gregorium Horſtium. 250. Franciſcum Calmette. 305. Nicolaum Heinſium. 313.

Guaynaras. Nomen Indicum luis venereæ. 140. 223.

Guinea. Mancipia ex Guinea petita lue venerea affecta ſunt, antequam ad Inſulas Caribas in America navem appulerint. 289. Quo exemplo inductus eſt Sydenhamius, ut crederet luem veneream ex Guinea originem traxiſſe. *ibid.* Sicut & Janſonius. 290

Gurgeatio. Quid illa vox ſignificet? 53

H

Hæreditaria lues venerea venit a patre vel a matre. 193

Hagioxylum ſive Lignum Sanctum. 149. Vide *Guaiacum*.

Hafenrefferus (Samuel) ſcripſit a gonorrhœa antiqua liberari, qui cum virgine rem habet. 278

Haſchardus (Petrus) Aſtrologiæ ita addictus fuit, ut laudet & approbet Petrum Bruhezium, qui contendebat *tempus phlebotomandi, balneandi & purgandi dependere ab obſervatione ſyderum*. 138

Hellebori nigri radix, an addita Decocti ſudorifici efficaciam intendat? 340

Helmontianæ fabulæ cordato Medico probari non poſſunt. 227

Henricus III., & *Henricus IV.* Galliarum Reges, ex ſtranguria venerea ægrotaverunt dum vixere, licet Medicorum ſuorum dictis audientes eſſent. 237. 239. 240

Henricus IV. ægrotavit ex dyſuria, quæ antiquioris gonorrhœæ pediſequa erat. *ibid.* De ſe permiſit Guillelmo Loiſeau, Chirurgo, qui providente ... *de la Riviere* Archiatro, curationem illam aggreſſus eſt. *ibid.* Sed dubium eſt an ſatis feliciter ſanatus fuerit? *ibid.* Quo reſponſo retuderit malignitatem cujuſdam, qui Chirurgo invidebat, a quo Rex curandum ſe permiſerat? *ibid.*

Hepar. An ſit præcipua ſedes veneni venerei? 231. 241. 294. In quamplurimis Syphiliticis nulla labe infectum apparuit. 160

Hepar Lupi recenſetur a Minadoo inter antidota luis venereæ. 201

Heroardus (Johannes) Archiatrorum Comes, librum Davidis de Planiſcampy ſibi dedicari paſſus eſt, in quo culpandus. 248. & ſeq.

Herrera (Antonius) ſcripſit Hiſtoriam generalem Indiarum. An locus inde adductus a Johanne Devaux evincat luem veneream ab Inſula Hiſpaniola in regnum Neapolitanum deferri non potuiſſe? 328. Contra quæ pugnant diſertiſſime multa Herreræ loca. 329

Hetechen (lignum) adverſus luem veneream utile, ſi ejus decoctum exhibeatur. 154. 157 Lignum eſt quoddam ſpinoſum, quo Afri utuntur in curanda lue venerea, 97. Vide *Ettalche* in prioris Tomi Indice.

Hippas. Nomen Indicum luis veneræ. 140

Hippocratem & Galenum inepte venerabatur Jacobus a Bethencourt. 70. & ſeq.

Hiſpania nova. An luem veneream, variolaſve ab Æthiope quodam, Pamphili de Narvaez mancipio, acceperit? 261. 262

Hiſpanus, qui primum circulationem ſanguinis indicavit, & de quo Pigafettam locutum fuiſſe narrat Monavius, non fuit Realdus Columbus, ſed ut opinor, famoſus ille Michael Servetus. 185. 186

Hiſpani induxerunt in Italiam, juxta Gabrielem Falloppium, *Tyrannidem, Gallicum, & barbæ longæ uſum*. 140. 141

Hiſpanica Lues. Vide *Luem Veneream*.

Hock (Wendelinus) Quot modis nomen ejus depravatum fuerit? 41. Quoties liber illius *de Morbo Gallico* editus fuerit? 42

Horatii locus *de Morbo Campano* videtur Platnero intelligendus de fœdis verrucis, quibus exſectis magnæ cicatrices ſupererant. 363. Imo vero de verrucis venereis, quales putat fuiſſe fœdas Campanorum verrucas. *ibid.* Quæ interpretatio videtur virgula notanda cenſoria. *ibid.*

Horuch, Pirata, frater Barbaroſſæ, Algerii regnum fraude occupavit. 192

Hoſpitale Brolium Mediolani ad curationem Syphiliticorum maxime deſtinatum. 235

Huttenus (Ulrichus) hydrargyroſim undecies paſſus dicitur ſine emolumento. 385. Dubium an

an Hydrargyroſis illa repetita legitime unquam adminiſtrata ſit? 386. Saltem certum eſt Decoctum Guaiaci illi exhibitum nihilo felicius ſucceſſiſſe, cum ante diem ex lue venerea conſumptus obierit. *ibid.*
*Huttenian*a methodus exhibendi decoctum Guaiaci. An hydrargyroſi præferenda ſit? 354. 371. 373. 385.
Huyſan, radicis ſpecies quædam, quæ ætate Thomæ Rangoni ab Indiis Occidentalibus deferebatur. 98
Hydrargyroſis, quæ viſa fuerat exoleſcere poſt detectum Guaiacum, iterum increbuit anno 1560. 158. 209
Hydrargyroſeos ſpecies quatuor. Plena. Semiplena. Simplex. Cum interjectis catharticis. Quo loco ſingulæ habendæ ſint, & quid de unaquaque ſentiendum? 381. 389. Probatur palmam concedendam eſſe ſemi-plenæ ſine purgantibus. *ibid.*
Hydrargyroſeos adminiſtrandæ ratio juxta Andream Alcaçar. 171. Ludovicum Septalium. 135. Martinum Fridericum Frieſs. 300. Bernardum Albinum. 303. Franciſcum Calmette. 305. Matth. Godofr. Purmannum. 319. Joſephum Lanzonum. 321
Hydrargyroſis laudatur a Joſepho Grundpeckio. 11. Coradino Gilino. 15. Johanne Widman. 18. Alexandro Benedicto. 19. Wendelino Hock. 41. Jacobo Cataneo. 43. Angelo Bolognino. 47. Georgio Vella. 52. Johanne Benedicto. 53. Johanne Almenar. 55. *& ſeq.* Johanne de Vigo. 59. Marino Brocardo. 61. Jacobo a Bethencourt. 70. Hieronymo Fracaſtorio. 74. Nicolao Maſſa. 76. 79. Johanne Paſchali. 80. 81. Petro Andrea Matthiolo. 83. Jacobo Sylvio. 100. Antonio Gallo. 105. Vido Vidio 117. Antonio Muſa Braſſavolo 123. Augerio Ferrerio. 129. Amato Luſitano. 134. Hieronymo Montuo. 149. Guillelmo Rondeletio. 152. Antonio Chalmeteo. *ibid.* Leonardo Botallo. 155. Henrico Broucæo. 166. Petro Paulo Pereda. 177. Gualthero Bruele. 178. Johanne Wiero. 179. Hercule Saxonia. 201. Petro de Torrez. 210. Demetrio Canevario. 215. Joſepho Quercetano. 216. Euſtachio Rudio. 217. Ludovico Mercato. 222. Petro Pigræo. 225. Felice Platero 227. Sebaſtiano Cortilione 229. Johanne Hartmanno 231. Ludovico Septalio 234. Ludovico Guyon 237. Franciſco Ranchino 241. Matthia Untzero 242. Tobia Knoblochio *ibid.* Epiphanio Ferdinando 246. Gregorio Horſtio 249. Zucato Luſitano 252. Roberto Patin 263. Johanne Vigierio 270. Franciſco Sylvio de le Boe 266. Richardo Wiſeman 284. Bernardino Chriſtino 287. Stephano Blancardo 297. Franciſco Calmette 305. Joſepho Valliſnerio 307. Matth. Godofr. Purmanno 319. Joſepho Lanzono 320. Gualthero Harris 322. Federico Hoffmanno. 384
Hydrargyroſi Decocto Guaiaci præferenda videtur Jacobo a Bethencourt 71. Johanni Paſchali 80. Theodorico de Hery 128. Antonio Saportæ 168. Johanni Calvo 195. Herculi Saxoniæ 201. Johanni Saportæ 210. Petro de Torrez *ibid.* Joſepho Quercetano 216 Ludovico Septalio 234. Gregorio Horſtio 249. Zacuto Luſitano 252. Ludovico von Hammen 284. Bernardino Chriſtino 287. Stephano Blancardo 297. Franciſco Calmette 305. Joſepho Valliſnerio 307. Matth. Godofr. Purmanno 319. Gualthero Harris. 322
Hydrargyroſis, ſeu methodus illitionum, una eſt, quæ nunc inter cordatos Medicos uſu recepta ſit ad curandam luem veneream. Et quæ nunc majoribus cautelis adminiſtretur, atque adeo feliciori ſucceſſu. *ibid.*
Hydrargyroſis, in qua illitiones adhibentur per intervalla, ne ſalivatio ulla moveatur, a primo fere morbi ingreſſu pleriſque Medicis familiaris fuit. Vide *Inunctiones intercalares*.
Hydrargyroſis cum interjectis purgantibus ad avertendam ſalivationem, a primis morbi temporibus laudata & adhibita fuit. Vide *Inunctiones cum interjectis purgantibus*.
Hydrargyroſis cum interjectis balneis proponitur ab Henrico Haguenot. 368. Cujus utilitates exaggerat. *ibid.* Sed quæ methodus videtur neque nova eſſe. 369. Neque ſatis efficax. *ibid.* 370
Hydrargyroſis ſine ſalivatione videtur nonnullis præferenda Hydrargyroſi ſalivatoriæ ad curationem luis venereæ, ſed male. 383
Hydrargyroſis efficax eſt juxta Valliſnerium ad alios morbos præter luem veneream. 308
Hydrargyroſis uſu receptiſſima erat in Galliis Ætate Jacobi a Bethencourt, *anno* 1527. 71. *& ſeq.* Ætate Jacobi Sylvii, *anno* 1539. 101. Ætate Vidi Vidii, *anno* 1542. 1548. 121. Ætate Joſephi Quercetani, *anno* 1603. 216. Falſo dicitur in Gallias invecta a Theodorico de Hery, poſt *annum* 1545. 128
Hydrargyroſis intercalata multis Neotericorum inventa refertur adulatorie, ſed falſo, cum antiqua ſit. 364. 367. 381.
Hydrargyroſis damnatur a Gaſpare Torrella 27. Johanne Vochs 351. Ulricho de Hutten 64. Laurentio Phriſio 75. Leonhardo Fuchſio 107. Johanne Baptiſta Montano 116. Benedicto Victorio 121. Johanne Langio 137. Johanne Fernelio 143. Dominico Leono 153. Bernardino Tomitano 154. Johanne Cratone 181. Aurelio Minadoo 200. Heydendryck Overcamp. 309. Auguſtino Belloſte. 365
Hydrargyroſis negligitur a Nicolao Robinſon. 366.
Hydrargyroſis, niſi ægri valde robuſti ſint, ſemper aliquid importat mali juxta Majorem. 283.
Hydrargyroſim periculi quidem plenam, ſed tamen aliquando utilem eſſe contendunt Benedictus Victorius 121. Petrus Haſchardus 138. Michael Johannes Paſchalis 139. Gabriel Falloppius 140. Georgius Dordonus 164. Johannes Zecchius 188. Andreas Laurentius 190. Hieronymus Capivaccius 192. Andreas Baſtellus 206. Johannes Saporta 210. Johannes

nes Baptiſta Silvaticus. 211. Euſtachius Rudius. 217. Johannes Varandæus. 228. Johannes Hartmannus. 299. Martinus Fridericus Frieſs. 300

Hydrargyroſis minime damnanda propter imperitiam illorum, a quibus interdum adhibetur. 71. 246

Hydrargyrus triplici forma adhibetur, Linimenti, Emplaſtri & Suffumigii. 120. Illitu Salivationem æque ciet in ſanis, ac in infectis. 156. 165

Hydrargyri deſcriptio, principia, forma, virtutes, proprietates, atque præparata. 327

Hydrargyrum non eſt luis venereæ antidotum Alexipharmacum juxta Fernelium. 144. Palmarium. 198. Abercrombyum. 295. *& ſeq.* Medicamentum eſt malignum & deleterium, ſed quod tamen adhibendum eſt, quando morbus aliis remediis debellari non potuit. 228. 241.

Hydrargyrum neque deleterium eſt, neque venenatum. 195. Remedium eſt in curanda lue venerea probatiſſimum, nec unquam nocuum, niſi perperam admoveatur. 156. Tuto adhiberi poteſt, etſi ejus forma lateat, dummodo effectus notus ſit, ut probatur egregiis exemplis. *ibid.* Tutum eſt luis venereæ alexipharmacum. 226. 237. 241. 242. 250. 252. 306. Sed juxta Liſterum eget ipſum antidoto, nempe Guaiaco. 311. Unicum eſt Syphilidis Ἀλεξιφάρμακον. 351. Curandæ lui venereæ poteſt tuto adhiberi, etiam in puerulis. 219. Cæcitatem a lue venerea inductam non ſemel curavit. *ibid.*

Hydrargyrum optime ſanat luem veneream juxta Canevarium. 215. Rudium. 219. Ranchinum. 241. Knoblochium. 242. Ferdinandum. 246. Horſtium. 249. Zacutum. 252. Patinum. 263. Vigierium. 270. Trumphium. 277. Mattot. 278. Sylvium de le Boe. 306. Ucay. 306

Hymenis exiſtentia obſervatione probata. 234

Hyperſarcoſes in urethra. Vide *Carunculas Urethræ.*

Hypotheſes in Medicinæ ſtudium quo tempore inductæ fuerint? 209. 299. Quanti interſit, ut tandem exulent? 293. 299

Hyuourabe, planta Braſiliæ, quæ valere dicitur adverſus luem veneream. 216

I

ILlitiones mercuriales feliciter adhibitæ infanti nondum bimo, a nutrice infecto. 156

Illitionum intercalarium methodus multis recentium inventa refertur, ſed falſo, cum antiqua ſit. 362. 365. 367. 381.

Index Scriptorum, quæ de morbis venereis edita ſunt ab ingreſſu morbi, ad annum L ſæculi XVI. 2. Ab anno L ſæculi XVI., ad exitum ejuſdem. 116. Ab anno I. ſæculi XVII., ad annum L ejuſdem. 208. Ab anno L ſæculi XVII., ad exitum ejuſdem. 265. Ab anno I. ſæculi XVIII., ad hanc uſque diem. 316.

Infantes ex lue venerea convaluiſſe affirmat Pigræus, qui illiti fuerant ſola porci axungia in mortario plumbeo agitata ſine Mercurio, cujus rei fides Auctorem appellet. 226. Id diſerte negatur, & merito quidem, a Ludovico Guyon. 237

Infirmitas nefanda Scortorum, cujus mentio fit in Statutis lupanaris Southwarcenſis. An de lue venerea poſſit accipi? 339

Injectio, quam Lacuna conſolidandis urethræ ulceribus poſt exſtirpatas carunculas adhibebat. 137

Injectiones aſtringentes. An ſatis tutæ ſint in Gonorrhoea curanda? 151

Injectiones in urethram a Guillelmo Cockburn decantatæ, parum efficaces ſunt. 372

Inquiſitio Veneta Tomitanum in cauſam vocavit, quod italice vertiſſet Commentarium Eraſmi in Evangelium Matthæi. 154

Inunctiones mercuriales officiunt negotio generationis in viris & in fœminis, juxta Borgarucium. 161.

Inunctiones mercuriales putabat Crato curam eſſe deploratorum. 182. Quæ fuit quoque ſententia Majoris. 282. Illas rariſſime adhibuit Claudinus. 224. Nemini ſuaſit Pacius, ſed adhibentibus aliquot adſtitit. 220. Ait ille ex decem inunctis vix unum ad ſanitatem, etiam incertam, veniſſe. 221. Fatetur tamen ſubſidio iis fuiſſe, qui gummatis, tophiſque ſcaterent. *ibid.* Nunquam adhibendas cenſebat Gervaſius Ucay, quia ſummè periculoſæ, & plerumque inefficaces erant. 306.

Inunctiones ex argento vivo deſumptæ ex Meſue. 214. Adhibitæ olim ad ſcabiem. 229

Inunctiones partiales & quotidianæ in uſum medicum non inductæ ſunt a Carolo Barbeirac. 369. Sicut neque diſcretæ & interpoſitis induciis iterandæ, a Franciſco Chicoyneau. *ib.* Aut ab ullo recentiorum. 381. Sed ambæ ab ipſo luis ingreſſu a pleriſque Medicis laudatæ & adhibitæ. *ibid.*

Inunctiones mercuriales, quæ poſt detectum Guaiacum obſoleſcere viſæ fuerant, increbuerunt denuo, maxime circa annum 1560. 158. 209.

Inunctiones bis in die cenſet Theodoricus de Hery aliquando celebrandas eſſe, quod tamen ſemper periculoſum eſt. 129

Inunctiones ex unguento mercuriali ceteris omnibus adhibendi Mercurii modis præferendæ. 160. Poſſunt ſine periculo adhiberi quatuordecies juxta Joſephum Valliſnerium. 307 Adhibendæ, quoties decocta ſudorifica fruſtra fuerunt. 136. 142. 181. 193. 206. 208. 210. 219. 231. 241. 243. 244. 249. 252. 283. 287. 293. 294. Adhiberi poſſunt, quamquam periculoſæ. 190. 219. 231. 241. 244. 249. 283. 299. In lue venerea curanda ſunt opiferæ eorum etiam teſtimonio, qui decoctum Guaiaci præferendum eſſe ſentiunt. 166. 167. 174. 209. 200. 215. 219. 229. 241. 242. 244. 248. 254. 292. 293. Feliciter adhibitæ in pueris, in ſenibus, in prægnantibus. 230

Inun-

Inunctionum mercurialium efficacia in ſananda lue coegit vel invitum Johannem Colle, ut illarum uſum in renovato morbo permitteret. 243
Inunctiones univerſales laudatæ, ſed præter æquum & bonum. 301. 305. 327. Quæ multis de cauſis videntur improbandæ, & quæ ideo jam dudum obſolevere. 305
Inunctiones ſine argento vivo laudantur & approbantur a Ferrerio, ſed ſunt nullius virtutis. 130
Inunctiones & Suffumigia non ab Empiricis, ſed a peritis Medicis, adminiſtranda. 235
Inunctiones ſemper tutiores ſunt ſuffitionibus. 236. 241. Rariores & parciores nullius ſunt efficaciæ. 236
Inunctiones mercuriales Ghinus cenſebat adhibendas eſſe luna decreſcente. 192
Inunctiones mercuriales clam non ſine fraude adhibitæ a quodam, qui palam eas improbabat. 225
Inunctiones Mercuriales reprobatæ fuerunt a Gaſpare Torrella. 27. Johanne Vochs. 51. Ulricho de Hutten. 64. Laurentio Phriſio. 75. Leonharto Fuchſio. 107. Johanne Baptiſta Montano. 116. Benedicto Victorio. 121. Johanne Langio. 137. Johanne Fernelio. 143. Georgio Dordono. 164. Johanne Cratone. 181. Aurelio Minadoo. 200. Horatio Guarguanto. 232. Heydendryck Overcamp. 309
Inunctiones Mercuriales legitime adminiſtratæ approbabantur a Wendelino Hock. 41. Jacobo Cataneo. 43. Angelo Bolognino. 47. Georgio Vella. 52. Johanne Benedicto. 53. Johanne Almenar. 55. *& ſeq.* Johanne de Vigo. 59. Marino Brocardo. 61. Jacobo a Bethencourt. 70. Hieronymo Fracaſtorio. 74. 75. Nicolao Maſſa. 76. 79. Johanne Paſchali. 80. 81. Petro Andrea Matthiolo. 83. Jacobo Sylvio. 100. Antonio Gallo. 105. Vido Vidio. 118. Sebaſtiano Cortilione. 229
Inunctiones intercalares propoſitæ & laudatæ a Wendelino Hock. 43. Johanne Benedicto. 54. Johanne Almenar. 55. Petro Maynardo. 63. Jacobo a Bethencourt. 70. Nicolao Maſſa. 76. 79. Johanne Paſchali. 80. Aloyſio Lobera. 108. Theodorico de Hery. 128. Leonardo Botallo. 155. Proſpero Borgarucio. 160. Juliano Palmario. 175. Johanne Zecchio. 188. Hieronymo Mercuriali. 190. Luca Ghino. 192. Petro de Torrez. 210. Petro Pigræo. 226. Johanne Vigierio. 271. Johanne Daniele Majore. 283. Bernhardo Albino. 303. Adriano Helvetio. 327. Franciſco Chicoyneau. 344. C. . . . Willoughby. 348. Henrico Haguenot. 369. Anonymo. 383. Petro de Rotundis. 387. Petro Guiſard. 389
Inunctiones cum interjectis purgantibus ad ſalivationem avertendam laudatæ & adhibitæ a Wendelino Hock. 41. Johanne Benedicto. 53. Johanne Almenar. 55. Jacobo a Bethencourt. 71. Nicolao Maſſa. 79. Antonio Muſa Braſſavolo. 123. Amato Luſitano. 136. Guillelmo Rondeletio. 152. Leonardo Botallo. 155. 156. Georgio Dordono. 165. Juliano Palmario. 176. Luca Ghino. 192. Johanne Hartmanno. 232. Ludovico Septalio. 235. Johanne Georgio Trumphio. 276. Joſepho Valliſnerio. 307. Petro Deſault. 367. Johanne Douglas. 381
Inunctiones intercalares improbantur a Martino Friderico Frieſs. 302
Iſabella, uxor Johannis de Zapolia, Waivodæ Tranſylvaniæ. 103
Itali ex morbis venereis plerique ægrotabant ætate Mercurialis, & quare? 190
Italicus Morbus. Eo nomine Rondeletius luem veneream appellavit, quod ab Aloyſio Luiſino in *Morbum Gallicum* mutatum fuit. 152.
Ivana vel *Iguana*. Species Lacerti ab Americanis in cibos adhibiti. 309. An comeſta illius caro luem Americanis induxerit? 310

J

Jacobus quidam ætate Trapolini inclareſcebat *arte extrahendi lapidem* ex veſica. 46
Jobus Syphiliticorum Patronus olim habebatur. 57.
Johannes Benedictus, Medicus Germanus, qui Horatium verſibus græcis reddidit, & Cathedram Sulmurii obtinuit, omnino diverſus fuit a Johanne Benedicto, Medico Germano, qui ſcripſit de *Morbo Gallico*. 54
Jovius (Paulus) ad quem ſcripſit Arragoſius, alius quam Paulus Jovius, Epiſcopus Nucerinus, qui celeber erat ætate ſua Scriptor. 203.
Juſtæ (Sanctæ) Epiſcopatus in Sardinia, ſuberat Metropoli Arboreenſi, cui nunc unitus eſt. 25

K

Konigius (Georgius Matthias) errat, dum opinatur Johannem Benedictum, qui Horatium græce vertit, eumdem eſſe quem Johannem Benedictum, qui ſcripſit de *Morbo Gallico*. 54

L

Lac fœmininum, aſininum, caprillum, efficax ad curationem luis venereæ juxta Anonymum quemdam Gallum. 39. Maxime ſi a fœminæ, aſinæ, capræ mammis ore ſugatur ab ægroto. 40
Lacerta viridis. Vide *Præcipitatum viride*.
Lacuna (Andreas) Quid de methodo exſtirpandi carunculas urethræ, quam proponit, ſentiendum eſſe videatur Amato Luſitano? 136.
Ladislaus VI., Rex Hungariæ, Johannem Manardum Ferraria advocat, ut ſui Archiatri munere fungeretur. 66
Lampatan. An ſic appelletur radix Chinæ in Sinenſi Imperio? 243
Lamponianus (Andreas) Sicarius Galeatii Mariæ Sfortiæ, ſui Principis, laudatur a Crinito. 35. 36

Lan-

Langus (Matthæus) Epiſcopus Gurcenſis, Archiepiſcopus Salisburgenſis, S. R. E. Cardinalis, a Julio II. creatus. *62*. De quo Ulrichus de Hutten ſatis aſpere conqueritur. *66*
Laus ludicra luis venereæ ab Auctore pſeudonymo. *97*
Laus ludicra Gonorrhoeæ ab Auctore alio pſeudonymo. 330
Leo X., Summus Pontifex, indulſit Nipho licentiam *Mediceorum* nomen & inſignia uſurpandi. 82
Lepra, An idem remedium faciat adverſus Lepram & adverſus luem veneream? 206
Lepra Gallica, eadem quæ lues venerea. 271
Lepra Arabum, An duplex? Altera, quæ vere lepra eſſet; Altera, quæ lues venerea? 344
Lepram vult Archibaldus Pitcarnius *ante famam belli Neapolitani hydrargyro ceſſiſſe & nomen amiſiſſe*, quod utrumque falſum eſt. 334. 335.
Leproſorum ſanguis, quo vinum a Gallis potatum infectum erat, an luem veneream produxerit? 213
Libri irreperti, ſed de quorum prima editione conſtat. 391. Facile obvii, ſed de quibus non liquet quo primum anno editi ſint. 392. Anonymi & Pſeudonymi. *ibid.* Omiſſi, quia ne nomine quidem cogniti. 393
Liebautius (Johannes) refert Agyrtas & Circulatores in Monte-peſſulano rapi in aſinum ſtrigoſum, & ex Urbe ejici. *161*. In quo Jacobum Sylvium expilavit ſuppreſſo Sylvii nomine. *ibid.*
Lignum Juniperinum laudatur adverſus luem veneream. 215. 221. 243
Lignum Indicum efficax in curanda lue venerea. 170
Vide *Guaiacum*.
Lignum fœniculatum, idem quod lignum Saſſafras. 187. Creditur a Monavio præſtantius Guaiaco & Salſa-parilla. *ib.* Laudatur contra podagram. *ibid.*
Lipſienſis Academia theatrum fuit gravis diſſidii inter Piſtorium & Pollichium. 31. 32
Livianus, copiarum Venetarum Dux, mortuus eſt ad fluvium Abduam anno 1515. 74
Loca Horatii *de morbo Campano & de turpi morbo*, Juvenalis *de mariſcis*, Martialis *de ficis*, Taciti *de ulceroſa facie*, Suetonii *de ulceroſa facie*, Luciani *de Lesbio morbo*, explicantur. 334
Londini duo ſunt Medicorum ordines, nempe *Sociorum* Collegii, & *Permiſſorum* a Collegio. 339
Loſſius (Jeremias) ex errore ſcripſit liquamen, quod fluit in mulieribus gonorrhœa virulenta infectis, manare ex teſtibus per tubas Falloppii. 295
Lotiones cum aqua mercuriali ad ſalivationem movendam. 297. 299. 300. & *ſeq.* 303. & *ſeq.*
Lotium certiſſimum luis venereæ ſignum ſuppeditat ſecundum Antonium Fracancianum. 158.
Lugduno-Batava Editio Collectionis Luiſininæ opera & ſtudio Hermanni Boerhaave. 352. Quæ ab Editore præſtita ſint? *ibid.* Quæ omiſſa. *ibid.*
Ludovicus Caravajallus, cui carunculæ ſuccreverant in meatu urinario, curatur a Philippo quodam, Luſitano. 126
Ludovicus a Flandria, Dominus Prati, Eques Velleris aurei, Hollandiæ Gubernator. 106
Lues Celtica, eadem quæ lues Gallica ſive Venerea. 307
Lues Venerea deſcribitur a Johanne Widman. 18. Alexandro Benedicto. 23. Gaſpare Torrella. 25. Antonio Benivenio. 40. Petro Trapolino. 46. Johanne Almenar. 56. Ulrico de Hutten. 65. Johanne le Maire. 70. Laurentio Phriſio. 76. Sebaſtiano Montuo. 90. Vido Vidio. 118. 119. Benedicto Victorio. 122. Augerio Ferrerio. 131. Andrea Cæſalpino. 213. Julio Cæſare Claudino. 225. Johanne Daniele Majore. 282
Lues Venerea olim graſſata eſt anno Mundi 1436., ſi audiatur Anonymus quidam Gallus. 39. Quod de Mentagra poteſt intelligi. 40. Apparuit iterum juxta eumdem, J. C. 1496. 39
Lues Venerea a Veteribus deſcripta fuit juxta Langium. 137. Colle. 243. Harris. 213. Creditur a Paulo Sorbait eadem fuiſſe, quæ *Mentagra* Plinii, & *Lichenes* Hippocratis. 291.
Luem Veneream ab Elephantiaſi, & ab *Aſaphati* Arabum ſive Tinea non diſcrepare opinati ſunt Natalis Monteſaurus. 28. Sebaſtianus Aquilanus. 32. Paulus Sorbait. 291
Luem Veneream ab Elephantiaſi ſive Lepra differre probant. Nicolaus Leonicenus. 15. Coradinus Gilinus. *ibid.* Johannes Widman. 18. Antonius Scanarolus. 29. Simon Piſtoris. 30. Wendelinus Hock. 41. Jacobus Cataneus. 43. Johannes Almenar. 56. Hieronymus Fracaſtorius. 74. Petrus Andreas Matthiolus. 83. Jacobus Sylvius. 102. Antonius Muſa Braſſavolus. 123. Gabriel Falloppius. 142. Andreas Laurentius. 190. & *ſeq.* Johannes Calvo. 195. Andreas Cæſalpinus. 213. Felix Platerus. 227. Franciſcus Ranchinus. 241. Epiphanius Ferdinandus. 246. Carolus Baralis. 270. Antonius Menjotius. 287
Lues Venerea ab Impetigine & Lichene omnino diverſa. 107. 123. 142. 190. Succeſſiva illius propagatio per Europam poteſt colligi ex patria Autorum, qui de hoc argumento Libros ediderunt. 3. Arguitur illius novitas ex ignoratione, in qua Medici initio verſabantur circa morbi naturam, cauſam, propagationem, therapeiam. 4. Adde ideo nullo proprio nomine initio deſignatam fuiſſe, quia nova erat. 33. 46. 61
Lues Venerea ab Indis appellabatur *Guaynaras*, *Hipas*, *Taybas*, & *Ycas*. 140. Vel ut aliis placet, *Guaynaras*, *Yebipas*, *Taynas*, & *Ycas*. An a Regiomontano prædicta fuerit ex Aſtrologia, ut ſcripto prodidit Paracelſus? 5. 87. An a Middelburgio, ut voluit Petrus Maynardus? 6. 63. Et Johannes Colle.? 244 An ab aliquo Aſtrologo? 76
Lues Venerea in Europam inducta, an ab orien-

-tali

tali plaga? Negatur ab Helmontio. 261. An a Sinarum regno? Negatur ab eodem. *ibid.* An ab Indiis occiduis? *ibid.* Negatur ab eodem, ſed nullo jure. *ibid.* & *ſeqq.* An in Indias occidentales devecta fuerit ab Æthiope quodam, qui mancipium erat Pamphili de Narvaez? 297. 328. Probatur non luem veneream, ſed variolas ab illo delatas fuiſſe. 262. 328. 329. Quæ videatur fuiſſe errandi cauſa? 273. 329. Jam non eſt endemia in Indiis Occidentalibus, auctore Samuele Janſonio. 289. 297. Sed inde non conficitur nec olim endemiam ibidem fuiſſe. 290. 297. Furere cœpit in caſtris gallicis ex *conſtellatione mala, quæ fuit anno* 1483., ſi audiatur Paulus de Sorbait. 291

Luem Veneream ſponte generari voluerunt Nicolaus Leonicenus. 15. Johannes Widmannus. 19. Gaſpar Torrella. 26. Ulrichus de Hutten. 66. Hieronymus Fracaſtorius. 74. Benedictus Victorius. 121. Alexander Trajanus Petronius. 158. Johannes Colle. 244. Johannes Baptiſta Sitonus. 278. Bernardinus Chriſtinus. 286. Paulus de Sorbait. 251. 313. Georgius Wolfgang. Wedelius. 251. Jeremias Loſſius. 293. Jacobus Vercellonus. 336. 337. Gerardus Goris. 328. Fridericus Hoffmannus. 383

Luem Veneream ex India *per Luſitanos ad nos veniſſe* falſo creditum fuit a Jouberto. 175 Qui nihilo minus hallucinatur, cum vult illam Variolarum ſobolem eſſe. *ibid.* Divinitus immiſſam cenſet Franciſcus Delgado. 72. Ex coitu quandoque contrahi, ſine prævia ulla in genitalibus labe, credidit olim Planerius, ſed hallucinatus eſt. 170

Lues Venerea ab Africa in Americam non dimanavit mancipiorum deportatione. 372. An in Inſula Hiſpaniola non prius innotuerit, quam anno 1503. 329. An in Indiis concepta ſit deteſtabili venere cum pecudibus juxta Overcampium. 308. Vel cum Cercopithecis magnis ſive Veterum Satyris juxta Johannem Linder. 324. An ab eſu carnis *Ivanæ* vel *Iguanæ* juxta Liſterum? 309. 310. An in Europa inducta fuerit carne humana in annonam ex fraude præbita? 263. 297. An juxta Helmontium ex nefando congreſſu viri cujuſdam cum jumento ſcabido? 262. 263.

Luem Veneream ex corruptione diverſorum ſeminum generari voluit Minadous in fœminis Indicis. 200. Ortam in Europa crediderunt a ſcorto, quocum Elephantioſus quidam rem habuerat, Johannes Manardus. 67. Vidus Vidius. 119. Dominicus Leonus. 153. Anonymus, Anglus. 169. Johannes Wierus. 181.

Luem Veneream non a ſtellarum influxu, nec a contagio ex India delato ortam credidit Cæſalpinus, ſed a vino græco, quod ab Hiſpanis Leproſorum ſanguine infectum & a Gallis potatum fuit. 213. Ideo in India utraque, Africa & Europa auſtrali ortam eſſe vult Archibaldus Pitcarnius; quod ibidem præcepta legis Moſaicæ neglecta fuerint. 333. 334. Quæ opinio rejicitur. *ibid.*

Lues Venerea. An immodico uſu veneris, etiam puræ, poſſit oriri? 252. & *ſeq.* 258. 278. 286. 291. 293. 323. 336. 337. 383. An ab animalculis producatur, quæ partes depaſcantur. 349

Luem Veneream in Inſula Hiſpaniola, Indiiſque Occidentalibus, endemiam olim fuiſſe uno ore affirmant Leonardus Schmaus. 63. Johannes Manardus. 67. Hieronymus Fracaſtorius. 74. Johannes Baptiſta Montanus. 116. Vidus Vidius. 118. Petrus Haſchardus. 138. Alexander Trajanus Petronius. 158. Georgius Dordonus. 164. Henricus Broucæus. 166. Johannes Calvo. 195. Petrus Lowe. 179. Andreas de Leon. 223. Johannes Hartmannus. 231. Ludovicus Guyon. 236. Antonius Everhaers. 272. Antonius Menjotius. 287. Martinus Liſter. 311. Antonius Herrera. 329. Johannes Honoratus Raiberti. 363

Luem Veneream ab Inſula Hiſpaniola vel aliis Americæ Inſulis in Europam devectam fuiſſe atteſtatur. Leonardus Schmaus. 63. Johannes Manardus. 67. Hieronymus Fracaſtorius. 74. Jacobus Sylvius. 102. Johannes Baptiſta Montanus. 116. Vidus Vidius. 118. Gabriel Falloppius. 142. Dominicus Leonus. 153. Antonius Fracancianus. 158. Georgius Dordonus. 164. Henricus Broucæus. 166. Johannes Calvo. 195. Petrus Lowe. 175. Aurelius Minadous. 200. Hercules Saxonia. 201. Andreas de Leon. 223. Johannes Hartmannus. 231. Ludovicus Guyon. 236. Antonius Menjotius. 287. Martinus Liſter. 309. Antonius Herrera. 329. Johannes Honoratus Raiberti. 363

Luem Veneream Contagione tantum propagari agnoſcunt, Petrus Andreas Matthiolus. 83 Johannes Fernelius. 144. Dominicus Leonus. 154. Antonius Fracancianus. 158. Hieronymus Mercurialis. 190. Et ceteri fere omnes deinceps.

Lues Venerea. An unus ſit morbus, an plures? 32. 46. 50. & *ſeq.* 81. Sex habet mirabilia, quæ a Johanne Manardo recenſentur. 67

Luis Venereæ forma varia fuit & multiplex. 214. 218. 288. Species ducentas triginta quatuor enumerantur a Braſſavolo, ſed oſtentationis ergo magis quam utilitatis. 123. Quinque ſunt ſpecies præcipuæ *Pellarola*, *Dentarola*, *Unguiarola*, *Occhiarola*, *Gonorrhœa*. *ibid.* Species quatuor diſtinguit Weickardus, *humoroſam*, *ſolidam*, *maculoſam*, & *piloſam*. 249. Sex Marcus Aurelius Severinus. 254.

Luis Venereæ lactatione contractæ exemplum notatione dignum. 135. 218

Lues Venerea propagatur contagione & generatione. 138. Videtur Petronio ſanguine materno, quo fœtus nutritur, traduci, ut de Variolis vulgo creditur. Alia hæreditaria, quæ a patre vel matre venit; alia vero eſt adventitia, quæ contagione concipitur. 192. 218. 246.

Lue Venerea infecti a ceterorum conſortio ſecernebantur. Ætate Wickmanni. 20. Imo ætate Felicis Plateri. 227
Lues Venerea. An poſſit declinari cum proxime inſtat, uſu aquæ cujuſdam philoſophicæ, ex ſcobe Guaiaci deſtillatæ? 84. 128
Lues Venerea curatu difficilior viſa fuit Phriſio ætate ſua, quam annis ſuperioribus, & quibus de cauſis? 76. Videbatur Rudio mitior eſſe ſua ætate, quod remedia adhiberentur efficaciora. 218. A quibuſnam curanda vulgo ſuſciperetur ætate Nicolai Michel? 105. Si recens fit & in primo aut ſecundo gradu, Guaiaci aut Sarſæ-parillæ Decocto; ſi vetus & in tertio gradu, Mercurio curanda eſt juxta Vercellonum. 336. Recens curanda juxta Hoffmannum ſudatione provocata decoctis Guaiaci, Sarſæ-parillæ, radicis Chinæ &c. 384. Inveterata Mercurio, ſuffito, illito, ore exhibito. *ibid. & ſeq.*
Lues Veneream, morbique venerei præcaventur, ſi mox poſt coitum *penis immittatur in diſciſſam & adhuc calentem Columbam*, juxta Montuum 149. Aut ſi ligatura peni injiciatur, & glans decocto anti-venereo foveatur, juxta Rudium. 218. 219. Vult Pitcarnius in regionibus auſtralibus *tolli uſu Guaiaci, radicis Sarſæ, Oxylapathi, Bardanæ* &c. quod contra experientiam pugnat. 335. Nullam exiſtere contendit Sinapius qui vult id morbi genus Medicorum ignorantia temere obtrudi. 413
Lues Venerea. Quomodo præcludi poſſit contagioſa illius propagatio, ſecundum Gaſparem Torrellam? 27. Deſiderium Eraſmum? 69. 70. Euſtachium Rudium? 218. L..... S...? 284.
Luis Venereæ præludia ſtatim apparent in ea parte, per quam virus penetravit. 155. 165. 213. *& ſeq.* 278. 279. 294.
Lues Venerea contrahi poteſt juxta Danielem Turner, licet nulli morbi locales in genitalibus præluſerint. 339
Lues Venerea, ſi audiatur Sinapius, nihil aliud eſt quam reſtagnatio & acrimonia ſeminis in vaſis eorum, qui ad venerem proni ſunt. 313. Nulla a parentibus inducitur, quæ ſilens in pueritia, invaleſcat deinde in adoleſcentia vel in ætate virili. 316. Eo magis ſævit, quo frigidior eſt regio in quam irrepſit, ſecundum Varandæum. 228. Et ſecundum Gualtherum Harris. 322. An poſſit in genere humano arte ulla exſtirpari? 27. 284. An ex eo corpore, in quo ſemel egit radices, penitus tolli poſſit? 117. 119
Lues Venerea poteſt perfecte ſanari & re ipſa perfecte ſanatur. *ibid.* 158. 204. 218. 246. 303. 309. 323.
Lues Venerea ætate Alex. Traj. Petronii interdum *acerbior erat, ubi eveniebat ex Hiſpaniis novis nuper migraret.* 158
Luem Veneream affirmant in dies miteſcere. Johannes Benedictus. 54. Martinus Dorcheſino. 99. Vidus Vidius. 119. Antonius Muſa Braſſavolus. 123. Alex. Trajanus Petronius. 158. 159. Laurentius Joubertus. 175. Johannes Zecchius. 189. Hieronymus Mercurialis. 190. Andreas Laurentius. *ibid.* Johannes Saporta. 210. Andreas Cæſalpinus. 213. 214. Epiphanius Ferdinandus. 246. Johannes Wynell. 271. Paulus de Sorbait. 291. Johan. Honor. Raiberti. 363. 364
Luem Veneream quondam ceſſaturam ſperabant. 119. Vidus Vidius, Alexander Trajanus Petronius. 158. Laurentius Joubertus. 175. Hieronymus Mercurialis. 190. Johannes Wynell. 206. Nunquam ceſſaturam eſſe crediderunt, Theophraſtus Paracelſus. 87. Euſtachius Rudius. 218. Johannes Junckerus. 248. Gualtherus Harris. 322. Gerardus Goris. 337.
Luiſini (Aloyſii) Collectio nævos ſuos habet. 163. Quos dolendum eſt in Editione Lugduno-Batava deterſos non eſſe. 352
Lumbariæ Convenatium, vulgo *Lombez*, diverſæ a Lumbariis Albigenſium, vulgo *Lombers*. 175
Luna credebatur præcipue dominari in morbo gallico, & ideo conſiderabantur aſpectus lunares ad inunctiones. 166. 261
Lupulorum ſarmenta laudantur adverſus luem veneream. 243
Lympha præcipuum veneni venerei vehiculum juxta Wedelium. 391. Et Jeremiam Loſſium. 294

M

Macollo (Johannes) putidum librum putido concludit epiphonemate. 238
Magiſcacin, ſummus Magiſtratus inter Taſcaltecalenſes, ex variolis moritur. 261
Mal Franzos, creditur ab Anonymo Gallo vox Hebraica. 39. Ex quo patet illius ignorantia. *ibid.*
Mal de Frantzos. Lues venerea a pleriſque Germanis ſic olim appellata fuit. 8. 12. 16
Malum Franciæ, vulgare nomen luis venereæ inter Germanos. 35
Malum di Caſtrone, idem ac *Morbus Arietis* & *Ægritudo Ovina*. 248
Manfredus (Hieronymus) Aſtrologus & Medicus famoſus, ægrotanti cuidam mortem minitabatur, quod illi Franciſcus Bencius catharticum exhiberet in ipſo Luminarium coitu, ſed eventus illum egregie fruſtratus eſt; æger enim convaluit. 67
Mangonium, quo vitioſa Salſa-parilla adulteratur. 324
Manna, de qua Alexander Benedictus & quæ ex Syria deferebatur. An eodem quæ Manna Calabrina? 23
Marcolinus (Andreas) Faneſtris, diſcipulus Falloppii, expoſtulat injuriam Magiſtro illatam a ceteris diſcipulis, qui Falloppii nomine vitioſa Opera edebant. 148
Marlianus (Johannes) Papienſis, Præceptor Johannis Weidman. 22. *& ſeq.*
Martha (Sancta) dicitur oppidanos urbis vocatæ *Pena de Martos* in diœceſi Giannenenſi immani ſerpente liberaviſſe, quod Taraſconen-

nenſes in Provincia de ſe quoque narrant. 73.

Martinus, Cardinalis Segobricenſis, obiit ex lue venerea, ſecundum Gaſparem Torrellam. 29

Martinuſius (Georgius) ad quos honores & quo tempore pervenerit? 35. Conſilium Medicum Montagnanæ non potuit in illius gratiam ſcribi. 33

Mater, quæ videtur ſana, fœtum aliquando parit ſyphiliticum & cruſtoſis ulceribus ſcatentem. 134

Matrix corrupta, integre extracta fuit a patre Berengarii Carpi. 58. Et ab ipſo Jacobo Berengario. 59

Maximilianus I. Rex Romanorum, expeditionem ſuſcepit in Piſanos, anno 1496. 10. & *ſeq.* Imperatoris nomen ſibi primum aſſumpſit anno 1508. *ib.* 32. 33. Remedia adverſus *morbum puſtularum*, hoc eſt, adverſus luem veneream, ad illum miſſa ab Epiſcopo Trevirenſi. 32. Alia eidem tradita a Franciſco Circello. 37. *Regis* tantum, & non *Imperatoris* nomine appellabatur, anno 1496. 11. *Imperatoris* nomen ſibi non prius aſſumpſit, quam anno 1508. 10

Maximilianus II. Imperator, morbo implicitus multos Medicos undequaque accerſivit, imo Vetulam quamdam ex Ulma, quæ credebatur multa poſſidere ſecreta. 189. Quibus morbis laboraverit, & quæ in diſſecto cadavere obſervata ſint? *ibid.*

Medicina etiam ſceleratis opem miniſtrat, nec remediorum compoſitiones ſupprimit, ne ſanentur indigni. 337

Medici priſci nullam de lue venerea mentionem fecerunt. 80

Medici primis morbi temporibus curationem luis venereæ negligebant & eam permittebant Naturæ. 25

Medici nec ſegnem, nec infelicem operam poſuerunt in explorandis & curandis morbis venereis. 208. De morbis venereis conſulendi ſunt. 64. 138. 156. 174. 319. 359. Et revera in Galliis ſi non in primum, at certe in decretorium conſilium adhiberi ſolent ſi quis nodus difficilis inciderit. 360. Si ſapiant, debent ab Hypotheſibus abſtinere. 293.

Medici, qui nonnulla ſecreta naturæ vel artis Medicæ ſupprimunt, quibus vitam juvare poſſunt Mortalium, videntur Lacunæ eſſe *capitales humani generis hoſtes*. 125. Qui libros ſcribunt venalitios, merito culpandi. 347. 348

Medico non ſufficit ſalivationem feliciter ſæpius ſucceſſiſſe, ſed videndum ne unquam ſuccedat male. 280. Nunquam licet arcana, quæ celat, ſcriptis prædicare, ut famam aucupetur. 125. 337. 388. Vulgi iniquitas erga Medicos. 280

Medicorum ſocordia in curanda lue venerea primo morbi ingreſſu. 76

Medicus ſolers ac prudens conſulendus eſt circa morbos venereos, juxta Haſchardum, Medico-Chirurgum. 138. Anonymus, Nemauſenſis, primus omnium quem ſciam, auctor fuit, ut virgæ plumbeæ craſſitudinis gradariæ in urethram introducerentur, in ſtranguria gonorrhœæ pediſſequa. 151. Non debet abſtinere ab uſu remediorum, quorum forma ignota eſt, modo illorum effectus notus ſit. 155. Debet ſemper præeſſe curationi morborum venereorum. 156

Meichinger, cognomen fuit Johannis Weidman, a patria ductum, ut videtur. 17

Mentagra. Species Lichenis, quo mentum occupabatur, & qui *Claudii Cæſaris principatu medio in Italiam irrepſit*. 12. Placuit pluribus eodem nomine luem veneream olim appellare, quod eamdem eſſe illam crederent, ac Mentagra, quæ a Plinio deſcripta fuit. *ibid.* 41.

Mentulagra, ſic vocata fuit lues venerea ex analogia nominis *Mentagræ*. 13

Mercurialis (Hieronymus) An Maximilianum II. a quo accitus fuit, ſanaverit? 189

Mercuriales inunctiones, & præparata mercurialia ab ipſo fere morbi ingreſſu lui venereæ curandæ adhibita ſunt. 5. 10. 12. 15. 20. 23. 28. 31. 40. 44. 48. 52. 54. 56. & *ſeq.* 60. & *ſeq.* 61. 72. 74. 78. 80. & *ſeq.* 83

Mercuriales Therapeiæ per Unguenta, Emplaſtra, Cingula, Zonas, Armillas, Suffumigia, Lavatoria. 282. & *ſeq.*

Mercurialia Unguenta ab Arabibus & a Medicis antiquioribus accepta fuerunt. 42

Mercurialia præparata, maxime quæ mochlica ſunt, nunquam adhidenda curationi Gonorrhœæ. 357. Imo neque temere inculcanda ea, quæ ſunt ex blandiorum familia. 358

Mercurialia extus applicata improbantur a Balthazare de Lidern. 371

Mercurii qualitas, natura, conſtitutio, virtus. 370. 371

Mercurii Spiritus paratur affuſo Oleo ſalis Ammoniaci, & utilis eſt contra luem veneream & ſtrumas. 257

Mercurio præparandi ratio quædam Johanni Colle familiaris. 245

Mercurio utendum eſt ad curandam luem veneream, confirmatam & difficilem. 241. 244. 263. 283. 287. 292. 293. 294.

Mercurius luem veneream curat cum fœditate & periculo. 159. Tamen adhibendus in certis caſibus. 160. Utilior in regionibus frigidis, quam in calidis, *ibid.* Modo corrigatur, poteſt extus adhiberi, ſed caute, ſi morbus ceteris auxiliis repugnaverit. 191

Mercurius curandæ lui venereæ adhibetur interne vel externe. Interne, crudus vel præparatus. Externe, quæ multo tutior via eſt, inunctione, ſuffumigatione, lotione, emplaſtris, cingulis, armillis 303. Efficax remedium luis venereæ, quæ decoctis ſudorificis non ceſſit 242. 282. & *ſeq.* 291. 292. 295

Mercurius producit effectus portento ſimiles in quacunque luis venereæ ſpecie. 223. 237. Adhibetur gemina ratione, nempe forma unguentorum, vel forma ceratorum. 223

Mercurius litu inunctus ſacra anchora eſt in Syphilide. 341. Legitime adminiſtratus, luis venereæ rhizotomus eſt, neque opus eſt unquam decoctum Guaiaci in ſubſidium vocare, ut curatio perficiatur 354. 376. 372. 385

Mercurius in omnibus morbi ſpeciebus parem malo effectum non edit, juxta quoſdam. 356. 370. 372. Ita debet exſtingui, ut facile non reviviſcat, ſed non ut difficillime. 375 Exſtincto Mercurio haud operoſum eſt fixitatem maximam conciliare, aut ſuperaddere, ſi lubeat, virtutem diaphoreticam vel diureticam. 376

Mercurius illitus forma unguenti, vel cerati forma admotus, intro non ſubit juxta Theodoricum de Hery 129. Ludovicum Guyon 236. Cavendum ne Mercurii vis nimium caſtretur aut infringatur, ſi curæ ſit ut virus depellatur. 368. 369

Mercurius corporalis curandæ lui venereæ nunquam adhibendus juxta Paracelſum 88. Sed Mercurius alter, qui poſſit inſtar cibi devorari *ibid.* Vulgaris, qui ſalivationem ciet, improbatur a Goris 338. Laudatur ab illo Mercurius e metallis extractus, quaſi luem curaret ſine ſalivatione *ibid.* Et Mercurius ille, ſi Gerardum Goris audias, non modo nullam ſalivationem inducit, ſed eſt efficaciſſimum polychreſton in morbis venereis. *ibid.*

Mercurius exhiberi poteſt crudus, vel præparatus. 266

Mercurius crudus, ſed defæcatus, omnibus præparatis mercurialibus præferendus. 203. Et in affectibus venereis curandis efficacior eſt ejuſdem præparationibus 313. Crudus, terebinthina extinctus, poteſt tuto ore exhiberi 241. 249. Crudus ore hauſtus laudatur adverſus morbos plurimos 362. Minime vero mercurius præcipitatus ruber. 242

Mercurius interne adhibetur gemina ratione vel ſub forma præcipitati rubri aut flavi, vel ſub forma pilularum ex argento vivo crudo. 225

Mercurius præcipitatus ruber proponitur a Johanne de Vigo, ſed ad uſum tantum externum 61. Laudatur ab aliis ad curandam luem veneream. 84

Mercurius diaphoreticus adverſus luem veneream laudatur. 174

Mercurius fixus diaphoreticus efficax eſt adverſus luem veneream juxta Davidem de Planiſcampy. 247. Qua ratione præparetur? *ibid.* Diaphoreticus Lealis Lealis. 345

Mercurius Lunaris Turqueti de Mayerne. 266

Mercurius albus ſolutivus laudatur a Vigierio. 272.

Mercurius Pauli de Sorbait, idem qui Mercurius præcipitatus ruber. 291

Mercurius dulcis a pleriſque multum celebratur. 310. 311.

Mercurius cinnabarinus Volckameri. 312

Mercurius diaphoreticus Hoffmanni 385. Cum Auro & Regulo Antimonii paratus. *ibid.*

Mercurius Sublimatus corroſivus in aqua diſſolutus, an poſſit ore exhiberi contra luem veneream, & a quibus exhibeatur? 285

Mercurius venenum eſt, quo nunquam uti fas eſt in curanda lue venerea, juxta Antonium Bigorre 270. Nicolaum Heinſium. 313

Mercurius (Scipio) Romanus, librum Johannis Zecchii de *Morbo Gallico* edidit. 188

Meretrices, qua diligentia deligendæ ab iis, qui ſe tutos eſſe volunt ab omni contagio, & venereas libidines ſequi amant? 119. *& ſeq.*

Meſieres (Dominus de) Prior Sancti Dionyſii a Carcere, lue venerea correptus & duodecies intra duos annos incaſſum inunctus, a Fernalio uſu Guaiaci & ope æſtuarii priſtinæ valetudini reſtituitur. 144

Methodi quatuor curandæ luis venereæ. Inunctione, Decocto Guaiaci, Decocto Sarſæ-parilliæ, Decocto radicis Chinæ 133. Tres tantum, Auctore Capivaccio, Suffumigiis, Inunctionibus & Decocto Guaiaci. 189

Methodi curatoriæ luis venereæ, aliæ ſunt Regiæ ſeu Methodicæ, aliæ non Regiæ ſive Empiricæ 142. Regiæ quatuor ſunt, I. Per alterantia & purgantia. II. Per uſum Guaiaci. III. Per uſum Chinæ. IV. Per uſum Salſæ-parillæ. *ibid.* Non regiæ ſive Empiricæ duæ: I. Per Suffumigia. II. Per Inunctiones mercuriales. *ibid.*

Methodi curatoriæ luis venereæ, aliæ ſunt reprobatæ juxta Johannem Wynell, aliæ probatæ 265. Inter Reprobatas numerat ille uſum tum remediorum vulgarium & fonticulorum; tum ungentorum & ſuffumigiorum mercurialium 272. Inter Probatas vero uſum Theriacæ, Magnetis cujuſdam Antivenerei & Arcani ſui. *ibid.*

Methodi tres curandæ luis venereæ, catharſi cum mercurialibus, ſudatione, & ſalivatione, quarum poſtrema omnium optima 297. *& ſeq.*

Methodi Empiricæ curandi luem veneream duę ſunt, altera per ſuffumigia, altera per inunctiones 204. Ab utraque ſemper abſtinuit Maſſarias. *ibid.*

Methodica therapeia lues venerea raro eradicatur juxta Laurentium 191. Ghinum 192

Methodus curatoria luis venereæ quadruplex olim a Medicis vulgo admittebatur. 195. 199.

Methodus exſtirpandi carunculas in veſicæ collo innatas deſcribitur ab Alfonſo Ferro 91. Andrea Lacuna 125. Philippo Luſitano 126. Chriſtophoro a Vega. 127

Mexicanum regnum. An luem veneream, varioláſne acceptas habeat ab Æthiope quodam, cui erat mancipium Pamphili de Narvaez? 261. 262. 263.

Middelburgenſis (Paulus) An luem veneream ex coitu Planetarum producendam prædixerit? 244

Milii Decoctum, ſive Syrupus Sancti Ambroſii, laudatur, ut efficax adverſus luem veneream. 152

Minutius (Gabriel) inter Auctores Aphrodiſiacos vulgo recenſetur errore maximo 191. *& ſeq.*

Mirachia apud Hiſpanos ſignificat *Melancholiam Hypochondriacam*, ab Arabica voce *Mirach*, quæ *Hypochondria* valet. 164
Mithridatium proponitur tanquam Alexipharmacum adverſus luem veneream. 214
Modi quinque novi curandæ luis venereæ præter quatuor vulgatos proponuntur a Petro Lowe. 199
Modorilla, qualis morbus inter Hiſpanos 183. 184.
Monavio (Petro) Podagra laboranti durum videbatur abſtinere a vino. 187
Montagnana (Bartholomæus) Quotuplex fuerit? 35. 36
Monſpeſſulus. Medicinæ ſtudium dudum floruit in illa civitate 38. Quid in Medicos Monſpeſſulanos proferat Paracelſus? 86. Quid de theriaca Montis-peſſulani narret Johannes Vochs? 51. *& ſeq.* Veſalius Medicinæ ſtuduit in Monte-peſſulano. 109
Mons-peſſulanus celebris olim fuit diſpenſatione ſuæ Theriacæ, quæ in Germaniam devehebatur. 51
Montis Marchiones temere gloriantur ſe a Regio Borboniorum ſanguine originem ducere. 160.
Montuus (Hieronymus) fuit primarius Medicus Franciſci II., Regis Galliarum. 149
Morgagnus (Johannes Baptiſta) Medicinæ Profeſſor in Academia Patavina, Vir celeberrimi nominis, multa me docuit de Angelo Bolognino 49. Et de Thoma Rangono. 85.
Morbi novi, vel qui non accidunt niſi longis temporum intervallis. 33
Morbi genitalium, qui in canibus & in cuniculis obſervantur, non ſunt venerei ſive virulenti, contra quam viſum fuit Pitcarnio. 334. 335.
Morbos novos interdum generari multis probatur Auctoribus. 246
Morbos Venereos vulgivaga venere, modo pura ſit, nunquam generari nunc conſtat inter omnes 316. Neque rerum non-naturalium aut diætæ vitio unquam induci, ſed contagione ſola ſerpere. 317
Morbus Gallicus novus eſt, quamquam pleraque illius ſymptomata ab Antiquis ſeparatim cognita fuerint 154. Impuro concubitu concipitur, qui contagionis modus a nullo Veterum memoratus fuit. *ibid.*
Morbus Neapolitanus. Sic vulgo dicta lues venerea. 223. *& ſeq.*
Morbus Venereus, ſi recens ſit, præparatis mercurialibus; ſi pertinax, inunctione; ſi pertinaciſſimus, ſuffumigio curandus eſt juxta Martinum Fridericum Frieſs. 299
Morbus Regius Icterum ſignificat: Etymologia nominis illius 13. 14. Videtur tamen Lepram deſignare in Epiſtola quadam Zachariæ, ſummi Pontificis 13. Unde videtur appellatio traducta fuiſſe ex analogia ad luem veneream. *ibid.*
Morbus Sancti *Mevi*, ſeu potius *Mevennii*, una fuit olim ex appellationibus luis venereæ 18. Vide *Mævium* in Indice *Tom. I.*
Morbus Puſtularum. Sic initio vocata fuit Lues Venerea. 32
Morbus Curialis. Lues Venerea ſic a Torrella appellata fuit. 108
Morbus Serpentinus Hiſpaniolæ. Sic lues venerea appellatur a Roderico Diaz de Isla; Et quare? 140
Morbus novus militum. Quid ſit apud Baſilium Valentinum? 231. 232
Morbus ſeptentrionalis, ſive febris Sudatoria ſeu Anglica. 101. *& ſeq.*
Morbus Brunno-Gallicus idem videtur fuiſſe ac lues venerea 176. Quomodo in plures dimanaverit? *ibid.* Qua vehementia ſævierit, quibuſque remediis ceſſerit? 177
Morbus Arietis. Quid eo nomine intelligatur? 183. 184.
Morbus Gallos infeſtans, de quo Gabriel Minutius, habitus fuit morbus venereus errore maximo. 191
Morbo Vervecinus Thuani diverſus a *Morbo Arietis*, & idem ac *Coqueluça* Gallorum 249. 250.
Morbum Gallicum non chimericum aut fictitium eſſe, ſed verum & realem probandum ſuſcipiunt Tomitanus 154. Minadous. 201
Moreau (Renatus) Doctor Medicus Facultatis Pariſienſis, in exſcribendis Actis facultatis ſuæ peſſima fide ſuppreſſit verba aliquot, ut poſſet Sylvium ſuæ facultati aſſerere. 101.
Mors lætitia immodica non ſemel illata fuit. 103.
Mos olim fuit a patria nomen ducere omiſſo nomine gentilitio. 56
Mulier imprægnata in balneo, juxta Averroem, in quo *ſpermatiſaverant mali homines*. 313
Mulier alia imprægnata juxta Luſitanum a muliere incuba, quacum maritus recens coierat. *ibid.*
Mulieres, quæ cum infectis rem habuerunt, dicuntur morbum communicaſſe cum aliis viris, licet ipſæ infectæ non fuerint. 52
Mundinus Mundinius, editor fuit Operis Rudii *de morbo gallico*. 217
Muſculi, quam ob cauſam vivide rubri & illæſi appareant, cum ſuppuratione ſubcutanea adipoſa membrana conſumitur? 254

N

Napelli ſeu Ellebori albi ſucco intinctæ ſagittæ levi attactu cervos interimunt. 177
Narvaez (Pamphili de) Mancipium. An luem veneream detulerit in Indias Occidentales? 261. 262. 297. 329.
Natura, per quæ loca virus venereum expellat? 254
Nebulones, qui ſe Medicos mentiebantur, quomodo olim in Monte-peſſulano excipiebantur? 161

Nervus Sympatheticus magnus vulgo *Intercoſtalis*, videtur Camerario potiſſima cauſa eſſe conſenſus partium plurimarum. 371
Nigritis lues venerea videtur eſſe familiaris, & quaſi endemia. 289. 290. Sed inde male colligitur ab illis luem veneream in Inſulas Antillas devectam fuiſſe. 289. 290
Nodis venereis medetur cataplaſma cum radice Sigilli Mariæ, & axungia. 267
Nomina diverſa luis venereæ 68. 69. 71. 90 138. 141. 244
Nomina propria olim a Doctis plerumque mutata cum aliis, quæ Græca eſſent vel Latina. 17. 92
Nominum vicinitas cauſa fuit cur Nicolao Leonico adſcriptus ſit Liber *de morbo gallico*, qui eſt Nicolai Leoniceni. 74
Noſocomium Sancti Jacobi incurabilium Romæ quo olim, ſicut & nunc, maximus confluxus fuit ægrorum lue venerea infectorum. 128
Novitatem luis venereæ atteſtantur Joſephus Crunpeckius. 13 Nicolaus Leonicenus. 14 Coradinus Gilinus, 15 Johannes Weidman. 18 Alexander Benedictus. 22 Gaſper Torrella. 25 Antonius Scanarolus. 29 Bartholomæus Montagnana. 33 Petrus Crinitus. 37 Anonymus Gallus. 38 Antonius Benivenius. 40 Wendelinus Hock. 41 Jacobus Cataneus. 44 Johannes Vochs. 51 Johannes Benedictus. 53 Johannes de Vigo. 59 Petrus Maynardus. 63 Leonardus Schmaus. ib. Johannes Manardus. 67 Jacobus a Bethencourt. 71 Franciſcus Delgado. 72 Hieronymus Fracaſtorius. 74 Laurentius Phriſius. 75 Petrus Andreas Matthiolus. 83. Theophraſtus Paracelſus. 86 Jacobus Sylvius. 102 Leonhartus Fuchſius. 107 Aloyſius Lobera. 109 Johannes Baptiſta Montanus. 116. Vidus Vidius. 119 Michael Johannes Paſchalis. 139 Gabriel Falloppius. 141 Dominicus Leonus. 153 Georgius Dordonus 165 Petrus Paulus Pereda. 178 Hieronymus Mercurialis. 190 Andreas Laurentius. 191 Johannes Calvo. 195 Petrus Lowe. 188. 189 Aurelius Minadous. 200 Hercules Saxonia. 201 Johannes Saporta. 210 Andreas Cæſalpinus. 213 Joſephus Quercetanus. 216 Euſtachius Rudius. 217 Ludovicus Mercatus. 222. Andreas de Leon. 223 Felix Platerus. 227 Sebaſtianus Cortilio. 229 Johannes Hartmannus. 230 Horatius Guarguantus. 232 Franciſcus Ranchinus. 241 Epiphanius Ferdinandus. 246 Joannes Junckerus. 248 Guido Patinus. 251. 252 Johannes Baptiſta Helmontius. 261 Franciſcus Pona. 268 Antonius Everhaers. 273 Melchior Sebizius. 274 Bernhardinus Chriſtinus. 286 Antonius Menjotius. 287 Stephanus Blancardus. 298 Heydendryck Overcamp. 308 Johannes Honoratus Raiberti. 363
Nummus Aureus. An in ore detinendus ſit in hydrargyroſi? 283

O

Obſervationes Medicæ curationi luis venereæ per frictum, potius quam per ſuffitum favent. 282. 283
Occhiarola, ſpecies luis venereæ, in qua ægri oculos amittunt. 123
Oleum mercurialem carpis affrictum ſalivationem movet. 265
Oleum Sulphuris per campanam eductum laudatur a Matthiolo, quaſi proficuum ad curandam luem Veneream. 84
Operationes Chirurgicæ quibuſnam commiſſæ ſint, & qua de cauſa? 105
Ophthalmia venerea, 350. 370 A Scriptoribus Aphrodiſiacis pleriſque prætermiſſa. *ibid.* Alia *Symptomatica*, Alia *Metaſtatica*. 371 Symptomatica non curatur, niſi curata lue. *ibid.* Metaſtaticæ Prognoſis & Curatio. *ibid.* Aliquot illius exempla. *ibid.* Ad illius curationem cita operatione opus eſt. *ibid.*
Opii drachmæ duæ homini morte damnato & ex quartana ægrotanti exhibitæ fruſtra fuere, teſte Gabriele Falloppio, quia tempore paroxyſmi exhibitæ fuerunt. 142
Opiata anti-venerea Fernelii. 145 Palmarii. 176 Abercombyi. 292
Opiatica laudantur a Trumphio, ipſo ſalivationis tempore. 276 A Boſchetto commendantur ptyaliſmi tempore, ſi dejectiones dyſentericæ urgeant. 346
Opodeldoch. Quid eo nomine intelligatur? 232
Ordo Sancti Spiritus Monſpeſſulani, qualis ſit & quid de illo attentarit Nicolaus de Blegny? 281
Origo luis venereæ a maligno Planetarum aſpectu vel coitu deducenda eſt juxta. Marcellum Cumanum. 8 Sebaſtianum Brant. 9 Joſephum Grunpeckium. 11 Coradinum Gilinum. 15 Alexandrum Benedictum. 23 Simonem Piſtorium. 30 Bartholomæum Montagnanam. 33 Anonymum, Gallum. 38. & *ſeq.* Wendelinum Hock 41 Jacobum. Cataneum. 43. Clementium Clementinum. 45 Johannem Almenar. 53 Marinum Brocardum. 61 Petrum Mainardum. 63 Jacobum a Bethencourt. 71 Hieronymum Fracaſtorium 74 Laurentium Phriſium. 76 Thomam Rangonum. 95 Johannem Langium; 137 Petrum Haſcardum. 138 Et multos alios.
Origo luis venereæ ab Anthropophagia ſecundum Andream Alcacar. 173 Davidem de Planiſcampy. 247 Petrum Benoiſt. 370
Origo luis venereæ ab intemperie aeris pluvia & humida juxta Nicolaum Leonicenum. 14 Natalem Monteſaurum. 29 Antonium Scanarolum. *ibid.* Johannem Vochs. 51 Leonardum Schmaum. 63 Hieronymum Fracaſtorium. 74 Johannem Langium. 137
Origo luis venereæ ab occulta aeris proprietate, ſi audiantur Simon Piſtorius. 30 Petrus Trapolinus. 46 Hieronymus Fracaſtorius. 74

Oris exulceratio non ſemper accidit ex inunctionibus 165 Accidit ſanis perinde ac ægris; nec eſt morbi indicium. 166 Quomodo poſſit præcaveri, ſi lubuerit? *ibid.*
Os cariosum nunquam naturæ committendum in lue venerea, ſed arte vel remediis exhibendum. 284
Oſculo laſcivo veneream luem contrahi probatur exemplo. 217
Oſiander (Lucas) adulatorie narrat Leonhardum Fuchſium tanta fuiſſe auctoritate in Gallia & Italia, ut ad nominis ejus mentionem Medicinæ ſtudioſi honoris cauſa capita aperirent. 143
Oſſa phlegmone & apoſtemate aliquando *corripiuntur.* 137
Ovina ægritudo. Qualis fuerit? 182. 183. Videtur eadem fuiſſe; qui *Morbus Arietis.* 182. 184 *& ſeq.*

P

Panacea Tartarea Henrici Alexandri Nieſers, qua contendit luem veneream, & alios complures morbos ſine ulla ſalivatione perfecte ſanari poſſe. 332. 333
Panis ex farina decocto ſarſæ-parillæ, Guaiaci, vel radicis Chinæ temperata. 323
Paniculi linei, aqua Sublimati infuſi, olim brachiis & tibiis admovebantur ad curationem luis venereæ. 160
Panniculus carnoſus, univerſum corpus tegens a quibuſdam olim habitus fuit ſedes luis venereæ. 169 Adipoſus, an ſit ſedes feminii venerei? 352. 353. 354
Paracelſo attribuuntur multa Opera ſuppoſititia vel interpolata. 89
Paracelſi Opera legitima omnia germanice ſcripta erant. A quibus latine verſa fuerint? *ibid.*
Paracelſus ita ignarus fuit, ut crediderit ante ſe neminem de lue venerea ſcripſiſſe. 88 Nec in philoſophorum, nec in medicorum numero habetur ab Arragoſio. 203 Quotcunque Baſileæ remediis ſuis ſpagyricis magnis morbis liberavit, ii omnes ferme intra annum interierunt, 186 Opinatus fuit luem veneream ortum habuiſſe *ex copula leproſæ meretricis cum ſcabioſo milite*. 267 Fatetur Tractatum ſuum *de morbis venereis* a nonnullis ſibi vitio datum. 88. 89
Pareus (Ambroſius) An in condendis Libris ſuis juniorum Medicorum Pariſienſium induſtriam emendicaverit & pretio redemerit? 173 An venenum inſtillaverit in aurem Franciſci II? 172. 173
Pariſiis quatuor aut quinque veri numerantur Chirurgi juxta Heiſterum. 356 *& ſeq.*
Parthenopæus Morbus. Vide *Luem veneream*.
Patavina Academia quantis encomiis laudetur a Struthio? 103
Patavium, quo tempore Maximiliani Cæſaris imperio ceſſit? 45
Paturſa. Lues venerea ſic a Johanne Antonio Roverello nuncupata fuit, & primo omnium quos noverim. 90
Paſchaſii, Diaconi Cardinalis, anima obvia fuit Sancto Germano, Epiſcopo Capuano, in ſudatorio quodam Neapolitano. 55
Paſtilli varii cathæretici ab Antiquis olim adhibiti. 91
Pavame, nomen indicum ligni Saſſafras. 180
Paulmier (Petrus) Doctor Facultatis Pariſienſis, a qua male habitus fuit, quod chimica adhiberet remedia. 198
Pedilavium in ſolutione mercuriali ſalivationem movet. 266
Pegel (Andreas) Cæſareus Commiſſarius in Carnia, gravi hæmoptyſi detentus Utini, ſanatur a Victore Trincavellio, quem Senatus Venetus ad illum miſit. 133
Pellarola, ſpecies luis venereæ, in qua defluunt pili. 123
Periclimeni ſarmenta laudantur adverſus luem veneream. 254
Periodi futuræ luis venereæ. Quid de illis ſenſerit Paracelſus? 88
Periodi novæ, quæ in lue venerea jam apparuerunt. 97
Peſtilentia Brixienſis anni 1577 multis Medicis multiſque Chirurgis exitialis fuit. 194
Peſtis graſſata eſt Coloniæ annis 1506. & 1507. 51
Peſtis Taurinenſis, cui interfuit Petrus de Bayro. 145
Peſtis ſeminarium in morbum gallicum exhauritur juxta Petronium, & ideo credit ille Peſtem ſua ætate rariorem eſſe. 158
Petechiæ, ſive maculæ purpureæ in febribus malignis, primum apparuerunt in Italia circa annum 1527. 94 Vel circa annum 1530. 158
Philippus, Luſitanus. An methodum exſtirpandi cathæreticis carunculas urethræ invenerit ipſe, an vero Alderetus Profeſſor Medicus Salmanticenſis? 126. 127. 136. 137
Phlebotomia in lue venerea parum probatur a Marino Brocardo. 61
Phlebotomia in curanda lue venerea laudatur a Nicola Leoniceno. 15 Coradino Gilinio. 16 Wendelino Hock. 41 Jacobo Cataneo. 44 Et deinceps ab omnibus.
Phœnigmi ſpecies, utilis adverſus dolores & nodos venereos. 257
Pictor quidam Andegavenſis deguſtato caſu cinabrio peſſime habuit juxta Fernelium. 144
Picus II (Galeottus) Comes Mirandulæ & Concordiæ, morbo gallico affectus conſilium rogavit Johannem Baptiſtam Montanum, & Bartholomæum Maggium. 190
Pietre (Simon) Profeſſor Chirurgiæ in regio Franciæ Collegio, & ſocer Claudii Charles. 233 Claudio Charles genero Cathedram ſuam reſignavit. 236
Pigafetta, Falloppii diſcipulus, negabat poſſe ſanguinem per ſeptum medium e dextro cordis ventriculo in ſiniſtrum tranſire; ſed aſſentiebatur Hiſpano cuidam, a quo proditum fuerat ſanguinem per circuitum a dextro

tro in ſiniſtrum cordis thalamum per pulmones propelli. 185

Pilulæ mercuriales valde uſitatæ erant in Monte-peſſulano deſinente ſæculo decimo ſexto. 210.

Pilulæ mercuriales, ex Mercurio præcipitato rubro, damnantur. 130. Approbantur ex hydrargyro cum ſale, aceto & ſalvia exſtincto. *ibid.*

Pilulæ mercuriales parum probatæ Pigræo. 227.

Pilulæ mercuriales cum Mercurio crudo laudantur. 242. Sed præſtare creduntur, quæ Mercurium dulcem, vel cryſtallinum rubeum recipiunt. *ibid.*

Pilulæ mercuriales Abercrombyi. 295. Gervaſii Ucay. 306

Pilulæ Barbaroſſæ cum Mercurio crudo & catharticis variis, deſcribuntur a Petro de Bayro. 144. Guillelmo Rondeletio. 93. Johanne Wiero. *ibid.* Hercule Saxonia. 94. Michaele Angelo Blondo. 108. Johanne Wiero. 180

Pilulæ mercuriales Petri de Bayro, quas ait *ex Turchia apportatas fuiſſe* circa annum 1537. 145. Regis Barbariæ (*Barbaroſſæ*) juxta Montuum. 149. Johannis Wieri. 181

Pilulæ mercuriales Auguſtini Belloſte ad omnia fere morborum genera ab Auctore celebrantur. 364. 365. Sed illarum compoſitionem celat, & taciturnitatem conatur excuſare. 366. Creduntur a pilulis Barbaroſſæ non diſſimiles eſſe. *ibid.*

Pio (Albertus) Comes Carpi, ſtuduit ſub Aldo Manutio. 58

Piſcienſis Præpoſitus Epiſcopalem Juriſdictionem habebat in Valle Nebulenſi. 118

Piſtor (Simon) Medicus Lipſienſis, caſtigatur a Johanne Manardo. 64. Defenditur vero a Petro Trapolino. 46

Phimoſis. Quot cauſas agnoſcat in viris? 310. Quot in fœminis? 311. Quibus remediis curanda ſit in utroque ſexu? 312

Planta noctis. Quid ea vox olim ſignificaverit? 11

Plumbeæ Virgæ gradariæ craſſitudinis, in urethram introductæ, ejuſdem coarctationi medentur, qua Stranguria gonorrhœæ pediſſequa ſolet induci. 152

Plagii manifeſtus eſt Wendelinus Hock, erga Torrellam. 42. Johannes Benedictus, erga Wendelinum Hock. 74. Johannes Almenar, erga Wendelinum Hock. 56. 57. Johannes de Vigo, erga Cataneum. 59. Gualtherus Hermannus Ryff, erga Ferrum. 107. Michael Angelus Blondus, erga Auguſtinum Niphum, ſecundum Schenckium. 108. Benedictus Rinius, erga Montagnanam. 112. Pius de Marra, erga Almenarem. 257. Paulus de Sorbait, erga Almenarem. 291. Jeremias Loſſius, erga Georgium Wolffgangum Wedelium. 295. Franciſcus Calmette, erga Sennertum. 305. Joſephus Lanzonus, erga Calmette. 320. Gerardus Goris, erga Falloppium & Hartmannum. 337. Johannes Honoratus Raiberti, erga Sydenhamium. 363. 364.

Planus quidam conatur anathymiaſim, ſeu ſuffitionum methodum, in uſum revocare, ſed irrito ſucceſſu. 316. 317

Plaſentiis (Franciſcus de) a Nicolao Maſſa feliciter ſanatus. 76

Plebs Sacci, municipium Patavinum, fuit patria Angeli Bolognini. 49

Podagra. An a lue venerea poſſit induci? 256

Poema Fracaſtorii de *Syphilide* vellicatur a Julio Cæſare Scaligero, & defenditur ab Andrea Chiocco. 206

Poeta nullus, qui ſibi non optimus videatur, ſecundum Ciceronem. 104

Pollichius (Martinus) *Lux Mundi* appellatus, grave diſſidium habuit cum Piſtorio de lue venerea in Academia Lipſienſi. 38. De quo ad Manardum ſcribit, a quo approbatur. *ib.* Floruit in Philoſophicis. *ibid.* & *ſeq.*

Polypharmacia in Medico ſemper improbanda. 293.

Porrorum & verrucarum ſedes. 353

Poſcæ gallicæ vel Hiſpanienſes, ſic dictæ olim Puſtulæ Venereæ, a verbo Belgico & Germanico *Pocken*. 69

Poſonienſis Conventus inter Maximilianum I., Imperatorem, & tres Caſimiros, nempe Reges Poloniæ, Hungariæ & Bohemiæ. 53. 54

Præcipitatus Mercurius cum Auro, in incipiente lue alternis diebus exhibitus. 182

Præcipitatum rubrum, ſive Pulvis ruber Vigonis improbatur. 140. 143. 189. Rubrum ſolare *Antonii Galli*. 106. 202. Viride facit ad gonorrhœam, juxta Hartmannum. 232. Album Turqueti de Mayerne. 265. Album vel rubrum interne exhibetur a Blancardo. 299. Rubrum ſolare, aut Præcipitatum rubrum per ſe, ſummopere laudantur a Gervaſio Ucay. 306

Præparata mercurialia, quæ a Turqueto de Mayerne approbantur. 265. Quæ approbantur a Bernardino Chriſtino. 285

Præparata mercurialia laudantur a Pitcarnio, qui de illitionibus mercurialibus tacet. 335. Cenſet illa exhibenda eſſe per intervalla cum interjectis purgantibus. *ibid.*

Præparata mercurialia in curanda lue venerea tutiora eſſe videntur Hoffmanno, quam Hydrargyroſis. 384. Maxime, ſi cum interjectis balneis exhibeantur. 385

Præparata mercurialia a Zuingero laudata & approbata. 392

Præparata mercurialia. 140. 143. 161. 271. 280. 297. 321. Parum probantur. 203. Maxime adhibita ſunt ſæculo decimo ſeptimo. 209. 231.

Præparata mercurialia rarius in dies uſurpantur. 310

Præparata Chimica Guaiaci laudantur a Quercetano. 216. Severino. 254. Mercurii laudata a Quercetano. 216. Severino. 254

Præparatio ægri ante hydrargyroſim laudatur a pleriſque 283. 292. 295. Improbatur a Sydenhamio. 289

Princeps. Sic olim Avicenna vocatus fuit. Ejus Chirurgia in Academiis prælegebatur. 47
Princeps quidam lue venerea infectus a Pigræo ſanatur, ſed curationi præfuerunt Medici peritiſſimi. 226. Ac inter ceteros Ludovicus Duretus. 237
Prophylaxis luis venereæ obtineri poteſt juxta Theodoricum de Hery uſu aquæ diſtillatæ ex Guaiaco. 125. Juxta Montuum pene poſt coitum ſuſpectum immiſſo in diſciſſam & adhuc calentem juniorem Columbam. 149
Prophylaxis a lue venerea qualis ante congreſſum adhibenda, juxta Claudinum? 224. Qualis poſt congreſſum? *ibid. & ſeq.*
Prophylaxis a lue venerea nulla iis certa ſperanda eſt, qui venere utuntur vulgivaga. 281. Proſunt tamen remedia a Falloppio propoſita, ſi audiatur Ranchinus. *ibid. & ſeq.*
Protomedicos quam aſpere Gaſpar Torrella inſectetur. 28
Ptyaliſmus motus, verſus inferiora cathartico nunquam deducendus juxta Julianum Offrai de la Mettrie. 372. An ſit ad curationem luis veneræ prorſus inutilis, ſemper noxius, non raro periculoſus? 344. 348. 350. 361. & *ſeq.* 369. Deficit aliquando in hydrargyroſi, ſed ſine ægrotantis damno, modo inunctiones legitime fuerint adminiſtratæ. 128. 48. 78. 165.
Pudendagra. Sic luem veneream appellabat Torrella. 24
Pugna Foronovana, ſive ad Tarri ripas, inter Gallos Venetoſque, quomodo narretur ab Alexandro Benedicto? 22
Pulſus. Qualis in lue venerea ſecundum Struthium? 309. 306
Pulſus amoris. Qualis ſit, & quomodo poſſit deprehendi? 103
Pulvis remotivus carnis ſuperfluæ Johannis de Vigo, erat ipſe Mercurius precipitatus ruber. 61. Notus fuerat Leonardo de Bertapallia. 171. & *ſeq.*
Pulvis Angelicus Nicolai Maſſæ, idem qui *Pulvis rubeus* Johannis de Vigo, ſive *Mercurius præcipitatus ruber*. 79
Pulvis Arabicus Petri Lowe adverſus luem veneream, cujus præparationem non indicat. 199
Pulvis ruber Vigonis, ſive Præcipitatum rubrum improbatur. 140. 142. 178
Pulvis Johannis Macollonis ex ſolutione Butyri Antimonialis. 238
Pulvis Calomelanicus Turqueti de Mayerne. 265.
Purgantia inunctionibus identidem interjecta ad avertendum ptyaliſmum a Wendelino Hock. 42. Johanne Benedicto. 54. Johanne Almenar. 55. Jacobo a Bethencourt. 71. Nicolao Maſſa. 78. Antonio Muſa Braſſavolo. 123. Amato Luſitano. 136. Guillelmo Rondeletio. 136. Leonardo Botallo. 155. 156. Georgio Dordono. 165. 166. Juliano Palmario. 176. Luca Ghino. 191. Johanne Hartmanno. 232. Ludovico Septalio. 236. Johanne Georgio Triumphio. 276. Joſepho Valliſnerio. 307. Petro Deſault. 367. Johanne Douglas. 379
Purgantia non debent adhiberi ptyaliſmi tempore, ſi audiatur Julianus Offrai de la Mettrie. 372
Purgantia cum præparatis mercurialibus ſemper interjicienda. 265. 291. 335
Purgantia. An cum ſudorificis alexipharmacis miſceri debeant? 278
Purgatio inſtituta ad deducendas reliquias ptyaliſmi abiturientis improbatur a Sydenhamio. 289.
Purmannus (Matthæus Godofredus) præcipuus hydrargyroſeos promotor inter Germanos. 318
Puſtulæ venereæ, quales initio effloreſcebant in lue venerea, a Weidman accurate deſcriptæ ſunt. 18. Unicum fuere initio ſymptomata luis venereæ. 19
Puſtulæ venereæ virgæ locum non ſemel dederunt *totali amiſſioni virgæ & teſtium*. 54
Puſtulæ, quæ *Saaphati* nominantur, eædem quæ Puſtulæ venereæ. 167
Puſtularum Morbus. Sic initio lues venerea vocabatur. 32. A Cumano primo omnium obſervatus. 8
Puſtulæ Malæ. Sic etiam lues venerea initio appellata eſt. 35
Puſtulæ Saaphati dictæ. Sic lues venerea a Johanne de Fogueda vocata fuit. 162
Puſtulatus morbus idem ac lues venerea. 185
Putei. An lues venerea primam originem duxerit a puteis veneno infectis? 297. & *ſeq.*
Pythureæ, vulgo *Pythiviers*, quod oppidum diſtat ab Aureliano decem leucis. 196

R

Rabies Canina ſimilitudinem habet cum lue venerea tum ratione morbi, tum ratione cauſæ, juxta Maſſariam. 204
Racaſira, Balſami ſpecies. 311
Ramuſius (Johannes Baptiſta) egregiam ſuam Collectionem Fracaſtorio dedicavit. 74
Rapalligenam ſe vocat Johannes de Vigo, quia oriundus erat ex *Rapallo*, oppido in ditione Genuenſium. 59
Rapardus (Franciſcus) Brugenſis Medicus, aſtrologicas cautiones de phlebotomia, de balneis, de purgationibus, irriſit. 139. Et ideo temere caſtigatur a Petro Haſcardo. *ibid.*
Ratio exſtirpandæ luis venereæ in Europa, quam proponit Gaſpar Torrella. 27
Realdus Columbus, Cremonenſis, ſanguinis circulationem videtur innuere, in Libris *de re anatomica* editis anno 1559. 185. 186. Nequaquam tamen poſſunt de illo intelligi, quia Italus erat, quæ de Hiſpano quodam circulationis inventore a Pigafetta dicebantur. *ibid.*
Regali Monte, in quo Rondeletius obiit, non *Montreal*, ſed *Realmont* in Diœceſi Albigenſi debet intelligi. 152

Re-

Reges duo, qui dum vixerunt ex ſtranguria venerea ægrotaverunt. 238
Remedia quædam Anti-venerea Nicolai Heinſii. 314
Rennerus (Franciſcus) uſum habebat aquarum quarumdam, quas *flavas* appellabat, & quas curandis nodis & tumoribus venereis articulorum adhibebat, ſed in hoc nequaquam laudandus eſt. 149
Renovatio luis venereæ deducenda ab uſu carnium humanarum ſecundum Andream Alcaçar. 171
Rhabarbarum auri pretium æquabat Benedicti tempore. 24. Initio ſæculi XVI. Medicis Pariſienſibus ſuſpectum erat, ita ut nemini, fere niſi deſperato, exhiberetur. 129
Rheum Luithuanicum. Quale ſit & quo tempore inventum? 53
Riccius (Paulus) *Medicus Cæſareus*, hoc eſt, Medicus Imperatoris Maximiliani I. 65
Rinckius (Johannes) Juris-conſultus celeber, ad quem Eraſmus ſcribit *Conſultationem de bello Turcicis inferendo*. 70
Riverius (Lazarus) An Auctor fuerit Arcanorum, quæ illius nomine circumferuntur, & an in Italiam unquam peregrinatus fuerit? 286
Riverii (Lazari) narratio de Gothofredo Giannati, a quo exſtirpatæ fuiſſe dicuntur carunculæ urethræ in Carolo IX., Galliæ Rege, cum Hiſtoriæ veritate male convenit, neque tamen videtur eſſe rejicienda. 187. & *ſeq.*
Rolfincius ſalivationem mercurialem in Germania cum ſucceſſu ſæpius adhibuit. 277
Rondeletius, quo in loco mortem obierit? 152 & *ſeq.*
Ros Syriacus undenam deferebatur? 24
Rothomagi lues venerea olim crudelius ſæviit, quam in aliis Galliarum civitatibus. 72. 99
Rotundis (Petrus de) Medicus Romanus, affirmat a ſe Tractatum conſcriptum fuiſſe *de lue venerea* anno 1718., in quo propoſita erat methodus illitiones mercuriales adhibendi ſine ſalivatione. 386. Quem ait Lutetiam a ſe miſſum fuiſſe, ut ad Monſpelienſes Medicos remitteretur. 387. Subindicat opinionem illam ſuam a Monſpelienſi Medico, tanquam a ſe excogitatam, ſcripto divulgatam fuiſſe. *ibid.* Quæ quomodo cum veritate convenire poſſint ſatis non video, niſi lux nova acceſſerit. *ibid.* Ceterum recte monet ille ſuam methodum, quæ valet adverſus recentem, non ſatis efficacem eſſe adverſus inveteratam luem veneream, quæ confeſſio ingenuum & veri amicum Auctoris animum probat. *ibid.* & *ſeq.*
Rudius (Euſtachius) Medicus, in curandis morbis venereis exercitatiſſimus fuit. 217
Ruvere (Sixtus Gara de) Julii II. Summi Pontificis, ex ſorore Luchina Nepos. 59

S

SAl Saturninum interne exhibetur in Gonorrhoea virulenta. 266
Salernum, antiquiſſima Medicinæ Facultas, ab Anonymo videtur inter Angliæ civitates numerari. 38. Quod apertam arguit illius inſcitiam. 39. & *ſeq.*
Salivatio cietur tribus modis, Suffumigiis, Inunctionibus & Præparatis mercurialibus. 297. 298. 299. 346. Præſtant ceteris præparata mercurialia juxta Boſchettum, maxime Panacea & Mercurius dulcis. *ibid.*
Salivatio movetur Mercurio, variis modis adhibito. 276. *Interne*, Mercurio dulci, Panacea, Pilulis Barbaroſſæ, vel Patavinis. *ibid.* *Externe*, Inunctione, Zona, Cingulo, Armillis mercurialibus; Lotione cum ſolutione Mercurii ſublimati; ſuffumigatione ex Cinnabari. *ibid.* & *ſeq.*
Salivatio perinde movetur, tum interno, tum externo Mercurii uſu. 299. 303. Quotuplex a nonnullis diſtinguatur? 302. 303
Salivatio, qua ratione moveatur a Mercurio juxta Martinum Fridericum Frieſs? 299
Salivatio ab hydrargyro excitata, una eſt ratio certa exſtirpandæ luis venereæ. 289. 303
Salivatio non conducit curandæ lui venereæ, juxta Gerardum Goris. 338
Salivatio mercurialis facit contra morbos alios præter luem veneream, ſi audiantur Johannes Georgius Trumphius. 276. Martinus Fridericus Frieſs. 299. Bernardus Albinus. 302. Georgius Erneſtus Stahlius. 328. Bartholomæus Boſchetti. 346. Nocet vero in Carcinomate, in Lepra, in Tremore nervorum, & in affectibus pulmonariis aut hæmoptoicis. *ibid.*
Salivatio, qua methodo, & quibus cautionibus movenda ſit juxta Purmannum? 319. Lanzonum? 320
Salivatio ſemper lente provocanda. 266. Provocari poteſt ſeptem modis juxta Turquetum de Mayerne. *ibid.*
Salivatio a Mercurialibus movenda vel mota, catharticorum vi reprimitur, materia per inferiora evacuata. 186
Salivatio. In Salivatione mercuriali movenda a quibus peccatis caute abſtinendum ſit? 83. 358. & *ſeq.*
Salivatio juxta Turnerum præparatis mercurialibus movenda eſt, ſi morbus recens; illitionibus mercurialibus, ſi inveteratus ſit. 339.
Salivatio ſemper laborioſa & moleſta juxta Antonium Everhaers. 273
Salivatio cietur aliquando uſu decocti Guaiaci, æque copioſa ac uſu Mercurii. 128
Salivatio improbatur in curanda lue venerea a Gerardo Goris. 337. Franciſco Chicoyneau. 343. C.... Willoughby. 347. Petro Deſault. 367. Henrico Haguenot. 368. Vincentio Breſt. 374. Johanne Douglaſs. 279. Anonymo. 383. Petro de Rotundis. 387. Petro Guiſard. 389.

Salivatio in curanda lue propugnatur a J.... C.... 349. Daniel Turner. 361. Samuele Palmer. 362
Salivationis pericula & incommoda exaggerantur. 203. 211
Salivationem & ſalivatoriam methodum in curanda lue venerea deteſtatur Janſonius. 289
Salſa-parilla minus calida & minus acris, quam Guaiacum, juxta Minettum. 196. Cæſalpinum. 214. Contra calidior & acrior ſecundum Rectorium. 197
Salſa-parilla efficax adverſus morbos multos. 205. 220. Adverſus gummoſitates. 215. Sed parum adverſus luem veneream. 220
Salſa-parilla cedit virtute Guaiaco, ſed efficacior eſt ad dolores artuum ſedandos. 228
Salſa-parilla, quæ optima? 324. Triplici modo poteſt adminiſtrari. 325. Multis modis peccatur in illa exhibenda. 326
Sanguis. An in ſanguine Syphiliticorum e vena emiſſo ulla diſtinguantur certa luis indicia? 355
Sanguinis maſſa ſubjectum eſt luis venereæ. 291. 294.
Sanmarthanus immoderatius laudavit Fernelium, quaſi ipſo vivo & vidente ejus Opera in Scholis publice prælegerentur. 143
Saphati, Tinea. Alia *humida*, *ſicca* alia. 18. Morbus eſt omnino diverſus a lue venerea. 191. 195. Vide *ſaphati*.
Saponaria egregie facit contra luem veneream, ſi audiatur Rudius. 220. Claudinus. 223. Colle. 224. Wedelius. 292. Quotuplici ratione poteſt adhiberi? 220
Sarapion Indicus. Sic a quibuſdam vocata fuit lues venerea. 243
Sarſa-parilla, ubinam adoleſcat, quo tempore & a quibus in Europam primum devecta fuerit? 135. 136. Orientalis occidentali præferenda, & ideo *triplo carius venditur*. 136. Appellatur ab Amato Luſitano *Rubus viticoſus*. 135
Sarſa-parilla laudatur ad curationem luis venereæ a Thoma Rangono. 98. Leonardo Fuchſio. 107. Victore Trincavellio. 133. Amato Luſitano. 135. Gabriele Falloppio. 141. Bernardino Tomitano. 154. Alexandro Trajano Petronio. 159. Georgio Dordono. 166. Demetrio Canevario. 216. Fabio Pacio. 220. Julio Cæſare Claudino. 223. Johanne Colle. 244.
Sarſæ-parillæ Decoctum ceteris omnibus Decoctis anti-venereis præfertur ab Amato Luſitano. 135. Leonardo Botallo. 168. Andrea de Leon. 222
Sarſa-parilla nullius efficaciæ eſſe dicitur ab Hieronymo Montuo. 149. Antonio Fracanciano. 158. Alexandro Maſſaria. 205
Sarſæ-parillæ ſuccedanea. 136. 214. 311
Saſſafras lignum, quod paulo ante annum 1580. ex Florida delatum fuerat, laudatur a Wiero adverſus luem veneream. 181. Et ab aliis pleriſque, qui ſæculo XVI. exeunte ſcripſerunt. 244. Cedit virtute Guaiaco, ſed efficaciter valet adverſus omnes paſſiones hydropicas. 228. Luem veneream nedum curet juxta Rudium, ut magis intendat. 220
Scabies Hiſpanica, eadem quæ lues venerea. 189. 222.
Scaliger (Julius Cæſar). Quiſnam fuerit, ſi vel ipſe vel ejus filius Joſephus audiatur. 146. 147. Quiſnam vero, ſi fides adhibeatur Giraldo, Nipho, Guillandino, Riccobono, Scioppio, Comneno Papadopoli. *ibid.* & *ſeq.* Utebatur *ſola medulla*, ſeu parte duriore Guaiaci, ad potionem, albumine ad alia. 148
Sceleratorum attactu Antiqui credebantur olim pollui, quaſi contagio. 342
Scelotyrbe & Stomacacia Veterum. 138
Scholæ Medicæ ſuum munus eſſe putaverunt, ut morborum venereorum naturam, cauſas & therapeiam alumnos edocerent. 208
Scholæ Pariſienſis Decanus. Sic inepte appellatur Petrus Pigray, qui Decanus erat Communitatis Chirurgorum Sancti Coſmæ. 225
Scholaſtici duodecim nocte eadem cum eadem meretrice rem habuerunt, ſed fortuna plane diverſa. 286
Schydlovietz (Chriſtophorus a) Palatinus Cracovienſis & Poloniæ Cancellarius, cui Eraſmus ſcribit. 69
Scorbutus diverſus a lue venerea, tum ſignis, tum medicinis. 323
Scorra, nomen luis venereæ inter Gallos juxta Sebaſtianum Brant, quod tamen falſum eſt. 8. Derivatur juxta eumdem a voce quadam græca, quod perinde falſum eſt. *ib.* & *ſeq.*
Secreta particularia ad luem veneream, ſed nullius virtutis. 257. & *ſeq.*
Sedes Gonorrhœæ in utroque Sexu. Bubonis ſeu Pani venerei. Porrorum & Verrucarum. Ulcuſculorum venereorum, vulgo *Chancres*. 353.
Sedes luis venereæ juxta quoſdam in cellulis membranæ adipoſæ. 352. 354. 370. 384.
Semen Indum, de quo Rangonus, vomitum & alvi profluvium ciebat vehementiſſime. 99
Seminium morbificum luis venereæ, admiſſum ab Angelo Bolognino. 48
Septalius (Ludovicus) Medicus in curandis morbis venereis exercitatiſſimus. 234
Serpentum uſus, utilis ad curationem luis venereæ. 54
Servetus (Michael) Villa-novanus in Aragonia, in impio ſuo Libro, quem *Chriſtianiſmi reſtitutionem* inſcripſit, ac Viennæ edidit anno 1553., primus omnium deſcripſit circuitum ſanguinis per pulmones a dextro in ſiniſtrum cordis ſinum. 186
Sigillum Mariæ, efficax adverſus nodos venereos admotum cataplaſmatis forma. 266
Sigiſmundus I. Poloniarum Rex. Quo tempore bellum geſſerit adverſus Baſilium magnum, Moſchoviæ Ducem? 53
Signaturæ rerum & remediorum. A quibus inventæ fuerint, & an illis fides ulla ſit habenda? 310. 311
Similitudo non levis intercedit tum morbi tum

tum cauſę, rabiei caninę cum Morbo Gallico, juxta Maſſariam. 204
Sinapii nugatoria remedia adverſus luem veneream. 313
Smilax aſpera, ſarſæ-parillæ defectum ſupplere poteſt 135. Videtur eadem eſſe Falloppio, quæ ſalſa-parilla 134. Laudatur a Ghino adverſus luem veneream. 191. 244
Sloane (Hans) D. M. Præſes Societatis Regiæ Scientiarum Londinenſis, locupletiſſimam Bibliothecam inſtruxit, cujus copiam facit Literatis benigniſſime. 3
Sodalitas literaria exeunte ſeculo decimo quinto in Germania inſtituta, nomine *Danubianæ*. 11
Sodalitia Chirurgorum olim Pariſiis duo erant; Alterum in Eccleſia Sancti Coſmæ, Alterum in Eccleſia Sancti Sepulchri 128. Quæ demum in unum corpus coaluere, quod appellatur *la Communauté des Maitres Chirurgiens-Barbiers de Saint Coſme*. *ibid.*
Soleæ ex Mercurio crudo paſta aliqua excepto plantis pedum admotæ ſalivationem movent. 265
Solutio ſublimati corroſivi interne ſyphiliticis exhibita a plurimis Circulatoribus 284. 285. 341.
Sparta-parilla, ſive Sarſa-parilla, Veſalio nota erat anno 1545., ſed nondum experta. 111. Parum probata fuit Rinio 112. Præfertur Cynæ a Cardano 114. Nullius efficaciæ eſſe videtur adverſus luem veneream Hieronymo Montuo 149. Antonio Fracanciano 158.
Sparta-pariglia. Vide *Sarſam-parilliam*.
Species quatuor luis venereæ ab Andrea Alcaçar diſtinguuntur. *Prima*, quæ levi decocto ligni ſancti, vel ſyrupo Sancti Ambroſii, 171. *Altera*, quæ decoctis ſudorificis legitimis, *ibid.* *Tertia*, quæ illitionibus mercurialibus, 172. *Quarta*, quæ fortioribus illitionibus, ſuffitibus & vomitoriis ſanatur. *ibid.*
Specifica adverſus luem veneream, quæ proponit Loſſius. 295
Spina dorſi. An illinenda unguento mercuriali? 279
Spiritus vini Camphoratus non eſt exhibendus in gonorrhœa. 357
Stack (Thomas) Anglus, Doctor Medicus egregie doctus, amicam & ſubſidiariam opem benigniſſime contulit in amplificanda Bibliotheca Aphrodiſiaca. 3. 169. 329
Steckelberga, Caſtellum Franconiæ, patria Ulrichi de Hutten. 65
Sterilitas. An lue venerea? An mercurialium uſu, inducatur? 324
Stibium præparatum, ſeu Emeticum, præſcriptum ad curationem luis venereæ 166. 172. 225. 268. Luem nunquam, vel rariſſime ſuperat. 193. 220
Stillicidia gonorrhoica. 260
Stivaletti, ſeu femoralia unguento mercuriali ſpiſſe oblita, emplaſtrorum loco curandæ lui venereæ adhibita. 230
Stomacacia & Scelotyrbe Veterum. 138
Stoeflerus (Johannes) prædicit cataclyſmum maximum futurum anno 1524., quia Jupiter & Saturnus hoc anno coituri erant in 10 gradu Piſcium, ſed illum eventus egregie confutavit 82. In quo tamen fautorem & ſectatorem habuit Thomam Rangonum. 95
Stranguriæ venereæ cauſa Cardanum latuit. 114.
Strangurla Gonorrhoeæ pediſſequa, emendatur immiſſis in urethram virgis plumbeis gradariæ craſſitudinis. 151
Stuffæ ad curationem luis venereæ olim adhibitæ. 26. 55. 62. 81
Sublimatum Cynæ nihil aliud eſt apud Thomam Rangonum, quam *humor per deſtillationem eliciendus ex decocto Cynæ aqua aut vino parato*. 97
Sublimatum corroſivum externe adhibetur a Blancardo in unguentis vel in lotionibus. 299.
Sublimati corroſivi ſolutio guttatim ab Agyrta quodam Londinenſi exhibita ægrotantibus ex lue venerea. 340
Succedanea Guaiaci 113. 135. 149. 154. 214. 224. 227. 244. Sarſæ parillæ 135. 149. 154. 214. 224. 227. 244. Chinæ 149. 154. 214. 224. 227. 244.
Suctrix, quæ puerperam coloſtrum exhauriebat, luem ſugendo communicat & propagat Medioburgi. 273. 298
Sudatio unica eſt curandæ luis venereæ ratio juxta Minadoum 201. An provocanda Diaphoreticis poſt hydrargyroſim? 284. Ad curationem luis venereæ movenda Decocto vel Extracto Guaiaci. 309
Sudatoria ſive Balnea calida laudantur ad curationem luis venereæ. 55
Sudatoria Sancti Germani prope Puteolos. *ibid.*
Sudatoria luis venereæ curatio paulatim obſolevit. 316
Sudor. An ſympathetice moveri poſſit? 307. Fatetur Gervaſius Ucay ea ratione movendi ſudorem ſe lui venereæ mederi nulla unquam opera potuiſſe. *ibid.*
Sudorifica nulla exhibenda ante hydrargyroſin. 235.
Sueſſa. Urbs Epiſcopalis Campaniæ in Italia. 80.
Suffitio ex vapore candelæ accenſæ, quæ conſtabat ex minio (*Cinnabari*) & cera 160. Ex aromaticis cum albo Animæ, tuto adhiberi poteſt, ſed ſine ullo ſucceſſu. 182
Suffitionum methodus in uſum nuper revocata ab Aretalogo quodam, ſed irrito ſucceſſu. 316. 317.
Suffitus ex granis Juniperi evocat Mercurium juxta Majorem. 283
Suffumigatio mercurialis periculoſior, quam inunctio, ſed efficacior juxta Claudinum. 224. & ſeq.

Suf-

Suffumigia duorum generum, alia ex materia benigna, alia vero ex venenoſa 179. Sine Cinnabari nullius efficaciæ ſunt 235. Parari debent cum Cinnabari, imo cum Auripigmento juxta Septalium. *ibid. & ſeq.*

Suffumigia mercurialia ſeu ex Cinabrio improbantur a Johanne Benedicto 54. Hieronymo Fracaſtorio 75. Nicolao Maſſa 79. Aloyſio Lobera 108. Vido Vidio 120. Benedicto Victorio 122. Augerio Ferrerio 130. Gabriele Falloppio 142. Antonio Chalmeteo 152. Bernardino Tomitano 154. Antonio Fracanciano 156. Alexandro Trajano Petronio 158. Georgio Dordono 164. Petro Paulo Pereda 177. Johanne Cratone 182. Johanne Calvo 196. Euſtachio Rudio 220. Ludovico Mercato 222. Petro Pigræo 226. Horatio Guarguanto 232. Franciſco Ranchino 241. Georgio Wolffgango Wedelio 227. Martino Frederico Frieſs. 298. Bernardo Albino 303. Joſepho Lanzono. 321

Suffumigia mercurialia proponuntur ad curationem luis venereæ difficilis. 242. 248. 253. 283. 320.

Suffumigia mercurialia laudantur a Michaele Johanne Paſchali 139. Hieronymo Montuo 149. Henrico Broucæo 167. Gualthero Bruele 178. Johanne Zecchio 189. Hieronymo Mercuriali 190. Luca Ghino. 192

Suffumigia Inunctionibus mercurialibus potentiora ſunt, & in robuſtis poſſunt adhiberi, juxta Hieronymum Capivaccium 192. Johannem Colle 244. Sine Mercurio laudantur a Cæſalpino 214. Pacio 221. Cum Mercurio periculi plena eſſe videntur Cæſalpino 214. Pacio 221. Ranchino. 241

Suffumigia mercurialia præſtantiſſima ſunt in defluvio capillorum 181. Adhiberi poſſunt, ſi gravis ophthalmia venerea corneæ eroſionem videatur inductura, aut ſi adſit depilatio 219. *& ſeq.* Et etiam ſi cadant capilli, aut ſint ulcera cruſtoſa. 234. *& ſeq.*

Suffumigia mercurialia non improbantur ab Hieronymo Montuo, ſi tolerari non poſſint illitiones 219. Laudantur a Botallo, ſi ulcera maligna aliquam corporis partem depaſcantur 156. Efficaciter valent adverſus ulcera venerea. 266

Suffumigia mercurialia adhibenda tantum ad morbos topicos, non ad luem univerſalem, niſi alia omnia remedia fruſtra fuerint 247. 248. Localia ad ulcera, gummata, nodos, doloreſque fixos laudantur. 339

Suffumigia mercurialia, vana & inefficacia ſecundum Minadoum 200. Nunquam adhibenda Hæmoptoicis vel Peripneumonicis 282. Semper periculoſa, ſed aliquando valde efficacia. 283

Suffumigiis mercurialibus rarum eſt luem venereum perfecte ſanari. 123

Suleimanus, Soltanus Turcarum, ſeu ut dicit Struthius, *Sachus*. 103

Sulphuris Oleum, ſeu potius Spiritus laudatur a Matthiolo ad curationem luis venereæ. 84

Sydenhamius (Thomas) falſo credidit luem veneream in Antillas ex Guinea deductam fuiſſe 289. Fatetur ſyphiliticos ab Anglia in Galliam migrare, ut ſanentur *ibid.* Damnat therapeiam præparatoriam ad hydrargyroſim *ibid.* Improbat quoque uſum purgantium ad deducendas reliquias ptyaliſmi abiturientis. *ibid.*

Sylvius (Jacobus) Doctor Medicus Facultatis Monſpeſſulanæ, non Pariſienſis. 100. 101

Symptomata venerea ex America allata vehementiora & maligniora, quam quæ in Europa ſcortatione ſola, ſine contagio ullo, contrahi credit Hoffmannus. 383

Syphilis, nomen lui venereæ datum ab Hieronymo Fracaſtorio, & qua de cauſa? 74

Syphiliticos ſemel curatos morbo eodem & rarius & levius deinde affici, credebat Vidius. 120.

Syphilitici. An coitu cum virgine a morbo liberentur? 278. 323. An in Elephantiaſim facile incidant? 277. Ex Anglia migrant in Galliam, ut ſanentur juxta Sydenhamium, quia aer Galliæ ſalubrior. 289

Syphilitici. Quibuſnam de valetudine ſua ſucceſſive permittant in Galliis, ſive quotuplici medentium ordini ſubjaceant? 359. *& ſeq.* Morbo liberantur facilius in Gallia quam in Germania, ut ait Hoffmannus, quod cœli temperies curationi magis faveat. 383

Syringa vermicularis Roncalli maxime commoda ad exſtirpandas urethræ carunculas, & conſolidanda ulcera 344. Quomodo conficiatur & adhibeatur? 345

Syrupus de Pomis compoſitus Meſues impenſe, ſed temere laudatus a Johanne Benedicto, quaſi mirabilis adverſus luem veneream 53. 170.

Syrupus ex decocto Guaiaci laudatur ad curationem luis venereæ. 139

Syrupus Sancti Ambroſii commendatur a Rondeletio adverſus luem veneream 152. Et ab Andrea Alcaçar. 171

T

T*Abaci* ſpiritus laudatur ab Hartmanno ad veſiculam cryſtallinam 232. Qualis effectus inde ſuccedat? *ibid.*

Tamariſcus, ſive Myrica, nullius efficaciæ in curanda lue venerea. 221

Taybas, nomen Indicum luis venereæ. 140

Taynas, nomen Indicum luis venereæ. 224

Tellii Gironii (Johannes) Ureniæ Comites, quot fuerint? 168

Teucri. Sic olim Turcæ appellati fuerunt. 108.

Teucrorum Rex, videtur hoc nomine intelligi Cheiredinus Barbaroſſa. *ibid.*

Theoremata, quibus Medicina amplificata eſt

Obſervationibus in Syphiliticis inſtitutis. *Præf.* x. & *ſeqq.*
Therapeiæ luis venereæ duodecim numerantur a Cortilione. 229
Therapeia ſudorifica ex Decoctis Guaiaci, Saſſafras, Chinæ, & Salſæ-parillæ, utilis ad leviorem & recentiorem luem veneream. 241. 246.
Theriaca in Germaniam olim importabatur ab Italia, vel a Francia, hoc eſt, a Monte-peſſulano. 51
Theriaca Andromachi recenſetur ab Aurelio Minadoo inter Antidota luis venereæ 200. 214. Et a Ferdinando. 247
Thermales aquæ, modo non ſint urentis caliditatis, laudantur a Victorio ad ſyphiliticos dolores 122. Improbantur a Trincavellio 133 Varandæo 228. Parum efficaces cenſentur a Silvatico. 211
Theſes Academicæ, res brevis ætatis, & quare? 115
Theſes Medicæ de morbis venereis in omnibus Scholis Medicis propugnatæ. 208
Tlaſcaltecalenſes in nova Hiſpania. A quo Variolas acceptas habuerint prius ſibi ignotas? 261. 262. 329. 330.
Torrella (Hieronymus) ſcripſit de imaginibus Aſtrologicis, vulgo *Taliſmans*. 24
Tou-ſou-lin. Nomen Sinicum radicis Chinæ. 243.
Toxites (Michael) Interpres aliquot Operum Paracelſi. 89
Transfuſoria Chirurgia nullius virtutis in curanda lue venerea, quicquid ſuadere videantur experimenta Dantiſci inſtituta 292
Trautmanſdorf (Andreas de) Canonicus, & Decanus Eccleſiæ Salisburgenſis, cui Leonardus Schmaus Diſſertationem ſuam *de morbo gallico* dedicavit. 63
Trincavellius (Victor) An Librum de Morbo Gallico ediderit? 132
Trivultius (Pomponius) Lugdunenſis Gubernator, Pilulis Barbaroſſæ uſus eſt citra noxam. 149
Tumor ſcrophuloſus maxillæ inferioris a retropulſa Gonorrhoea virulenta oriundus, verus erat Bubo venereus. 332
Tunetum. Quo tempore Caroli V. Imperatoris auſpiciis ſubjectum fuerit? 126
Turnerus (Daniel) Medicus Anglus, Multa capit in priore Operis hujuſce editione, de quibus Lectori judicium ſit, audita prius utraque parte 387. Aperte contendit curationem morborum venereorum ad Chirurgos pertinere, quos in illo negotio arbitros agnoſcit 388. Quæ cauſæ ſint, cur ea ſequutus ſit conſilia? *ibid.* & *ſeq.*
Turpethum minerale adverſus luem veneream facit. 174. 182. 255
Turpethi mineralis noxa in curanda lue venerea inhibetur, ſi catharticum aliquod altero die poſt illius exhibitionem, adhibeatur. 186.
Tuſſis producta ab animalibus genitis in canna pulmonis, & quæ minora ſunt muſcilionibus, ab Avenzoare ſolo obſervata. 33. 46

V

VAbreni. Qualis morbus fuerit? 180
Vairola Magna. Sic lues venerea a Laurentio Jouberto appellata fuit 175. Hanc *Vairolæ parvæ* (Variolarum) ſobolem eſſe ille falſo credidit. *ibid.*
Valerii Maximi locus quidam, qui adducitur quaſi de lue venerea debeat intelligi, explicatur. 341
Valliſnerius (Antonius) adducit auctoritatem Dalempatii cujuſdam, quaſi certam, in quo fallitur. 308
Variolæ Verrucales. Sic Puſtulas venereas vocabat anno 1499. Johannes Geppingenſis 32. & *ſeq.*
Variolas & morbillos commutavit Europa cum lue venerea Americæ. 246
Variolæ. Arcanum quoddam ad illarum ptophylaxim, quo Aretalogus temere gloriatur & inepte. 350
Variolæ in Hiſpaniam novam ſive regnum Mexicanum ab Æthiope quodam traductæ, unde ſtrages indigenarum maximam 261. 262. 328. 329.
Vena Medinenſis nunquam obſervata fuit a Galeno. 33. 46. 112
Venæ-ſectio, ſicut in peſte, ſimiliter in lue venerea exitialis eſt juxta Gerardum Goris, quod ab illo uno creditur, quod contra experientiam repugnat. 339
Veneni venerei ſedem poſuit Boerrhaavius in humore pingui adipoſi panniculi, ſeu celluloſæ membranæ 352. Quæ eadem opinio vel proxime ſimilis longe prius propoſita fuerat 354. Sed quæ multis confutatur argumentis. 353
Veretri tenſio non raro obſervata in cadaveribus eorum, qui convulſi interierunt. 24
Vermiculi ſeminales, qui ſunt embryonum rudimenta, an pereant in lue venerea? An uſu mercurialium? 324
Vermiculi inconſpicui, in ſemine innatantes: An ſint cauſa luis venereæ? 294
Veſalius queritur quod Anatomiæ peritia ſibi ab invidiis exprobrata fuerit 111. Hiſpanum nondum mortuum imprudens diſſecaſſe dicitur. 109. & *ſeq.*
Vetula ex Ulma, quæ credebatur multa poſſidere ſecreta, ab Imperatore Maximiliano II. accita, ſuis remediis illi non parum nocuit. 189.
Via regia curandi luem veneream, per therapeiam hidroticam. 253
Victorius affirmat *occurriſſe ſibi quandoque honeſtas & ſanctas Moniales, quæ ſub inviolabili clauſura, ex præſentis cœli ſtatu, in Gallicum ciciderant morbum*. 121. & *ſeq.*
Vigo (Johannes de) erat *Doctor Chirurgiæ*, hoc

hoc eſt, in Academia Medica ad illum Doctoris gradum poſt examina ſolita promotus 59. In curanda lue venerea multa ignoravit vel omiſit, quæ ab Antiquioribus Scriptoribus propoſita fuerant. 60. 61

Vinum Sanctum, ſive decoctum Guaiaci in vino, laudatur ad curationem luis venereæ. 140.

Vinum Magiſtri Ludovici, quod valde celebratum olim fuit, e quibus ſpeciebus conficiebatur? 226

Vinum Græcum admixto leproſorum ſanguine infectum, an luem veneream Gallis induxerit, a quibus potatum fuit? 213. 297

Vinum, in quo Vipera ſuffocata fuerit, proponitur adverſus luem veneream ceu alexipharmacum. 214

Viperæ. Decocti & Trochiſci Viperarum multum laudantur adverſus luem veneream. 244.

Viperæ laudatæ ad curationem luis venereæ. 32. 44. 55. 165. Sed parum efficaces. 165

Viruelas (Las) Sic Variolæ ab Hiſpanis appellantur. 261. 262. 328. 329

Virus ex coitu quandoque contrahi, nulla tamen apparente in genitalibus corroſione vel noxa, perperam creditum fuit a Planerio. 170.

Virus Venereum acidum eſt, ſed ſuo modo peccans juxta Sylvium de le Boe 279. Peccat juxta Wedelium aciditate, viſciditate & acrimonia 291. Videtur Franciſco Calmette eſſe fermentum humores diſſolvens 304. Coagulatorium eſt, corroſivum, phlogiſticum. 383. *Conſiſtit* juxta Hoffmannum *in fluido ſive phlogiſto, æthereo & fermentativo principio.* *ibid.*

Virus Venereum inveteraſcens fere omnes corporis humores pedetentim contaminat 353. Atque adeo nonnunquam & adipoſam pinguedinem, imo & membranam ipſam, qua adeps continetur. *ibid.*

Volhardus, neſcio quis, ſcripſit beneficio inunctionis mercurialis ſingulis annis plus quam ſex millia Syphiliticorum ſanitati reſtitui in una Pariſienſi urbe, quod videtur nimium. 276.

Vomitus pulvere Vigonis vel Stibio præparato proritatus, efficax ad curationem luis venereæ. 253

Voſſius (Gerardus Johannes) male intelligit edictum Magiſtratus Brugenſium, quaſi *ad tempus barbam radendi* ſpectaret. 139

Vulgus plerumque Medicis iniquius, Circulatoribus vero præter modum indulgens eſt, & quare? 280

U

U*Dalricus*, Dux Wirtembergenſis, cui inſcribitur Liber Wendelini Hock *de Mentagra* 42. Quæ vota fundit Wendelinus Hock, ut lues venerea Duci illi nullum nocumentum facere poſſit? *ibid.* & *ſeq.*

Uffnaugia, vulgo *Auffnavv*; Inſula Lacus Tigurini, ubi mortem obiit Ulrichus de Hutten. 65

Ulcera virgæ. Quibus remediis ſanari poſſint juxta Torrellam? 28. Phriſium? 76. Nunquam negligenda 54. & *ſeq.* Proponit Phriſius, tanquam *ſecretum efficaciſſimum* ad illa curanda, pulverem nullius pretii. 76

Ulceribus in urethra a gonorrhœa medentur injectiones aſtringentes ſecundum Fabricium. 238.

Ulcuſculorum venereorum, vulgo *Chancres*, ſedes. 353

Unguentum mercuriale ſecundum Ferrerium conſtare debet ad robuſtos tertia vel quarta tantum Mercurii parte, ad delicatiores vix ſexta aut ſeptima, ad infantes vix octava 130. Simpliciſſimum ceteris præferendum. 303. 305. Quale eſſe debeat juxta Hoffmannum? 384

Unguenta mercurialia ab ipſo luis venereæ ingreſſu curationi adhibita 4. 5. 9. 12. 15. 20. 23. 28. 32. 40. 44. 48. 56. 60. 61. 72. 140. 149.

Vide *Formulas Unguentorum*.

Unguentum, quo Philippus, Luſitanus, & Andreas Lacuna utebantur ad exſtirpandas caruncula meatus urinarii. 125. 126

Unguentum ad defluvium pilorum expertiſſimum. 178

Unguentum, quo Petrus, Empiricus Gallus, candelas cereas obliniebat ad delendas carunculas urethræ. 151

Unguentum de Tuthia Johannis de Vigo. *ibid.*

Unguentum mercuriale Parei, Jungkenii, Dolæi & Nicolai de Blegny. 320

Unguiarola, ſpecies luis venereæ, in qua ungues decidunt. 55

Unguium caſus, quo tempore lui venereæ ſupervenerit? 97

Uſus unguentorum mercurialium in curanda lue venerea acceptus ab Arnaldo de Villanova, & Guidone de Cauliaco. 28. 42. 44. 60. 78.

W

W*Alkirch* (Bernardus de) Canonicus Eccleſiæ Auguſtenſis, cui Joſephus Grunpeckius Librum ſuum de *Mala de Frantzos* dedicavit. 11

Wedelius (Georgius Wolfgangus) polypharmaciæ addictior eſt, & fabulas Helmontianas concoquit. 291

Weidman (Johannes) Multa de illo Auctore & de illius Operibus 16. 17. Nomen illud *Weidman* idem ſonat ac nomen *Saliceti*. *ibid.*

Wierus (Johannes) Quæ cauſa illi fuerit ſcribendi Libros ſuos *de Præſtigiis* & *Pſeudo-Monarchia Dæmonum*? 158. Quantam invidiam ſe ideo ſuſtinuiſſe fateatur? 152

Wilbad. Aquæ Wilbadenſes, ſive Ferinæ in Ducatu Wirtenbergenſi. *16.* 17

Y

Ebipas, nomen Indicum luis venereæ. 223.

Icas, nomen alterum Indicum luis venereæ. 140. 223.

Z

Amoſcius (Zarius) Polonus, filius Stanislai Zamoſcii, Caſtellani Chelmenſis, orationem habuit in funere Falloppii. 141

Zanini (Antonius Maria) in Mercurium & in Hydrargyroſim multa temere effutit, ac Thomam Doverum acriter carpit. 373. 374. Quem de hydrargyroſi palinodiam cantaturum confido, ſi eam adhibendi Mercurii methodum ex artis legibus unquam exploraturus ſit. 310. & *ſeq.*

Zempoalani in Hiſpania nova, a quo Variolas acceptas habeant, ſibi prius inauditas? *261.* *262.* 328. *329.*

Zonæ ex emplaſtro mercuriali. 281

Zuccanum, pagus in Tractu Lunenſi. 253

Finis Indicis Tomi II.

D E

DE USU
MERCURII
IN MEDICINA
TAM INTERNO, QUAM EXTERNO
DISSERTATIO
D. JOSEPHI MARIÆ XAVERII BERTINI
FLORENTINI

habita coram Sodalibus Botanices Florentiæ menſe Septembri 1744.

Ex italico in latinum ſermonem translata.

DE USU
MERCURII
IN MEDICINA
TAM INTERNO, QUAM EXTERNO
DISSERTATIO.

SI in veritate exquirenda, quam velut lucem intellectus adeo diligit, homo in multos perſæpe errores ipſe incidit, quod ſine ulla diſcuſſione omnibus illis fidem præbet, quæ a majoribus, vel ab amicis, vel etiam civibus fando accipit (1); in medicina præcipue, quæ artium omnium præſtantiſſima, (2) errores, in quos homines labuntur, inde originem ducunt, quod temere & inconſulto alienam autoritatem ſequi minime reformident (3). Etenim Medicina aut eſt empirica, nempe tantum in actu poſita, & omnino ex iis pendens, quæ ab aliis traduntur, aut firmis rationibus innixa, & comprobata, cumque una cum Philoſophia nata ſit (4), æque ac illa crudele auctoritatis jugum ferre coacta eſt, ex quo hæc erepta eſt, immortalis Galilæi ope, quod, in ea tradenda Mathematicis diſciplinis uti primus omnium cœpit. Eandem μέθοδον adhibere voluit etiam in medicina Borellius, eamque poſtea perſecutus eſt inſignis noſter Bellinus, qui jure ac merito medicorum omnium magiſter, & veræ medicinæ pater poteſt appellari, quæ reſtituta ab ipſo priſtinæ ſuæ dignitati, poſtea a doctiſſimis Pitcarniis, & Boerhaaviis ad illud pulcritudinis & perfectionis faſtigium perducta eſt, quod omnes ejus ſtudioſi norunt atque mirantur.

Non tamen ideo in melius mutata eſt, ut opus erat, medendi ratio, quæ a Medicis συςηματοποιοῖς & phanaticis jam perturbata erat atque corrupta, quin imo perverſa magnam partem permanſit, idque revera cum inficiari nullo modo poſſit, quoniam de hoc eodem ubique doctiſſimorum & honeſtiſſimorum medicorum (5) juſtæ querelæ auditæ jam ſunt, nullam profecto aliam opinor eſſe cauſam, niſi illorum auto-

(1) Locke Eſſai philoſ. l. 4. c. 20.

(2) Hipp. Lex.

(3) Medicina & Religio artes imperioſiſſimæ hac parte conveniunt, quod utraque mutuetur a traditione authoritatem Hecquet quæſt. med. au funct. a ferm.

(4) Celſ. præf. in lib. 2.

(5) Archib. Pitcar. Chriſt ſtrom. Screta De Moor de inſtaur. medic. Goris medici. cont. Mindereꝛus. Planctus Medicinæ lugentis, Odvvier. Planctus mediciuæ modernæ. Goclick, Nenter, Stahl, Hecquet, & alii plures.

autoritatem, qui vel antea medicinam profeſſi ſunt, vel etiam in præſentia profitentur.

Viderer equidem patientia veſtra nimis abuti ſi nunc errores omnes, in quos, contra id quod morborum hiſtoria, corporis humani ſtructura, & remediorum actione a doctis cultarum gentium medicis oſtenditur, nihilominus dilabi homines ſolent, oratione mea perſequi vellem; ſed quoniam ego quoque diu, e quo hanc artem profiteor, in uno hujuſmodi verſatus ſum, quem ſane magni ponderis ac momenti eſſe video, quique pene omnium noſtrorum civium cum maximo eorum detrimento altiſſime fixus hæret in animo, etiam atque etiam vos oro atque obteſtor, ut me pro communi veſtra utilitate de eo differentem benevole & attente audiatis.

Error nimirum eſt, Mercurium in medicina nunquam eſſe adhibendum, aut quod eſt letiferum venenum, aut quod aliquo ſemper afficit detrimento. Ego contra oſtendam, Mercurium extrinſecus & intrinſecus adhibitum, curante tamen aliquo perito medico revera miros gignere & ſaluberrimos effectus.

Mercurius nihil aliud eſt quam omnibus notum hydrargyrum, non autem Stibium, ut plebs ignara arbitratur, quæ duas res natura prorſus inter ſe diverſas ſimul miſcet atque confundit. Ante nos Latini argentum vivum illud appellarunt, & etiam hydrargyrum a græco nomine ὑδράργυρος, quod nomen nulla alia ex re quam ex ipſius natura deductum eſt, nempe ex fluendi vi, ſummaque mobilitate, ex mira alia corpora penetrandi facilitate, & ex colore cæruleo, atque argentum imitante.

Cum animadvertiſſent Chimici, illum præter metalla, neque inhærere iis quæ tangit, neque ea humida efficere, eum aquam ſiccam appellarunt (1): cæterum Mercurii nomen fluidæ huic ſubſtantiæ inditum eſt a ſtultiſſimis quibuſdam Aſtrologis, & Alchimiæ profeſſoribus, qui cum eam quodammodo Planetæ Mercurio ſimilem crederent, utpote quæ natura ſua ſemper movetur, facileque varias formas induit, quod ſecundum antiquæ Theologiæ fabulas Planetæ illius proprium erat, inde ἀναλογικῶς deduxerunt, benignos a Mercurio influxus in illam transfundi, ideoque eodem nomine eſſe appellandam.

Equidem neſcio, qui Mercurii adhibendi conſuetudo introducta ſit in Medicinam; ſed, niſi mea me fallit opinio, ut remedia alia innumera, ſic etiam hoc forte fortuna ab hominibus arbitror eſſe repertum. Nam ſi ſalus noſtra ex iis quæ a nobis inconſulto adhibentur utilitatem ſentit aut detrimentum, ſors certe nobis æque oſtendit venenum atque remedium, ita jubente ſumma providentia ſapientiſſimi hujus univerſitatis conditoris Dei, a quo ſi medicina divino afflatu patefacta nobis non eſt, ipſi certe quovis pacto tamquam bonorum omnium quæ poſſidemus autori & fonti, accepta debet referri.

Et quidem, Mercurium eſſe remedium, non adeo celeriter compertum eſt ab hominibus, quin imo diu a Medicis neglectus eſt, multumque etiam damnatus. Græci cum crederent de natura rerum ex qualitatibus iis quæ cernuntur eſſe judicandum, quod ſenſui frigidus, multumque gravis videtur, venenum eſſe illum putarunt, nec unquam ulla in re ipſo uti voluerunt. Idem etiam ſenſit Galenus (2), quamvis nullum de eo intrinſecus, nec extrinſecus periculum unquam feciſſet. Mirum ſane eſt atque ridiculum, quod de Dioſcoride dicitur, qui referente eodem Galeno (3), ejus antidotum in ſcobe auri reperiſſe putavit, quæ, ut ipſe ait, maximam attulit utilitatem iis omnibus, qui hydrargyrum bibiſſent. Quæ quidem maxima utilitas revera nihil aliud erat, niſi opinio ejus qui antidotum inveniſſe dicebat, & priuſquam ſciret num hydrargyrum venenum eſſet, nec ne, illum eſſe venenum ſine ulla hæſitatione affirmare non dubitavit.

Dioſcoridis & Galeni ſententiam reliqui omnes Græci Medici cæco animi impetu ſecuti ſunt, nec mercurium unquam adhibuerunt: & quamvis ab hoc poſtremo (4) memoriæ proditum ſit, nonnullos hydrargyrum peruſtum, & quaſi in cinerem redactum, mixtumque aliis rebus, iis qui colicis doloribus, & ileo laborabant exhibere ſolitos eſſe,

(1) Lemery Deſ. Dro.
(2) Galenus de ſimpl. med. fac. lib. 4. c. 19. lib. 9. Hydrargyros.
(3) Ibid. lib. 6.
(4) Paul. Ægin. lib. 7. de his quæ inchoant a lit. y.

ſe, animadvertendum eſt ipſum non appellare illos Medicos, qui hoc utebantur, neque in ſimilium morborum curatione eundem proponere, quod alibi (1) letiferum venenum eſſe jam judicarat.

Britannus quidam (2) perſpicaci ingenio præditus credidit Græcos crudum adhibuiſſe Mercurium, quod extrinſecus & intrinſecus Cinnabari uſi ſunt, quam nemo ignorat undique Mercurio eſſe pleniſſimam, eorumque uſum inter ſeſe parum diſtare. Hinc occaſione capta Joannis Fernelii doctiſſimi Medici opinionem refellit (3), qui hujuſce remedii inventum Arabibus tribuendum eſſe dicebat. Et re quidem vera, Græci Cinnabarim non appellabant illam quam nos (4), ut præter rationes alias innumeras patet ex virtute ejus adſtringente, quæ a Græcis, omnino contraria noſtræ Cinnabaris virtuti deſcribitur.

Fernelius igitur optime locutus eſt, & conſtat ex Medica Hiſtoria Medicos Arabes primos fuiſſe qui tali pharmaco uſi fuerunt.

Illum etiam extinxerunt ſaliva, dein aut quodam oleo, & aceto, aut pingui quadam arvina, & aliquot aromatibus eundem miſcentes, quoddam unguentum confecerunt, quo cutem ungentes, ſcabiem, phthiriaſin, herpetem, & alios morbos, quibus obnoxia eſt cutis, mirifice curabant. Quod quidem a paſtoribus fortaſſe didicerunt (5), qui & ipſi morbos quibus cutis pecudum obnoxia erat, mederi forte aliqua didicerunt.

Egregii quique Europæ medici ante renatas litteras Arabum (6) opinionem ſecuti ſunt, qui hujuſmodi cutis morbos Mercurio mederi ſoliti fuerant.

Verum poſtquam venerea lues (novus horribiliſque morbus) quæ anno 1494. & 1496. (7) ab occidentis regionibus per ſocios Columbi in Europam delata, vix in Luſitania & Hiſpania detecta erat, in Neapolis obſidione totum exercitum Gallicanum infecit, unde incredibili furore breviſſimo temporis ſpatio ubique ſparſa per Italiam & Galliam, nec multo poſt per totam Europam, Aſiam, Africamque (8) graſſata eſt, peritiores medici, cum alii rei novitate attoniti atque perculſi quid agendum eſſet ignorarent, novi morbi puſtulas atque ulcera cum cutis morbis compararunt, in quibus proſpere unguentis ex hydrargyro confectis utebantur, motique ex pura analogia iiſdem remediis etiam illum curare prudenter admodum ſtatuerunt.

Hinc ſapientiſſimus Joannes Aſtruc (9) jure credit minime concedendum eſſe in eorum ſententiam, qui Joannem Berengarium Carpenſem unctionis mercurialis auctorem faciunt, quam Fallopius ait ipſi tantum fuiſſe cognitam, ipſumque tantum illa uſum eſſe, recteque Carpenſem & æqualem ſuum Joannem A Vico ejuſdem μεθόδȣ promotores potius eſſe appellandos exiſtimat.

Id in medicina ſemper animadvertere licuit, cum remedium aliquod utile repertum, & feliciter aliquo modo adhibitum eſt, non defuiſſe unquam, qui aliis quoque modis illud adhibere ſtuderent, ſive id curioſitate hominum fiat, ſive cupiditate inventa omnia perficiendi, ſive etiam arte. Itaque nihil mirum videri debet, in mentem aliquibus veniſſe experiri, num alio quoque modo extrinſecus poſſet adhiberi Mercurius. Tribus igitur modis novæ hujus rationis periculum factum eſt, ſcilicet emplaſtris in linteolo, ſuffiminibus, & lotionibus, ex quibus omnibus nemo fere utitur, niſi ceratis, & emplaſtris, quibus non amplius corpus totum perlinitur, quod neque multæ utilitatis eſſet, & ſummæ moleſtiæ, quin officeret cuti, & febrim etiam gigneret, ſed tantum parti læſæ utiliter illis medemur, cum durus aliquis tumor diſſolvendus, aut parte in aliqua doloris pertinacis cauſa eſt expugnanda. Cæterum ad Siphilidem curandam revocare lotionum uſum nimiæ temeritatis eſſet, ſuffimenta vero nimis ſunt periculoſa aut inutilia, & in morbis aliis curandis multum prudentiæ & judicii requiritur, ut eos deſcribens Veronenſis ille Medicus, & poeta ſimul egregius doctiſſime hiſce verbis docuit (2).

Hh 2 Sunt

(1) Idem lib. 3.
(2) Mart. Liſter Med. Exercit. 4.
(3) Joan. Fern. De Lue Ven. c. 6. & 7.
(4) Matthi. Comm. in lib. 5. Dioſcor. c. 69.
(5) Nouveau Cours de chym. ſuivant les princip. de Nevv. & de ſta. tr. 3. le mercure.
(6) Aſtruc de Morb. Ven. lib. 2. c. 7.
(7) Aſtuuc ibid.
(8) Freind. Hiſt. Med.
(9) Ibid. (10) Hier. Fracaſt. de Syphilid. lib. 3.

Sunt igitur ſtyracem in primis qui, cinnabarimque
Et minium, & ſtymmi agglomerant, & tura minuta,
Quorum ſuffitu pertingunt corpus acerbo,
Abſumuntque luem miſeram, & contagia dira.
At vero & partim durum eſt medicamen & acre,
Partim etiam fallax, quo faucibus angit in ipſis
Spiritus, eluctanſque animam vix continet ægram.
Quocirca totum ad corpus nemo audeat uti
Judice me: certis fortaſſe erit utile membris,
Quæ papulæ informes, Chironiaque ulcera paſcunt.

Ex quibus facile intelligere poteſtis Græcos Medicos maxime a veritate aberraſſe putantes hydrargyrum corpori noſtro extrinſecus admotum occidere, & Arabibus gloriam eſſe tribuendam totius Orbis hoc errore liberati. Verum nihilominus iidem Græci decepti ſunt, cum idem quoque contingere exiſtimarunt, ſi forte intrinſecus adhiberetur.

Quarto tantum ſæculo poſt Chriſti ortum cognitum eſt illum epotum nequaquam occidere, cum perfidioſa quædam mulier conjugem ſuum eodem hydrargyro fruſtra de medio tollere tentaſſet, ut eleganter admodum ſcripſit Auſonius (1). Poſtea Medici quidam Arabes (2) in eo nullam medicinalem vim ineſſe cognoverunt, ſed eodem quoque tempore didicerunt, eum licet vermiculos quoſdam interimeret, homini tamen nullum incommodum importare.

Sæculo 16. Gilbertus Anglus Mercurium non eſſe venenum affirmavit (3), Joannes autem a Vico primus omnium contra peſtem, doloreſque colicos laboratum bibendum eſſe præſcripſit, quibus morbis ad ipſum adhibendum percitus eſt Græci Medici narratione, quem ſupra commemoravimus. Chirurgi illius Pontificii præparatio, Mercurio tantum rubro præcipitato conſtabat, quæ deinde pulvis rubra Joannis a Vico eſt appellata, quam fungoſis ulcerum carnibus cum utilitate maxima, non modo ſui, verum omnium fere ægrotantium inſperſit (4). De hujuſce pulveris per os immiſſæ effectibus (ſi tamen per os immittendam cenſuit (5)), nihil accepimus, verum cum certum exploratumque ſit vehementem ſane & periculoſam ejus vim eſſe, mirari jure poſſumus, inſignem aliquem virum ejuſdem verba ſecutum eſſe (6), ſimulque eruditis illis viris aſſentiendum, qui juſtiſſime ob id cenſoria virgula illum notarunt (7).

Anno 1540. miſſa eſt ab Africa luis venereæ ſanandæ cauſa utiliſſima quarumdam pilularum conficiendarum ratio, quæ hydrargyro & Catharticis aliquot conſtabant, quibus uſus eſt Chairedinus Ænobarbus, Rex Juliæ Cæſareæ, & a quo pariter nomen ſuum deduxerunt (8).

Eruditi viri Braſavola & Genertus anno 1545. pervulgarunt illum humani corporis lumbricos occidere, (res valde ab integerrimo noſtro Redio (9) laudata) non autem homines; & quamvis illis adverſarentur Mundella & Lacuna, (tantum erat auctoritatis Græcæ pondus) nihilominus experientia & ipſos, & antiquam ipſorum opinionem mendacii redarguit, ac Medici de ejuſdem Mercurii facultate & viribus diſputare exinde cœperunt.

Sæculo præterito ejus vis contra vermes prope omnibus cognita erat, ita ut per totam Galliam pueris ab iiſdem moleſtia affectis paſſim Mercurius propinaretur (10).

Nunc vero ubique eodem utuntur, & præſertim adverſus poſtremas Epidemicas febres, quæ Rhegii graſſabantur, eundem utiliſſimum remedium eſſe compertum eſt (11).

Chimici variis modis eundem *præpararunt*, & nunc quoque *præparant*, atque uti-

nam

(1) Epig. X.
(2) Raſis 8. Alm. Avic. l. 4. phen. 6. Alyabas 4. pract.
(3) Compen. totius med. Lugd. 1510.
(4) Joan. a Vigo pract.
(5) Aſttuc. lib. 2. c. 7.
(6) Matthio. de mor. gall.
(7) Hier. Frac. Sab. Fall., Alex. Trai. Patr., Julia. Palma.
(8) Petr. Bay. Rondel. Pract.
(9) Oſſervazioni intorno agli Animal. viventi.
(10) Car. Muſit. Pegol. lib. 4. c. 3. art. 4.
(11) Joan. Baptiſta Moreali, cujus obſervationes plurimi faciendæ;

nam ii modi non in tam magnum numerum excreviſſent. Si enim docti prudenteſque Medici verum eligere, recteque eodem uti ſciunt, agyrtæ contra & circulatores imperitos decipere poſſunt, iis abutentes qui vel minus utiles, vel peſſimos effectus pariunt.

Verum ſupra cætera omnia majorem nobis utilitatem attulerunt ea, quæ diligenter de ejus natura, & in corpore noſtro neceſſaria ejus actione animadverſa ſunt: per illa enim vera certaque ratio adhibendi illum extrinſecus & intrinſecus ſtatuta eſt.

Itaque iterum ac ſæpius ſeverioribus Experimentalis Philoſophiæ regulis diligentiſſime examinatum eſt, quid eſſet in ſe Mercurius, ſemperque deprehendere licuit ex immutabilibus partibus illum conſtare, & multum illis quidem gravibus, forma fere inſtar globi, quæque facillime in minores minoreſque ſemper, ſemperque forma globo propiores particulas dividi poſſint: quoque facilius ob validam ipſarum attractionem, ſtatim ac propius admoventur, aut ſeſe aliquo in puncto contingunt, ſeſe invicem permiſcent, eo vehementius cum aliis liquidis noſtroque ſanguine conjungi repugnantes. Verum omnes humores noſtri, dum valemus, ex nulla alia re conſtant, prout oſtendunt microſcopia, & ratio ipſa ſuadet, niſi ex rotundis quibuſdam globulis, ita ut præcipua noſtrorum ſolidorum actio tantum ſit fluida noſtra globoſa vel ſervare, vel efficere, unde fit ut eorum forma nulla alia ſit niſi globoſa. Mercurius igitur ſemper cum natura noſtra maxime convenit ipſe per ſe, ſimplex eſt atque mitis, & ut Boerhaavius (1) ipſe teſtatur nihil rodens aut acer.

Specifica ejus gravitas minor eſt auro, major autem metallis omnibus reliquis, & cum noſtri ſanguinis gravitate collata, eſt fere ut 14. ad 1. Cum ex naturalibus hiſce Mercurii virtutibus, tum ex iis quæ Anatome, Mechanices, & attractionis leges, ejuſque in corpore noſtro effectuum hiſtoria, apertiſſime docet, facillimum fuit egregio illi viro nunquam ſatis laudato Archibaldo Pitcarnio (2) ejus agendi vim neceſſariam præcipue gravitatis cauſa cognoſcere. Quod quidem ſi ab alio noſtri ſæculi Scriptore doctiſſimo (3) reprehenſum graviter eſt, id certe ex eo evenit, quod ipſe communes tantum corporum omnium affectiones, non autem noſtri corporis peculiares & proprias conſiderarit. Hinc factum eſt, ut, cum exiſtimaſſet ſanguinis celeritatem Mercurii celeritatem exſuperare, magis quam ſpecifica Mercurii gravitas gravitatem ſanguinis exſuperet, exigui aut nullius prope momenti Mercurii gravitatem eſſe ſtatuerit.

Sed revera primum quidem id minime verum eſt, ſanguinis celeritatem Mercurii gravitatem ſuperare. Si enim Mercurii gravitas, gravitatem ſanguinis tredecies exſuperat, quotieſcumque duo hæc gravia ejuſdem molis, contigua, ſed tamen ſibi invicem non adhærentia eadem vi movebuntur, celeritas iis impreſſa non eadem erit, ſecus atque cum pluribus doctis ſcriptoribus exiſtimavit Aſtruchius (4); cujus cæteroquin ſummæ doctrinæ atque improbæ diligentiæ debet Medica Reſp. abſolutiſſimum utiliſſimumque tractatum de morbis venereis; ſed eſt in ratione inverſa ſpecificæ eorum gravitatis, quemadmodum & ratio perſuadet, & experientia confirmat. Itaque ſi cor ſanguinem & hydrargyrum in aortam trudit, erit celeritas hydrargyri ad celeritatem ſanguinis ut 1. ad 14. Exceſſus igitur erunt æquales: ſanguis ſcilicet tantum celeritate ſuperabit hydrargyrum, quantum ab hydrargyro gravitate ſuperatur.

Deinde ut hoc ipſum verum ſit, celeritatem ſanguinis excedere celeritatem hydrargyri, magis quam ſpecifica hujus gravitas, ejus ſpecificam gravitatem excedat, nihil inde recte deduci poteſt, niſi hydrargyrum citius eandem cum ſanguine celeritatem acquiſiturum.

Arteriæ ſemper redundant ſanguine (5), earumque circulares fibræ quoties ſeſe contrahunt, circulum anguſtiorem reddunt; non tamen poſſunt in omnibus punctis ad contactum

(1) Tandem & maxime immutabile hoc ipſum foſſile videmus, omniumque forte cognitorum corporum minime rodens, vel acre. .... ut enim ſupra dixi, in argento vivo nihil acris. Boher. de Lue Aphro.

(2) Diſſert. de cauſis div. molis, quà ſanguis fluit, &c.

(3) Alex. Thomſon. Diſſert. Med. 4. Mercurii.

(4) De Morb. Ven. l. 2. c. x. lem. 4.

(5) Borelli de motu Anim. prop. 68.

tractum pervenire, ſpatiumque deſtruere. Si igitur æquales maſſæ hydrargyri & ſanguinis diverſa celeritate eodem tempore a corde proficiſcantur, maſſæ ſanguinis maſſas hydrargyri prægredientur: hæ vero deprenſæ, & impulſæ ab aliis ſanguinis particulis, quæ perpetuis contractionibus a corde emittuntur, majorem celeritatem acquirunt, neque acquirere unquam deſinunt, donec ſanguinis celeritatem exæquent.

Si ergo ſanguis cum hydrargyro collatus multo majore celeritate præditus eſſet, quam revera eſt, nihil aliud contingere poſſet hydrargyro, niſi ut citius eoſdem cum ſanguine celeritatis gradus acquireret.

Hæc porro auctio celeritatis, quæ neceſſario hydrargyro accedere debet, uſque dum ad exæquandam ſanguinis celeritatem pervenerit, ea vero multo maximam efficit ipſius gravitatem, quod ab iis, qui eam contempſerunt, minime eſt animadverſum. Et ſane cum, ut oſtendimus, celeritas duorum gravium æquæ molis, æqua vi impulſorum, ſed ſpecifica gravitate differentium ſit in ratione inverſa eorum ſpecificæ gravitatis, cumque certo conſtet ipſorum momentum ſive impetum reſpondere numero, qui ex multiplicato gravitatis cum celeritatis numero producitur: cumque demum animadvertere liceat hydrargyri momentum idem eſſe cum momento ſanguinis ſtatim ac ab corde in aortam truduntur, patebit profecto momentum hydrargyri augeri, pro aucta ipſi ab ſanguine celeritate, illudque tum maximum futurum cum utriuſque celeritas ſit ut 14.

Sed quoniam globuli ſanguinis, utpote qui perfectam duritiem non attingunt, arteriarum quaſi parietibus impingentes, partem proprii motus amittunt, nunquam profecto par ſanguinis & hydrargyri celeritas erit ut 14.; & quemadmodum, ut fatetur inſignis Michelottus (1), circulari motu agitur ſanguis alicubi centies celerius, alicubi centies lentius, ut ex. gr. lentiſſime per vaſa adipoſa & medullaria; idem profecto continget hydrargyro, proindeque ejus impetum non parum minui neceſſe eſt: cum tamen hic impetus reſpondeat numero, qui ex maſſa multiplicata per celeritatem educitur, erit is ſemper magnus, ſi cum exiguo illo conferatur, quo ſanguis eſt præditus, ibi præſertim ubi eo magis opus eſt, nempe in minimis canalibus, in quibus plurium morborum cauſæ nidulantur. Cum vero in impetu hydrargyri ejus actio ſita ſit, impetus autem præcipue pendeat a gravitate, plurimi neceſſario facienda eſt hydrargyri gravitas, quemadmodum laudatus Britannus Medicus & animadvertit, & docuit.

Quocirca quotieſcumque hydrargyrum ori immiſſum per chyli vias ſanguini commiſceatur, vel externe corpori noſtro oppoſitum, a cutis vaſibus abſorptum una cum ſanguine circumagatur, ut a corde trudatur in aortam, non poterit majore vi quam ſanguis arteriarum tunicas impellere, niſi ſenſim, hoc eſt juxta auctionem celeritatis. Itaque ſolum hydrargyrum nunquam in cauſa eſſe poteſt, cur in arcu ipſius Aortæ gignatur aneuryſma, quo nomine apud Medicos, cæteroquin doctiſſimos male audit, cum eundem arcum verſus eodem quo ſanguis momento feratur: ſed cum pro aucta celeritate, aucto quoque momento eo pervenit ut arteriarum vaſa majore impetu quam ſanguis poſſit impellere; tum ea ſi minore reſiſtendi vi polleant, cedant neceſſe erit, fiantque aneuriſmata, ut interdum accidit. Animadverſum tamen eſt id perraro accidiſſe, ac ſolum corporibus fibra aut nimis rigida, aut nimis debili inſtructis, in quibus hydrargyri virtus periti medici induſtria tractata non eſt; proindeque aliena potius negligentia aut temeritas eſt arguenda. Nonnunquam etiam remedia Mercurialia iis curandis ſunt adhibita, qui jam manifeſto aneuriſmatis principio laborabant; unde certiſſima ægri pernicies neceſſario erat expectanda, ut præter cæteros animadvertit Clariſſimus Valcarenghius (2): hic nemo non videt opprimi ægros pura putaque imperitia eorum, qui ipſis curandis præfecti ſunt.

Si vero arteriarum fibræ naturalem tonum ſervantes, impelluntur minimis globulis Mercurialibus, neceſſe eſt ut proprium motum *oſcillationis* augeant, ſiquidem actio æqualis eſt *reactioni*, corpuſque noſtrum, epidermide excepta, totum vaſibus aut canalibus conſtans, quemadmodum ſumma induſtria ſingularis vir Federicus Ruiſckius demonſtravit, certum quoddam habet principium, quo facilem reddat, augeat, aut obti-

(1) De Sep. fluid.
(2) De Aor. Aneur. obſerv. I.

obtineat circulationem, eaque mala ſuperet, quæ ea impedita aut retardata procedunt.

Præterea globuli iidem Mercuriales non ſecus ac ſanguinei, confuſo motui rotationis, aut vorticis ſubjiciuntur (1), ſemperque ſe invicem, globuloſque ſanguineos impellunt, quemadmodum neceſſario iſti perpetuo ſe impellunt: hinc per impulſiones quibus ſanguinei a Mercurialibus urgentur, validæ eorum attractiones, contractus, cohærentiæ turbabuntur, iique dividentur invicem & diſſolventur.

Quapropter omnis Mercurii hæc erit actio, ut nempe ſolidis motum augeat, liquida autem diſſolvat, & diminuat, quibuſcum ipſe circuit.

Circuitionem igitur ſuam ſequatur, cumque illi obſtare non poſſint parvulæ minimorum noſtrorum vaſium diametri, quia cum in minores ſemper ſphæras dividantur, harum axes minores ſemper erunt illorum diametris, ſi illi obſtent humores ibi coagulati, atque detenti, hi ab illo movebuntur, & dividentur, ac ſi humores iidem cohæſerint; ut minimarum illarum ſphærarum impulſui poſſint reſiſtere, hæ poſt impetum aut conſiſtent, aut per lateralia vaſa tranſibunt, quæque per circuitionem novæ ſuccedunt, minime dubium eſt, quin iteratis ictibus vim ſibi ipſis oppoſitam vincant.

Verum quidem eſt, in tali conſtitutione rerum longo intervallo temporis Mercurium acturum; non enim brevi admodum ſpatio per totum corpus circuitio fit; quemadmodum quorumdam doctorum hominum opinio fuit. Errorem jam patefecerunt viri inſignes Keil, Oſmannus, & Degorter, & fortuita obſervatione Londini facta a Chirurgo Bechier (2) de oſſibus cujuſdam animalis rubeo colore infectis, per quam detexit, non minus ſexdecim diebus requiri, ut illa rubeſcerent, argumentum hoc valde illuſtratur. Duhamel Socius Academiæ ſcientiarum Pariſienſis (3) ulterius progreſſus eſt, & præterquamquod præclare multa hac in re obſervavit, intellexit, multos menſes requiri, ut animalium viventium oſſa rubeum illum colorem amittant, quem ex Eritrodani radice contraxerunt, Rubbia tinctorum nuncupata, ipſis in cibum exhibita, aut ſola, aut alii alimento immixta; illud etiam admonuit Mizzaldo innotuiſſe anno 1466. eam eſſe hujus plantæ naturam, ut oſſa animantium, qui ea paſcuntur rubro colore inficiat.

Hujuſce Foſſilis actio augeri poteſt ope quorundam acidorum ſpirituum, ut docemur a Chimica. Spiritus hi ſunt ſales in exiguum phlegma ſoluti, quorum partes ſolidæ, ac ſatis multa materia conſtantes ſeſe invicem attrahunt, multoque magis attrahuntur a partibus hydrargyri, quæ ſalinis ſeſe induentes, & quibuſdam quaſi ſpiculis armantes e ſphæricis angulares fiunt. Exiſtet igitur compoſitum quid ex hydrargyro & ſalibus multæ gravitatis & figuræ angularis. Corpora porro ſuperficie angulari prædita adverſus ea quæ ipſis reſiſtunt, eo momento agunt, quod celeritati, quantitati materiæ, & angulorum acumini reſpondeat. Cuneus vero, cujus baſis eſt in minore proportione ad altitudinem, is majore ſcindendi ac dividendi vi pollet. Igitur hydrargyrum arte chymica ſalibus immixtum, per noſtrum corpus diſcurrens variorum effectuum utilium aut pernicioſorum auctor erit juxta celeritatem, numerum partium ſalinarum, acumen angulorum, eorumque cum ipſo hydrargyro cohæſionem.

Quocumque tamen modo per corpus noſtrum circumagatur, agit, ut ſupra dictum eſt, in partes noſtras ſolidas & liquidas: ex quo fibræ mobiliores vividioreſque fiunt, pulſus frequentior ac validior, humoreſque prorſus omnes attenuantur atque ſolvuntur. Augebuntur igitur (4) pro interno corporis ſtatu modo hæ, modo illæ ſecretiores, modo etiam plures, ſimul unde exiſtet ſecretio veteribus ignota, quam noſtri *ſalivationem* appellant, quam quemadmodum in omnibus morbis promoveri non eſt neceſſe, ita in certo Luis Venereæ gradu (niſi obſtet corporis natura) ſummopere eſt neceſſaria, ita ut operam profecto ludant, qui ſine ejus ope ad curandam ægri valetudinem aggrediuntur (5).

Cum porro hoc nihil aliud ſit, niſi augere ſolidis partibus vim contractionis & diſtractionis, & humoribus noſtris reſtituere illum a natura inſitum circularem motum, a quo

(1) Arteriæ vis, & actio in humores. Boer. præl. Ac. *cum notis Halleri*.
(2) Hiſt. de l' Aca. Royal. des ſcien. 1737.
(3) Hiſtoir. de l' Acad. Roy. des ſcien. 1739.
(4) Michelotti, DeGorter De ſeparatione humorum.
(5) Freind. Hiſtor. Medic.

a quo valetudo, imo vita hominum pendet; ita neceſſario expugnandi ſunt omnes morbi, qui proficiſcuntur a quadam fibrarum imbecillitate, atque ab humoribus coactis, & in minimis vaſibus cujuſcumque generis ſtagnantibus.

Itaque vincentur feliciter obſtructiones, earumque neceſſaria ſymptomata, ut & obſtinata ventris conſtipatio (1), periodicæ quædam ac neceſſariæ purgationes ſuppreſſæ (2), quoddam febrium (3) genus, dolores rheumatici, atque arthritici, glandularum atque oſſium tumores, ſarcomata (4), calculi, podagra non inveterata (5), gutta ſerena recens, ophthalmiæ, cephalalgiæ pertinaces, vertigines, aſthma, hydropes non corroborati, nimia corporis obeſitas, aliquod epilepſiæ genus, ac præcipue recentes paralyſes, quæ vulgo Apoplexiæ appellantur (6).

Atque hic ſinite quæſo, vos, pro ea quæ mihi a meo munere imponitur neceſſitate illud a me moneri; cum ſcilicet hujuſce morbi tyrannidi magnopere ſimus obnoxii, ad quem propagandum aquilonares venti noſtris in regionibus dominantes non parum conferunt, ut egregie animadvertit Cajetanus Paſchalius (7), quique ſæpenumero a levibus ortus principiis, ut ab imminuto motu vel ſenſu, vel utraque in manu vel brachio paulatim per totum corpus extenditur atque in letalem deſinit apoplexiam; aut dempto dimidio corporis motu ſenſuve minorem partem ægrotorum, quicum bene agitur vel omni prorſus brachii, vel aliquo ſaltem cruris uſu multare ſolet, nihil proficientibus remediis iis, quæ claſſica, ſeu canonica, ſeu ſpecifica etiam appellentur, in ea me opinione eſſe, ut exiſtimem hoc in morbo, adhibita prius omni neceſſaria diligentia, ad hydrargyrum fidenter eſſe confugiendum, quod ab Italo Medico (8) exacto ejus effectuum obſervatore, paucis ab hinc annis *Remedium Paralyſi curandæ, & apoplexiæ prohibendæ a natura factum* jure optimo eſt appellatum.

Ex Philoſophicis tranſactionibus Regiæ Londinenſis Societatis (9) ſcimus Jameſium feliciter uſum eſſe hydrargyro ad letalem canis rabidi morſum curandum, tum in innumeris canibus (10), tum etiam in tribus hominibus: quod mirum videri non debet iis, qui noverint in Hydrophoborum cadaveribus complures ſemper internarum partium inflammationes reperiri. Animadvertendum tamen eſt nullum ex tribus relatis

caſibus

(1) Ambro. Par.

(2) Freind. Emmen.

(3) Ramazzini de Mor. Artif. c. 2.

(4) Doctor Jacobus Tyrel, qui cum ſanguinis nobilitate conjunctam habet ſummam in medicina peritiam, mercuriali unctione curavit morbum ſimilem in nobili quodam infirmo, de cujus ſalute deſperabatur, quique morti proximus eſſe videbatur. Hujus morbi cum hiſtoria, tum curatio a viro hoc præſtantiſſimo typis mandari mereretur.

(5) Belloſt. Eſperienze Mediche, e oſſervaz. ſopra il Mercurio.

(6) „ Tædioſum foret repetere morbos Mercuriali cura ſæpius victos, quorum e numero ſunt anaſarca, febris quartana, ſcabies, podagra, malum hypocondriacum, cephalalgia pertinaciſſima, paralyſis, epilepſia, vertigo, corpulentia nimia, menſium obſtructio, fatuitas, ulcera cacoethica, & alii „ ab obſervationibus paſſim recenſiti, & in I. D. Iaaci Diſſertat. de Saliv. Mercur. aliis, præter luem „ veneream, morbis rebellibus extirpandis pari, ſub præſidio Magnif. Stahlii Halæ Sax. An. 1710. habita, ſatis nervoſe collecti . . . Oculorum vitia per ſalivationem curata in eadem differt., Autorem „ deveneraudum noſtrum præceptorem A. Q. Rivinum allegante, qui Guttæ ſerenæ utriuſque oculi „ Saliv. medelam dedit, qualem etiam præſtitit curationem Celeb. Heiſterus (teſte G. P. Vogtii diſſertatione De Amauroſi ſalivatione curata Altorfi 1713. ventilata) mulieri 46. annorum, indicans ſerum viſcidum in tubulis nerveis ſtagnans adjuvante Mercurio tenue, & fluxile eſſe reddendum. Act. „ Acad. Cæſar. Leop. To. 2. obſerv. XII. Godefr. Klaunigii, Tumoris ſtrumoſi medela in Mercurio.

„ Experientia 4. Illuſtrium Medicinæ Practicorum. Obſervantur febres, magis, vel minus, ſed vere „ malignæ, in quibus poſt aliquem ipſarum decurſum, Serum Sanguinis atque ſaliva fiunt manifeſte „ viſcida, atque lethales fiunt viſciditate illa permanente. Ubi autem pituitæ copioſæ, nonnumquam „ per menſem continuata excretio per fontem ſalivæ, atque muci faucium oriſque contingit, illa eſt „ ſaluberrima.

„ Corollarium 9. Ex corollario 6. poteſt ſtatui de uſu Mercurii dulcis, conciſa doſi exhibendi in eo „ ſtatu malignarum febrium, quem determinavit hæc experientia. 4. Certe Roſinus Lentilius, atque „ Cramerus feliciſſimos ſucceſſus Mercurii dulcis in eodem febrium malignarum ſtatu pluries prædicarunt; quin & alter eidem Medicamini vim alexipharmacam ſapienter adſcripſit. In parte I. Miſcellaneorum Medico Practicorum Lentilii. Mercurialia, ſine Stimulo Salino præparata, in pleuriticis, „ peripneumaticis, & rheumaticis plurimum prodeſſe novit Joannes Huxham. In obſervationibus de „ aere & morbis epidemicis. Schreiber Obſervat. & cogitata de Peſte, quæ annis 1738. & 1739. in „ Ukrainia graſſata eſt.

(7) Epiſtola ad Authorem ſcripta.

(8) Sebaſtiano Rotario Veronenſi 1735.

(9) 1735.

(10) D. Cajetanus Paſqualius tali modo curavit hoc anno canem quemdam ſuum moloſſum.

caſibus ad tertium gradum pertinere, ad quem cum morbus pervenit, tum vero (quod apertis cadaveribus conſtat) nulla arte ſanari poteſt. Quocirca ſumendum eſt in primo gradu, vel paulo poſt morſum, vel ſaltem ſtatim ac tertius gradus manifeſtatur; cum ad tertium gradum curandum inutile omnino ſit. Sed cum Hecquetus vir pius ſimul & doctus animadverterit (1) miſſionem ſanguinis ex arteriis temporalibus, & venis jugularibus ſiſtere continuo vim hujus horribilis morbi, ad quem, tamquam ad ſcopulum, faſtus Medicorum infringitur; non eſſet abs re perpendere magis ne rationi conſentaneum videretur ab hac methodo incipere, tum ſi opus eſſet, confugere ad hydrargyrum. Cæterum refert Palmarius, ineunte ſæculo proxime præterito Hydrophobiam Mercuriali unguento curari ſolitam. Ravellyus Medicus Metenſis circa finem ejuſdem ſæculi, ait, rabie laborantibus nulla dubitatione hydrargyrum præbendum eſſe, eamque methodum Jameſius Londini, in Gallia vero Deſaultius, Bovilletius, & Bertrandus inſtaurarunt.

Lues Venerea licet in humoribus, membranis, glandulis, oſſibus penitus inſederit, cedet tamen repetitis hydrargyri ictibus, ejuſque contagioſæ omnes ac peſtiferæ partes vel propriam naturam exuent, vel ex ægrotis corporibus una cum ipſo per excretoria vaſa egredientur.

Lues bubonacea, quæ a lue Venerea in bubones deſinente differt tantum ratione celeritatis, qua ſerpit contagio, modique qua ſeſe ipſa propagat, curanda eſt hydrargyro cum camphora conjuncto, juxta obſervationes a Screiberio factas peſte in Verania graſſante anno 1738. 1739. itaque hoc eodem remedio ſuæ quiſque ſaluti conſulere poteſt (2).

Poſtremo Boerhaavius (3) quibuſdam felicibus experimentis permotus, ſuadet antidotum variolarum in hydrargyro quærendam, quod utiliſſimum experti ſunt Jo. Carolus Spieſſius, Paulus Gotlieb, Verlonfius, (4) & Jo. Baptiſta Morealius (5).

Magna eſt actio hydrargyri, ut dictum eſt, pendetque præcipue a gravitate, tum a figura ſphærica, a diviſibilitate, & ab ea vi qua nunquam noſtro ſanguini conjungitur. Sit ergo ea compoſita pro ratione corporum noſtrorum, & quantitatis in qua ſumitur. Cum ergo variæ ſint corporum naturæ, variique morborum gradus, quibus eſt adhibendum, ejus item actio neceſſario varia eſſe debet.

Corpus certo morbi gradu laborans, certa hydrargyri quantitate curabitur, alterum in eodem ſtatu poſitum, damno inde magis quam utilitate afficietur. Morbus cujus natura ſita ſit in valida cohæſione humorum in oſſibus aut glandulis, in quibus vitalis vis & circulatoria eſt infirmior exiguo hydrargyro curari non poteſt: contra mediocris cohæſio in liquidis vel pars majore ſeſe circumagendi vi pollens minorem ejus quantitatem requirit.

Inſpecta itaque corporum & infirmarum partium varietate, cauſarumque magis aut minus validarum, morbos gignentium, concludatur neceſſe eſt, ejuſdem remedii doſin multum vel augendam eſſe vel minuendam: non ſemper opus eſſe, ut eo cutis inungatur, vel ut chymica arte præparatum ori immittatur. Sed ſatis eſſe interdum ſi ſimpliciter ſumatur una cum cathartico, ſeu ſulphuri oculiſque cancrorum copulatum, quæ conſuetudo, licet plus æquo fortaſſe, hoc ſæculo commendata ac reſtituta eſt: (6) interdum etiam ſolum exigua doſi juxta legatum Doverii, (7) quam methodum recepere docti Profeſſores Patavini &

(1) La Medicina Natur. Tom. 2.

(2) „ Propoſitio X. . . . Mercurius dulcis cum camphora mixtus, & conciſa doſi, repetitis vicibus, „ exhibitus, annon eſt Medicamentum alexipharmacum, phyſicomechanicum, in peſte in bubones fi„ nitura? Sic omnino ſtatuo. Etenim Mercurius dulcis, conciſa doſi datus, videtur omni indicatio„ ni ſufficere pro felici perſanatione peſtis in bubones finituræ (Prop 7.)

„ Itaque recte haberi poteſt pro Medicamento alexipharmaco in illa peſte, ſed longe magis, ſi cum „ camphora combinetur (Coroll. 10.) Enim vero hæc omnia conſequentur ex qualitatibus mechanicis „ Hydrargyri (Coroll. 6.), & phyſicis camphoræ (Coroll. 10.) Adeoque commendatum Medicamen„ tum videtur eſſe alexipharmacum, phyſicomeclanicum in peſte, in bubones finitura, quale animo „ præſagivit T. Sydenham De peſte Londinenſi.

„ Coroll. XI. Facile patet dari non poſſe aptius præſervans tempore peſtis, quam ſi quis, omni veſ„ pera, Mercurii dulcis gr. 1. cum camphoræ tantundem deglutiverit.

(3) De cognoſ. & cur. morb. aph. 1392.

(4) Schreiber ibid.

(5) Ibid.

(6) Belloſt Eſper. Med. ed oſſerv. ſopra il Mercurio.

(7) Aſtruc de Morb. Ven. To. 2.

(1) Veneti, vel uno ſolummodo, quod ex eo in ſimplici aqua effervefacto educitur, quemadmodum in quibuſdam morbis nervorum, aliorumque generum, faciendum proponit celeber Medicus Georgius Cheynius (2).

Erit ne igitur Hydrargyrum tractatu facile? poterit ne omnibus ſecuro animo præberi? Hoc certe recta ratio ſuadet id ad periti Medici induſtriam pertinere, prout ipſe exactarum obſervationum ope, & judicii lumine ductus novit & ejus effectus deprehendere, & actionem dirigere. Intelligitis profecto illud hic a me poni, hujuſmodi remedium neceſſario præbendum eſſe. Cujus porro niſi docti ac prudentis Medici munus erit conſtituere num ad aliquem morbum hydrargyri uſus requiratur? Nonne ſummum dedecus, imo vero graviſſima culpa eſſet ex hoc remedio magna polliceri, cum id vel inutile vel etiam pernicioſum eſſet futurum.

Inutile porro futurum eſt, cum neque tempus quo eſt exhibendum, neque modus, neque quantitas patet: damnum vero certiſſimum inde eſt expectandum in iis morbis omnibus qui ab aliis cauſis, quam ab iis, quas ſupra commemoravimus, proficiſcuntur.

Sunt autem hi, epilepſia ex inanitione, affectiones nervoſæ, quæ non pendent a materia in nervis, aut circa nervos collecta, ſputa cruenta, cæteræque omnes hæmorrhagiæ, vulnera interna, arteriarum dilatationes, ſcorbutus calidus, omneſque veteres, duræ, & ſcirrhoſæ obſtructiones, inter quas recenſendus eſt cancer; quemadmodum neceſſario deducitur ex obſervatione modi quo agit Hydrargyrum. Quo in loco illud addere juvat in antiquis obſtructionibus, & in cancro, præterquam ſub eorum morborum principia, hydrargyrum impulſurum eſſe materiam in vaſibus coactam, ſimulque auctu-rum motum humorum omnium: ſed quoniam materia nimis compacta eſt, non dividetur aut ſolvetur, proindeque apta non erit ad ſubeundas anguſtiorum vaſorum extremitates, ac ſolummodo eadem vaſa impellet, diſtendet, ac rumpet, aucto porro humorum motu ii majores numero tendent in canales ſubjectos aut adjacentes obſtructis, a quibus compreſſi, intercluſa via, curſum inhibere cogentur; ex quo neceſſario partes infirmæ inflammationem concipient, atque ad letalem perniciem citius ferentur.

Hydrargyrum debita methodo exhibitum, hoc eſt ex omni Medica doctrina, omnibuſque hujus mirandæ ſimul & difficilis artis principiis, ſaluberrimos ſemper gignet effectus, quos multo majore admiratione dignos fatebimur, ſi animadvertemus, eos ab nullo alio remedio tam celeriter gigni, imo vero perſæpe ne gigni quidem.

Addatur vero iis quæ diximus hiſtoria curationum morborum externorum corporis noſtri, ac perpendantur prodigia, quæ egregii chirurgiæ profeſſores efficiunt ope hydrargyri vel crudi, vel variis modis præparati, vel aliis rebus immixti, cujus actio ſemper mechanica eſt, tum vero certa ejus ac miranda vis clarius innoteſcet.

His tamen argumentis nihil permoti nonnulli ad hydrargyri uſum infirmandum quædam objiciunt, quæ dum ſerio diligenterque perpendo, quæſo vos ut me attente atque humaniter audiatis, faciam enim, ut ſpero, ut eorum infirmitas apertiſſime veſtris oculis pateat.

Objiciunt 1. hydrargyrum remedium non eſſe regionibus noſtris accommodatum. Illud enim cæli natura non patitur, ex quo plura ſæpe in eos qui ipſo utuntur gravia incommoda redundarunt.

Valida ſane eſſet hujuſmodi objectio, ſi certis experimentis inniteretur. Ego vero id gratis aſſeri fidenter pronuncio. Si enim unuſquiſque veſtrum perpendere voluerit, quibuſnam ex factis hæc propoſitio deducta fuerit, deprehendet profecto omnia vel falſa eſſe, vel data opera conficta, vel orta aut ex inſuperabili morbi vi, aut ex uſu alterius remedii, aut ex medentium imperitia.

Cæterum Etruriæ cælum reſpondet temperato ſtatui cæli Monſpeſſulani, locorumque finitimorum (3), in quibus ſcimus hujuſmodi remedium magno ſucceſſu paſſim adhiberi.

Sed

(1) Homob. Piſo de region. magn. auxil. in curat. morb. diſſ. 14. c. 9.

(2) The English Malady: or a Treatiſe of Nervous diſeaſes of all Kinds, ec. The ſecond edition London 1734. in 8. Hujus libri notitiam debeo nobili animo prælaudati D. Tyrel.; cumque verſionem ab eo feliciter in Italicam linguam adornatam legerim, digna viſa eſt, quæ in lucem ad publicam utilitatem emittatur,

(3) Ego rem totam referam ad cælum Monſpeſſulanum, & finitimorum locorum, quæ cœlo Hetruriæ reſpondent. Laurentius Cioberti Par. 1. Error. Popular. opus e Gallica in Italicam linguam translatum ab Alberto Luchi a Colle.

Sed ut hoc verum non ſit; ſi tamen hac de re noſtros hoſce doctos ac ſapientes Medicos conſulueritis, quorum nonnullos cum hic me audientes conſpicio ſummopere recreor, maximoque mihi honori duco; non dubitabunt reſpondere, quod ridiculo homini Sibbaldo reſpondit Pitcarnius; (1) remedia ſcilicet quæ in aliqua regione alicui morbo curando accommodata ſunt, eum ſemper ubique terrarum curatura, dummodo debita doſi exhibeantur. Ex qua vera certaque reſponſione, illud neceſſario ſequitur, ſumma ope Medicis contendendum eſſe, ut aptam remediorum exhibendorum doſin reperiant pro regionum, hoc eſt hominum ſub iis degentium natura.

Experientia rationis præſidio firmata comprobavit, ſemperque probatura eſt allatæ reſponſionis veritatem pluraque noſtris in regionibus exempla ſuppetunt, quæ id aperte demonſtrent, eaque jam in dies magis magiſque innoteſcunt. Sed omiſſis aliis, ſatis eſt hoc in Xenodochio S. Euſebii, quod ab Elephantiaſi laborantibus nomen habet, ſimplice inunctione Mercuriali curari ſcabies inveteratas, quin unquam ſiniſtrum aliquid acciderit: imo vero plerumque ægroti ejus remedii ope etiam ab obſtinatis fluxionibus iſchiaticis, & rheumaticis, aliiſque chronicis morbis feliciter ſanantur.

Objicitur 2. infamia quædam, quæ (juxta Medicam Hiſtoriam) hydrargyrum ſequuta eſt, ſtatim fere poſt ſummas laudes in ipſum collatas propter plurima detrimenta, imo vero mortem ipſam, quam clariſſimis viris intulit (2). Horruere tunc Medici, illudque diris omnibus devovere, exilioque mulctarunt, velut gravium malorum mortiſque ipſius effectorem. Cumque, Deo propitio, utiliſſimas experti ſimus decoctiones quorundam lignorum ac radicum nobis huc ex Indiis advectarum, (3) quæ ad hanc uſque diem ſummo ſucceſſu, nulloque periculo in uſu ſunt habitæ: cur quæſo iis ejectis rurſus ad Hydrargyrum confugiemus, cujus pernicioſos ac letales effectus jampridem novimus?

Hiſtoria ſane Medica hujuſmodi facta vera eſſe teſtatur, ſed ut inde certum aliquid concludatur neceſſe eſt eorum cauſas perpendere, & ſtabilire. Conſtat ex libris Medicorum ejus temporis, eos cum Hydrargyri naturam non ſatis cognitam haberent exigua doſi ipſum exhibuiſſe, ita ut Venerea lue laborantes eo perraro ad ſanitatem reſtituerentur; agyrtas vero imperitiſſimos, quin imo ægrotos ipſos eo nimia doſi, nec ante præparata, nullaque adhibita diligentia uti ſolitos: ex quo illud ſequi neceſſe erat, ut debiles quidem remedii violentiæ cedere cogerentur, fortes vero multo labore, multoque tempore indigerent ad ſanitatem recuperandam. Quin ſi noſtris etiam temporibus hydrargyrum neglecta debita diligentia exhibeatur, peſſimi procul dubio effectus ſunt expectandi, quemadmodum erudita diſſertatione oſtendit clariſſimus Heiſterus. (4)

Equidem non negaverim decoctiones has communibus ſuffragiis hydrargyri ope ſuffectas eſſe, ſed neque illud negandum eſt, eas ad hanc luem, ubi paulo magis convaluerit, curandam, nullius plane utilitatis compertas; ita ut opus fuerit medicis rurſus confugere ad Hydrargyrum, quod prudentia, diligentiaque debita exhibitum, pro certiſſimo hujuſce morbi remedio ſemper deinceps habitum eſt.

Lignorum decoctiones eam nobis utilitatem afferunt, quam ſemper attulere, curant ſcilicet Siphylidem in lenibus quibuſdam gradibus conſiſtentem, at confirmatam jam corroboratamque neque curant hodie, neque ut puto, unquam curarunt.

Infamia igitur qua olim flagravit hydrargyrum, cadere debet ſolummodo in perverſum ejus exhibendi modum: decoctiones vero, quæ certos morbi gradus curant, at ipſius morbi fibras, ubi opus eſt, non extirpant; imo vero utpote adhibitæ adverſus morbum multo validiorem, non modo non ſanant ægrum, ſed eum inſuper exſiccantes, ac peredentes, ipſi proculdubio non parum officiunt, eas, inquam, decoctiones prorſus omittendas ac pro iis hydrargyro utendum puto.

Objiciuntur 3. graviſſima damna quæ ſcimus inferri ab halitibus Mercurialibus, iis qui in fodinis exercentur, tum iis qui Hydrargyro reliqua metalla auro perlinunt, poſtremo iis qui ſibi a ſuffitibus non diligentiſſime præcavent.

Quod ad fodinas attinet, non ſemper Mercuriales halitus culpandi ſunt, aquæ corru-

Ii 2 ptæ,

(1) Pitc. Differt. de Leg. Hiſtor. nat.

(2) Cardinalis Segovienſis Alphonſus Borgia, ejuſque frater. Freind. Hiſt. Med.

(3) Sicut fuit Guajacum an. 1517. Radix Chinæ an. 1535. Salſaparilla eodem ferme tempore, & paullo poſt lignum Saſſafraſ. Aſtruc de Morb. Ven. lib. 2. c. 6.

(4) De Chirurgorum erroribus in curandis morbis venereis.

ptæ, multoque magis *arſenicum* letiferas particulas exhalat: ſed ut concedamus Hydrargyrum graviter officere, animadvertit Juſſievis (1) eos qui illuc ire non coguntur, quique domum redeuntes veſtes omnes & calceamenta ipſa permutant, nullum valetudinis detrimentum perpeti, atque ad idem vitæ ſpatium pervenire, ad quod, qui fodinis abſtinent perveniunt, imo eorum aliquos ex lue Venerea, quam illuc attulerant, convaleſcere.

Quocirca perpetua particularum Mercurialium in corpus receptio, officit; quod contingere neceſſe eſt iis etiam, qui per os hydrargyrum ſumunt, quique nimis magna externa inunctione crebro utuntur.

Ii vero qui hydrargyro metalla auro perlinunt, quique ſeſe temere ſuffitibus exponunt, ſumma inde damna neceſſario ſentiunt. Nam minutæ & graves Hydrargyri ſphæræ facile ab igne agitatæ (ea eſt enim figuræ ſphæricæ natura, ut a pluribus minimis igneis particulis circumfundatur, cum ſphæricum corpus non minus quam ab tredecim (2) corporibus ejuſdem figuræ & magnitudinis contingi poſſit) certo quodam numero in corpus noſtrum per aerem celerrime feruntur, ejuſque ſolida magno impete pervadunt; liquida vero incompoſito ac pernicioſo motu effervent; ex quo inflammationes, ſuppurationes, cancrenæ, paralyſes, apoplexiæ, aliique lethales effectus proficiſcuntur.

Itaque magnitudo impetus in Hydrargyro præcipua cauſa eſt horum pernicioſorum effectuum; quæ cum in hydrargyro modis ſupra expoſitis exhibito nequaquam inſit; nihil inde adverſus ipſum concludi poteſt.

Objiciunt 4. foſſile noſtrum, ut licet mitiſſimum natura ſit, fieri tamen (ut norunt omnes) veneficum additione quorundam ſalium, atque ignis, imo vel ſolo mechanico motu, quemadmodum animadvertit Boerhaavius (3). Quis igitur ſpondeat, non idem accidere etiam in corpore noſtro, cui neque ſales, neque calor, neque motus deſunt?

Celeberrimus Medicus Michael Albertus (4) reſpondet argumento ab arte Chymica ſumpto, illudque tamquam præceps ac fallax refellit, cum ſummopere differant inter ſe ejus artis clibani, & vitales actiones corporis noſtri. Boerhaavius (5) porro optimo jure damnat Paracelſum, Helmontium, Carterium, Sylvium, cæteroſque omnes ſimili ratiocinandi modo uſos, ac detecto eorum errore, qui per meram fraudem acidorum vegetabilium uſum amandaverant, eo quod coagulent lac, Hippocratis cauſam tuetur, qui accuratis obſervationibus permotus rectiſſime judicabat acetum validum remedium eſſe adverſus morbos fervidos, in quibus ſanguis coagulatur.

Decebat ſaltem eos qui ex effectibus, quos extra corpus noſtrum ab Hydrargyro factos comperiunt, eos etiam qui intra contingunt arguere ſe poſſe putant, illud probare conari eos in ſanguine noſtro ſales reperiri, qui ad ſublimandum Hydrargyrum ſunt neceſſarii, eumque caloris gradum, qui ignitum rubrumque efficit vas ferreum ad hoc opus comparatum.

Ex experimento ingenioſiſſimi Boerhaavii illud unice inferri poteſt, eam motus quantitatem acre Hydrargyrum efficere: ſed quoniam præter cæteras differentias, quæ inter Hydrargyrum in eo vaſe agitatum, & in corpore noſtro circumactum intercedunt, præcipua eſt motus diminutio, ex qua certe nullam mutationem patitur, cum ex nobis liquidum, & ejuſdem naturæ egrediatur, (6) idcirco hoc experimentum nihil adverſus rectum Hydrargyri uſum valere debet.

Fortaſſe etiam in relato experimento ſolus motus Hydrargyrum acre non efficit: nam magnus Boerhaavius illud vitreo in vaſe collocavit, neque aerem inde extraxit: itaque ii qui experimentalem Philoſophiam callent non ſine cauſa dubitare poterunt, num acrimonia quam acquirit, oriatur ex ſolo motu, an etiam ex attritione aeris & vitri, atque ex eo quod ab iis ipſi communicari poteſt.

Reſtat

(1) Memoir. de l'Acad. Royal. des ſcien. 1719.
(2) Alex. Tomſ. Diſſ. 4. prop. 3.
(3) De Mercurio Diſſert. 1.
(4) Michae. Alber. ſemio. p. 481. 8. X.
(5) Herm. Boer. Che. vol. 2. p. 380.
(6) Hic per diureſim expellitur, & quicumque eum haurit, ex ſemet evinci poteſt, ſi cujuſcumque coloris chartam acceperit, & ſuper eam parvam illam urinæ partem in fundo matulæ ſubſidentem leviter immerſerit; nam coram ſole quolibet ordinario vitro in minimas partes, Imo ſphæricas Mercurium diviſum, & aliquoties partem aliquam nudis oculis aſpiciet. Belloſt. Eſper. Med. ed oſſerv. ſopra il Merc. in præf.

Reſtat ut perpendatur quinta & poſtrema objectio, qua ſoluta ſatis adverſariis reſponſum puto. Ea eſt autem auctoritas quorundam recentiorum ſcriptorum, qui vituperant ac devovent hydrargyrum, quod ſcilicet ipſum multo pernicioſiſſimum exiſtimant.

Sed ut paucis rem abſolvam, ſcriptores hi, idem quod Galeno reſpondimus, ſibi reſponderi ſinent, eos ſcilicet dicere quod opinantur, opinari vero quod nunquam accurate examinarunt, ſed tantum ab aliis acceperunt, proindeque eos & dicere & opinari quod revera neſciunt.

Veritas certe una eſt, cumque ea ſit, quam vobis modo repræſentaſſe mihi ſummæ gloriæ duco, difficultatibus omnibus multum præſtat, & validiſſimorum objectorum vim elidit. Præclare itaque illa Soli comparata eſt, (1) qui nativa luce colores detegit, & candorem a nigredine diſtinguit. Et ipſa medica ars a majoribus tantopere illuſtrata, ad eumque dignitatis gradum provecta, nullus dubito quin ætate etiam noſtra magis magiſque in dies perfici poſſit, dummodo contempto a veris Medicis perverſo imperiti vulgi judicio, non vereantur pro ægrotorum indigentia, ut ratio & experientia docet, valida remedia exhibere, atque opportuniore methodo uti.

Stulta Empiricorum gens (ut animadvertit vir doctiſſimus, qui Academiæ noſtræ a ſecretis (2) eſt) duo graviſſima ægrotis attulit damna; quod ſcilicet vana, ſtomachumque moventia remedia ipſis propoſuit, quodque valida mechanica communi uſu comprobata ridiculo metu ablegavit.

Anatome quidem hujus conſuetudinis falſitatem detegit: ſed quoniam ad morbos curandos, non ſatis eſt ipſorum naturam cognoſcere, quod unice docet Anatome, niſi etiam apta medicamina exhibeantur, hinc fit ut vobis, Sodales doctiſſimi, plurimum debeat ars medica, qui obſequentes ſtudio beneficentiſſimi Principis noſtri, cujus Regiæ munificentiæ ſodalitas noſtra mirum ſeſe in modum obſtrictam fatetur, & naturalem Hiſtoriam ſummo labore ac diligentia colentes atque illuſtrantes, ſuppeditatis Medicis validiſſima inſtrumenta, quibus nobiliſſimorum, atque efficaciſſimorum medicaminum notitiam aſſequantur.

(1) Clem. Alex. c. 6. ſtrom.

(2) D. Antonius Cocchi in elegantiſſima oratione; *De uſu artis Anatomicæ Florentiæ* 1736. Typis Antonii Mar. Albizzini in 4.

CL.

CL. VIRI
GERARDI L. B. VANSWIETHEN,
DE NOVA METHODO

Mercurii Cryſtallini tuto adhibendi in curatione luis venereæ
EPISTOLÆ.

Ad cl. virum Joſephum Benvenutum Lucenſem Philoſophiæ ac Medicinæ Doctorem Epiſtola.

OPuſculum tuum accepi, libenter legi, & gratias debitas tibi ago. Mercurii uſum magni facio, ſed multa hic opus prudentia eſt, imprimis dum crudus datur, vel affricatur cuti. Non omnibus bene ceſſiſſe hæc tentamina ſcio. Si mercurius ſublimatus corroſivus (*) ſolvatur in ſpiritu frumenti rectificato hac lege, ut in ſingulis unciis ſpiritus hæreat medium granum, & deinde hujus detur mane, & veſperi cochlear adultis, vel ad ſummum duo cochlearia, potando ſimul largam copiam decocti hordei, vel alterius cujuſcumque emollientis, mira efficacia obſervatur in lue venerea, & aliis morbis difficillimis. Trecentos lue laborantes in Noſocomium collegi præterito anno, & abſque ſalivatione omnes exiverunt ſani, hoc ſolo remedio uſi. Parum argenti vivi, ſed efficaciſſime redditi, & multa liquidi copia diluti vidi profuiſſe quam maxime. Vale, & me ama.

Vindobonæ 8. Martii 1755.

Epiſtola altera ejuſdem ad eundem.

Uſus illius remedii tamdiu protrahitur, quamdiu aliquid de his ſymptomatibus ſupereſt. Tuto ſumitur etiam diu. Cancroſum in lingua ulcus per novem menſes curatum vidi, dum per novem menſes hoc remedio uteretur puella, & abſque noxa ulla. A pinguibus, ſale, vel fumo induratis, lardo inprimis abſtinendum jubeo; juſcula, olera mollia, carnes paucas concedo facile. Ptiſanam hordei cum quarta parte lactis copioſam do, vel aliud quodcumque decoctum emolliens. In noſocomiis cubiculi ambitu continentur; plures curavi, qui quotidie per urbem vagabantur inprimis verno, & æſtivo tempore. Præterito menſe ducenti e Noſocomio exiverunt curati hac methodo: poſt paucos dies trecenti alii ingredientur. Credo & apud vos ſimiliter ſucceſſum ſperari poſſe, cum in Hiſpania per decem annos inveteratam luem ſic curaverit Archiater Reginæ viduæ, cui indicaveram remedium.

Vindobonæ 12. Aprilis 1755.

Ejuſ-

(*) Mercurius ſublimatus corroſivus ita dictus a Sgobbio in ſuo Theatro pharmaceutico pag. 730: appellatur etiam Mercurius cryſtallinus, ſeu cryſtallizatus ex acquiſita figura a recta ignis adminiſtratione: expertiſſimus iſte Venetus Chimicus ad uſum internum ſpiritum ſeu oleum diaphereticum dulce elaboravit, quod ex ſublimato corroſivo, cum aceto acerrimo diſſoluto parare docuit; aſt alii hac ſolutione neglecta, ſtatim infundunt vini ſpiritum optime rectificatum in cucurbita haud adeo longa, & poſt brevem digeſtionem arenæ igne non adeo ferventi, extrahunt vini ſpiritum, repetuntque cohobationem uſque quo ſublimatus totus in formam olei vel ſpiritus albicantis tranſeat per alembicum; quod idem deſcriptum eſt in pyrotechnia lib. IV. pag. 584 Caroli Muſitani, & ad ſydera extollit in curandis ulceribus malignis Canceroſis præſertim renum & veſcicæ tam intrinſece, quam extrinſece adhibitum. Ideoque quilibet ſpiritus ut alkali vim habet ex hactenus enarratis infringendi non ſolum puncta acidi ſublimati, tam exiguæ doſis, imo & ſolvendi ſublimatum ipſum in innumerabiles, ac tenuiſſimas Moleculas quæ vehiculo hujus menſtrui cito in ſanguinem tranſeuntes vim ſolventem in humores labe pollutos, ac viſcidos redditos exerunt, & obſtructiones tam diuturnas & graves in omni vaſorum genere mirabiliter tollunt. Nicolaus Lemery in ſuo curſu Chimico pag. 182. aſſerit ſublimatum corroſivum aqua calcis ſolutum ſtatim flavum colorem acquirere, ac adeo corroſivam vim amittere ut cuilibet abſque vitæ periculo propinari poſſit ac ſi dulcis & innoxius redditus fuiſſet.

Ejuſdem ad cl. virum Petrum Burſerium Philoſophiæ ac Medicinæ Doctorem Exercitus S. C. M. in Italia Medicum.

Tuto dari poſſe certus ſis : ſexcentis lue laborantibus intra anni ſpatium datum eſt optimo cum eventu, etiam in difficillimis caſibus: nemini quid ſiniſtri contigit. Mercurio ſublimato corroſivo, qui in omnibus pharmacopoliis proſtat, utor (*). Spiritum frumenti adhibeo, quia cum hoc prima tentamina feci ante multos annos, & cum pulchre ſucceſſerit nil mutare volui, credo enim facile, & vini ſpiritum inſervire poſſe. Vale.

Vindobonæ 26. Decembris 1755.

(*) Quamquam Celeberrimus Archiater officinarum ſublimatum proponat, intelligit tamen de ſublimato corroſivo Mercurio, non vero arſenico compoſito : hinc Michael Bernhardus Valentinus in hiſtoria ſimplicium reformata lib. 1. de mineralibus, & metallis docet modum dignoſcendi ſublimatum corroſivum verum a fictitio, per hæc verba „ pauxillum olei tartari per deliquium affunditur „ aut ſale tartari teritur, quo facto ſi flaveſcit, certum eſt indicium ex Mercurio confecto, & bonum „ eſſe : ſin contra nigreſcit, nequaquam prodeſſe indicatur. Alexius Pedemontanus in lib. ſecret. „ part. III. pag. 21. hoc habet experimentum : affunde ſublimatum corroſivum carbonibus ardentibus; „ ſi bonus eſt, flammam ſuſcipier cæruleam, ſi vero flamma aliter fuerit colorata, non eſt de optimo. „ Summa, elegantes cryſtalli, quæ non ſunt claræ, ſed etiam niveæ, ſplendentes, non graves, nec „ compreſſæ ſunt, iſtum commendant. Ponderoſus, multaque fruſta ſpecularia habens erit rejiciendus. Nicolaus Lemery loco citato aſſerit poſſe dignoſci ſublimatum corroſivum arſenico paratum, ſi pauco ſale tartari confricatum nigrum evaſerit, e contra ſi flavedinem acquiſiverit, bonus erit.

F I N I S.